Migne, Jacques Paul

PATROLOGIÆ

CURSUS COMPLETUS

SIVE

BIBLIOTHECA UNIVERSALIS, INTEGRA, UNIFORMIS, COMMODA, OECONOMICA,

OMNIUM SS. PATRUM, DOCTORUM SCRIPTORUMQUE ECCLESIASTICORUM

QUI

AB ÆVO APOSTOLICO AD INNOCENTII III TEMPORA

FLORUERUNT;

RECUSIO CHRONOLOGICA

OMNIUM QUÆ EXSTITERE MONUMENTORUM CATHOLICÆ TRADITIONIS PER DUODECIM PRIORA ECCLESIÆ SÆCULA,

JUXTA EDITIONES ACCURATISSIMAS, INTER SE CUMQUE NONNULLIS CODICIBUS MANUSCRIPTIS COLLATAS, PERQUAM DILIGENTER CASTIGATA;

DISSERTATIONIBUS, COMMENTARIIS LECTIONIBUSQUE VARIANTIBUS CONTINENTER ILLUSTRATA;

OMNIBUS OPERIBUS POST AMPLISSIMAS EDITIONES QUÆ TRIBUS NOVISSIMIS SÆCULIS DEBENTUR ABSOLUTAS DETECTIS, AUCTA;

INDICIBUS PARTICULARIBUS ANALYTICIS, SINGULOS SIVE TOMOS, SIVE AUCTORES ALICUJUS MOMENTI SUBSEQUENTIBUS, DONATA;

CAPITULIS INTRA IPSUM TEXTUM RITE DISPOSITIS, NECNON ET TITULIS SINGULARUM PAGINARUM MARGINEM SUPERIOREM DISTINGUENTIBUS SUBJECTAMQUE MATERIAM SIGNIFICANTIBUS, ADORNATA;

OPERIBUS CUM DUBIIS TUM APOCRYPHIS, ALIQUA VERO AUCTORITATE IN ORDINE AD TRADITIONEM ECCLESIASTICAM POLLENTIBUS, AMPLIFICATA;

DUOBUS INDICIBUS GENERALIBUS LOCUPLETATA: ALTERO SCILICET RERUM, QUO CONSULTO, QUIDQUID UNUSQUISQUE PATRUM IN QUODLIBET THEMA SCRIPSERIT UNO INTUITU CONSPICIATUR; ALTERO SCRIPTURÆ SACRÆ, EX QUO LECTORI COMPERIRE SIT OBVIUM QUINAM PATRES ET IN QUIBUS OPERUM SUORUM LOCIS SINGULOS SINGULORUM LIBRORUM SCRIPTURÆ TEXTUS COMMENTATI SINT.

EDITIO ACCURATISSIMA, CÆTERISQUE OMNIBUS FACILE ANTEPONENDA, SI PERPENDANTUR: CHARACTERUM NITIDITAS, CHARTÆ QUALITAS, INTEGRITAS TEXTUS, PERFECTIO CORRECTIONIS, OPERUM RECUSORUM TUM VARIETAS, TUM NUMERUS, FORMA VOLUMINUM PERQUAM COMMODA SIBIQUE IN TOTO OPERIS DECURSU CONSTANTER SIMILIS, PRETII EXIGUITAS, PRÆSERTIMQUE ISTA COLLECTIO, UNA, METHODICA ET CHRONOLOGICA, SEXCENTORUM FRAGMENTORUM OPUSCULORUMQUE HACTENUS HIC ILLIC SPARSORUM, PRIMUM AUTEM IN NOSTRA BIBLIOTHECA, EX OPERIBUS AD OMNES ÆTATES, LOCOS, LINGUAS FORMASQUE PERTINENTIBUS, COADUNATORUM.

SERIES SECUNDA,

IN QUA PRODEUNT PATRES, DOCTORES SCRIPTORESQUE ECCLESIÆ LATINÆ A GREGORIO MAGNO AD INNOCENTIUM III.

ACCURANTE J.-P. MIGNE,

BIBLIOTHECÆ CLERI UNIVERSÆ,

SIVE

CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

PATROLOGIA BINA EDITIONE TYPIS MANDATA EST, ALIA NEMPE LATINA, ALIA GRÆCO-LATINA. — VENEUNT MILLE ET TRECENTIS FRANCIS SEXAGINTA ET DUCENTA VOLUMINA EDITIONIS LATINÆ; OCTINGENTIS ET MILLE TRECENTA GRÆCO-LATINÆ. — MERE LATINA UNIVERSOS AUCTORES TUM OCCIDENTALES, TUM ORIENTALES EQUIDEM AMPLECTITUR; HI AUTEM, IN EA, SOLA VERSIONE LATINA DONANTUR.

PATROLOGIÆ TOMUS CCX.

ALANUS DE INSULIS.

EXCUDEBATUR ET VENIT APUD J.-P. MIGNE EDITOREM,
IN VIA DICTA *D'AMBOISE*, PROPE PORTAM LUTETIÆ PARISIORUM VULGO *D'ENFER* NOMINATAM,
SEU PETIT-MONTROUGE.

1855

ALANI DE INSULIS

DOCTORIS UNIVERSALIS

OPERA OMNIA,

AD CODICES MSS. ET VETERES EDITIONES COLLATA ATQUE NOTIS ET OBSERVATIONIBUS ILLUSTRATA STUDIO D. CAROLI DE WISCH, PRIORIS DUNENSIS. NOSTRÆ RECENSIONI ACCEDUNT DOCTORIS UNIVERSALIS LUCUBRATIONES NONNULLÆ, HUC USQUE SEORSIM EDITÆ, INTER QUAS MAXIME COMMENDATUR LIBER CUI TITULUS: *DISTINCTIONES DICTIONUM THEOLOGICALIUM*, QUEM EX VETUSTISSIMO EXEMPLARI NON PLUS QUAM SEMEL TYPIS MANDATO EXPROMPSIMUS.

ACCURANTE J.-P. MIGNE,
BIBLIOTHECÆ CLERI UNIVERSÆ
SIVE
CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

TOMUS UNICUS.

VENIT 7 FRANCIS GALLICIS.

EXCUDEBATUR ET VENIT APUD J.-P. MIGNE EDITOREM
IN VIA DICTA *D'AMBOISE*, PROPE PORTAM LUTETIÆ PARISIORUM VULGO *D'ENFER* NOMINATAM
SEU PETIT-MONTROUGE.
1855

ELENCHUS

AUCTORUM ET OPERUM QUI IN HOC TOMO CCX CONTINENTUR.

ALANUS DE INSULIS.

Elucidatio in Cantica canticorum.	Col. 51
Summa de arta prædicatoria.	109
Sermones octo.	197
Sermones alii.	221
Liber Sententiarum.	229
Dicta mirabilia seu memorabilia.	253
De sex alis cherubim.	265
Liber pœnitentialis.	279
De fide catholica contra hæreticos libri IV.	305
Liber de planctu naturæ.	429
Anticlaudianus, sive de officio viri boni et perfecti libri IX.	482
Rhythmus de Incarnatione Christi.	579
Doctrinale minus, alias Liber parabolarum.	579
De arte seu articulis catholicæ fidei.	593
Regulæ theologicæ.	617
Liber in Distinctionibus dictionum theologicalium.	687

Ex Typis L. Migne, au Petit-Montrouge.

NOTITIA HISTORICO-LITTERARIA

IN ALANUM.

(OUDIN, *Commentaria de Scriptoribus et scriptis ecclesiasticis*, tom. II, col. 1387. — Apprime hic Oudinus Caroli Vischii sententiam explodit qui Alanum anno 1294 obiisse, et aliorum qui Doctorem Universalem initio sæculi decimi quarti floruisse asserebant; fallitur autem cum Alanum Antissiodorensem episcopum, qui circa annum 1185, et Alanum ab Insulis, qui anno 1203 obiit, unum et eumdem fuisse censet. Vide *Histoire littéraire de la France* (in-4°, Paris, Firmin Didot), t. XIV, p. 358, in ALANO ANTISSIOD., et tom. XVI, p. 396, in ALANO MAGNO.)

—

De communi sententia quæ duos Alanos ab Insulis statuit, ambos doctissimos viros atque instituti Cisterciensis, quibus tamen singulis varias occupationes et tempora omnino diversa præscribunt, specialem Dissertationem iustituit Carolus de Visch, quam editioni suæ Operum magistri Alani præmisit, quæ anno 1654 Antwerpiæ in folio facta est apud Guillelmum Lestenium et Engelbertum Gymnicum. Eamdem habet aliquanto breviorem in sua *Bibliotheca Scriptorum ordinis Cisterciensis*, a fol. 12 ad fol. 17 ultimæ editionis anni 1656, Coloniæ Agrippinæ, apud Joannem Busæum. Ubi duos fuisse Alanos probare contendit, sed cum aliquanta formidine, diversis omnino temporibus distantes, ac uno fere sæculo alterum altero anteriorem, nempe converso seu fratre laico episcopum. Denique et aliam doctissimam de argumento eodem Dissertationem instituit Cæsar Egassius du Boulay sæculo IV *Historiæ Universitatis Parisiensis*, fol. 432 et sequentibus multis, ubi duos quoque fuisse Alanos asserit, quibus diversum etiam tempus assignat. Ita post ipsum senseram, sed re maturius expensa, omnibusque vel auctorum de hoc argumento scribentium conjecturis vel rationibus expensis, solo veritatis intuitu impellente, alteram adversus meipsum sententiam amplecti compellor: tantique ponderis hoc critices punctum mihi visum est, ut specialem a me dissertationem hanc extorserit. Dicam igitur unum tantum fuisse Alanum, qui totum ferme sæculum XII tenuerit, atque ab ejus initio ad a. 1203 vixerit, nec ullam ab his omnibus dissertationibus vel validam rationem haurire me potuisse, qua Alanos duos statuere cogerer.

—

DISSERTATIO

De unico Alano Ripatorii abbate, Antissiodorensi episcopo, ac tandem monacho ordinis Cisterciensis, apud Cistercium anno 1203 mortuo.

—

CAP. I. *Agitur adversus epitaphium, quod unicum est Alani duplicis distinguendi fundamentum.*

A

Carolus de Visch in historica Dissertatione *De vita et morte Alani Magni de Insulis, Doctoris Universalis*, § 5, hæc verbotenus habet: « Chrysostomus Henriquez scribit illum supervixisse septuaginta novem annis post concilium Lateranense memoratum, attigisse autem annum ætatis 116, ac tandem obiisse cum magna opinione sanctitatis; cujus etiam intuitu, eumdem Menologio suo Cisterciensi ascripsit die 30 Januarii. Quem etiam inter beatos ordinis nostri recenset Joannes Cisterciensis in Catalogo sanctorum ac beatorum ordinis Cisterciensis, subjuncto veteribus Missalibus ejusdem ordinis. Sed et *Beatum* vocant doctissimus Leo Allatius libro *De apibus urbanis*, et reverendissimus generalis

B

noster modernus et alii passim. Quoad annum obitus, veritatem nobis astruit antiquum epitaphium lapidi sepulcrali incisum, quod etiam nunc perfecte legitur, hoc tenore:

Alanum brevis hora brevi tumulo sepelivit,
Qui duo, qui septem, qui totum scibile scivit.
Labentis seculi contemptis rebus, egens fit
Intus conversus, gregibus commissus alendis,
Mille ducenteno, nonageno quoque quarto,
Christo devotus, mortales exuit artus.

Obiit itaque Alanus anno Domini 1294. Hinc corrige auctores omnes qui scribunt illum floruisse anno 1300. Tumulus ejus marmoreus conspicitur Cistercii in claustri parte læva templum ingredientibus, juxta quem in pariete duo alia appendent epitaphia, quæ nobis exhibet Gaspar Jongelinus in *Purpura sancti Bernardi*, prout ex origiualibus tabellis ipsemet descripsit an. 1624, dum Cistercii esset, et beati viri sepulcrum visitaret.

EPITAPHIUM I.

Ce grand docte Alanus, qui fut tant admirable,
Rend ce lieu de Cisteaux partout plus mémorable.
Car il y fut convers, berger et serviteur,
Encor y sert d'exemple de vertus et d'honneur
Donc vous religieux, convers, et tous passants,
Imitez ce Docteur, qui cy bas est gisant.

EPITAPHIUM II.

Subjacet huic lapidi, toti venerabilis orbi,
  Alanus Doctor, quem decet almus honor.
Theologis ac philosophis merito sociandus,
  Vatibus antiquis nec minor ipse fuit.
Egregie scribens, planxit, docuit, reseravit,
  Naturam, mores, mystica verba Dei.
Inclyta gesta Jesu cecinit, clarosque triumphos
  Artes depingens, militiamque poli

Eloquii pictor, morum censor, citharista
Pieridum, fidei belligerator erat.
Hic mundum fugiens, sub relligionis amictu
Vixit, adhuc manet hic : intumulatus adest.

Nullus, opinor, inficiabitur, quin epitaphium secundum et ultimum recentia satis sint, sæculumque decimum sextum oleant; quare illa nobis nihil officiant, nec quidquam de Alani ætate, sed opera tantum utcunque composita enuntient. Igitur de solo primo agitur, quod anno 1294 mortem Alani alligat, et hoc unicum distinguendi duos Alanos est fundamentum. At illud etiam esse recens dico, atque innovatum et auctum, sub sæculi XVI initium vel medium. Nam antiquum Alani sepulcro insculptum epitaphium tres tantum versus continebat, qui anno 1501 vix ob vetustatem ac lituram legi poterant, quos refert sæculum IV *Historiæ Universitatis Parisiensis*, fol. 437, in hunc modum :

Alanum brevis hora brevi tumulo sepelivit,
Qui duo, qui septem, totum sibi subdidit orbem,
Scire suum, mores dare, vel retinere nequivit.

Ita refertur ex Matthæi Bonhomme testimonio, qui *Commentarium in Parabolas Alani*, anno 1501 Lugduni impressum edidit, quibus *Compendium vitæ Alani*, et ejusdem in Cistercio epitaphium sic præmisit. Ubi tunc tribus tantum versibus constabat, atque ita lituratum a calcantibus erat, ut legi non posset, nisi quemadmodum Matthæus Bonhomme legerat, cum tamen ita legendum esset:

Alanum brevis hora brevi tumulo sepelivit,
Qui duo, qui septem, qui totum scibile scivit,
Scire suum moriens, dare vel retinere nequivit.

Cum igitur ab anno hoc 1501 lituratum esset nimis epitaphium, illud a fratribus renovatum, atque ad normam veterum epitaphiorum factum et quatuor versibus auctum est, qui omnem præsenti disceptationi materiam subministrarunt. Addita enim est in quatuor versibus sequentibus, ac recenter additis falsa chronologia, quod monachis facillimum fuit, qui tempora atque epochas Alani non discusserant.

Labentis sæcli contemptis rebus, egens fit.
Intus conversus, gregibus commissus alendis.
Mille duceno, nonageno quoque quarto,
Christo devotus, mortales exuit artus.

Atque hoc totum confirmatur ex allatis supra a Carolo Vischio, ubi quod anno 1501 vix legebatur, atque divinando nunc uno modo, nunc altero transcriptum fuerat, jam affirmat, *quod etiamnum perfecte legitur, hoc tenore*, etc.

CAP. II. *Epitaphium etiam pro antiquo et primario admissum, non valere contra testimonia veterum.*

Diximus itaque epitaphium sepulcro Magistri Alani apud Cistercium insculptum, olim tribus tantum versibus constitisse, post annum vero 1501 septem versibus lectum fuisse, quod vetustum Matthæus Bonhomme ante suam editionem Parabolarum Alani, cum elogio illius attulit. At longe isto epitaphio potior est, qui antiquior, auctor Chronici Belgici, anno enim 1475 scribere desiit. Ait autem ille Alanum apud Cistercienses anno 1201 obiisse.

A « Anno 1202, inquit, apud Cistercium mortuus est magister Alanus de Insulis, doctor ille famosus, scriptor Anticlaudiani, qui in theologia fecit artem quamdam prædicandi, et contra Albigenses, Valdenses, Judæos et Saracenos libellum edidit succinctum, ad Willelmum Montispessulani dominum. » Nihil succinctius expressiusque dici poterat ab scriptore qui tempore et scriptione, quoad antiquitatem epitaphium Cisterciense superat.

Sed demus (licet omnino gratis) tantam quantam Cistercienses monachi optant, epitaphio suo apud Cistercium ad Alani cineres posito vetustatem, illud sane causam illorum parum juvabit, cum ante annum 1300 factum esse non possit. Agit enim de Alano anno 1294 (ut vult) mortuo, cui vix credibile B est, ab ipso die quo humo contectus est, appositum fuisse istud epitaphium. At auctores isto epitaphio antiquiores annis centum, ejusdem cum Alano temporis, ejusdem ordinis Cisterciensis, omnes in suis notis acceptissimi et observationibus, et contra quos nemo excipere queat, ante istud epitaphium annis ad minus sexaginta viventes, asserunt mortuum esse Alanum anno 1203. Falsum ergo Alanoque tarde suppositum, mendax istud epitaphium, lectumne unquam, aut visum anterioribus Ecclesiæ sæculis, ut historici vel chronologi de rebus centum annis antequam contingerent, magico spiritu vel prophetico scripserint? Hoc argumenti genus ita demonstrativum, ut ab omnibus etiam acutissi- C mis criticis infirmari nullatenus possit. Horum scriptorum primus est Otho de Sancto Blasio, abbas in Hercinia Silva, coætaneus auctori, qui anno nempe 1190 florebat, quique Appendicem scripsit ad *libros* VIII *Chronicorum Ottonis Frisingensis*, incipiens ab anno 1146, quo iste scribere desiit, usque ad annum 1210. Ille autem expressissime meminit Alani et Anticlaudiani, illum insuper constituens synchronum atque socium duobus doctissimis sæculi XII theologis : « His temporibus Petrus Cantor Parisiensis et Alanus et Præpositivus magistri claruerunt. Horum prior librum Distinctionum, librum Psalmorum, Evangeliumque unum ex quatuor per continuas glossas subtiliter compilavit, et præter hoc alia multa. Alter vero multa conscribens expo- D suit, inter alios librum qui intitulatur Anticlaudianus, et Regulas cœlestis vitæ, et contra hæreticos, et librum De vitiis et virtutibus et De arte prædicandi, librumque Sermonum suorum, et multa alia sana et catholica conscripsit. » Florebat igitur annis centum ante allegatum epitaphium, qui recte ponitur medius inter *Petrum Cantorem et Præpositivum cancellarium Parisiensem*, ambos anno 1190 florentes et vivos : quorum primus anno 1190 mortuus est, alter circa annum 1210, ut habet Cæsarius in suis Dialogorum libris, et alii. Alanus autem anno 1203 inter utrumque mortuus, recte medius ab Othone de Sancto Blasio componitur. Alter testis Albericus, monachus Trium Fontium ordinis Cisterciensis, auctor ut admittit Carolus Vischius

in *Bibliotheca Scriptorum ordinis Cisterciensis*, fol. 15, in *Alano*, antiquus et gravis, qui in *Chronico* suo diserte scribit Alanum hunc obiisse anno 1203, his verbis : « Apud Cistercium mortuus est hoc anno magister Alanus de Insulis, doctor famosus, et scriptor ille *Anticlaudiani*, qui in theologia fecit artem quamdam prædicandi : et contra Albigenses, Waldenses, Judæos et Saracenos, libellum edidit succinctum, ad Guillelmum Montispessulani dominum, et alia quædam ipsius habentur opuscula. » Hucusque Albericus qui Chronicon suum usque ad annum 1241 produxit. At quomodo qui anno 1241 scribebat, poterat per anticipationem scribere Alanum anno 1203 esse mortuum, si anno demum 1294 mortuus est? Solvant nodos istos qui ista defendunt. Unde recte ad hanc auctoritatem Carolus Vischius fol. 16 *Bibliothecæ Scriptorum ordinis Cisterciensis* ita loquitur : « Hinc sequitur, vel erroneum esse epitaphium sepulcrale Alani, graviterque errare Trithemium aliosque omnes doctores eidem consentientes, vel certe vitiatum *Alberici Chronicon, et Commentaria in Merlinum* memorata, alterius esse auctoris. Id quod etiam tanquam probabilius secuti fuimus in Relatione Historica, quam Operibus Alani nuper impressis præfiximus, eidem cætera omnia conformiter applicantes. Quanquam etiam in alia sententia dici posset, concilium cui Alanus legitur interfuisse Romæ (ubi et agnitus fuit) fuisse Lateranense III, anno 1180 sub Alexandro III celebratum. De hac difficultate scripsi Cistercium, et ad alios diversos viros doctos, sed resolutionem habere nequivi; quare donec certius aliquid habuero, epitaphio credendum censui. » Hæc Vischius verbotenus in editione ultima suæ *Bibliothecæ Scriptorum ordinis Cisterciensis*, post Dissertationem a se factam *De Alanis* ad Opera magistri Alani a se edita : quibus innuit quantum dubitaret de Cisterciensi epitaphio, ac consequenter de Alani morte per illud ad annum 1294 dilata. Addatur tandem et tertius contra istam epitaphii assertionem testis idoneus et maximi meriti, quem Cæsar Egassius du Boulay sæculo IV *Historiæ Universitatis Parisiensis*, fol. 434, refert in Dissertatione singulari quam *De Alano Insulensi* scripsit, cum propriis Egassii verbis.

« Accedit Henricus Gandavensis, doctor Parisiensis et Sorbonicæ domus, ut aiunt, alumnus, qui ante annum 1270 studebat Parisiis, et obiit Tornaci, anno 1293. Alanum istum nostrum reponit in serie virorum illustrium qui hoc sæculo floruerunt, ab anno scilicet 1110 ad annum 1200, et de eo sic scribit in libro *De scriptoribus ecclesiasticis*, cap. 21 : *Alanus, Insulis oriundus, liberalium artium peritus, Parisius Ecclesiasticæ scholæ præfuit, et ingenii sui monumenta relinquens, scripsit Summam ad prædicationis officium utilem, et quia metro multum claruit, scripsit metrice Poeticen, excogitata materia de viro optimo et in omnibus perfectissimo, quem librum vocavit,* Anticlaudianum etc. » Quid contra horum virorum auctoritatem afferri possit non video. Quo pacto enim uterque (nempe Otho de Sancto Blasio de quo supra, et Henricus Gandavensis) meminisse potuerunt Alani et *Anticlaudiani*, si utroque posterior centum annis Alanus fuit? Quis credat Henricum Gandavensem repositurum eum fuisse inter viros sæculi XII illustres Alanum, si suo tempore florentem in scholis Parisiensibus alumnum vidisset? Hinc patet autem quam parum firmi in sententia sua fuerint qui Alanos duos admiserunt, anno 1182 alterum, alterum anno 1294 mortuum; illi etiam qui singulares de hoc argumento Dissertationes scripserunt, ut Cæsar Egassius Bullæus et Carolus Vischius, de quibus supra.

Pergit idem Bullæus : « Unde Gaspar Barthius in notis ad Guillelmum Britonem, ad versum 546, *Ericio similis*, etc. diserte agnoscit Alanum in auctores hujus sæculi duodecimi; sic enim ille : *Compendio quædam scripta illius adjeci, præter propter tempora Britonis nostri, ab Alano lib.* VI *Commentariorum in Prophetiam Merlini. Dixi ævo hoc auctorem illum scripsisse, cui qui contradicunt, errant : cum sub annum 1194 expressim eumdem collocet Otho de Sancto Blasio, additione ad Frisingensem cap. 40, etiam* Anticlaudianum *ejus commemorans. Opera autem viri quæ editione digna sunt mirum cur hactenus lateant, cum multo minoris frugis clathros perrumpant. Non sunt autem tantum ea quæ a Catalogorum scriptoribus memorantur, sed ipsemet vidi ingentem Commentarium de ratione metrorum et syllaborum in bibliotheca Basiliensi, cum testimoniis auctorum ascriptis, cujus nullum meminisse nomenclatorem memini.* Et ad versum 52 libro VII : *Latere plano*, etc. *In cæsumra negligit syllabam, ut singulis paginis, sic sæpe alii : et in* Anticlaudiano *opere circa eadem hæc tempora scripto, Alanus Insularius, universalis Doctor dictus, quem apud Cistercium anno 1202 mortuum adnotat auctor Chronici, quod* Magnum Belgicum *indigitant.* Sufficiunt ista cum in ore duorum vel trium testium stet omne verbum. »

CAP. III. *Multa alia in gratiam Alani ab auctoribus nuperis conficta, quæ nullo veritatis aut verisimilitudinis fundamento nituntur.*

Carolus Vischius in *Relatione historica de Vita Alani Magni*, habet tres paragraphos in quibus multa stupenda et prodigiosa refert, queis Alanum commendet, quæ firmius ab ipso probari optassem. Ac paragraphus secundus inscribitur : *Qua occasione magister Alanus, relicta Parisiensi Universitate, habitum conversorum in Cistercio assumpserit.* Narrat ibidem miraculum, sed cujus nullum testem alium profert quam Joannem Buzelinum, Jesuitam, in *Gotto-Flandria* sua, tomo II, lib. VII, ad annum 1294. Vult hanc eamdem historiam sed simplici omnino stylo descriptam, penes se habuisse in proœmio cujusdam *Commentarii*

in *Parabolas Alani*, a centum et quinquaginta annis, Lugduni typis editam, ad initium codicis anno scilicet 1501, sine nomine auctoris, sed quem jam constat fuisse Matthæum Bonhomme. Recte tamen et prudenter primam hujus operis omisit impressionem Vischius insulsam atque barbaram, ut purissima Joannis Buzelini Latinitas magis credibilem minusque ridiculam fabulam redderet. Non ita tamen scrupulosus fuit Cæsar Egassius Bullæus, qui sæculo IV *Historiæ Universitatis Parisiensis*, fol. 436, has historias propriis primi inventoris verbis adducit. Qui igitur has fabulas credibiles fore ex compta Joannis Buzelini Latinitate opinatus est Vischius, has absurdas et fide et verbis ex relatu Matthæi Bonihominis, monachi Cisterciensis, audiat, qui *Commentarium in Parabolas Alani* anno 1501 Lugduni impressum edidit, in cujus fronte *Quæ caussæ fuerint Alani ad Cistercienses conversi*, his verbis commemorat.

« Auctor hujus libri vocabatur Alanus, de quo legitur quod cum quadam die studeret Parisius, sciens septem artes liberales, necnon leges atque decreta suam scientiam proposuit exponere, et in aliquem fructum redigere seu explicare. Et cum in crastinum de tota Trinitate prædicare vellet, et scientiam et notitiam veram de illa curtis audientibus exhibere, ipso pergente ad spatium prope ripariam quamdam, cogitans qualiter onus propositum complere posset, quemdam puerum reperit, qui tenens unum cochlear in manu, fecerat unam parvam foveam, modicum procul ab aqua. Et hauriens aquam cum suo cochleari, portabat ad foveam quam fecerat; et instanter sicut puer apposuerat aquam in fovea, aqua in terram intrabat, quia locus erat arenosus. Quod videns Alanus, dixit puero : *O puer, quid hic agis?* Et puer respondens dixit : *Totam istam ripariam in foveam meam ponere proposui, nec cessabo quousque propositum meum implevero.* Cui Alanus : *Quando putas fecisse? Opus tuum licet sit puerile, tamen est impossibile.* Cui puer : *Hoc citius fecero quam tu propositum tuum adimpleveris.* Et Alanus respondens dixit : *Quid enim proposui facere?* Et puer dixit : *Tu proposuisti cras declarare totam Trinitatem, per tuam scientiam in prædicatione, quod est magis impossibile tibi.* Quod audiens Alanus, multum territus, reversus domum, et dicta pueri in se memorans, multumque dolens et tristis, suam præsumptionem sive arrogantiam recognovit. Adveniente vero die crastina et hora prædicationis, ubi multitudo magna populi fuerat congregata, Alanus ascendens cathedram dixit loco thematis : *Sufficiat vobis vidisse Alanum.* Verecundia suffusus, pergere nolens Parisius, transivit in Burgundiam et in quadam abbatia, Cistercium nomine, pastor ovium fuit, et deinde conversus fuit ipsius abbatiæ, ad modum laici. Hæc est ratio et causa conversionis.

Continuo autem idem Bonushomo seu Bonhomius commentator narrat quomodo Romam profectus fuerit, hæreticos confuderit, et pro Alano tandem recognitus fuerit. « Accedit quod Romæ quidam hæretici advenerant, qui per sua argumenta falsasque syllogizationes totam fidem catholicam subvertebant. Quapropter papa mandavit omnes prælatos, abbates, doctores et clericos totius Christianitatis Romam venire, quatenus dictos hæreticos confunderent. Quod abbas, magister Alani, audiens, Alano relicto in abbatia, voluit Romam pergere. Tum Alanus, qui jam sensum recuperaverat, dixit magistro suo : *O domine, me tædet hic stare, et diu est quod abbatiam non exivi : quapropter humiliter deprecor ut vobiscum pergam Romam, et bene serviam vobis, optimeque pensabo de equis.* Tunc abbas, pergens Romam, duxit secum Alanum. Adveniente autem die disputationis, abbas voluit intrare locum disputationis, cum quo Alanus voluit intrare. Cui abbas dixit : *Vade ad hospitium et pensa de equis, quia locum istum non posses intrare, propter custodes et clientes hic existentes, qui non sinunt intrare nisi prælatos et magnos clericos, et posses verberari.* Cui Alanus dixit : *Volo verberari ut intrem;* et supponens se chlamidi seu cappæ sui magistri, intravit dictum locum, et ipse sedens ad pedes sui magistri, audivit disputationem. Hæretici vero proponentes quæstiones, Christianos superaverunt et vicerunt. Quod videns Alanus, exivit latebras, dicens magistro suo : *Jube, Domine, benedicere;* et abbas stupefactus dixit Alano : *Sile, miser, quid vis facere?* Tunc Alanus intravit dicens ut prius : *Jube, Domine, benedicere*, usque ad tertiam vicem; quod videns papa permisit eum arguere. Et Alanus recitans quæstiones per dictos hæreticos motas, arguit et confudit illos. Quod videns hæreticus dixit confusus : *Tu es diabolus aut Alanus.* Cui Alanus respondit : *Non sum diabolus, sed Alanus.* Tunc abbas magister suus voluit sibi suam dignitatem donare, quam Alanus suscipere noluit; sed per papam et abbatem fuit sibi concessum ut duos clericos haberet in dicta abbatia, qui clerici libros, quos ipse dictaret, sub se scriberent. Ubi plures libros fecit, inter quos fecit istum qui incipit : *A Phœbo Phœbe*, etc. Alano autem mortuo, fuit sepultus in dicta abbatia, super cujus tumulo scribuntur isti versus :

Alanum brevis hora brevi tumulo sepelivit,
Qui duo, qui septem, totum sibi subdidit orbem,
Scire suum, mores dare vel retinere nequivit (1).

CAP. IV. *Aliæ sententiæ de vita et morte Alani insulensis expenduntur.*

Cum non concordent historici, deque tempore quo

(1) Quod apud Oudinum sequitur caput quartum, cui titulus : *Prædicta commenta et nova confutantur*, et in quo vehementer contra hujus narrationis consarcinatores invehitur, omittimus : non est enim cur ita bilem moveat legenda ingenue candideque narrata. EDIT.

vixit aut mortuus est Alanus quam maxime variaverint, alias duas præterea opiniones referre hic non pigebit, ad omnimodam præsentis rei discursionem. Tertia igitur fuit sententia Joannis Trithemii, qui in libro *De scriptoribus ecclesiasticis* ait eum Alanum floruisse sub Alberto imperatore, anno 1300. Secuti sunt Trithemium plurimi, Conradus Gesnerus in *Bibliotheca Universali*, Lilius Giraldus *Dialogo* v, *de poetis*, ubi de *Anticlaudiano* his verbis : « Est *Anticlaudianus* contra Claudiani Rufinum liber ab Alano compositus, qui ob multijugam quam in eo admirabantur Germani disciplinarum cognitionem, Universalis doctor est cognominatus. Scripsit hic et *De planctu naturæ*, et eruditionem quidem præ se fert ubique, sed stylum habet inconditum, et inquinate loquitur. Fuit hic Germanus ex Insulis, præfuitque aliquandiu Lutetiæ, per tempora Adulphi, et mox Alberti imperatorum, anno circiter 1300. Videtur hic auctor nihil unquam legisse de Alano nostro, quem dicit habere stylum inconditum et inquinate loqui, cum certum sit paucos fuisse eo præstantiores, non modo temporibus iis quibus vixit, sed etiam consecutis. » Hæc Egassius Bullæus. Antonius Possevinus, Jesuita, ex eodem fonte Trithemiano hauriens veritatem non ultra scrutatus aut sciscitatus, ait scripsisse « Alanum in iv libros Sententiarum M. Petri Lombardi, Oculum sacræ Scripturæ, de doctrina, etc.; et tandem vixisse sub Alberto imperatore, circa annum 1300. » Joannes Gerardus Vossius idem sentit libro *De poetis Latinis* : « Anno, inquit, 1300, sub Alberto Cæsare fuit Alanus de Insulis, Teutonicus, conscriptor operis contra Claudiani Rufinum, unde Anticlaudianus vocatur. *Hic est ille qui vocatur* Doctor universalis. » Idem fere scripsit omnis recentiorum auctorum turba. Verum hanc sententiam unica hac conjectura seu ratione obtundere possum, quod (2) magister Willelmus Brito, qui sub Philippo Augusto floruit et scripsit, Gualteri et Ægidii insignium poetarum meminerit, nullam vero usquam de Alano mentionem faciat, quem certe non præteriisset, si tunc inter poetas celeberrimus et excellentissimus habitus fuisset.

Contra alii Alanum Insulanum sæculo xii floruisse et vixisse contendunt, sed quis ille fuerit, quodque vitæ genus amplexus fuerit, non consentiunt. Nonnulli eum fuisse Monachum Claravallensem scribunt, deinde abbatem Ripatorii, Gallice *de Larivour*, in agro Trecensi, tum Antissiodorensem episcopum, postremo ad Claramvallem rediisse, ibique extremos vitæ dies egisse anno 1182. Cujus sententiæ est Aubertus Miræus in scholiis ad Henricum Gandavensem in libro *De scriptoribus ecclesiasticis*, cap. 21 : « Alanus, inquit, Insulensis, Galloflander ob

A multiplicem doctrinam nuncupatus Doctor universalis, ex theologo Parisiensi monachus Claravallensis, anno 1139 constitutus est a sancto Bernardo primus abbas Ripatorii, in diœcesi Trecensi. Exinde ob pietatem atque eruditionem, anno 1151, creatus est episcopus Antissiodorensis, sed veteris solitudinis desiderio tactus, anno 1167, permittente Alexandro Romano pontifice, ad Claramvallem rediit, ut Robertus chronographus Antissiodorensis narrat, et ibidem sub annum 1182 obiit; sepultus in eodem monasterio, juxta Goffridum episcopum Lingonensem. » Camuzatus in notis marginalibus ad Chronicon Roberti Antissiodorensis dicit hodieque in Ripatorio asservari testamentum Alani scriptum anno 1182. Idem aiunt fratres
B Sammarthani in *Gallia christiana*, idemque Historia Cisterciensis. Camuzatus quidem hæc habet, ad marginem Chronici Antissiodorensis : « Ripatorium (*Larivour*) cœnobium est ordinis Cisterciensis, duabus leucis ab urbe Tricassina distans, in quo hodieque asservatur testamentum Alani scriptum anno 1182. Cujus etiam sepulcrale monumentum adhuc visitur in ecclesia Claravallensis monasterii, ubi perperam in tabula juxta tumulum appensa, est notatum ipsum obiisse anno 1181. » Porro, quantum ad scriptores qui volunt Alanum anno 1300 sub Alberto imperatore floruisse, omnes recentes sunt; quorum primus est Trithemius : unde fidem non merentur, quippe qui facile potuerunt falli,
C contra veterum fidem, qui Alanum hunc floruisse sæculo xii statuunt, ut supra diximus. Fatemur autem cum ultimis Alanum, Doctorem Universalem dictum, sæculo xii floruisse, imo et esse eumdem cum episcopo Antissiodorensi, qui anno 1167, ut scribit Robertus Antissiodorensis in Chronico, Claramvallem, resignato episcopatu, rediit. Sed negamus mortuum esse anno 1181, ut scribit tabula appensa conficto ejus tumulo apud Claramvallem, volumusque supervixisse usque ad annum 1203, quo veteres scriptores, omni fide majores, Alanum mortuum tradunt. Imo tabella ista appensa jactato Alani tumulo nova est, ut ex compositione illius constat, quam refert Camuzatus in *Miscellaneis historicis*, ac post ipsum sæculum iv *Historiæ Uni-*
D *versitatis Parisiensis* in Catalogo illustrium Academicorum, fol. 719. Ibi autem nec syllaba quidem una quæ notet Alanum anno 1181 mortuum, sed tantum legitur : *Obiit pridie Idus Octobris.* De testamento Alani, anno 1182 scripto, et apud Ripatorium asservato, quin illud suppositum instrumentum sit, nullus dubito. Quid enim juris monacho humili, qui amplissimum episcopatum ut pauperrimus viveret abjecerat, ad faciendum testamentum? Præterea cur condidit testamentum apud Ripatorium,

(2) Quid Willelmi Britonis testimonium, qui circa annum 1219 obiit, contra sententiam eorum faciat qui Alanum anno 1300 floruisse contendunt, non videmus. Cæterum Eberhardus, sæculi tertii decimi scriptor, in *Græcismo*, sive libro carmine hexametro scripto de figuris deque octo partibus orationis, recensens poetas illo tempore in scholis prælegi solitos, Alani nomen affert his verbis :

Septenas quis alat artes describit Alanus
Virtutis species proprietate docet.

Vide Fabricium in *Bibliotheca med. et inf. Lat.* tom. II, p. 75. Edit.

qui pauper vel Cistercii vel Claraevallis monachus fuit? Denique ex quo quis testamentum condidit, non confestim moritur, potuitque Alanus, pauper monachus factus, anno 1182 infirmitate aliqua apud Ripatorium pressus, testamentum condidisse, unde postea convalescens, annos vitæ usque ad annum 1203, quo ab antiquis mortuus dicitur, protraxerit. In his omnibus contradictorium nihil, imo omnia consonant, si senem Alanum statuamus, uti omnes censent.

CAP. V. *Insigniores vitæ Alani Insulensis epochæ enuntiantur*

Natus itaque Alanus, anno circiter sæculi duodecimi XIV, Insulis, urbe primaria Flandriæ Gallicanæ. Ac primum ipsemet Alanus disertis verbis se in Flandria apud Insulas natum declarat; sic enim ille lib. V Commentariorum in Prophetias Ambrosii Merlini, fol. 198 editionis recentioris Antwerpiensis: « Vidi et ego in Flandria, cum puerulus adhuc essem, apud Insulam unde natus fui, feminam quamdam maleficam, quæ in maleficio suo comprehensa, etc. Tempus illud fuit quo comes Theodoricus ab Insulanis hominibus, Gandensibus quoque atque Brugensibus advocatus erat e terra sua in Flandriam, tanquam legitimus Flandriæ hæres, » etc. At Theodoricus ille, cognomento de Alsatia, Theodorici Strenui, Lotharingiæ Mosellanæ ducis, filius, accersitus et electus est comes Flandriæ anno 1128, ut in Annalibus Flandrensibus legitur, quo tempore Alanus adhuc erat puerulus. Vox tamen illa in rigore accipienda non est pro infante octenni vel decenni, sed per comparationem ad senilem ætatem, in qua Alanus hunc Commentarium scripsit. In provecta enim ætate scribens in Prophetias Ambrosii Merlini, potuit appellare se puerulum tempore illo quo Theodoricus Alsatus ad comitatus Flandriæ regimen appellatus est, dum annos circiter quatuordecim vel sexdecim attingeret, anno 1114 vel circiter natus.

Anno circiter isto 1128 factus apud Claramvallem sub disciplina divi Bernardi monachus, qui multos electioris præsertim ingenii et litteraturæ Flandros adolescentes ad se traxit, a quibus eximie adjutus est in fundatione plurimarum abbatiarum sui ordinis. Huic autem Alano recte tribuuntur *Commentaria hæc in Prophetias Merlini Angli*, sub cujus etiam nomine impressa fuerunt Francofurti anno 1608, typis Joannis Spiessii, in-8°, sub hoc titulo : *Prophetia Ambrosii Merlini, etc., una cum septem libris explanationum in eamdem Prophetiam, excellentissimi sui temporis oratoris, polyhistoris et theologi, Alani de Insulis, Germani, Doctoris universalis et Academiæ Parisiensis ante annos trecentos rectoris amplissimi.* Nam in his Commentariis, Alanus de se ipso loquens, se fuisse alicujus ordinis alumnum fatetur, ex lib. II, fol. 61, ubi dicit : *Abbas quidam de ordine, vir litteratus*, etc. Deinde expresse dicit fol. 198 se oriundum fuisse Insulis in Flandria, his verbis : *Vidi et ego in Flandria cum puerulus adhuc essem*, etc., ut supra retulimus.

Anno 1139 vel 1140 Ripatorium in agro vel diœcesi Tricassina ordinis Cisterciensis, ab Hattone episcopo fundatur die 9 Aprilis, temporibus divi Bernardi Clarævallis abbatis, qui illic Alanum in primum abbatem, annos circiter 30 natum, constituit. Hæc constant ex tomo IV *Galliæ christianæ* fratrum Sammarthanorum, fol. 790, verbo, *Ripatorium;* ex Chronologia Abbatiarum ordinis Cisterciensis, quam ad calcem suæ *Bibliothecæ Scriptorum Cirterciensis ordinis* adjecit Carolus de Visch, prior Dunensis; atque ex *Bibliotheca* eadem, verbo, *Alanus Antissiodorensis episcopus*, fol. 12.

Anno 1151 Alanus ex abbate Ripatorii episcopus Antissiodorensis instituitur, nam ita scribit Robertus, Sancti Mariani Antissiodorensis chronographus, qui eumdem Alanum videre potuit : « Anno 1151 obiit Hugo Antissiodorensis episcopus, vir moribus et scientia clarus, cui successit Alanus Ripatorii primus abbas. » Quisquis autem plenius nosse voluerit præclara omnia quæ in episcopatu gessit, legat *Galliam Christianam* Sammarthanorum fratrum tomo II, pag. 276, verbo *Antissiodorenses Episcopi*, ubi prolixe satis describuntur.

Anno 1167, uti scribit Robertus chronographus citatus ad dictum annum, « Alanus episcopus dimisit episcopatum suum, cui successit Willielmus, Antissiodorensis Ecclesiæ thesaurarius et Senonensis archidiaconus, frater autem Hugonis, ejusdem Ecclesiæ archipræsulis. »

Anno 1180 Alanus, qui apud Claramvallem reversus, cum Petro Clarævallis abbate Romam ad Lateranense concilium III proficiscitur, non eo insolenti modo atque absurdissimo quo supra dictum est, *ut pensaret de equis abbatis Clarævallis*, quemadmodum insulse scribit Matthæus Bonihominis; sed cum esset magni nominis theologus, miræ virtutis monachus, qui quantum in ascetica vita posset, insignem Antissiodori episcopatum ejurando, ut simplex monachus viveret, ostenderat. Hunc igitur clarissimum virum sibi in socium itineris Petrus abbas Claravallensis adjunxit, cujus societate non modicum apud venerandos hujus concilii Patres ac theologos splendorem ac famam habuit. Illic, ut probabile sat est, a summo Ecclesiæ pontifice Alexandro III scribendi contra Valdenses aliosque temporum istorum hæreticos mandatum habuit. Alanus autem circa idem tempus compendio scripsisse videtur *Vitam S. Bernardi Clarævallensis abbatis*, post celeberrimos tres aut quatuor scriptores, Guillelmum abbatem S. Theodorici, Arnaldum abbatem Bonævallis, et Gaufridum Clarævallis abbatem IV, omnes scriptis plurimis insignes viros. Factum opus istud abbatique Petro Clarævallis dicatum, quem abbatiam hanc ab anno 1179 ad 1186 tenuisse constat. Igitur opusculum istud intra hoc tempus ab Alano compositum.

Ex concilio Lateranensi, ubi contra Waldenses

et Albigenses aliosque hæreticos actum fuit, reversus, scripsit *Summam libris* IV *contra Waldenses, Albigenses, Judæos et paganos*, quam male *super* IV *libros Sententiarum* opus quadripartitum appellat Thomas Waldensis tomo II *Doctrinalis fidei*, cap. penultimo. Latuit dudum opus istud in tenebris, sed tandem e bibliotheca Papirii Massonii primum in lucem prodiit Parisiis anno 1612, ac tandem in editione Operum omnium Alani anno 1654. Cum autem esset mutile productum, Carolus Vischius ex fide ms. codicis bibliothecæ Cisterciensis, ultimos duos libros *contra Paganos et Mahumetanos* edidit, ad calcem suæ *Bibliothecæ Scriptorum ordinis Cisterciensis*, ultimæ editionis anni 1656, Coloniæ Agrippinæ, apud Joannem Busæum bibliopolam. In hujus prologo sic Alanus habet : « Amantissimo domino suo Willelmo, Dei gratia Montispessulani principi, quem non solum generosi generis titulus insignit, verum etiam generosior mentis generositas præinsignit, magister Alanus in omnibus et per omnia suus, opus suum. Cum inter universos mundi principes te videam specialiter indutum armis fidei christianæ, nec naviculam Petri inter tot tumultuantes hujus sæculi procellas deserere, hoc de fide catholica scriptum tuæ discretioni devoveo consummatum. » Guillelmus autem ille Montispessulani dominus, cognominatus *Sibylla* a matre sua Sibylla, adversatus est comiti Tolosano, et anno 1158 cum Anglis Tolosam obsedit. Alexandrum III anno 1162 excepit, et anno 1174 Mathildem, Emmanuelis Constantinopolitani imperatoris filiam, duxit uxorem. Assertor fuit catholicæ fidei contra Albigenses hæreticos, ut legitur in Historia Auxitana, mortuus anno 1202, eodem quo Alanus mortuus dicitur. Illi ergo Guillelmo Alanus opus suum contra Waldenses dedicavit, de quibus loquitur libro II his verbis : « Quomodo litteras noverunt Waldenses, qui non didicerunt? Videmus enim sanctiores eis non prædicare, qui etiam intellectum habent sacræ Scripturæ, ut multos Cistercienses, qui missi non sunt. » Et alibi meminit concilii Lateranensis III in quo illi damnati sunt. « Isti, inquit, Waldenses qui sub pœna excommunicationis et contra præceptum domini papæ, imo contra totam Ecclesiam prædicant, quibus injunctum est a domino papa non prædicare, sententiæ excommunicationis subjacent. In concilio enim Lateranensi in eos sententia excommunicationis lata est, unde eis etiam communicandum non est, cum sententia apostolica ab Ecclesia præcisi sint. » Hinc patet Alanum libellos suos contra Waldenses post concilii Lateranensis III celebrationem, anno circiter 1183 vel 1184, ex mandato Romani Pontificis edidisse. Neque vero est quod quis dicat Waldenses diu regnasse, atque ita Alanum licet hoc sæculo XII non vixerit, contra eos tamen scribere potuisse : in prologo enim ait novos hæreticos suo tempore fuisse exortos, *Nostris vero temporibus*, inquit, *novi hæretici*. At tempore Alberti imperato-

A ris, anno nempe 1300, Waldenses jam sepulti oblivione erant, et Paterini, et alii hæretici, quos in suis libris Alanus confutat. Omnia igitur cum temporibus Alani et scriptis plane consentire videntur. Nam hocce sæculo orti Waldenses et Albigenses, habitum contra eos Lateranense III concilium, in quo damnati sunt, ut supra diximus. Contra quos Alanum scripsisse testis est Otho de Sancto Blasio, auctor coætaneus. Ex hoc itaque scripto contra Waldenses, quod post concilium Lateranense scripsit, atque ex Alexandri papæ III mandato, nata videtur in ordine Cisterciensi de Alano fabula quod in hoc concilio hæreticos confuderit. Ex hoc opere contexta ampla illa tunica Cisterciensis vel Claravallensis abbatis, quæ Alanum conversum con-
B texit, ac subito in eo concilio disputaturum erumpere in publicum facit. Hoc eodem tempore, vel aliquanto post, Alanus suos septem libros *Commentariorum in Prophetiam Ambrosii Merlini* scripsisse creditur, quos valde senex ex allegatis supra composuisse videtur.

Anno denique 1203, ex auctoritatibus superius allatis, mortuus est apud Cistercium, ætatis suæ juxta supputationem allatam anno 93, vel circiter, posito nempe quod circa annum 1114 natus sit.

CAP. VI. — *Examinantur Opera Alani Insulensis, tam impressa quam manuscripta.*

Alani autem Magni Opera, quotquot inveniri potuerunt, edita in folio Antwerpiæ anno 1654,
C apud Guillelmum Lestenium et Engelbertum Gimnicum, opera et studio domini Caroli de Visch, prioris Beatæ Mariæ de Dunis, ordinis Cisterciensis, in Flandria, sub hoc titulo : *Alani Magni de Insulis, sacræ Theologiæ Doctoris cognomento Universalis, ex glorioso scholæ ecclesiasticæ Parisiensis, moderatore, humilis Cisterciensis conversi, Opera moralia, parænetica et polemica, quæ reperiri potuerunt.* Sunt autem :

Commentarius in Cantica canticorum ad laudem beatissimæ Virginis Deiparæ, impressus olim Parisiis, anno 1540.

Summa de arte prædicandi, nunc primum in lucem producta ex duobus mss. bibliothecæ Dunensis, quæ bis et ter ms. exstat in bibliotheca
D Canonicorum Regularium Sancti Victoris Parisiensis, bis quoque in bibliotheca Cluniacensi, litteris AA. et HH.; Cantabrigiæ in bibliotheca publica, cod. 128, et Pembrochiana cod. 81.

Undecim Sermones integri de diversis materiis, antea nondum editi.

Dictorum memorabilium seu Sententiarum Magistri Alani liber, ex ms. codice bibliothecæ de Dunis.

De sex alis Cherubim Tractatus, ex ms. codice Sancti Vedasti Atrebatensis, quem Franciscani sancto Bonaventuræ perperam attribuunt, cujus inter opuscula impressus est.

Pœnitentiale seu *Liber pœnitentialis*, ex mss. in lucem productus, pag. 181. Impressus ex duobus

mss., uno bibliothecæ Dunensis ordinis Cisterciensis, altero bibliothecæ S. Gisleni in Hannonia. Habetur idem ms. in tribus codicibus bibliothecæ S. Victoris Parisiensis sub nomine Alani, qui notantur MMM. 18. B. 8, et PP. 14, fol. 144; itemque in bibliotheca Sancti Germani de Pratis, cod. 557, optimæ notæ, sed sub Petri Cantoris nomine, contra impressorum et mss. Victorinorum auctoritatem. Sed aliud *Pœnitentiale* Alani, de quo loquitur Carolus Vischius in *Bibliotheca Scriptorum ordinis Cisterciensis*, quem ait continere *Libros quatuor ad Henricum Bituricensem archiepiscopum*, quod exstat ms. in bibliotheca Majoris Monasterii Turonensis in 4, littera A. 2.

Opus quadripartitum de fide catholica, contra Valdenses, Albigenses et alios hujus temporis hæreticos, cujus *duo priores libri* hic anno 1654 impressi, alii *duo posteriores* ad finem *Bibliothecæ Scriptorum ordinis Cisterciensis*, fol. 410, secundæ editionis, apud Joannem Busæum, anno 1656, Coloniæ Agrippinæ, editi ex ms. bibliothecæ Cistercii. Hoc ipsum opus est quod male Joannes Trithemius appellat *in* IV *libros Sententiarum*, quia hæc Summa quatuor libris distincta est, sed neutiquam *Commentarius in* IV *libros Magistri Sententiarum* est. Idem ms. in codice Regiæ Galliarum bibliothecæ 5513, fol. 352, inscriptum : *Summa Alani quadripartita contra hæreticos Waldenses, Judæos et paganos*, cujus prologus ad Guillelmum Montispessulani principem incipit : *Cum inter universos*, etc., ubi codex scriptus dicitur per Hervæum Conseel pro domino Bernardo archiepiscopo Tolosano, anno 1456; et apud Cluniacum Littera Q. 2, et claramvallem, in suis bibliothecis. Idem ms. Oxonii in bibliotheca Mertoniana, cod. 230.

Liber de planctu naturæ, de quo loquuntur Henricus Gandavensis in libro *De scriptoribus ecclesiasticis*, cap. 21, qui anno 1293 obiit; Robertus Holcot, S. theologiæ celeberrimus doctor, ordinis Fratrum Prædicatorum, in caput I libri Sapientiæ, lectione 118, littera A, qui anno 1349 floruit, teste Bellarmino in libro *De scriptoribus ecclesiasticis*; ms. quoque Oxonii in bibliotheca Balliolana, cod. 120.

Anticlaudianus sive *De officio viri in omnibus virtutibus perfecti*, *libri* IX, singulari festivitate, lepore et elegantia conscripti, ex duobus mss. codicibus collegii Lovaniensis, Societatis Jesu, et tertio bibliothecæ sancti Bertini Audomarensis, ordinis divi Benedicti; ex 4 et 5, apud Balthasarem Moretum, clarissimum Antwerpiæ typographum. Habetur etiam ms. in bibliotheca Galliarum regis, num. 5640, atque Oxonii in bibl. Balliolana, codd. 120 et 122.

Rythmi duo elegantes, *unus De Incarnatione* A *Christi*, *alius De fluxa et caduca natura hominis*.

Doctrinale minus, seu *Liber Parabolarum magistri Alani de Insulis*, ex multis editionibus præcedentibus, anno 1492, Daventriæ, anno 1501 Lugduni cum eruditis Commentariis Latinis Matthæi Bonihominis; anno 1516 Lipsiæ, et aliis in locis. Hæc omnia impressa sunt anno 1654 et 1656 ab Carolo Vischio, Dunarum priore, Ordinis Cisterciensis. Nunc omisso *Pœnitentiali*, de quo jam supra egimus, de manuscriptis adhuc nondum impressis agendum restat.

Attribuit Alano Carolus Vischius in sua *Bibliotheca Scriptorum ordinis Cisterciencis*, fol. 12, B *super* IV *libros Sententiarum opus quadripartitum*, ut illud indigitat Thomas Waldensis tomo II, cap. penultimo, quod ms. exstare apud Fratres Prædicatores Parisiis ait. Verum male Waldensem, Trithemius intellexit, et hoc opus nihil est aliud quam *Summa quadripartita contra Hæreticos*, etc.

Scripsit etiam seu in compendium redegit *Vitam sancti Bernardi abbatis* (3), quam ex ms. codice bibliothecæ Sancti Victoris Parisiensis edidit dominus Joannes Mabillon in Præludiis ad *Opera sancti Bernardi*, editionis Parisiensis anni 1667, apud Fredericum Leonardum, via Jacobæa, sub Scuto Veneto. Exstat etiam ms. in bibliotheca S. Vedasti Atrebatensis, ordinis divi Benedicti, et C Vallislucencis, ordinis Cisterciensis. De hac Vita agens Manriquez tomo II *Annalium ordinis Cisterciensis*, ad annum 1153, asserit eam exstare impressam in antiquissimis exemplaribus Operum divi Bernardi.

Scripsit etiam Summam *Quot modis* appellatam, sic enim in ms. codice et ab auctore vocitata est, quæ secundum ordinem alphabeticum procedit, hoc ordine deducens *Quot modis* unaquæque res bonam vel malam in partem in Scripturis sacris accepta fuerit, opus concionatoribus idoneum. Habetur ms. in parvo 4°, in bibliotheca Regalis Montis, ordinis Cisterciensis, dedicata Hermengaldo Dei gratia Sancti Ægidii abbati, cujus hoc D initium : *Reverendissimo Patri ac Domino Hermengaldo Dei gratia Sancti Ægidii abbati*, *Alanus dictus Magister*, *sic in præsenti multiplici insigniri gratia*, *ut in futuro præmietur in gloria. Cum diversis olim*, etc. Item alius prologus, *Quoniam juxta apostolicæ auctoritatis præconium*, *qui virtutis nominum sunt ignari*, etc. Incipit per vocem : *Anima proprie Spiritus rationalis qui cum corpore venit in constitutionem hominis*, etc. Habetur etiam in Regia Galliarum bibliotheca, cod. 5513, illic inscripta : *Magistri Alani Tractatus de diversis vocabulorum significationibus secundum ordinem alphabeti*. Et in bibliotheca Victorina Parisiensi, littera PP. 12, cujus titulus : *Incipit liber magistri Alani qui*

(3) Est Alani Antissiodorensis episcopi. Vide *Patrologiæ* tom. CCI. EDIT.

QUOT MODIS *intitulatur*, *de diversis vocabulorum significationibus secundum ordinem alphabeti*. Itemque apud Claramvallem, et Vallem Lucensem, abbatias ordinis Cisterciencis, atque apud Sanctum Illidium Claromontanum, ordinis divi Benedicti, in Arvernia. In aliis manuscriptis appellatur *Oculus sacræ Scripturæ*, sive *Oraculum sacræ Scripturæ*, sive *Compendium utriusque Testamenti* (4), habeturque etiam ms. in bibliotheca Dunensi in Flandria, ordinis Cisterciensis.

De maximis seu axiomatibus theologiæ liber I, qui aliter dicitur *Doctrinale altum*, et incipit : *Omnis scientia suis utitur regulis*, etc., quod juxta Carolum Vischium reperitur ms. in bibliotheca Brugensi et Camberonæ, et apud Sanctum Martinum Tornacensem, denique Cantabrigiæ in bibl. Pembrochiana, cod. 81 (5).

Idem scripsit *librum de naturis quorumdam animalium*, ut testatur Henricus Gandavensis in libro *De Scriptoribus ecclesiasticis*, cap. 21, ac post ipsum Joannes Trithemius, ibidem. Hoc opus anonymum fere semper in bibliothecis, est secundus liber ex quatuor *De bestiis* qui habentur inter Opera Hugonis Victorini, incipiens *a leone*, etc., inscribiturque *Bestiarium*. Nam tractatus seu liber I *de solis avibus*, spectat ad Hugonem de Folieto : lib. II, *De animalibus*, ad Alanum Insulensem ; lib. III et IV, ad Guillelmum Peraldum, Lugdunensem, ordinis Fratrum Prædicatorum, qui *Libros duos de rerum proprietatibus* scripsit, quorum primus potissimum desumptus est ex opere *De avibus* Hugonis Foliotani et *De animalibus* Alani Insulensis, ut ex lectione constat.

Prophetia Ambrosii Merlini Angli, etc., *una cum septem libris Explanationum in eamdem Prophetiam, excellentissimi sui temporis oratoris, polyhistoris et theologi, Alani de Insulis, Doctoris Universalis*, *et Academiæ Parisiensis ante annos* 300 *rectoris amplissimi*, impressa in-8°, Francofurti, anno 1608, typis Joannis Spiessii. *Alani* autem *philosophi* dicta de lapide philosophico edita exstant a Justo Balbiano Lugduni Batavorum, anno 1600, typis Raphelengii, una cum secreto Jodoci Greneri ; quæ an ad hunc Alanum nostrum spectent, ignoro, cum non legerim.

Attribuitur eidem *opus de pœnitentia*, quod in mss. codicibus dicitur *Corrector seu Medicus animarum*, quem Carolus Vischius vult esse a se A editum, sed fallitur, nam opus istud ab edito aliud est. Habetur anonymum in bibliotheca Sancti Victoris Parisiensis ter, littera KK, 17, fol. 106, inscriptum : *Pœnitentiale qui Corrector dicitur seu Medicus animarum*. Itemque littera GG. 15. fol. 50, et Littera Q. 16 fol. 1. Et in bibliotheca Sancti Germani Parisiensis, codice 795, optimæ notæ, cujus hic titulus : *Incipit liber qui Corrector vocatur et Medicus, qui correptiones et animarum medicinas pleniter continet, et docet unumquemque sacerdotem etiam simplicem quomodo vel qualiter unicuique succurrere valeat : ordinato vel sine ordine, pauperi, diviti, puero, juveni, seni, decrepito, sano, infirmo, in omni ætate, in utroque sexu. Quo tempore presbyteri plebium, canonica auctoritate*, B *discordantes ad pacem*, *et delinquentes ad pœnitentiam compellere debeant*. Ita titulus rubricis scriptus, Pœnitentiale autem incipit : *Hebdomada priore*, *ante initium Quadragesimæ*, *presbyteri plebium convocent ad se populum*, etc.

Attribuit etiam illi Joannes Trithemius *Summam vitiorum et virtutum*, *lib. I*, atque post ipsum Vischius in *bibliotheca Scriptorum ordinis Cisterciensis*. Exstat manuscripta, inscripta *De conflictu vitiorum et virtutum* in celebri bibliotheca S. Victoris Parisiensis, Littera LL, 14, fol. 166, post ejus *Summam de arte prædicandi*, fol. 144. Et cum ab his incipiat verbis : *Apostolica vox clamat*, etc., idem opus videtur cum libro ejusdem nominis qui inter spuria divi Augustini opera C legitur, atque ad Ambrosium Autpertum pertinere videtur.

Denique *Epistolæ* sub nomine Alani, Cantabrigiæ in bibliotheca collegii Sancti Benedicti, codice 216, sed an istius Alani Insulensis, an alterius Angli sint, plurimum dubito : Alanus enim natione Anglus, Sancti Augustini Cantuariensis ecclesiæ prior, atque postea Teckesburiæ abbas, scripsisse epistolas multas legitur (6). Hæc de scriptis Alani Insulensis : nec, quæso, nobis irascantur Cistercienses aliique Alanistæ, quod tot fabulas in Alani gratiam congestas riserimus ac proscripserimus simul : imo vel si ingenio ac judicio graves isti sunt, gratias solvant, quod D tam plene de mss. operibus Alani disseruerimus, ut si cui unquam Cisterciensis ordinis in mentem veniat ea in unum colligere, omnia negotio nullo invenire in locis indicatis possit.

(4) Fallitur Oudinus cum hunc Alani librum inter inedita recenset. Prodiit olim cum titulo : *Venerabilis Alani liber in distinctionibus dictionum theologicalium*, Daventriæ in Belgio, ex officina Richardi Paffroet, Coloniensis, in folio maximo, circa annum 1477 ; ad hoc enim tempus referendi hujus typographi primi labores, cujus typi hos adhuc repræsentant quibus Guttenberg et Fust usos fuisse constat. Hæc editio, inter raras rarissima, nunquam postea repetita est. — Distinctiones suas Alanus nuncupat Ermengaldo abbati S. Ægidii, qui hoc monasterium rexit ab anno 1179 ad annum usque 1195, quod contra sententiam eorum facit qui Alanum sæculo integro juniorem statuunt. EDIT.

(5) Alani *Doctrinale altum* sive *librum de maximis seu axiomatibus theologiæ* edidit D. Joannes Aloysius Mingarellius in *Anecdotorum Fasciculo*, Romæ 1756, 4°, ex codice in bibliotheca S. Salvatoris Bononiensi asservato. EDIT.

(6) Has nuper edidit vir cl. J.-A. Giles, Oxonii 1845, in-8°, cum S. Thomæ Cantuariensis et Herberti de Roseham epistolis et opusculis. Vide *Patrologiæ* tom. CXC, col. 1475. EDIT.

AD OPERA ALANI DE INSULIS

PROLEGOMENA

EDITIONIS ANTUERPIENSIS

CURANTE

R. D. CAROLO DE VISCH

PRIORE CŒNOBII BEATÆ MARIÆ DE DUNIS, SACRÆ THEOLOGIÆ PROFESSORE.

(Alani Magni de Insulis, sacræ theologiæ Doctoris, cognomento *Universalis*, ex glorioso Scholæ ecclesiasticæ Parisiensis moderatore humilis Cisterciensis conversi, Opera moralia, parænetica et polemica, quæ reperiri potuerunt quorum pleraque nunc primum ex antiquis manuscriptis codicibus eruta luci dantur; alia typis olim edita, collatione facta cum exemplaribus mss., correctione varieque illustrata proferuntur; opere et studio R. D. Caroli de Visch, prioris cœnobii B. Mariæ de Dunis, S. theologiæ professoris; subjuncto generali ac locupletissimo indice duplici, Concionum videlicet et rerum ac verborum. Antuerpiæ, apud Guillelmum Lesteenium et Engelbertum Gymnicum, via vulgo Hoochtraet dicta, sub Pellicano aureo, anno M.DC.LIV.)

—

EPISTOLA DEDICATORIA.

Admodum reverendo amplissimoque domino D. Bernardo Bottyn, clarissimi cœnobii B. Mariæ de Dunis abbati, necnon et universi ordinis Cisterciensis per Belgium vicario generali, etc.

Superioribus annis (adm. reverende domine) lucubrationum mearum primitias preli ornamento decoratas (*Bibliothecam* dico *scriptorum Cisterciensium*) adm. reverendæ dominationi tuæ consecravi, quas tanta benevolentia suscepisti, ut ad sublimiora tentandum animum studiumque provexeris : Et quam non sine fructu, testis erit irrefragabilis magnus ille Alanus de Insulis, Doctoris, olim, Universalis cognomine, nec minus sanctimonia vitæ clarissimus; quem jampridem (temporis injuria, suorumque desidia) densissimis mancipatum tenebris, tineisque et blattis sic attritum et defœdatum, ut etiam oblivionis interitu jamjam consumendus videretur, non sine labore indefesso, studioque pervigili, eduxi, fovi, varieque (pro facultatibus meis) exornavi : intantum, ut modo splendori ac viribus suis restitutus, nullius quantumvis exactissimi et eruditissimi censuram formidare debeat. Qualis enim fuit in vita, talis est et in littera : magnus fuit in sæculo, humilis in occulto claustri, sed major et sublimis erit in publico Ecclesiæ; sub modio religiosus, at super candelabrum gloriosus; auditu dignus, dignior lectu, prædicatu dignissimus, quin et vitæ sanctimonia observandus, ac etiam imitandus · ut mirum sit, tam diu latere potuisse scriptorem tam eximium ac singularem; in cujus scriptis attentius perlectis, protinus arrident veræ pietatis candor, constantia explanationis, utilitas doctrinæ moralis, aptitudo conceptuum et inventionis, ac denique probationis ex sacra Scriptura soliditas.

Porro, quam operam in recognoscendo, illustrando et publicando impenderim, difficulter persuasero iis, qui similibus studiis nunquam vacarunt. Cum enim plerumque in exemplaribus mss. hinc inde reperirem characteres et verba vetustate trita, nec non, passim, obscurissimas ac prorsus inusitatas abbreviationes, imo, et integras sæpius sententias amanuensium incuria, aut scribendi præcipitantia omnino depravatas, necessario singulorum librorum plura exemplaria comparare debui, si lectionem genuinam colligere vellem : quibus, non sine magnis expensis et fatigationibus, undequaque tandem conquisitis, dum ea examinarem, et inter se conferrem, ut unius mutilum per aliud supplerem, aut mendum emendarem, reperi plerisque in locis, non dictionibus tantum, sententiis et periodis, verum etiam paginis integris confusis, omissis vel insertis, discrepare. Omnibus tamen his difficultatibus improbo labore superatis (optima fide, nihil de meo addendo aut mutando) partes avulsas et transpositas in locum suum restitui, textuique lectionem aptavi, quam veriorem ex sensu litteræ et consensu codicum deprehendi, diversa tamen in margine notata. Deinde, præter citationes omnes, nonnullasque adnotationes breves margini etiam superadditas, et diversa characterum genera, quibus nonnulla distingui curavimus; singulis quoque libris quædam prolegomena, seu præfationes præfiximus, lectoribus omnibus percommodas. A scholiis tamen et adnotationibus prolixioribus abstinui, quibus modernorum plerique, auctores alias optimos, et per se clarissimos, conspurcare magis quam illustrare consueverunt. Eorum autem

loco, præmisi *Elogia et testimonia virorum illustrium de Alano nostro, ejusque doctrina* : nec non et *historicam Relationem De vita et morte ejusdem*. Quia permagni refert nosse auctorem quem legendum susceperis, dictis etiam magnum pondus addit dicentis auctoritas : et mirum quam pronis auribus, promptisque animis hauriatur doctrina, quam celebris fama doctoris commendat : quæ omnia sane non aliunde melius quam ex vita et clarorum virorum testimoniis constare possunt. Hunc itaque auctorem, tot tantisque laboribus recognitum et restitutum (anno hoc sanctissimi Patris nostri Bernardi lustro-jubilæo, sive quingentesimo, a felicissimi ejusdem transitus die) in publicum producturus (tanquam clarissimæ illius domus alumnum, in qua idem sanctissimus Pater olim religionis spiritum hausit, et eminentis suæ sanctitatis fundamenta jecit, quæ in illustrissimam postmodum molem assurrexerunt) adm. reverendæ dominationi tuæ prius sisto; utpote cui nuperrime prudentissimi et religiosissimi ordinis nostri superiores (turbatissimo hoc patriæ statu) in mediis bellorum procellis, numerosam ordinis nostri congregationem, per universas Belgicæ catholicæ provincias dispersam, cum illustri vicarii generalis titulo, gubernandam concrediderunt. Sisto, inquam, non ut tuearis, cum ipse sibi sufficiens doctrinæ suæ integritate et excellentia, manu protectoris non egeat; verum, ut gratanter suscipias, et amplectaris, ac denique auctoritatis tuæ commissione munitum, velut operarium strenuum in Dominicum agrum emittere digneris, ubi (cum exhortator sit vere potens in verbo, ut peccatores excitet, justosque stimulet) haud dubie, fructum uberem reportabit, virtutes multas operando in plebe, in religione, in Ecclesia universa.

Quod autem ad me meaque attinet studia, quia satis compertum habeo (adm. reverende, amplissimeque domine) singulare tibi semper fuisse delicias, filiorum tuorum sacra studia; inter quæ hæc non infimo loco censeri debeant ea, quæ in antiquorum Patrum lucubrationibus ab interitu vindicandis, versantur, non magnopere mihi verendum video, ne labores mei in tam illustris auctoris restitutione expensi, Adm. R. D. tuæ displiceant; quin potius confidenter spero eodem illos affectu suscipiendos, quo a me præstiti sunt, ad sacri ordinis nostri Cisterciensis splendorem, Ecclesiæ utilitatem, nec non memoriam æternam clarissimi nominis tui, quod perennante nomine Alani, et ipsum quoque ut perennare valeat, ex intimis animi affectibus adprecor.

Adm. reverende, amplissimeque Domine
Dominationis Vestræ humillimus in Christo Filius.
F. Carolus de Visch,
Religiosus et Prior Dunensis.

ILLUSTRIUM ALIQUOT VIRORUM
TESTIMONIA
DE ALANO NOSTRO EJUSQUE DOCTRINA

Primum est, Henrici Gandavensis, archidiaconi Tornacensis, SS. theologiæ doctoris Sorbonici, cognomento *Solemnis*, qui, libro *De scriptoribus ecclesiasticis*, cap. 21, hæc de Alano scribit :

« Alanus, Insulis oriundus, liberalium artium peritus, Parisiis ecclesiasticæ scholæ præfuit, et ingenii sui monumenta relinquens, scripsit *Summam* ad prædicationis officium utilem. Et quia metro multum claruit, scripsit metrice Poeticen, excogitata materia, de viro optimo, et in omnibus perfectissimo : quem librum vocavit *Anticlaudianum*, scripsit et alium, partim metro, partim prosa, quem vocavit *Planctus naturæ*, scripsit et alium, de naturis quorumdam animalium. » Hæc ibi.

Obiit Henricus Gandavensis anno Domini 1293, uno anno ante Alanum (7).

Secundum est, Roberti Holkoth, S. theologiæ moralissimi et doctissimi professoris, ordinis Prædicatorum, in cap. x, lib. *Sapientiæ*, lectione 118, litt. A : « Contra istud flagitiosum et nefandissimum (Sodomiæ) vitium, fecit librum, *De planctu naturæ*, Alanus Magnus de Insula, doctor SS. theologiæ famosus, metro et prosa compositum scientifice multum et curiose. »

Floruit Robertus Holkoth, circa annum 1349, teste Bellarmino, lib. *De scriptoribus*.

Tertium est, Joannis Trithemii, abbatis Spanheimensis, ordinis sancti Benedicti, libro *De scriptoribus ecclesiasticis*. « Alanus de Insulis, natione Teutonicus, vir in divinis Scripturis eruditissimus, et in sæcularibus litteris nulli suo tempore secundus : theologus, philosophus et poeta celeberrimus; qui ecclesiasticæ scholæ Parisius multo tempore gloriose præfuit, ubi in omni scientia, divina et

(7) De sententia eorum qui Alanum anno 1294 obiisse, vel ineunte sæculo decimo quarto floruisse asserebant, vide Notitiam, supra. Edit.

humana clarus effulgens, Universalis meruit appellari. Scripsit metro et prosa, pene infinita opuscula, quibus memoria nominis sui apud posteritatem facta est immortalis; sed pauca eorum ad notitiam meam pervenerunt, reperi enim duntaxat subjecta in titulis :

Super Sententias, libros IV.

Quotlibeta, lib. I.

Oculum sacræ Scripturæ, lib. I. Reverendissimo Patri etc.

De doctrina, lib. I (alias, Maximas theologicas). Omnis scientia suis nititur regulis, etc.

In quinque libros Moysi, lib. V.

In Cantica canticorum, lib. I. Cum multi ad ornandum, etc.

De pœnitentia, ad Bituricenses, lib. IV. Dei gratia Bituricensi, etc.

De æquivocis mysticis, lib. I.

De sex alis cherubim, lib. I.

De planctu naturæ, lib. I.

Summam virtutum et vitiorum, lib. I.

De parabolis, lib. I. A Phæbo Phæbe lumen, etc.

De arte prædicandi, lib. I.

Anticlaudianum, lib. I.

De naturis animalium, lib. I.

Sermones plures, lib. I.

Epistolarum ad diversos, lib. I.

« Fertur denique in multos Bibliæ libros commentarios et lecturas insignes edidisse; præcipue, in Prophetas, in Evangelium, et in Apostolum, de quibus nihil potui invenire. Miranda quædam de eo narrantur, quibus ego fidem nec astruo, nec temere infringo. » Hæc Trithemius. Qui tamen in eo fallitur, quod scribat illum claruisse anno 1300, cum constet eum obiisse anno Domini 1294. Vide epitaphia quæ infra subjungimus.

Vivebat Trithemius anno 1500. Obiit autem abbas S. Jacobi in suburbano Herbipolensi.

Quartum est, Hartmanni Schedel, seu illius, qui auctor est voluminis quod inscribitur : *Chronica mundi*. Qui ad annum 1300 de Alano nostro hæc habet : « Alanum autem doctorem celeberrimum, cognomento Universalem, nonnulli his temporibus ascribunt. Qui cum in omni scientia admirandus esset, præcipue tamen in theologia ac philosophia excedens, universitatis vocabulo insigniri meruit; cujus sepultura in loco Cistercii ostenditur exeuntibus de oratorio ecclesiæ ad dexteram, in sepulcro marmoreo. Cujus Alani Magni, doctoris, hoc epigramma exstitit :

Hic jacet Alanus....
.... Quem brevis hora brevi tumulo sepelivit,
Qui duo, qui septem, qui totum scibile scivit. »

Hæc ille. Ubi notandum, per *duo*, Testamentum utrumque sacrum intelligi, quod ut perfacile totum intellexit, ita fere totum illustravit commentationibus. Per, *septem*, artes septem liberales indicari, quas apprime calluit. Vixit Hartmannus anno 1492.

Quintum, Jacobi Philippi Bergomensis, ordinis Sancti Augustini, in supplemento Chronicorum, ad annum 1300. « Alanum autem Teutonicum, cognomento Universalem, nonnulli his temporibus magno in pretio fuisse scribunt. Qui cum in omni scientia admirandus et promptus esset, præcipueque in philosophia et theologia excedens, universitatis vocabulo apud Parisios insigniri meruit. Scripsit itaque metro et prosa pene infinita librorum volumina, etc.

Subjiciuntur ad verbum ea quæ supra ex Trithemio retulimus. Vivebat Jacobus Philipp. Bergom. (juxta Bellarminum) anno 1494.

Sextum, Sixti Senensis, ordinis Prædicatorum, in *Bibliotheca sancta*, lib. IV, litt. A. « Alanus Insulensis, Germanus, orator, poeta, philosophus et theologus, inter omnes sui temporis excellentissimus, sacræ Parisiensis academiæ moderator; qui ob omnigenam rerum omnium eruditionem, doctoris Universalis cognomen promeruit : inter multa laborum suorum illustria monumenta, reliquit Commentariorum in totum Pentateuchum, libros V. Item, in Canticum canticorum, lib. I, cujus initium : Cum multi ad ornandum. Sed et utrumque Testamentum parvo compendio (quod Oculus sacræ Scripturæ inscribitur) perstrinxit; cujus exordium est : Reverendissimo Patri et domino, » etc.

Septimum, Antonii Possevini, soc. Jesu, in *Apparatu sacro*, ubi sic legitur : « Alanus Insulensis (quæ civitas est in Belgio) Doctor Universalis appellatus, scripsit in quatuor libros sententiarum Oculum sacræ Scripturæ; De Doctrina ; in V libros Moysis ; in Cantica canticorum ; De pœnitentia ad Bituricenses ; De æquivocis mysticis ; De planctu naturæ ; De parabolis ; de arte prædicandi ; de naturis animalium ; Epist. lib. ad diversos ; Quodlibeta ; De sex alis cherubim ; Summam virtutum et vitiorum ; Anticlaudianum ; Sermones plures. »

Obiit Possevinus anno 1611 ætatis suæ 78.

Octavum, Andreæ Saussay S. R. E. protonotarii, in *Martyrologio Gallicano*, anno 1637 Parisiis edito, ad 30 Januarii : « Pio fine cursum absolvit Alanus Insulensis, dictus Doctor Universalis, Cistercii, ubi spretor humanæ gloriæ, atque humilitatis amator, habitum suscipiens in conversorum contemptibili sorte, velut aurum sub pulvere diu latuit : nec tamen, postquam (erumpentibus divinorum charismatum fulgoribus) innotuit, hac ex humili abjectaque classe se vocari passus est; at in spontaneæ demissionis proposito ad extremum usque spiritum perseverans, relicto contemptus sui stupendo prorsus exemplo; sapientiæque nihilominus, et pietatis eximiæ præclarissimis monimentis, ad æternæ gloriæ fruitionem, carne solutus, divinisque præsidiis munitus, evolavit. »

Nonum, Antonii du Verdier, in *Bibliotheca Gallica* : « Alain des Isles, Alemant, a escrit en vers elegiaques Leonins, un livre intitulé, *Alanus De parabolis, seu, Doctrinale*. Ausquelles sont compris plusieurs bon enseignemens profitables a un cha-

eun, translatez des carmes latins en ryme franchoise, avec le comment. en prose. » *etc.* Et infra : « C'est celuy du quel se dict le proverbe : *Sufficiat vobis vidisse Alanum*, etc. Il a escrit plusieurs autres choses mentionees en la *Bibliotheque* de Conrard Gesner. »

Decimum, Hieremiæ Drexelii, e soc. Jesu, in suo *Daniele* c. 18, § 3, ubi agens de natura et malitia individiæ, dicit, neminem brevius et significantius de ea locutum, Alano, quem vocat oratorem et poetam eximium ; proferens periodum aliquam ex libro ipsius Alani, *De planctu naturæ*.

Vide operum Drexelii tom. II, fol. 582.

Undecimum, Joannes Buzelini, societatis Jesu, in *Gallo-Flandria* sua, tom. I, cap. 7, fol. 33 : « Qui sit omnia complexus animo studia, ideoque nomen Universalis Doctoris passim obtinuerit, magna equidem gloria, Alanum Insulensis urbs peperit. »

Item tomo II, lib. VII ad annum Domini 1294 : « E libris Insulanæ urbis, Alanum exstingui Cisterciensis ordo gemuit, postquam insigni fama floruisset, ob varia disciplinarum genera. Tanto ad omnia studia ingenio præditum fuisse aliqui memorant, ut eloquendi promptissimus, et prosa conderet orationem, et versus pangeret eleganter, de philosophicis et theologicis rebus acutissime dissereret ; nullum ejus animum disciplinæ genus effugerit, indeque sibi doctoris Universalis cognomen pepererit. Sanctas litteras, deque Deo quæstiones, diu Parisiis explicuit, ubi supremam sacri studii lauream fuit adeptus. Multa tum vincta, tum soluta oratione complexus, varios in lucem libros edidit, » etc. Obiit Buzelinus, 1626.

Duodecimum, Antonii Sanderi, SS. theologiæ licentiati, canonici et scholastici cathedralis ecclesiæ Iprensis, libro *De scriptoribus Flandriæ*, littera A : « Alanus Insulensis, Flander, a loco natalium cognomentum sortitus ; vir in divinis ac sæculari bus disciplinis, nulli suo tempore secundus ; per annos multos Sorbonæ Parisiensi præfuit, ubi scientiarum omnium cognitione clarissimus, Universalis cognomen est adeptus. Scripsit prosa ac metro, infinita pene opuscula, quibus nominis sui immortalitatem ad posteros transmisit, » etc.

Decimumtertium, Ludovici Jacob a Sancto Carolo, Carmelitæ, Cabilonensis, regii consiliarii, et eleemosynarii ordinarii, lib. III *De claris scriptoribus Cabilonensibus* : « Alanus de Insulis, monachus, natione Belga, doctor theologus Parisiensis, cognomento Universalis, deinde conversus monasterii Cisterciensis. Vir ad miraculum eruditus, fortissimum Ecclesiæ catholicæ propugnaculum, magnum humilitatis exemplum, immortalis monachorum gloria, fulgentissimum Pieridum sidus, hæreticorum malleus; qui interfuit concilio Lateranensi œcumenico, sub Innocentio III R. P. anno 1215 celebrato, in comitatu abbatis Cisterciensis ; in quo vehementissime et solertissime adversus quemdam hæreticum, Almarici Carnotensis discipulum, dispu-

A tavit, magno Ecclesiæ bono. Jam vero ad immensam librorum, quos de omni pene materia scripsit, multitudinem veniamus, quo nullum multiplicis ejus eruditionis locupletius esse potest testimonium. »

Recenset autem eadem scripta quæ nos supra recensuimus : addens præterea, *Speculum Ecclesiæ*, quod exstare dicit ms. apud Matthæum Dresserum.

His omnibus auctoribus conformiter de Alano nostro scripserunt : Thomas Demstérus, in *Historia ecclesiastica gentis Scotorum*, lib. I, ubi testatur illum cognominari *Magnum* et *Universalem* :

B Valerius Andreas, doctor Lovaniensis, in *Bibliotheca Belgica*.

Hippolytus Maraccius, Lucensis, in *Bibliotheca Mariana*, anno 1648, Romæ edita (asserens illum edisse « plura insignis doctrinæ, pietatisque eximiæ præclarissima monimenta, » etc.).

Aubertus Miræus in *Chronico Cisterciensi*, fol. 268, et in scholiis suis ad c. 21, Henrici Gandavensis, *De scriptoribus ecclesiasticis*, nisi quod hic ultimus (errore prorsus intolerabili) hunc Alanum confundit cum Alano Antissiodorensi episcopo, qui obiit centum et duodecim annis, ante Alanum Magnum, sive Doctorem Universalem, fuitque monachus Clarævallensis religionem professus sub beaC tissimo P. N. Bernardo. A quo cum anno 1179 constitutus fuisset abbas primus Ripatorii, in diœcesi Trecensi, indeque (circa annum 1151) assumptus cathedram episcopalem Antissiodorensem, anno 1167 hac resignata, Claramvallem reversus est, ubi anno 1182 obiit, et sepultus jacet juxta Godefridum Lingonensem episcopum. Alanus vero Magnus, seu doctor Universalis, statum conversorum, seu fratrum Laicorum in archicœnobio Cisterciensi amplexus, in eodem ad obitum usque perseveravit, hoc est, ad annum Domini 1294 ut ex marmoreo ejus sepulcro (quod adhuc in Cistercio conspicitur, diversis antiquis epitaphiis decorum, quæ infra proferemus) clarissime convincitur. Vide *Bibliothecam* nostram *scriptorum Cisterciensium*,
D quam anno 1649 publicavimus ; Jongelinum, in notitiis abbatiarum ord. Cisterc., et iterum in *Purpura* S. Bernardi ; Henriquez in *Menelogio*, et alios. Porro Miræus errorem suum videtur hausisse ex eo, quod etiam Alanus Antissiodorensis legatur fuisse Belga, ex Insulensi civitate, Gallo-Flandriæ metropoli, ex qua civitate Alanum quoque *Magnum* fuisse oriundum, communis est auctorum omnium sententia, ut ex jam citatis testimoniis patet, et infra iterum dicemus.

Denique et Alanum nostrum, *Magni*, *ac Doctoris Universalis* cognomine compellant, magnus ille Angelus Manriquez, Pacis Augustæ nuper episcopus, regi catholico a sacris concionibus, et in Salman-

*[Par]*iensi universitate, S. theol. professor primarius, A in tomo primo *Annal. Cisterc.* ad annum Domini 1140, cap. 10, n. 7. Gaspard Jongelinus, Eusserthallensis abbas, in *Notitiis suis*; ac iterum in *Purpura sancti Bernardi*, tract. *De cardinalibus*, § 30, et alii plures.

HISTORICA RELATIO

DE VITA ET MORTE

ALANI MAGNI DE INSULIS

DOCTORIS UNIVERSALIS.

§ I.

De patria, et loco nativitatis Alani.

De his nonnulla est inter auctores controversia. Thomas (8) Demsterus (honori gentis suæ ampliando nimium studiosus) sine ulla prorsus ratione, Alanum origine scripsit fuisse Scotum, in Mona Insula natum. Hieremias Drexelius, loco supra citato, vocat illum Siculum, forte quia legerat illum criundum de Insula; per insulam antonomastice Siciliam intelligendam credidit.

Gaspar Jongelinus, in *Purpura* sua, supra, Gallum putat. Angelus Manriquez, supra etiam citatus, scribit illum a quibusdam haberi Hispanum, ab aliis, Gallum. Verum communis cæterorum omnium auctorum sententia, qui de Alano mentionem faciunt, Belgam censet, natum in civitate Insulensi, Gallo-Flandriæ metropoli : quo etiam reduci possunt hi, qui illum Germanum scripserunt, eo quod Flandri, imo et Belgæ universi passim vocentur Germani inferiores, et Belgium, Germania inferior. Et sane de hoc omnis cessaret controversia, si certo constaret Alanum hunc verum esse auctorem *Commentariorum in prophetiam Merlini Angli*, quæ anno 1608, sub ejus nomine impressa fuerunt Francofurti, typis Joannis Spiessii, in-8°, hoc titulo : Prophetia, etc. « Merlini Ambrosii — una cum septem libris explanationum in eamdem prophetiam, excellentissimi sui temporis oratoris, polyhistoris et theologi, Alani de Insulis, Germani, Doctoris Universalis, et academiæ Parisiensis ante annos 300, rectoris amplissimi. » In his namque *Commentariis*, lib. v, folio 198, expresse testatur auctor se fuisse origine Belgam, natum Insulis in Flandria. Verba ejus sunt : « Vidi et ego in Flandria, cum puerulus adhuc essem apud Insulam (unde natus fui) fœminam quamdam maleficam, quæ in maleficio suo comprehensa, etc. » At, dum nuper *Commentaria* hæc evolverem, plura offendi, quæ eorum inscriptionem non parum mihi suspectam reddiderunt, aliumque ab Alano nostro auctorem fuisse

B suaserunt, quorum unum est, quod immediate (paucissimis interjectis) post verba jam relata, subjungantur sequentia : « Tempus illud fuit, quo comes Theodoricus ab Insulanis hominibus, Gandensibus quoque atque Brugensibus, advocatus erat a terra sua in Flandriam, tanquam legitimus Flandriæ hæres, etc. » Hæc ibi.

Cum autem passim Annales Belgici referant Theodoricum de Alsatia a Flandris fuisse electum in comitem, circa annum Domini 1128, aut 1130, si Alanus tunc fuerit puerulus, non potuit floruisse circa annum 1300, ut cum Trithemio plures scribunt auctores : imo, nec supervixisse usque ad annum Domini 1294, quo illum obiisse perhibent alii exactiores historici, probatque antiquum C epitaphium quod Cistercii ad tumulum ejus etiamnum legitur, Jongelino aliisque innumeris oculatis testibus. Nisi forte dicamus, verba hæc ultima, ex *Commentariis* prolata : « Tempus illud fuit, etc., » olim a quodam historiarum ignaro, claritatis (ut putabat) causa, in margine adjecta fuisse, et postmodum a typographo textui inserta. Ut ut sit, illis libentius subscribo, qui Alanum censent fuisse Belgam origine Insulensem, auctoritate præsertim ductus Henrici Gandavensis, SS. theologiæ doctoris celeberrimi, natione Flandri, Alano coævi, et in eadem Parisiensi universitate collegæ. Quam opinionem etiam confirmant pleraque exemplaria mss. quæ ipsemet vidi, Alanum de Insulis, vel Insu- D lensem indigitantia, quod etiam cognomen præfert *Expositio in Cantica canticorum*, anno 1540, impressa Parisiis, ex *bibliotheca S. Victoris*.

Nec obstat, quod etiam Alanus Antissiodorensis episcopus, et Clarævallensis monachus, asseratur fuisse Belga, et ex Insulensi quoque civitate oriundus, quia facillime contigisse potuit, ut spatio centum (et amplius) annorum, duo ejusdem nominis ex Insulensi civitate ordinem Cisterciensem fuerint ingressi, præsertim in diversis monasteriis.

Quinimo, intra paucos adhuc annos, ex eadem

(8) Ecclesiastica Historia gentis Scotorum, an. 1627. Bononiæ impress., l. I.

Insulensi civitate, in solo nostro Dunensi cœnobio, A plures cognomines recepti fuerunt, qui adhuc in vivis sunt : id quod de aliis quoque civitatibus satis frequenter fieri vidimus. Proinde, communem et vulgarem secutus opinionem, Alanum Insulensem, vel de Insulis, cognominabo, prout antiquitus, etiam Alani tempore (in religionibus præcipue) a loco nativitatis communiter omnes cognomenta sua sortiebantur. Cum vero illum etiam Magnum appello, auctoritatem quoque sequor plurimorum gravissimorum auctorum, quorum aliquot in superioribus encomiis curiosus lector reperiet.

§ II.

Qua occasione M. Alanus, relicta Parisiensi universitate, habitum conversorum in Cistercio assumpserit. B

Omnes propemodum qui de Alano hactenus scripserunt, constanter affirmant illum (priusquam religioni nomen daret) celeberrima doctrinæ et nominis fama conspicuum, scholæ ecclesiasticæ seu theologicæ, universitatis Parisiensis præfuisse, ut supra, productis plurimorum virorum doctissimorum testimoniis vidimus. Attamen, quoad occasionem, qua, relicto sæculo in monasterium se abdiderit, licet in ea recensenda plerique etiam satis conveniant, nonnulli tamen protestantur, se eamdem duntaxat narrative ex aliis referre, nolle autem quidpiam affirmare aut etiam negare. Nos eam hic recensebimus ipsis verbis Joannis Puzelini, in *Gallo-Flandria* sua, tomo II, lib. VII, ad annum Domini 1294 : C « Ut in Cisterciensem se domum (Alanus) abderet, hanc rationem produci video. Statuerat Alanus unica concione totam de sanctissimæ Trinitatis mysterio theologorum doctrinam circumscribere; ac dilucidis eam verbis ita explicare, ut a quolibet facile comprehenderetur. Pridie quam id faceret, secundum amnem solus deambulavit vesperi, ut secum rationem iniret, qua feliciter id præstaret quod volvebat animo. Ibi puerulum nactus est, e flumine aquam cochleari sumentem, et in fossulam quam fecerat projicientem. Ab eo dum subridens quæsivisset ecquid facere proponeret, ac postquam didicit eum amnem totum velle fossulæ angustiis comprehendere, id fieri non posse subdidisset ; increpitus doctusque multo minus id posse præstari D quod crastina luce agere intenderet : in magnum illico stuporem cogi se sensit, ac seipsum acriter castigans, et nimiæ damnans arrogantiæ, in multas fluxit lacrymas. Ergo, die subsecuto, cum suggestum tanquam ad populum (qui frequentissimus erat) verba facturus ascendisset, tantum hæc affatus : *Sufficiat vobis vidisse Alanum*, e medio circumfusæ admirantisque multitudinis sese proripuit, et magnis itineribus Cistercium contulit. Illic inter conversos (ut nominant) cum recipi flagitasset, pascendarum ipsi cura commissa est ovium, » etc.

Hanc eamdem historiam (sed simplici omnino stylo descriptam) penes me habeo in prooemio cujusdam *Commentarii in librum Parabolarum Alani* a centum et quinquaginta annis, scilicet 1501 (sine nomine auctoris) Lugduni typis editi.

Refert et eam Chrysostomus Henriquez, in *Menologio*, ad 30 Januarii, ubi dicti *Commentarii* auctorem nominat, Matthiam Bonhomium; unde tamen nomen hoc hauserit, non exprimit.

Sed et Trithemium, Antonium du Verdier, et plures alios tam antiquos quam recentiores hanc legisse satis colligitur ex testimoniis illorum quæ supra produximus.

Denique, Alanum fuisse Cistercii pastorem ovium, et alia servilia conversorum opera ibidem exercuisse, convincunt antiqua ejusdem epitaphia quæ infra referimus

§ III.

Qualiter M. Alanus, cum diu ignotus inter Cirterciences conversos degisset, tandem cognitus fuerit.

De hoc ita Buzelinus : « Eo cum aliquandiu munere (pascendarum ovium) incognitus, patienter ac submisse functus fuisset, Alanus, sitne postmodum Romam usque curandorum equorum gratia, Cisterciensem antistitem comitatus, dum illuc pontifex maximus præsules omnes evocavit ad comprimendam hæreticorum arrogantiam et cum occlusa sectariorum fallaciis et vaniloquentia catholicorum doctorum ora cerneret, ægreque admodum id ferret, obtenta prius venia, ita disputando ex iis hæreticis unum constrinxerit, ut is palam exclamaret, aut diabolum aut Alanum secum verbis contendere, nolim asserere : id saltem in confesso est, ipsum Cistercii deinde in cognitionem abbati et monachis venisse, ac reliquum postea tempus vel scriptioni librorum, vel pietati diligenter impendisse; mortuum insigni decoratum fuisse tumulo et memoria. » Hæc ille. Verum multo distinctius et sine ulla dubitatione hæc omnia assertive describit antiquus noster commentator, aliique jam citati plures. Quorum verba quia quoad substantiam historiæ, eadem sunt cum iis quæ Buzelinus (licet dubitando) recenset, supervacaneum fore judicavi hic repetere, Curiosus lector Chrysostomum Henriquez consulere poterit, cujus *Menologium* in celebrioribus bibliothecis satis frequens est.

Quando autem celebratum fuerit hoc concilium Romæ, in quo Alanus hæreticos convicerit et quisnam horum coryphæus, de quo in historia fit mentio, a nemine vidi declaratum nisi ab Henriquez, loco citato, qui asserit disputationem hanc contigisse Romæ in Lateranensi generali concilio XII, sub Innocentio III, anno 1215 celebrato ; hæreticum vero ibidem convictum ut confusum fuisse discipulum Almarici, qui Almaricus erat patria Carnotensis et Parisiensis theologus, Alano (dum eam universitatem regeret) satis familiaris, qui in hæresim prolapsus, varios errores disseminavit, quos ipse Henriquez etiam recenset. Sed unde hæc

omnia desumpserit, nec ipse exponit, nec ego alicubi reperi.

§ IV.

Alanus Romæ, et postmodum etiam Cistercii a suis cognitus, ut deinceps se gesserit.

Buzelinus tametsi dubitet de modo quo scribitur Alanus in cognitionem devenisse, affirmat tamen (ut jam vidimus) id in confesso esse, illum, ex quo in cognitionem devenit reliquum postea tempus vel scriptioni librorum, vel pietati diligenter impendisse, et mortuum insigni decoratum fuisse tumulo, et memoria.

Addit sæpe citatus commentator antiquus (adeoque et Matthias Bonhome, apud Henriquez) illum tantæ fuisse humilitatis, ut nunquam voluerit ullam admittere dignitatem, ultro etiam sibi oblatam, sed in humili conversorum statu usque ad obitum perseverasse. attamen jussu summi pontificis ab abbate Cistercii duos illi fuisse assignatos clericos in eadem abbatia, qui libros omnes scriberent, quos ipse dictaret. Confirmant hæc etiam omnia Barnabas de Montalbo, tomo I *Chronic. Cisterciensium*, et Henriquez loco citato, aliique plures.

Imo, in ipso Cistercio (prout plurium fide dignissimorum assertione accepi) tam firma et constans de præmissis omnibus traditio servatur, ut quique ibidem religione et doctrina clarissimi, absurdissimum reputarent quidpiam horum in dubium revocare. Nec etiam facile quempiam reperias qui eadem unquam absolute negaverit, aut contraria scripserit, præter unicum Thomam Demsterum Scotum, qui in *Historia sua ecclesiastica* gentis Scotorum, anno 1627 Bononiæ impressa, (errore nimium crasso aut etiam affectato) luce quodammodo meridiana cæcutiens, contra fidem et clara testimonia omnium auctorum qui de Alano hactenus scripserunt, et aliorum fere innumerabilium qui sepulcrum ejus visitarunt, et adhuc indies visitant, scribere præsumpsit Alanum Magnum de Insulis, Doctorem Universalem, natione fuisse Scotum, et monasticem professum in monasterio Scotorum, divo Jacobo sacro, extra muros Herbipolis, ibique diem obiisse anno 1300 et sepultum sub hoc epitaphio :

Scotia me genuit, Germania condit Alanum.

Quæ omnia ex solo Trithemio sufficienter refutari possent, qui post resignationem abbatiæ Spanheimensis, annis pluribus ipsi abbatiæ S. Jacobi juxta Herbipolim abbas præfuit, scripsitque exactum ejusdem abbatiæ *Chronicon*, anno 1605 Moguntiæ impressum, typis Joannis Albini, in quo, nonnisi unicum agnoscit Alanum, istius cænobii monachum et postea XXIV abbatem, qui obiit centum et 61 annis post Alanum nostrum de Insulis, nimirum 1455. Imo libro *De scriptoribus* (ut supra vidimus) expresse testatur Alanum de Insulis, Doctorem Universalem, fuisse natione Germanum. Hinc epitaphium a Demstero productum, si quod ibidem tale exstet abbatem jam dictum concernit, aut aliquem privatum sive monachum, sive sæcularem, non autem Alanum nostrum, quem fuisse conversum Cisterciensem, ibique sepultum (omissis aliis omnibus auctoribus) clare convincunt epitaphia, § sequenti recensita, et epistola perillustris et reverendissimi nostri generalis, abbatis Cistercii, immediate subjuncta.

§ V.

De morte et sepultura M. Alani.

Chrysostomus Henriquez, loco citato, scribit illum supervixisse septuaginta novem annis post concilium Lateranense memoratum; attigisse autem annum ætatis 116, ac tandem obiisse cum magna opinione sanctitatis (9). Cujus etiam intuitu eumdem *Menologio suo Cisterciensi* ascripsit, 30 Januarii. Quem etiam inter beatos ordinis nostri recenset Joannes abbas Cisterciensis, in catalogo sanctorum ac beatorum ordinis Cisterciensis, subjuncto veteribus Missalibus ordinis ejusdem. Sed et beatum vocant, doctissimus Leo Allatius, libro *De apibus urbanis*, reverendissimus generalis noster modernus, in epistola jam citata, et alii passim.

Quoad annum obitus veritatem nobis astruit antiquum epitaphium lapidi sepulcrali incisum, quod etiamnum perfecte legitur, hoc tenore :

Alanum brevis hora brevi tumulo sepelivit,
Qui duo, qui septem, qui totum scibile scivit.
Labentis sæcli contemptis rebus egens fit,
Intus conversus, gregibus commissus alendis,
Mille ducenteno, nonageno quoque quarto,
Christo devotus mortales exuit artus.

Obiit itaque Alanus, anno Domini 1294.

Hinc corrige auctores omnes, qui scribunt illum floruisse anno 1300. Tumulus ejus marmoreus conspicitur Cistercii in claustri parte læva templum ingredientibus; juxta quem in pariete duo alia appendent epitaphia, quæ nobis exhibet Gaspar Jongelinus, in *Purpura sancti Bernardi*, supra, prout ex originalibus tabellis ipsemet descripsit anno 1624, dum Cistercii esset, et beati viri sepulcrum visitaret.

EPITAPHIUM.

I.

Ce grand docte Alanus, qui fust tant admirable
Rend ce lieu de Cisteaux par tout plus memorable :
Car il y fust convers, berger et serviteur,
Encoir y sert d'exemple de vertus et d'honneur.
Donc vous religieux, convers et tous passants,
Imitez ce docteur, qui ci-bas est gisant.


II.

Subjacet huic lapidi, toti venerabilis orbi
Alanus doctor, quem decet almus honor.
Theiologis ac philosophis merito sociandus,
Vatibus antiquis nec minor ipse fuit.
Egregie scribens, planxit, docuit, reseravit,
Naturam, mores, mystica verba Dei.
Inclyta gesta Jesu cecinit, clarosque triumphos,
Artes depingens militiamque poli.

(9) His omnibus consonat Ludovicus Jacob a S. Carolo, lib. III *De scriptoribus Cabilon.* fol. 145.

Eloqui pictor, morum censor, citharista
Pieridum, fidei belligerator erat.

A *Hic mundum fugiens, sub relligionis amictu*
Vixit, adhuc manet hic; en tumulatus adest.



ALANI MAGNI TUMULUS.

(Ex actis Academiæ Inscript., tom. IX, Parisiis, 1736, p. 229.)

Alani magni tumulus conspiciebatur Cirtercii in claustro, juxta templi ingressum. Hunc extruxerat, anno 1482, *D. Joannes de Cirey, Cirterciensis abbas.*

Vetus Alani Epitaphium, litteris gothicis incisum in lapide quadrato, bipedali, in anteriori parte tumuli pavimento claustri incluso, sic legebatur :

Alanum brevis hora, brevi tumulo sepelivit :
Qui duo, qui septem, qui totum scibile scivit.

De Doctrina, et scriptis Doctoris Alani, ampliorem desiderans Notitiam, consulat Bibliothecam Scriptorum Ordinis Cisterciensis, quam anno Domini 1649 vulgavimus, cujus nunc adornamus editionem II priore longe correctiorem, et locupletiorem, adjunctis brevioribus opusculis diversorum veterum Patrum Ordinis Cisterciensis, tam vitæ sanctimonia, quam eruditione illustrium (1).

F. C. D. V. P. D.

(9*) Vide supra Dissertationem Oudini, qui quidquid Vischius de vita et Scriptis Alani in *Biblioth. Cisterc.* de novo exaravit, in usum suum convertit. EDIT.

EPISTOLA PERILLUSTRIS, REVERENDISSIMI ET EXIMII DOMINI D. CLAUDII VAUSSIN

S. theologiæ doctoris, abbatis Cistercii et universi ordinis Cisterciensis generalis supremi.

Qua post approbationem *Bibliothecæ Scriptorum sacri Cisterciensis ordinis*, anno 1649 publicatæ, ejusdem auctorem hortatur ad aliorum operum suorum editionem, specialiter autem ad recognitionem Operum B. Alani, Cisterciensis conversi.

—

Reverendo, et nobis in Christo confratri charissimo, Domino CAROLO JEVISCH, *devoti monasterii nostri Dunensis priori.*

Reverende in Christo Pater,

Quod sacri Cisterciensis ordinis nostri scriptores jamdudum in tenebris delitescentes nunc a latebris ad lucem, et quasi a tumulo ad vitam redivivi redeant, tuis laboribus et lucubrationibus acceptum referimus; eoque gratiorem habemus voluminis tui editionem, quo majori prædicti nostri ordinis ornamento et splendori cessuram esse confidimus; tibi propterea nostro nostrique ordinis nomine gratulamur, et dignas rependimus grates; teque hortamur, quanto possumus affectu paterno, ut incepta quæ restant tibi opera perficere satagas ad majorem Dei gloriam, quem apprecamur ut labores tuos benedictionibus suis cumulare dignetur; si quæ autem opera B. Alani nostri, Cisterciensis conversi, præter ea quæ præ manibus habes, in nostra Cisterciensi bibliotheca inveniri poterunt manuscripta, ad te curabimus transmitti, ut prelo mandentur. Cæterum, macte animo, reverende Pater, et quo cœpisti zelo perge allaborare ordini nostro, quem æternum devinctum habebis; nos vero tibi inserviendi occasionem præstolati Deum præpotentem exoramus, ut tibi gratiarum suarum cumulum æternum pro mercede et laborum tuorum congruo præmio conferat, nosque tuis devotis precibus toto animi affectu commendamus.

Cistercii die XII *mensis Martii* 1650.

Reverendæ paternitatis vestræ

In Christo charissimus et addictissimus confrater
CLAUDIUS *abbas Cisterciensis generalis.*

CENSURA.

—

Legi accurate et cum magno animi mei sensu opera hæc moralia, parænetica et polemica Alani Magni de Insulis vulgo nuncupati, et quia plena sunt Catholica et erudita pietate, utiliter imprimi poterunt. Ita censeo. Datum Brugis die XII Aprilis, anno Domini XVI, quinquagesima secundo.

Joannes Baptista Vanden ZYPE,
Canonicus Eccl. Cathedr. S. Donat, Brug. L. C.

FACULTAS ORDINIS.

—

Nos Fr. Bernardus Bottyn, monasterii Beatæ Mariæ de Dunis Ordinis Cisterciensis in Diœcesi et Urbe Brugensi abbas, ejusdem Ordinis per Belgium Vicarius et Visitator generalis, tenore præsentium facultatem damus ut opera parænetica, polemica et moralia Alani Magni de Insulis, indefesso studio et labore

R. D. Caroli de Visch præfati nostri monasterii de Dunis theologi et prioris quasi ex Democriti puteo educta, ac in lucem producta, varieque illustrata, atque a diversis theologis discussa, et impense commendata, omnium manibus concedantur præloque subjiciantur, quatenus tanti doctoris memoria floride reviviscere valeat. Datum in prædicto nostro Duniensi monasterio 24 die Mensis Aprilis anni Domini millesimi sexcentesimi quinquagesimi secundi sub signo nostro manuali, et contrasigilli impressione.

BERNARDUS abbas Dunensis,
Vicarius generalis.

REVERENDO ERUDITISSIMOQUE DOMINO
D. CAROLO DE VISCH

Abbatiæ Dunensis priori meritissimo Alani Doctoris Universalis opera evulganti

Applaudebat

R. D. Petrus de WAGHENARE, Furnis S. Nicolai Religiosus et subprior, Ord. Præmonstrat.

—

Quid mortalia non cupido gazæ
Cogit pectora? turbidas in undas
Telluris solidæ movet colonos;
Immittitque periculis profundi
Fidenter gracili nimis carinæ.
Nec stridentibus Africum duella
Miscentem Boreis, nec asperati
Progressam rabiem Noti, nec hœdi
Sævos Olenii pavent furores.
Montes Cyanei fretis sueti
Deprensis volucres ferire nubes,
Et succincta utera canes puella,
Infamisque Charybdis haud liburnas
Nautarum temerarias coercent.
Et te, Carole, non levis cupido
Thesauri cruciat, jubetque quosvis,
Haud puppi, sed epistola frequenti
Te percurrere sedulum recessus,
Inque ortus, obitusque pervolare.
Hic thesaurus, hic alma gloriosi
Doctoris monumenta sunt Alani,
Alani, sacra qui Parisianæ
Olim culmina deserens cathedræ,
In Cistertiadum migrare castra
Et stipendia laici merere,
Toto non renuit stupente mundo.
A O quanta pietate, sanctitate,
Doctrina, eloquii lepore plena
Isthæc sunt monumenta! quo leguntur
A doctis magis, hoc magis legentur,
Sanctam haud inscia provocare orexim.
Per Symplegadas ista, per Charybdes,
Et latrantia nunquid ora Scyllæ
Conquiri mage digna, quam metalla
Quævis Indica, Persicæque gemmæ?
Hæc tu, Carole, maximis petita
Curis et studiis, tenebricosis
Profers e latebris, et expolita
Limis ingenii tui beatis,
Prelo subjicis, et reducis orbi.
Quis Cistertiadum, quis alterorum
B Non lætos properet ciere plausus,
Ac persolvere dona gratiarum?
Certe jam mea maximas camena
Grates pendit, honoribusque dignos
Phæbeis ovat impedire crines,
Lætis ingeminans, vovensque dictis,
Ut, quæ gloria in astra fert Alanum.
Hæc et te ferat, inter atque Pisces
Cives zodiaci, vel eminenti
In cœlis alio loco reponat.

REVERENDO DOMINO D. CAROLO DE VISCH

SS. theologiæ baccalaureo formato ejusdemque professori

Monasterii B. Mariæ de Dunis priori meritissimo

ALANI MAGNI

Doctoris Universalis nuncupati opuscula publicanti accinendo

Applaudebat D. Marcus Jacquemont, Dunensis monasterii subprior.

—

Plurima cum Magnus per tempora dormit Alanus
Excitat e somno Carolus, ecce, gravi.

Quod figulus figulum, non hic bene dicitur, odit;
Virtus virtutem semper amat sociam.
Virtutis comes est Caroli doctrina, latentem
Dum luci Alanum reddit, et arte canit.
Nuper scriptores universaliter omnes
Produxit nobis (10), ordine, lege, stylo:
Mundo doctorem nunc particulariter illum
Universalem nomine reque canit.
Dum Universalis præcedit particularem,
Doctis doctrinæ est omnibus ordo bonus.
Quam bene carpis iter doctrinæ, Carole, scriptis,
Fructus et in vestro est ordo labore, decor.
Dum calamum calamo profert, tibi gloria crescit
Fertilis, et licito fenore facta duplex:
Provenit ex calamo proprio tibi gloria prima;
Altera ab alterius post duplicata venit:
Quam triplicare velim, si fors mihi musa faveret,
Sed non est meritis æquiparanda tuis.
Attamen aggredior, conabor promere laudes
Quas potero tremula non renuente chelii.
Est piscis Carolus, generali nomine dictus,
Nescio sed cujus nominis in specie.
Quem, Neptune, canam? Cete inter grandia ponam.
Æquoreum potius dixero forsan equum?
Latratu mutumne canem cantabo marinum?
Haud Carolum mutis æquiparare licet.
Sirenem memorem? Remoram vel dixero? non est
Delphinum potius dicere conveniet.
Delphinum dicas, homines qui salvat ab undis,
Incolumes servat, restituitque solo.
Sic, Carole, Alanum tenebris latitare profundis
Non sinis, atque altis eruit e latebris.
Restituis luci, delphini munere functus,
Piscis delphini nomen et omen habes (5).
Pergito scriptores justa donare corona,
Et vestrum lauris sic redimire caput.
Ardua dum superat constantia magna laborum,
Sæpius ad mentem dulcior illa redit.
Quo magis a vobis scriptorum gloria fulget,
Hoc magis inter eos gloria vestra micat.

—

Anagramma : CAROLUS DE VISCH : — *Decus charo luis.*

EPIGRAMMA.

Dum parit invidiam virtus, sine crimine pœnas
Si *luis* immeritas, tutor Alanus erit.
Esto *decus charo*, quem diligis atque decoras,
Invidiæ injustos abluet ille focos.
Charus eris charo, gratus virtutis amanti,
Si luis, hic justo diluet ingenio.

—

Aliud · — *Charius do, luces.*

EPIGRAMMA.

Charius Alano das lucem, et luce reflexa
Luces Alani lumine clarus amor:
Charius Alano *do* lucem, Carolus inquit,
Alani *luces* lumine, dicit amor.

—

CHRONOGRAPHICUM.

sIs DoCtorIs honor, per teMpora Longa perennIs.

(10) *Bibliotheca Scriptorum ordinis Cisterc.* anno 1649 impressa fuit.
(10') Alludit ad insignia, referentia delphinos duos in scuto argenteo, resperso crucibus aliquot nigris.

SANCTISSIMI PATRIS BERNARDI

Quingentesimum jubilaris gloriæ annum inter cœlites agentis

Sapientissimo confratri

Ex una matre (monasterio et ordine Cisterciensi) progenito, melliflui Spiritus hæredi

ALANO MAGNO DOCTORI UNIVERSALI.

Anno lustro-sæculari, id est a morte B. Bernardi quingentesimo jubilari in orbem e typis prodeunti, felicibus auspiciis, studio, industria, labore Rdi ac eruditissimi domini D. Caroli de Wisch, *S. theologiæ professoris, monasterii Dunensis dignissimi prioris*

D. Balduinus Winncel

Ejusdem monasterii Religiosus ac sacerdos accinebat.

—

Quis mihi det te fratrem sugentem ubera matris meæ. *Cant* VIII.

—

Quanta triumphalis dat quinquagesimus annus
Gaudia! quanta polo jubila nardus agit!
Annos si numeres, numerum, Bernarde, notabis,
Queis defessa solo, mens tua rapta polo est.
Sed quia conspicimus se diffundentia plausu
Sidera, cur plausus contegat ordo suos?
Jubilet ordo sacer, Patri conjubilet orbis
Sit par, ut cœlo, sic et in orbe melos.
Prodeat e prelo pietatis amator Alanus,
Fraterna ut fratris jubila fonte fluant.
An Fratrem, Bernarde, tuum dignoscis? amore
Una duos suxit divite lacte parens.
Ut Cistertiadum primoribus ortus uterque est,
Sic domus una, parens una duobus erat.
Conspiceres volitare pari super æthera gressu,
Mellifluos dices, cuique subesse favos.
Nam sugens, matris si pendet ad ubera Nardus,
Nec minus hæc felix ubera Alanus habet.
Pendulus ora movet Bernardus ad ubera dextræ;
Alano nectar dulce sinistra dedit.
Suxit uterque pari tractu, saturatus uterque:
Si satur esse potest quem satiarit amor.
Mella dedit Nardus, sed mellea donat Alanus,
Mellea mellifluo hoc promis, Alane, libro.
Desine nunc fratrem, sugentemque ubera Matris
Quærere, Narde: tibi frater Alanus adest.
Frater adest, matris quia dividit ubera tecum,
Ubera, quæ gnatis ubere lacte fluunt.
Hunc dum producit Bernardi ad jubila fratrem,
Carolus hoc libro jubila liber agit.
Carole, quanta tibi laudum argumenta tuarum!
Res tibi, dum vives plena decoris erit.
Jubila Bernardi splendore voluminis ornas,
Frater honoratur posteriore prior.
Ergo, Bernardo fratrem dat, quisquis Alanum
Producit: Caroli sed labor iste fuit.
Iste liber fuit iste labor, liber iste laboris
Partus, nec vestri parcus honoris erit.
Carole, in Alano vives post fata superstes,
Non poterit calamus, non manus ista mori.
Tempus erit (tacita meditabor cætera mente)
Cum dabitur scriptis gloria summa tuis.
Sed sileo: laudemque grave est audire modestis
Hanc alii spectent: his meruisse sat est.

—

CHRONOGRAPHICA:

1. beato bernarDo, hæC aLanI sCrIpta CaroLI Labore et Dono ConseCrantur (11),

(11) DDCCCCCCLLLIII, 1653.

2. aLano Magno, feLICI CantiCo, honores, CaroLe, Canes (11*).
3. bernarDo, et sCrIptorI gLorIaM (12).

(11*) MCCCCCLLLII, 1652.
(12) MDCLIII.

ALANI DE INSULIS

DOCTORIS CELEBERRIMI, COGNOMENTO UNIVERSALIS,

COMPENDIOSA

IN CANTICA CANTICORUM

AD LAUDEM DEIPARÆ VIRGINIS MARIÆ

ELUCIDATIO.

Qui elucidant me, vitam æternam habebunt. *Eccli.* XXIV

PRÆFATIO AD LECTOREM.

1 Libellum hic habes, lector, mole quidem exiguum, at efficacia provocandi affectus lectorum ad cultum et amorem Deiparæ virginis eximium, ex quo (velut ex ungue leonem) colligere poteris pios animi sensus ipsius auctoris erga eamdem sanctissimam Virginem : simulque ingenii subtilitatem in mysticis sacrarum Scripturarum intellectibus eruendis. Hic ille libellus est, cujus intuitu; doctissimus Hippolytus Maraccius, Lucensis, e congregatione matris Dei (in *Bibliotheca* sua *Mariana*, quam anno 1648 Romæ publicavit typis Francisci Caballi) Alanum nostrum, non sine præclaro elogio, cæteris adcensuit illustrioribus scriptoribus qui de beatissima Deipara virgine quidpiam scripserunt. Hic etiam est, quem Martinus Ant..Delrio societatis Jesu clarissimus scriptor, diu frustra quæsitum, tandem diligentia et 2 beneficio P. Andreæ Schotti, se nactum scribit, in *Isagoge Comment. in Cantic. cantic.* fuerat quidem anno 1540 typis Jacobi Keruer Parisiis impressus, ex *Bibliotheca S. Victoris* ut referunt hi versus frontispicio ascripti :

Hunc tibi nunc primum, lector, depromit Alanum
Victorina suo Bibliotheca sinu.

Sed mox omnia exemplaria ita distracta fuerunt, ut difficillime quispiam vel unicum reperire potuerit.

Nihilominus, exquisita diligentia viri clarissimi Claudii Doresmieulx, Atrebatii, ex his exemplaribus unum adhuc assecutus, illud sedula collatione ad duo antiquissima exemplaria mss. (videlicet S. Martini Tornacensis ord. S. Benedicti, et abbatiæ Villariensis, ordin. Cisterciensis) recognitum, et adnotationibus marginalibus, nec non plurimorum, hinc inde, verborum diversa lectione illustratum, usibus tuis offero. Quod si attentius perlegeris, cætera quoque ejusdem auctoris opera (non sine optato fructu) avidius lustrabis.

Vale.

F. Carolus de Visch,
Prior Dunensis.

ELUCIDATIO IN CANTICA.

3 PROLOGUS AUCTORIS

Cum multi ad ornandum tabernaculum Dei offerant aurum, argentum, lapides pretiosos, byssum, coccum bis tinctum, purpuram, ego aliorum more[1]

VARIÆ LECTIONES.

[1] *Ms. Villariense, pro* more, *habet* peripsema.

pilos caprarum offero (*Exod.* xxxv). Et cum divites de abundantia sua in gazophylacium Domini thesauros mittant, ego cum paupercula muliere duo minuta mitto (*Marc.* xii). Et cum[2] multi Salomonis sapientiam, Tullianam[3] eloquentiam, ad laudem Virginis matris effundunt, quæ est tabernaculum Dei, cœlestis regis palatium, virtutum gazophylacium, qui etiam virtutibus præditi, castitate mundi, charitate accensi, ego pauper scientia, dejectus vita, nullus in gratia, asperitate peccati hispidus, qualemcunque laudem in honorem Virginis propono. Quia ex lapide scintilla excuti, et cum calamo[4] fragili mel solet reperiri; sicut linguæ hominum et angelorum laudem Virginis præconantur; ita ex omni creatura significante, laus ejusdem elicitur et in omni scriptura matris dignitas prædicatur. Unde cum canticum amoris, scilicet epithalamium Salomonis, specialiter et spiritualiter ad Ecclesiam referatur, tamen specialissime et spiritualissime ad gloriosam Virginem reducitur quod divino nutu (prout poterimus) explicabimus. Gloriosa igitur Virgo sponsi optans præsentiam, desiderans gloriosam conceptionem ab angelo nuntiatam, affectans divinam Incarnationem, ait sic:

CAPITULUM PRIMUM.

Osculetur me osculo oris sui.

Hoc est quod alibi dicitur: « Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum (*Luc.* i). » Audierat ergo cœlestem paranymphum ad se missum Gabrielem archangelum, qui speciali et inaudita salutatione honorans Virginem, speciali et spirituali benedictione **4** refertam, ait: « Ave, Maria, gratia plena; Dominus tecum (*ibid.*). » Quæ cum audisset de se Filium Dei nasciturum, non tumida de nuntio, non elata de verbo, non superba de filio, sed in omnibus et per omnia se humilians Deo, non diffidens de oraculo, ait: « Ecce ancilla Domini. »

Quasi dicat, « fiat mihi secundum verbum tuum, » id est ad verbum tuum concipiam Dei Verbum. Et hoc est quod hic dicitur: *Osculetur me osculo oris sui.*

Os Patris dicitur Filius multiplici de causa. Sicut enim[5] aliquis alicui loquitur ore proprio, sic Pater[6] per Filium locutus est mundo. Os est ejusdem naturæ cum reliquo corpore, ita Filius est ejusdem naturæ cum Patre. Et sicut ore propinatur osculum, ita Pater per Filium fideli animæ propinat gratiæ ferculum. Petit ergo Virgo triplex osculum. Unum osculum est Incarnatio. Sicut enim in uno osculo duo labia uniuntur; sic per Incarnationem divina natura humanæ unitur. Aliud osculum est Spiritus sancti[7] quo Patrem osculatur Filius, quo Pater Filium diligit, qui Patrem et Filium unit: qui est amborum amor, nexus et osculum. Tertium osculum, est præsentia doctrinæ Christi, ut os Christus non intelligatur; sed per os Christi doctrina figuretur[8], et per oris osculum doctrinæ præsentia. Petit ergo, ut in se celebretur Incarnatio, et ut Spiritus sanctus superveniat, et virtutis altissimi obumbratio (*ibid.*) et doctrinæ Christi adsit præsentia.

Hæc sunt oscula, quibus Pater osculatur Filium, aut sponsus sponsam, aut Dominus ancillam, matrem filius, nutricem alumnus. Christus autem reddens vice desiderii laudem, respondet ad desiderium Virginis:

Quia meliora sunt ubera tua vino.

Quasi dicat: Tu desideras mea oscula et ego tua ubera, *quia meliora sunt ubera tua vino.* Ad litteram possum hæc referre ad naturalia ubera Virginis de quibus dicitur in Evangelio: « Beatus venter qui te portavit et ubera quæ suxisti (*Luc.* xi). » Quæ delectabiliora, quæ meliora, quam illa ubera quæ propinaverunt lac Christo, non ex libidinis fœditate, sed virginitatis fecunditate? Talia optabat Christus ubera, a tali ubere lac sugere, quod non saperet carnis lubricum, sed virginitatis antidotum.

Hæc ubera dulciora fuerunt Christo omni vino, id est omni delectabili potu. Quia vinum est privilegiatus potus, per ipsum intelligitur delectabile poculum.

Fragrantia unguentis optimis.

Id est, optimorum unguentorum fragrantiæ comparabilia; quia quod faciunt unguenta odore, hoc faciunt ubera virginitatis integritate. Quia, sicut illa sui fragrantia attrahunt; sic et ista[9] redolentia Christum alliciunt. Possunt etiam prædicta mystice intelligi, ut sic de Christo fiat sermo in persona capitis cum dicitur: *Osculetur me osculo oris sui,* consequenter intelligatur loqui in persona corporis, id est populi fidelis. Quia sicut Virgo fuit mater Christi per conceptionem, ita fidelium per doctrinam et exemplarem instructionem. Fuerunt autem in Virgine duo exemplaria bene vivendi, castitas et humilitas, quas nobis in exemplum proposuit. Quibus quasi quibusdam uberibus fidelem populum tanquam mater filium lactavit. Hæc autem fidelibus sunt dulciora vino, id est carnalibus delectationibus; quia humilitatis et castitatis exempla dulcius sapiunt palato mentis, quam aliqua delectabilia palato ventris. Vel sic intelligi potest quod dicitur: *Meliora sunt ubera tua vino.* Ubera conjugum sunt lapsus carnis, concupiscentiæ discursus, quibus propinatur lac infirmitatis, quibus lactantur pueri vel reficiuntur infirmi. Ubera viduarum sunt austeritas continentiæ, refrenatio **5** libidinis expertæ. Hæc

VARIÆ LECTIONES.

[2] *Idem Ms.* pro et cum, *habet* quia cum. [3] *Tullii.* [4] *Idem Ms.* in calamo. [5] *Villar. Ms.* Si enim. [6] Sic Deus Pater. [7] *Idem Ms. pro* Spiritus sancti, *habet* Spiritus sanctus. [8] *Pro* figuretur, *legitur* significetur. [9] *Tornacense exemplar habet*, integritatis redolentia. *Idem habet Villariense.*

ubera non propinant mel [10] dulcedinis, sed vinum austeritatis. Ubera Virginis sunt virginitas mentis, integritas carnis. Hæc propinant vinum [11] æternæ delectationis, et mel jucundæ quietis. Hæc ubera superant omne vinum, id est viduarum et conjugum statum. *Fragrantia unguentis optimis;* quia [12] ineffabilis Virginis humilitas, ejusque defæcata virginitas, aliorum spiritualium donorum comitativa [13] fulgent. Unde et sequitur:

Oleum effusum nomen tuum:

Quia propter privilegiata Spiritus sancti dona, quæ resultant in Virgine gloriosa, nominis ejus fama et gloria per universum orbem est dilatata. Cujus enim nomen præconatur mundus, nisi Virginis hujus? Cujus laus celebratur in ore populi fidelis, nisi Virginis matris? Cujus humilitas nobis proponitur in exemplum, nisi virginis Mariæ? Cujus virginitas nobis datur in speculum, nisi Genitricis incorruptæ? Et eleganter fama et gloria nominis ejus oleo effuso comparatur. Oleum esurientem reficit, ægrotantem sanat, membra defatigata mitigat, odorem parit, flammam nutrit. Sic et in laude Virginis reficimur, exemplo ejus ad virtutum medicamina invitamur, adversitatibus fessi ejus patientia recreamur, vitæ ejus forma illustramur. Nominis fama diffunditur; et non solum oleo, sed et oleo effuso nomen ejus comparatur. Quia, sicut oleum effusum magis redolet, sic quanto magis nomen Virginis dilatatur, tanto magis gloria augetur. Unde sequitur:

Ideo adolescentulæ dilexerunt te:

Quia quanto magis forma ejus declaratur, tanto magis aliæ virgines ad illius imitationem et dilectionem invitantur. Et eleganter respectu Virginis matris aliquæ [14] virgines adolescentulæ dicuntur, quia hæc mater, hæ filiæ; hæc regina, hæ famulæ; hæc matrona, hæ adolescentulæ; hæc magistra, hæ discipulæ.

Trahe me post te.

Hæc sunt verba cœlestis sponsi consortium postulantis, verba matris ad præsentiam filii suspirantis. Quasi diceret: Postulavi tuam præsentiam, potita sum præsentia; postulavi doctrinam tui, sum doctrina consolata, sed ascendisti in cœlum ascensione miraculosa: et ideo dolens de tui absentia, plena mundanæ calamitatis præsentia ad te clamo: *Trahe me post te.* Eleganter autem ait, *trahe.* Non est enim humanæ naturæ ut ex sese ascendat in cœlum, nisi hoc ei divina gratia conferat per miraculum. Et nota quod Virgo gloriosa, sicut desideravit Christi adventum in carnem, ita omnibus votis optavit venire ad ipsum post ascensionem; ut, sicut cum filio fuerat peregrinata in terris, ita cum eodem regnaret in cœlis. Sicut

A enim dolor pertransiit Mariæ animam in passione (*Luc.* II), cum Filius moreretur, ita in ascensione cum a Filio separaretur. Et ideo optans filii præsentiam, ait: *Trahe me post te.* Et bene ait, *post te,* quia post filium ascendit Virgo, et filii subsidio. Et interim antequam trahar, ut trahi merear:

Curremus in odorem unguentorum tuorum.

Id est, ego et adolescentulæ tractæ odore unguentorum tuorum, id est imbutæ fragrantia spiritualium donorum, quibus nos spiritualiter ungis, quæ dicuntur tua, quia a te specialiter data: curremus, non stabimus delectatione in via mundi, sub umbra sæculi, aut phantasia terrestris oblectamenti, sed curremus bene operando, de virtute

B in virtutem ascendendo. Curremus per 6 stadium, ut perveniamus ad bravium (*I Cor.* IX).

Introduxit me in cellaria sua.

Postquam Rex regum et Dominus dominantium introduxit se in cellam virginalis uteri, consequenter post ascensionem introduxit Virginem in cellam paradisi. Eleganter autem nomine cellæ vel cellarii significatur proprietas cœli; quia (ut præmittamus allusionem vocabuli) sicut in cellario reponuntur vina quæ hominem satiant, inebriant, a curis sæcularibus alienant; sic cœlestis beatitudo beatos ita inebriat, quod solitarios [15] reddit et omnino ab amore terrenorum secludit [16]. Unde in Psalmo legitur: « Inebriabuntur ab ubertate do-

C mus tuæ, et torrente voluptatis tuæ potabis eos (*Psal.* XXXV). » Et sicut aliquis existens in cella, ut solitarius eremita, seclusus est a strepitu sæculi, ita aliquis existens in cœlo a tumultu mundi. Vel per cellaria intelligitur repositio thesaurorum sapientiæ et scientiæ Dei. Sicut enim in cellario reponuntur servanda; sic apud gloriosam Virginem (tanquam spirituale cellarium) sunt secreta sapientiæ et scientiæ Dei. Audientes autem adolescentulæ, id est aliæ virgines commendationem Virginis gloriosæ ab uberibus virginis sumptam, congratulantes Virgini dicunt:

Exsultabimus et lætabimur in te; memores uberum tuorum super vinum.

Exsultabimus mentis devotione, *lætabimur* cor-

D porali [17] applausione. *In te,* id est in tui laude et imitatione; *memores uberum tuorum,* id est ad memoriam reducentes ubera tua, humilitatem scilicet et virginitatem, quibus adolescentulas factas ad imitandum; *super vinum,* id est super terrenam delectationem in hoc invitantes [18] justos qui te imitantur et diligunt. Et hoc est quod sequitur:

Recti diligunt te.

Illi recti dicuntur qui directe per viam regiam

VARIÆ LECTIONES.

[10] *Pro* mel, *habetur* lac *in ms. Tor.* [11] *Pro* vinum, *habetur* favum, *in utroque mss.* [12] *In ms. Villar. hic adduntur omnia sequentia;* quia in multis est humilitas ficta, castitas falsa, in quibus unguenta spiritualia, id est Spiritus sancti dona non redolent, ideo additur: *fragrantia unguentis optimis,* quia. [13] *Ms. Vil.* communicantia. [14] *Utraque ms.* aliæ. [15] *Pro* solitarios, *legitur in utroque ms. sobrios.* [16] Seducit. [17] Spirituale *habet ms. Torn.* [18] *Ms. Villar.* Imitantes.

incedunt, non declinantes ad dexteram illecti prosperitate, nec ad sinistram fracti adversitate, qui non incurvantur ad mundana amore terrestrium; sed diriguntur ad cœlestia amore cœlestium; qui non diligunt Deum propter mundum, sed propter ipsum Deum. Vel recti dicuntur qui altero pede non claudicant. Ille altero pede claudicat, qui utramque virginitatem non servat corporis scilicet et mentis. Hic non sequitur Agnum quocunque ierit (*Apoc.* XIV), nec matrem Agni. Illi vero qui utroque pede recti incedunt, vere uberum Virginis memores sunt et eam recte diligunt. Illi etiam specialiter recti sunt, qui duo ubera Virginis diligendo et imitando sugunt, id est humilitatem et virginitatem, et sic eorum uberum specialiter memores sunt. Ita introductus est Christus in cellam materni uteri per conceptionem, sed illa denigrata et obfuscata visa est per concupiscentiam, quantum ad hominum opinionem. Et hoc est quod dicit:

Nigra sum, sed formosa, filiæ Jerusalem, quasi tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis.

Nigra sum, id est gravida, et ita videor virginitate non esse integra, *sed* tamen sum *formosa*, quia virgo mentis et corporis integritate. Unde dirigens sermonem ad reliquas Judææ virgines, ait: *Filiæ Jerusalem*, quasi nigra videor humana opinione; sed tamen formosa sum, id est Virgo rei veritate. Nigra inquam, *sicut tabernacula Cedar*. Per tabernacula Cedar, significatur impetus tribulationum, cui exposita fuit Virgo gloriosa; non tantum in se, sed et in filii angustia. Filii enim tribulationes vocabat suas, et ejusdem adversitates a se non faciebat alienas. Unde ad ipsam dictum est: « Et tuam ipsius animam pertransibit gladius (*Luc.* II). » Eleganter autem per tentoria **7** Cedar tribulationes figurantur. De Cedar enim legitur, quod semper in tabernaculis habitabat; unde et tabernacula ejus variis turbinibus et procellis ventorum et imbrium erant exposita. Unde eleganter per tentoria Cedar Virgo [19] figuratur quæ in se et in filio tribulationibus exposita fuisse legitur. *Sed formosa sicut pelles Salomonis.* Pelles Salomonis erant de coriis mortuorum animalium picturatæ varietate colorum. Eleganter ergo Virgo comparatur pellibus Salomonis propter varietatem virtutis, cujus carne vestitus est verus pacificus, id est Jesus Christus. Et quia Joseph maritus Virginis (*Matth.* I) videns Virginem gravidam obstupuit [20], et quomodo gravidatio illa facta fuerit ignoravit, potest introduci loquens ad sponsum in hunc modum:

Nolite me considerare, quod fusca sim, quia decoloravit me sol.

Nolite considerare quod fusca sim, id est quod fusca propter gravidationem videor; quia non vir,

A sed *sol* justitiæ *decoloravit me*, id est valde coloravit; non colore mali [21], sed colore mentali. Quia ita me gratia Spiritus sancti gravidavit, quod virginitatem non abstulit; vel ita gravidam me fecit quod me decoloravit, id est extra colorum proprietatem [22], scilicet naturam aliarum gravidarum me constituit. Et vere nigra per tribulationes, quia:

Filii matris meæ pugnaverunt contra me; posuerunt me custodem in vineis.

Filii matris meæ, id est Judæi filii Synagogæ, *pugnaverunt contra me* in filio meo quasi contra me alteram, dum filium meum persecuti sunt, usque ad mortem. Et sic *posuerunt me custodem in vineis.*

Vineam meam non custodivi.

B Quia virgo, quæ prius fuit forma Synagogæ ad bene credendum et vivendum, postquam illa incredula facta est; virgo desiit esse ejus custodia, ad gentes transiens, eos exemplo instruens et protectione muniens. Et sic diversarum vinearum, id est Ecclesiarum ex gentibus facta est custodia, relicta propria vinea, id est Synagoga. Quia sciendum est quod quidquid in hoc cantico de beata Maria dicitur, ad corporales vel spirituales ejus actus refertur; unde sequitur:

Indica mihi quem diligit anima mea.

Hoc refertur ad tempus passionis et sunt verba Virginis ad Christum, cum passionis tempore discipuli defecerunt a fide, Virgine a statu fidei non deficiente. Dubitavit illa in quibus tunc per fidem C requiesceret, quos sibi spiritualiter incorporaret. Legitur enim solum latronem tunc manducasse, id est incorporasse [23]. Et ideo introducitur quærens in hunc modum: *Indica mihi quem diligit anima mea;* quia video contribules tuos in te desævientes, video apostolos fugientes, et ideo nescio in quibus per fidem habites. Ideoque indica mihi quem diligit anima mea, id est demonstra mihi in quibus sciam te habitare per fidem. Expressius autem ait, quem diligit anima mea, quam si dixisset te, ut exprimatur amor ineffabilis matris ad filium, quæ illum in passionis articulo non reliquit, cum in apostolis ardor charitatis defecerit [24]. Ipsa enim Christum toto corde dilexit, quæ carnem Christi sic nutrivit et fovit ut ob amorem carnis ejus ab D amore carnis suæ suspensa, necessitatibus nascentis, lactantis, vagientis, crescentis, omnes cordis affectiones effunderet. Tota etiam anima **8** Christum dilexit, quia tantus vigor Spiritus sancti eam adjuvit, ut ad quælibet salubria et sanctissima eam confortando in amorem Christi accenderet. Tota denique et tanta virtute Christum dilexit ut ad titulum suæ laudis sufficiat, quod mentem ejus tanta vis amoris occupaverat, ut fugientibus discipulis oblita sexus fragilis, ipsa cum lacrymis astans cruci

VARIÆ LECTIONES.

[19] *Ms. Villar.* Mater virgo significatur. [20] *Ms. Villariense omittit verbum* obstupuit. [21] *Idem ms. pro* mali, *habet* materiali. [22] Colorem proprietatem. [23] *Ms. Villar.* Spiritualiter incorporasse. [24] *Ibidem*, defecerat.

et condolens morienti, animam suam pro filio suo, et si minime, posuit patiendo, tamen exposuit compatiendo.

Ubi pascas, ubi cubes in meridie.

4 Indica ergo mihi *ubi*, id est in cujus mente te *pascas* per fidem; *ubi cubes*, in cujus animo requiescas per charitatem, qui exterius laboras per passionem. Et hoc *in meridie*, id est in passionis tempore. Eleganter per meridiem tempus passionis designatur, quia (ut juxta Joannem) hora sexta crucifixus est Christus (*Joan.* XIX). Et sicut in meridie solis fervor ascendit, sic tempore passionis Christi fervor tribulationis Christum incendit. Hoc, inquam, peto :

Ne vagari incipiam post greges sodalium tuorum.

Per sodales Christi discipuli figurantur, qui, percusso pastore, tanquam oves gregis vagabantur (*Matth.* XXIV). Tunc cum discipulis Virgo fluctuaret, si in ambiguitate maneret, si fidem omnino defecisse crederet. Ad hoc respondens Christus introducitur in hunc modum .

Si ignoras te, o pulchra [*pulcherrima*] *inter mulieres, egredere et abi post vestigia gregum tuorum.*

Quæ pulchra inter mulieres nisi Virgo mater quæ præ cæteris privilegiata est donis spiritualibus, mater est Dei sacrarium Spiritus sancti, sigillum virginitatis, speculum humilitatis? Ad hanc ergo dicit Christus : *Si ignoras te*, quasi dicat : Quandiu me diligis te cognosces, et in te me requiescere per amorem scies. Si autem te matrem Dei esse ignorares, et me tanquam mater filium non diligeres, a me per ignorantiam et infidelitatem exires et post vestigia gregum abires, id est apostolis infidelibus per ignorantiam et infidelitatem similis fieres. Et quæ modo aliis es forma per fidem apostolos (ratione incredulitatis hædis comparabiles) exemplo infidelitatis deformares. Et hoc est quod ait : *Egredere et abi post vestigia gregum.*

Et pasce hædos tuos juxta tabernacula pastorum.

Dicuntur hædi Ecclesiæ Dei [25], quos regunt ecclesiastici pastores. Apostoli vero, qui in fide defecerant, jam in Ecclesia vel de Ecclesia non erant, sed quasi juxta Ecclesiam per infidelitatem errabant [26]; tamen prædestinati erant. Si, inquam, te ignorares, hæc fierent ; sed non ignoras, imo in te sedeo per fidem, quiesco per charitatem. Et ideo :

Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilavi te, amica mea.

Quis est equitatus Dei, nisi Ecclesia quæ frenum disciplinæ ejus accipit, et jugum portat suavitatis ejus, et quæ Spiritu Dei agnoscitur, et in hoc est ei salus. Unde legitur : Equitatus tuus salus (*Habac.* 3). Et hoc est : *Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilavi te.* Per contrarium, currus Pharaonis dicuntur illi, qui sub spirituali Pharaone, id est sub

A diabolo positi sunt, et quadrigæ ejus, quas ipse agit et ducit ad persequendum populum Dei et ad opprimendum Israel. Qui se convertunt ad fidem fiunt equitatus Dei, curvantes dorsum suum, id est arbitrii libertatem, ut suscipiant super se Christum sessorem, et frena ejus patiantur ut quocunque voluerit flectat eos. Et est sensus : *Amica mea*, id est virgo **9** Maria dilecta mea, sponsa mea, singularis et unica, assimilavi te, id est similem feci equitatui meo, id est Ecclesiæ meæ, quæ prius fuit in curribus Pharaonis, dum subjecta erat spiritualibus nequitiis [27]. Virgo enim Maria similis est Ecclesiæ Dei in pluribus. Sicut enim Ecclesia Dei mater est Christi in membris per gratiam; sic Virgo mater est Christi, capitis per humanam naturam. Et sicut

B Ecclesia est sine macula et ruga, ita et Virgo gloriosa. Et sicut Ecclesia in diversis personis habet universitatem donorum, sic Virgo Maria in se universitatem charismatum. Quia Christus videbatur Virgini protestari, quod nisi cognosceret seipsam, exitura esset in vestigiis gregum, ut pasceret non oves, sed hædos. Quasi erubuerit virgo super austeritatem admonitionis et, purpura verecundiæ in vultu diffusa, speciosas fecerit genas, ait Sponsus :

Pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturis.

Turturum fertur natura hujusmodi esse, ut neque masculus præter feminam ad coitum, neque femella amplius quam unum patiatur marem ; ita ut si accidat altero interempto sive intercepto superesse alterum, pariter cum conjuge, exstinctus sit

C ei concubitus amor. Convenienter ergo similitudo turturis aptatur virgini Mariæ : quod alterius viri quam Christi conjugium nesciat, vel quod continentiæ et pudicitiæ in ea tanquam turturum volitet multitudo. Genæ autem vultus dicuntur ; in quibus honestas et verecundia cognoscitur. Eleganter autem genæ ejus turturibus comparantur; quia in hujusmodi avibus et honestas vultus et simplicitas denotatur. Secundum hanc intelligentiam et cervix Virginis accipitur vel collum cum sequitur :

Collum tuum sicut monilia.

Et nota quod ipsi ornamento, quod cervicibus et collo imponi solet, cervicem ejus comparavit ; quod sic intelligendum est : Per collum , quod inclinare

D solemus in obedientiæ signum significatur obedientia et subjectio quam Christo exhibuit, pro eo quod quasi jugum Christi accepit, et fidei ejus obedientiam præbuit. Ornamentum ergo cervicis, quod est obedientia, Christus est. Ipse enim prior « factus est obediens usque ad mortem (*Philip.* II). » Exornatio ergo et monile cervicis ejus, id est, obedientiæ Virginis, obedientia Christi est. Sed et cervix ejus, id est obedientia similis effecta est obedientiæ Christi , quæ est monile Christi. Magna ergo in hoc laus Mariæ, magna ejus

VARIÆ LECTIONES.

[25] *Ms. Villariense.* Tabernacula pastorum dicuntur Ecclesiæ Dei, quas regunt pastores. [26] *In ms. utroque hic interponuntur sequentia :* et ideo juxta, quia et si ad tempus errabant. [27] *MS. Villar.* vitiis vel nequitiis.

gloria, quod imitatio ejus gloriæ exæquatur obedientiæ Christi quam imitatur illa. Audientes amici sponsi cœlestes paranymphi tantam Virgini a Deo collatam gratiam, volunt et ei sua conferre munera. Unde sequitur vox amicorum :

Murenulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento.

Murenula est piscis in aqua latens valde lubricus et labilis. Per murenulas ergo intelliguntur divinæ sapientiæ, quæ latent in profundo sacræ Scripturæ labiles et lubricæ ; quia de facili a memoria et intellectu labuntur humano. Hæ sunt aureæ propter scientiæ dignitatem vermiculatæ argento, id est distinctæ varietate eloquii juxta eloquentiæ pulchritudinem. Vermiculus solet terram variis sulcis distinguere : ideo auctor vermiculatas posuit pro distinctas. Vel quia vermiculum vocamus quemdam colorem qui rei apponitur ad decorem, ideo per vermiculatas intellexit ornatas. Has murenulas, id est, divinas sententias ediderunt sancti Patres in laudem Virginis et honorem. Ait enim Isaias : « Egredietur virga de radice Jesse et flos de radice ejus ascendet (*Isai.* XXXI). » Jeremias etiam ait : « Novum faciet Dominus super terram ; mulier circumdabit virum (*Jerem.* XXXI). » Et David : « In sole posuit tabernaculum suum (*Psal.* XVIII). » Et in Daniele legitur quod lapis excisus est de monte sine manibus (*Daniel.* II). Et quasi sponsus intrasset in cubiculum sponsæ, loquitur sponsa in hunc modum[18]

10 *Dum esset rex in accubitu suo nardus mea dedit odorem suum.*

Postquam gloriosa Virgo non solum mente, sed etiam ventre concepit, factus est in ea spiritualis Christi recubitus. Ubi enim specialiter [19] cœnavit cum Patre et Spiritu sancto, ubi specialem fecit mansionem, ubi spiritualiter et plene recubuit, nisi in mente Virginis ? In cujus ventre secundum humanam naturam perfecte recubuit. O felix mens in qua cœlestes convivæ, id est tres personæ specialiter et spiritualiter reficiuntur ! Pax ibi primus cibus est. Humilitas simul apponitur cum patientia, mansuetudo quoque et lenitas, et quod summe est, suavitas et puritas cordis. Charitas autem in hujusmodi convivio principalem obtinet locum. Ergo, dum esset rex Christus, videlicet me et alios regens, in accubitu suo, id est in me, in qua erat non solum in mente per gratiam, verum etiam in ventre per humanam naturam, nardus mea dedit odorem suum, id est caro mea fragilis, per nardum arborem humilem significata, adventu Spiritus sancti mundata, fomite peccati exstincto, in ea dedit odorem suum; aliis proposita est in exemplum : ut per carnis mortificationem purgarent propriam carnem. Vel, *dum esset rex in accubitu suo*, id est Dominus Jesus in requiem as-

A sumptus, *nardus mea, dedit odorem suum* [20], id est fama mea, quæ prius erat humilis et dejecta, per totum orbem est diffusa.

Fasciculus myrrhæ, dilectus meus mihi inter ubera mea commorabitur.

Sed antequam assumeretur in cœlum dilectus meus, quem super omnia diligo, fuit mihi tempore passionis *fasciculus myrrhæ*, id est summa et multa amaritudo; quia passioni ejus compassa sum dolore intimo. Eleganter per myrrham doloris amaritudo significatur ; quia myrrha *amaritudo* interpretatur.

Et quia pro nostra redemptione passus *inter ubera mea commorabitur*, id est in intimo mei cordis amore detinebitur. Duo ubera Virginis duo sunt
B brachia charitatis : unum quo dilexit Christum tanquam Deum, aliud, quo dilexit eum tanquam filium ; et his duobus brachiis charitatis amplexatur illum. Eleganter autem duo rivuli charitatis dicuntur ubera ; quia mulieres illis parvulis solent offerre ubera ad lactandum quos diligunt. Et hos duos rivos charitatis proposuit aliis in exemplum et ad alios informandum, tanquam mater ubera ad lactandum. Vel ideo Christus dicitur Virgini matri fasciculus myrrhæ ; quia veniens in carnem exclusit a Virgine omnem concupiscentiæ putredinem, sicut myrrha servat carnem a putredine immunem. Unde ad litteram etiam potest intelligi quod sequitur : *Inter ubera mea commorabitur* ; quia a Virgine natus, a sola Virgine est lactatus ; nec suxit ubera al-
C terius mulieris, nisi Virginis matris. O beata mater, quæ ubere eum lactat, qui omnibus ubera misericordiæ propinat ! O mira res ! filia lactat patrem, creatura creatorem, famula dominantem ! Et quia per ubera intelligitur duplex amor in Virgine, sequitur :

Botrus cypri dilectus meus mihi, in vineis Engaddi.

Botrus vineæ in flore habet fragrantiam ; in fructu vim calefaciendi et fovendi dicitur possidere. Christus ergo gloriose Virginis fuit botrus ; quia et primo Virginem ante ipsius Christi adventum odore suæ famæ respersit, quando per legem et prophetas ei innotuit, et eam incalescere erga fidem sui et
D charitatem fecit, et in carne veniens eam se tanquam spiritali vino refecit. Unde illa tanto fervore charitatis incaluit, quod ad omnem tribulationem et mœrorem et tentationem sustinendam parata fuit. Et ideo eleganter sequitur, *cypri* : cyprus enim *mœror* et *tristitia* interpretatur. **11** Quia Virgo in ipsis tribulationibus et tentationibus [21] agnovit, ita ut de se ipsa dicere possit in his omnibus : Non peccavi labiis meis coram Deo (*Job.* I) ; et intellexit, quomodo quis a Deo eripitur a tentatione, et quomodo vita hominis super terram est

VARIÆ LECTIONES.

[18] *Ms. Villar. addit :* de sponso. [19] *Ms. Villar. pro* specialiter, *habet* spiritualiter, *uti etiam postea,* spiritualem. [20] *Idem exemplar hic addit,* suavissimum. [21] *In utroque ms. interponitur et bene :* semper qualitatem suæ tentationis.

tentatio (*Job.* VII); competenter adjungitur *in vineis* A *Engaddi*. Engaddi interpretatur *oculus tentationis*. Vineæ autem intelliguntur conventus fidelium qui in Engaddi sunt constituti, quia oculo tentationis illuminati, intelligunt suæ tentationis qualitatem, et se a tentatione liberari per Dei miserationem. Christus intelligens Virginem, bona quæ habebat, non sibi sed Christo ascribere, introducitur quasi respondens ad Virginem, et versa vice eam commendans in hunc modum :

Ecce tu pulchra es, amica mea, ecce tu pulchra : oculi tui columbarum.

Hunc Christus titulum laudis extollit et affirmat, quia non tantum, cum proxima est ei corpore, sponsa sit; sed etsi contingat ei absentem esse, etiam sic sponsa sit. Hoc enim indicatur in eo B quod cum dixisset : *Ecce tu pulchra es, amica mea*, addidit post hæc absolute et sine adjectione : *Ecce tu pulchra ; oculi tui columbarum*. Quia autem [22] oculi ejus comparantur oculis columbarum, ob hoc profecto fit, quia Scripturas divinas non jam secundum litteram, sed secundum spiritum intelligat, et aspiciat in eis spiritualia mysteria. Columba enim indicium Spiritus sancti. Spirituali ergo sensu intelligere legem et prophetas, hoc est oculos columbæ habere. Potest adhuc profundiore fortasse sacramento, quod dixit, *ecce tu pulchra es, amica mea*, intelligi de præsenti sæculo dictum; quia sponsa quidem fuit et hic Virgo Maria cum proxima fuit Christo. Quia vero iteravit et dixit : *Ecce tu pulchra*, ad futurum sæ- C culum pertinet, ubi non solum imitatione, sed ipsa sui perfectione formosa est et sponsa. Duo autem oculi columbarum intelliguntur duo intellectus virginei : quorum altero intellexit Christum manens in via, altero nunc intuetur permanens in patria. Uterque autem columbinus, id est simplex; quia ab errore alienus. Audiens Virgo se a Christo commendari, vicem laudis reddit ei, dicens :

Ecce tu pulcher es, dilecte mi, et decorus.

Dilecte mi, quem specialius cæteris diligo, et specialius quam cæteros : *ecce tu pulcher es* secundum humanitatem, *et decorus* secundum Divinitatem. Nec solum tu pulcher es, sed etiam et ego pulchra.

Lectulus noster floridus.

Lectulus Christi dicitur caro quam assumpsit, D propter duos lecti usus; in lecto laborat homo in infirmitate, quiescit in sanitate : similiter Christus in carne humana laboravit in infirmitatibus humanis ante passionem, quievit in eadem carne post resurrectionem. Et eleganter dixit *lectulus noster floridus;* quia caro Christi [23], quæ prius in vita floruit, per mortem effloruit, et per resurrectionem refloruit. Unde in Psalmo : « Et refloruit caro mea » (*Psal.* XXVII).

Tigna domorum nostrarum cedrina, laquearia nostra cypressina.

Domus hæc intelliguntur corpus Christi et corpus Virginis : tigna domorum substantiæ corporum, quæ dicuntur cedrinæ, id est imputribiles : cedrus enim imputribilis est : Sicut enim credimus corpus Christi putredine non esse resolutum; unde legitur : « Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem (*Psal.* XIX) : » ita probabile est a corruptione putredinis alienum esse corpus Mariæ : Unde Aug. in sermone *De Assumptione Virginis :* Non solum carnem quam Christus assumpsit, sed etiam
12 carnem de qua assumpsit credimus esse assumptam in cœlum. Unde in oratione edita legitur : Nec tamen mortis nexibus deprimi potuit, etc. Et nisi resurrexerit, quare de ipsa dicitur : Assumpta est Maria in cœlum? *Laquearia nostra cypressina*. Laquearia quæ adhærent tignis, significant corporum infirmitates, quæ adhæserunt corporibus Christi et Virginis. Quæ eleganter cypressinæ dicuntur; quia cypressus solet adhiberi corporibus quæ comburuntur, et mira ab eis fragrantia redditur. Sic et infirmitates quæ ad mortem pertinent, et in Virgine et in Christo per patientias, quas in infirmitatibus habuerunt, mirabilius redolent. Vel domus intelliguntur ecclesiæ, quæ dicuntur esse domus Christi ratione regiminis, ratione spiritualis inhabitationis; Mariæ vero dicuntur esse ratione informationis, quia eas Virgo informavit exemplo. Tigna sive trabes dicuntur Ecclesiæ doctores; cedrina, propter indeficientem fortitudinem et virtutum fragrantiam. Cedrus enim imputribile lignum est et boni odoris. Unde Apostolus : « Christi bonus odor sumus Deo (*II Cor.* II). » Laquearia quæ adhærent tignis vel trabibus, auditores sunt qui per doctrinam majorum Deo et Ecclesiæ Dei adhærent, et decorem domus Dei complent. Quare et ipsa laquearia cypressina dicuntur, quod lignum est imputribile et boni odoris; quia ipsi auditores verbi Dei et factores efficiuntur et bonæ fragrantiæ. Et quia Virgo lectulum floridum dixerat, quo flore floridus sit, consequenter declarat Christus, dicens :

CAPITULUM II.

Ego flos campi, et lilium convallium.

Campus dicitur humana Christi natura. Sicut enim in campo florum pullulat varietas, sic in humana Christi natura virtutum pluralitas. In ea fuit viola humilitatis, patientiæ rosa, lilium castitatis. Hujus *campi flos* fuit Christus [24], id est decor secundum divinitatem; quia et ex virtute divinitatis habuit in humana natura donorum plenitudinem. Eleganter autem humana Christi natura per campum significatur propter amplitudinem et planitiem; quia

VARIÆ LECTIONES.

[22] *In ms. Villar. pro* quia autem, *habetur* quod autem. [23] *Ms. Villar. hic interponit sequentia :* quia caro Christi quodammodo caro Virginis fuit, quia eam de carne virginali assumpsit. [24] *Ms. Villar. sic :* hujus campi flos, id est decor, fuit Christus

humana Christi natura habuit amplitudinem virtutis, et planitiem veritatis [35]; quia in eo nullus fuit scrupulus erroris. Unde et de eodem dicitur : *Lilium convallium;* quia perfecta humilitas fuit in Maria, et in humana Christi natura. Ideo persona Virginis et natura humana Verbi valles dicuntur propter eminentiam humilitatis; non solum valles, sed convalles ratione similitudinis, quia Virgo specialiter Christo fuit similis. Harum convallium Christus fuit lilium; quia juxta perfectionem humilitatis ejus dedit perfectionem castitatis. Unde et ipsa Virgo eleganter dicitur : *Lilium inter spinas.* Quare sequitur :

Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.

Hæc sunt verba Christi de Virgine. Est ergo sensus : Sicut castissima est inter luxurias [36], sic amica mea, id est Virgo Maria, inter filias. Istas filias, inter quas virgo *sicut lilium inter spinas* consistit animadvertere possumus non Dei, sed diaboli nuncupari, quem per imitationem habent **13** patrem. Sicut autem Christus matrem suam lilio comparavit, ita et ipsa convenienter filium arbori [37] comparat. Unde sequitur :

Sicut malus inter ligna silvarum ; sic dilectus meus inter filios.

Quia omnes hæretici infructuosi sunt [38] *inter ligna silvarum;* ipse vere cum membris suis et fructu Ecclesiæ pascit et odore bonæ famæ delectat. Ligna silvarum porcos [39] priusquam homines pascunt; quia diabolus cum membris suis, scilicet hæreticis, immundas animas per immunda desideria pascit. Hujus mali umbra, est Spiritus sancti protectio. Unde sequitur :

Sub umbra illius quem desideraveram sedi.

Verba sunt beatæ Virginis ; quasi dicat : Ego humiliata ad verba Gabrielis, sedi, id est requievi sub umbra illius, id est sub protectione Filii Dei per obumbrationem Spiritus sancti facta, de qua dicitur : « Spiritus sanctus superveniet in te et virtus Altissimi obumbrabit tibi (*Luc.* I). » Tempore enim Incarnationis, gratia Spiritus sancti fuit tabernaculum vel umbraculum in ea contra concupiscentiæ incentivum. *Sub umbra illius quem desideraveram sedi*, non steti rigida elatione, non ambulans inquieta curiositate, non jacui resoluta voluptate : ideo plena gratia apud Deum per humilitatem, apud angelos per virginitatem, apud homines per fecunditatem. Hæc est illa de qua in parabolis dicitur *Mulier : gratiosa inveniet gloriam* (*Prov.* XI); Gloria autem « patris filius sapiens (*Prov.* XV) : » invenit ergo gloriam Filium videlicet Dei Patris.

Et fructus ejus dulcis gutturi meo.

Fructus hujus ligni sapientia divina est, quæ dulcis esse memoratur, quia omnia quæ desiderantur huic non valent comparari. Cui dulcior fuit sapientia Christi quam gloriosæ Virgini, quæ plenius hausit de fonte sapientiæ Dei, de qua et ipsa sapientia incarnata est ? Quæ specialiter *gustavit et vidit quoniam suavis est Dominus*, hoc est, *lignum quod plantatum est secus decursus aquarum* (*Psal.* I) : hoc est, lignum plantatum in paradiso deliciarum (*Gen.* II). Nec mirum si *fructus ejus dulcis gutturi meo*, quia :

Introduxit me rex in cellam vinariam.

Vetus Testamentum significatur per cellam vinariam. Quia, sicut in cella victualia reponuntur, sic sub figuris Veteris Testamenti latebant secreta cœlestia, quibus spiritualiter saginatur anima. Et recte per cellam vinariam lex Mosaica significatur, propter austeritatem legis et rigorem ; et quia, ut dictum est, spiritualiter legem intelligentes spirituali vino inebriat. In hanc cellam Christus Virginem introduxit, cum ei spiritualiter legis intelligentiam revelavit. Unde et de ipsa legitur : « Maria autem conservabat omnia verba hæc, conferens in corde suo (*Luc.* II). » Quia ea quæ fiebant circa Christum, conferebat his quæ Vetus Testamentum promittebat.

Ordinavit in me charitatem.

In quo fuit charitas ordinata, nisi in virgine Maria ; quæ dilexit Christum ex toto corde, quia sine intellectus errore, ex tota mente, id est memoria sine oblivione, ex tota anima, id est voluntate, sine torpore? Et post Deum se. Et quia Virgo tempore Veteris Testamenti specialiter se voto virginitatis astrinxit, et contra omnes illecebras fortis fuit, invitans alias ad florem virginitatis, ad robur fortitudinis, volens habere sodales in virginitate, in fortitudine comites, ait :

14 *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.*

Habeam in vestris virginitatibus meæ virginitatis solatium, in vestris patientiis meæ fortitudinis exemplum, quia hoc amore langueo. Vel per cellam vinariam intelligitur mentis excessus, qui et extasis dicitur, quo Virgo ad cœlestium contemplationem rapiebatur, quæ et apotheosis, id est deificatio vel theophania divina apparitio nuncupatur, in hanc Virgo ab amore terrenorum suspensa rapiebatur. Quæ contemplatio recte cella vinaria dicitur; quia ex ea spiritualia vina, id est arcana cœlestia propinabantur, quæ ideo animam ebriam faciunt, quæ sobriam reddunt. In hac contemplatione vera charitas ordinatur. Quanto magis enim animus hominis ab amore terrenorum suspenditur, tanto magis charitas recto tramite ad Deum diligendum dirigitur. Amor enim terrenorum quodammodo ordinem impedit et charitatis curriculum. Hæc autem contemplatio eleganter dicitur flos;

VARIÆ LECTIONES.

[35] Puritatis. [36] Luxuriosas. [37] *In ms. Villar. dicitur*, arbori malo. [38] *Pro* inter, *habet* sicut. [39] *Pro* priusquam, *habetur* plusquam in alio, potius quam.

quia, sicut in flore est spes fructus et a flore pervenitur ad fructum, sic per hanc contemplationem ænigmaticam suspiramus ad æternam. Per malum vero quæ robustior est, significatur fortitudo, quæ est in contemplatione, quam nullus terrenorum appetitus, nullus tribulationum impulsus potest infirmare. Virgo ergo in contemplatione confirmata, invitans sodales ad contemplationis fortitudinem, ait: *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo,* id est æternæ vitæ desiderio.

Læva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me.

Quia volo ut dextera ejus, divinitas scilicet ejus amplexetur me, ut divinitatis participem me faciat. Læva Christi humana natura dicitur, dextera, divina. Inflammata ergo amore divinitatis, vult non tantum frui præsentia humanæ naturæ, verum etiam et divinæ, quia divina præfertur humanæ, quia humana natura a Christo est et sub Christo cui nihil debet. Vel per caput potest intelligi naturalis sensus in Virgine, quem informavit Christus in humana natura. Et sic læva Christi fuit sub capite Virginis : quia quodammodo sustentando ejus naturalem sensum, informavit; et quia Virgo a somno contemplationis non est excitata usquedum descendit ad vigilias actionis, usque ad tempus suæ conceptionis et partus. Etiam quia post conceptum obsecuta est Elizabeth parienti, et post partum curam habuit filii sui nutriendi et educandi, eleganter sequitur :

Adjuro vos, filiæ Jerusalem, per capreas cervosque camporum, ne suscitetis, neque evigilare faciatis dilectam donec ipsa velit.

Filiæ Jerusalem dicuntur virgines Judeæ, quæ ad matrimonium aspirabant et conceptionis fecunditate et prolis honore donari volebant, ne maledictioni legali subjacerent, si steriles essent. Et ideo consobrinæ Virginis ad simile Virginem invitabant, ut scilicet nuberet, conciperet, pareret, ne legis maledictionem incurreret. Sed Virgo in contrarium divina dispositione proposuerat, scilicet ut votum virginitatis servaret, nisi Deus aliter ordinaret, et ita a sopore contemplationis ad tumultum actionis non descenderet. Expeditius enim vacant contemplationi virgines quam conjuges : multæ enim sunt sollicitudines temporales, quæ conjugali statui adhærent, ut dicit Apostolus, ut filiorum educatio (*Ephes.* VI). Virgo autem ante concipere noluit vel prole gaudere, quam ab angelo accepit sui conceptus fecunditatem et prolis honorem. Et tunc primo voluit conceptum et partum, cum ait : « Fiat mihi secundum verbum tuum (*Luc.* I). » Filius ergo Dei sic ordinavit, ut nulla admonitione, nullo exemplo aliarum virginum invitaretur ad conceptus vel partus appetitum, antequam ab angelo **15** audiret divinum oraculum. Introducitur ergo Filius Dei

A quasi loquens ad virgines gloriosæ Virginis consobrinas in hunc modum : *Adjuro vos, filiæ Jerusalem,* id est virgines Judææ, hoc circa vos stabilivi, ut nullo vestro exemplo, nulla vestra admonitione, vos quæ in hoc rectam habetis fidem, rectam operationem, possitis a sopore contemplativæ vitæ ad vigilias activæ vitæ excitare Mariam virginem, nisi quando voluerit ex divina inspiratione et concipere et parere. *Per capreas* autem intelligitur fides; quia, sicut capreæ acutum habent visum, sic fides habet primum intuitum intelligendi Deum. Per cervum qui est majus et robustius animal, figuratur perfecta operatio. Vel sic : *Adjuro vos,* inhibeo vos *per capreas cervosque camporum,*, id est si vultis imitari patriarchas et B prophetas, qui hoc prædixerunt et præintellexerunt, *ne suscitetis neque evigilare faciatis dilectam* quoadusque *ipsa velit.* Virgo intelligens hanc Dei ordinationem congaudens dilecto suo, ait :

Vox dilecti mei.

Quasi diceret : Hæc ordinatio facta est a dilecto meo, id est a Dei Filio, ut et me præeligeret et specialiter diligeret, ut conciperem sine concupiscentia, parerem sine pœna. Et hoc est quod sequitur :

Ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles.

Montes patriarchæ, colles prophetæ, in quibus salit Christus ; quia ipsi annuntiaverunt adventum ejus, passionem, descensum ad inferos, resurre- C ctionem, ascensum in cœlum. Omnia hæc quasi quidam saltus fuerunt, qui tamen transiliit omnes. Quia veniens in mundum plus fecit et docuit quam omnes retro patriarchæ et prophetæ. Unde David : « Velociter currit sermo ejus (*Psal.* CXLVII). »

Similis est dilectus meus capreæ, hinnuloque cervorum.

Similis capreæ dicitur secundum divinitatem. Asserunt namque hi quibus peritia medicinæ est, inesse huic animali inter viscera humorem quemdam, qui caliginem depellit oculorum, et obtusiones quoque visus exacuit. Merito ergo capreæ comparatur; quia non solum ipse videt Patrem, sed videri ab his facit quorum visus ipse creavit. *Hinnulo cervorum* comparatur, quia secundum carnem, filius est anti- D quorum patrum, qui cervorum nomine designantur. Et vere similis est hinnulo cervorum, quia ipse assumpsit carnem humanam ; unde sequitur :

En ipse stat post parietem nostrum, aspiciens per fenestras, prospiciens per cancellos.

Paries noster dicitur caro nostra, quæ inter nos et Deum est posita, quæ impedit ne Deum possimus perspicaciter comprehendere ; sed quasi umbraliter [44] et per speculum et in ænigmate (*I Cor.* XIII). Quandiu enim positi sumus in ergastulo carnis, impedit caro nostra ne intuitus nostræ mentis possit dirigi ad comprehendendum solem divinitatis. Juxta hunc parietem stat Filius Dei non in pariete, quia etsi assumpsit car-

VARIÆ LECTIONES.

[44] *Ms. Villar.* umbratiliter.

nis veritatem, non tamen carnis concupiscibilitatem; etsi naturam, non tamen culpam. Unde legitur esse factus non in carnem peccatricem, sed in carnis peccatricis similitudinem (*Rom.* VIII). Unde David de Christo loquens tanquam de ligno, ait: « Et erit tanquam lignum quod plantatum est, » non in decursibus, sed « secus decursus aquarum (*Psal.* I). » Quia, cum per aquas significatur humana natura, non in fluxu humanæ naturæ incarnatus est Christus tanquam ad culpam; sed secundum decursum humanæ naturæ, quia et defectum pœnæ assumpsit et veritatem naturæ, quia habuit saccum et non sacci vitium. Et eleganter dicitur stare non jacere **16** quia nos miseri non juxta parietem stamus, sed in ipso pariete, et ipso obruimur; quia in carne manentes et pœna et culpa obruimur. Christus vero existens in carne, vere in ea stetit, quia nulla illecebrarum carnis eum a rectitudine movit. Ipse autem post passionem respexit per fenestras et cancellos. Fenestræ ampliores sunt, cancelli strictiores. Per fenestras ergo intelligitur manifesta doctrina, quæ minoribus a Christo proposita est. Per cancellos altior et obscurior doctrina, quæ majoribus est oblata. Unde Christus apostolis ait: « Vobis datum est nosse mysteria regni Dei (*Matth.* XIII). » Sic ergo Christus per Incarnationem stetit post parietem nostrum, prospiciens per fenestras et cancellos, id est majora et minora revelans discipulis et maxime gloriosæ Virgini. Consequenter pro genere humano passionem sustinuit; cui passioni maxime compassa Maria Virgo. Consequenter per resurrectionem consolatus est matrem. Unde mater Virgo in hunc modum introducitur loquens de filio:

En dilectus meus loquitur mihi.

Et nota quoniam mater Christi super omnia filium suum diligebat, eum emphatice dilectum suum vocat, dicens: *Dilectus meus loquitur mihi*, post resurrectionem in hunc modum mihi solatium præstans.

Surge, propera, amica mea, columba mea, formosa mea, et veni.

O amica mea per fidem, *columba mea* per simplicitatem, *formosa mea* per virtutum decorem! *surge* a dolore, *et veni* ad me habitura consolationem.

Jam enim hiems transiit, imber abiit et recessit.

Hiems transiit, id est gelicidium infidelium [41] recessit; *imber abiit et recessit*, id est, inundatio tentationis recessit a mentibus apostolorum.

Flores apparuerunt in terra nostra.

Id est caro nostra per resurrectionem et immortalitatem refloruit.

Tempus putationis advenit,

id est amputationis, quia omnis superfluitas infirmitatum a me amputata est, et omnis infidelitas a cordibus apostolorum.

Vox turturis audita est.

Per turturem quæ, ut dictum est, inconsolabiliter dolet amisso pari, figuratur Maria Magdalene, quæ maxime doluit viduata viro spirituali, id est Christo; cujus vox in terra nostra, id est Judææ audita fuit, quando resurrectionem annuntiavit:

Ficus protulit grossos suos, vineæ florentes odorem dederunt.

Synagoga, quæ *ficus* dicitur, apostolos *protulit* per fidem; quia de ea generati, dulcissimus cibus doctrinæ effecti sunt, et suo exemplo aliarum nationum gentes ad florem credulitatis provocant. *Vineæ florentes odorem dederunt*, id est fideles in primitiva Ecclesia post resurrectionem, florentes in virtutibus, dederunt odorem bonæ opinionis. Et ideo:

Surge, amica mea, soror mea, et veni, columba mea in foraminibus petræ, in caverna maceriæ.

O amica mea per fidem, *sponsa mea* per dilectionem Dei, et *columba mea* per dilectionem Christi [42]. Hoc enim genus avium gregatim volare solet, quod significat supernam dilectionem. *Surge* ad gaudia a dolore, **17** *et veni* ad me jam glorificatum. Tu dico gaudens et exsultans *in foraminibus petræ*, id est jam læta de vulneribus Christi, quibus petra Christi [43] perforata est. Quasi diceret: Tu quæ prius dolebas de amaritudine passionis, jam gaudens vides ex ea processisse generis humani redemptionem et meam glorificationem. Unde sequitur, *in caverna maceriæ*, quantum ad lateris perforationem. Caverna enim amplior solet esse foramine, unde per foramina perforationes manuum et pedum Christi figurantur, per cavernam vero ejusdem lateris apertio significatur. Christus autem dicitur petra propter firmitatem; maceria vero, quia ex multis lapidibus, id est fidelibus perficitur quantum ad spirituale corpus, id est Ecclesiam.

Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis.

Ostende mihi faciem tuam; sicut mater desiderabat filium videre, ita filius matrem aspicere, nec solum intueri, sed etiam colloqui. Unde sequitur: *Sonet vox tua in auribus meis.* Et ideo desidero vocem:

Vox enim tua dulcis, et facies tua decora.

Solet humilium et maxime virginum vox esse benigna et dulcis. Cujus vox majorem dulcedinem habet, et quantum ad exteriorem sonum, et quantum ad interiorem intellectum, quam illius quæ fuit inter omnes humillima et specialius sigillo virginitatis signata? Quasi diceret: Audivi tempore meæ passionis vocem tuæ conquestionis, volo audire in resurrectione vocem tuæ congratulationis.

VARIÆ LECTIONES.

[41] Infidelitatis, *legit utrumque ms.* [42] Proximi *habetur in utroque ms. pro* Christi. [43] *Ms. Villar.* Christus.

Nec tantum gaudeo auditu, sed etiam visu, quia et facies tua decora. Credimus sanctam et gloriosam Virginem et exteriori facie fuisse pulchram, sed maxime specie virtutum fuisse decoratam. Et quia multæ hæreses contra Christum et contra ejus matrem emerserunt, quæ per ipsam Virginem interemptæ sunt, additur :

Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas.

Per vulpes, quæ sunt fraudulenta animalia et in speluncis terræ habitantia, intelliguntur hæretici; per vineas, Ecclesiæ intelliguntur. Has itaque vineas hæretici quantumcunque possunt demoliuntur. In hoc enim quod Christo et ejus matri derogant, fidem Ecclesiæ demoliri [44] laborant. Possunt ergo esse verba fidelium ad Christum et ad Virginem : *capite nobis*, id est destruite ad nostram utilitatem, *vulpes*, id est hæreticos, *parvulas*, propter imbecillitatem; quia, licet contra Ecclesiam nitantur, tamen infirmantur. *Quæ demoliuntur vineas*, id est fidei ecclesiasticæ detrahunt :

Nam vinea nostra floruit.

Dum adhuc esset tenera, id est nova Ecclesia et quasi in flore posita, maxime contra eam sævierunt tam persecutione manifesta, quam perversa calliditate [45]. Et notandum est quod sive pluraliter vineæ, sive singulariter dicatur vinea : una est Ecclesia. Et quasi Virgo vocem filii audisset, tanquam loqueretur de ipso ad alios, ait :

Dilectus meus mihi, et ego illi.

Dilectus meus mihi loquitur vocans me ad se : *et illi* sum obediens.

Qui pascitur inter lilia.

Id est qui delectatur in virginitate et humilitate mea. Lilium propter candorem sui significat virginitatem; et quia crescit in vallibus, humilitatem.

18 *Donec aspiret dies.*

Id est donec me in cœlum assumpta, mihi dies æternæ beatitudinis illucescat.

Et inclinentur umbræ.

Id est tam corporis quam animæ infirmitas in me pereat. Et quia Virgo mater nimio desiderio affectabat filii resurrectionem, ait :

Revertere : similis esto, dilecte mi, capreæ hinnuloque cervorum.

O dilecte mi, qui ad nos venisti per carnem, *revertere* per resurrectionem. Et sic similis esto capreæ quantum ad agilitatem et subtilitatem, quam humana natura Christi assumpsit in resurrectione, hinnuloque cervorum quantum ad humanæ naturæ innovationem. Quasi diceret : Depone vetustatem pœnæ, et assume novitatem immortalitatis et gloriæ. Et sic per hoc quod dicitur : *Similis esto hinnulo cervorum*, significatur resurrectio. Unde et Psalmus qui agit de resurrectione, inscribitur pro aurora [46] matutina (*Psal.* XXI).

A *Super montes Bethel.*

Similis, inquam, esto in hoc existens *super montes Bethel*, id est in hoc superans montes alios quod primus resurrexisti et tua auctoritate. Tu enim es « primogenitus ex mortuis primitiæ dormientium (*Coloss.* I), sive resurgentium. Montes sancti dicuntur propter virtutum eminentiam; et Bethel *domus Dei* interpretatur; quia sanctos inhabitat Deus per gratiam (*I Cor.* XV). Unde legitur quod thronus Dei est anima justi. Ideo autem dico revertere, quia affecto reditum tuum per resurrectionem; unde ex nimio affectu te quæsivi :

CAPITULUM III.

In lectulo per noctes quæsivi quem diligit anima mea, quæsivi et non inveni.

B Hoc est manifestum in Maria Magdalene, quæ frequenter, « dum adhuc essent tenebræ, ivit ad sepulcrum (*Joan.* XX), et cum non inveniret corpus Jesu in diversis locis cœpit illum quærere; et ad ultimum invenit, cum Christum apparentem ei hortulanum putavit, dicens : « Si tu sustulisti eum, dicito mihi ubi posuisti eum, et ego eum tollam (*ibid.*). » Et postmodum cognoscens eum esse Christum, ait : « Raboni, » sicut evangelica testatur Historia. A simili posset intelligi de gloriosa Virgine, quod frequenter ad sepulcrum fuerit [47], quod cum magna diligentia eum quæsierit, Christusque ei apparuerit. Sed hoc certum non habemus ex evangelica lectione. Sed quamvis ita non fuerit, C forte potest tamen introduci illa loquens ad exprimendum nimium virgineæ mentis affectum. Lectus autem intelligitur sepulcrum, in quo requievit corpus Dominicum, quod dicitur ratione originis esse Virginis; quia corpus est quod in sepulcro quievit, quod Christus de virginea carne assumpsit. Per noctes igitur, id est per multas tribulationes quas de amarissima dilecti filii passione sustulerat, et potissimum mortis Christi triduo quæsivit per desiderium quem diligebat anima sua, ne scilicet desolatam nimium matrem de sua nece sine penitus Paracleto, id est consolatore desereret. Quasi cum Propheta diceret : « Quæsivi qui simul contristaretur et non fuit, et qui consolaretur et non inveni (*Psal.* LXVIII). » Hic igitur primo in lectulo quæsivit et non invenit. Lectus est in quo D solent fessa diurna fatigatione corpora quiescere : per quem eleganter quies mentis designatur, in qua Deus quærendus est. Sed quia **19** pro istius vitæ statu hujusmodi quies exigua est et angusta, non in lecto, sed in lectulo dilectum quæsivisse perhibetur. Per lectum etiam non absurde domus illa in arce Sion sita, in qua Christus cum discipulis supremam cœnam celebravit, significatur, in quam post ipsius Christi passionem gloriosa Virgo sese recepisse perhibetur, quærens per crebra suspiria et sancta desideria quem diligebat anima sua, ibi-

VARIÆ LECTIONES

[44] *Ms. Villar.* : infirmare. [45] *Ms. Villar.* perversæ doctrinæ calliditate. [46] *Ms. Villar. pro* aurora *habet* cerva. [47] *Ms. Villar. pro* fuerit *habet* ierit.

quæ loca illa venerabatur, venerandoque ore cordis osculabatur, in quibus dilectum filium vel cum discipulis accubuisse, vel in eorumdem pedum lotione prostratum fuisse, aut alicubi resedisse imaginari poterat. Sed quid per hujusmodi pia devotionis obsequia quam dilectum requirebat? Sed minime invenit, quia ex his consolationem non recepit. Ait igitur:

Surgam, et circuibo civitatem per vicos et plateas, quæram quem diligit anima mea.

Nec factum est satis ardenti illi gloriosæ Virginis desiderio ut in lectulo, domo scilicet, illa dilectum quæreret, in qua Filium mansisse et quam sanctis consecrasse mysteriis cognoverat, sed etiam surgens abiit; ut per vicos et plateas civitatis quæreret, dum etiam loca sancta in quibus passus fuerat devota veneratione percurrebat. Aiunt enim ipsam Virginem gloriosam post Filii passionem sedula devotione loca passionis suæ perlustrasse; ut, donec assumeretur ad requiem, in his qualemcunque reciperet consolationem. Sed quia perfecte illa eam non potuerunt consolari, idcirco recte subjungit:

Quæsivi illum, et non inveni.

Est enim pie præsupponendum, quod quemadmodum Virgo gloriosa etiam ante Christi conceptionem crebra angelorum visitatione fruebatur; ita sibi fuisse concessum post Christi passionem, per quos utique consolaretur, de quibus dixisse videtur:

Invenerunt me vigiles, qui custodiunt civitatem.

Per vigiles custodientes civitatem eleganter significantur angeli sancti, qui Ecclesiam et fideles quosque custodiunt.

Vigilant siquidem et solliciti sunt circa electos; ut retrahant eos a malo, et ad bonum excitent, ac unumquemque de salute propria sollicitum reddant. Sicut ait Apostolus: « Administratorii sunt spiritus in ministerium missi, propter eos qui hæreditatem capiunt salutis (*Hebr.* I). » Et quasi venerint illi ad Virginem consolandam, quæ pro dilecti Filii absentia tristi premebatur dolore et angustia, in quo statu ab eis est inventa. Sed non de aliis sermonem recepit, non aliam quam de præsentia Filii voluit consolationem, ad eos ita inquiens:

Num quem diligit anima mea, vidistis?

Quasi diceret: Non vos quæro, sed Filium; non creaturas, sed Creatorem; non angelos, sed angelorum Dominum. Num eum vidistis? procul dubio sciebat, quod sancti angeli beata Dei visione fruantur, et per amorem ipsius et desideria non ignorent. Unde indebitum arbitrabatur, ut ipsi Deum videant, et se visionis illius, quem tam magnopere desiderat, expertem relinquant.

Paululum cum pertransissem eos, inveni quem diligit anima mea.

Non enim statim post ascensionem Christi, as- A sumpta est gloriosa Virgo; sed paululum, quantum ad brevitatem præsentis vitæ, dimissa est in terris; ubi nihilominus desideriorum gressus non in angelica figere voluit visione semper ad eum tendens, in quo solo ejus poterat animus requiescere. Unde factum est ut tandem voti compos fieret: et ad optatam dilecti visionem assumeretur. Et hoc est quod dicitur: *Paululum cum pertransissem eos, inveni quem diligit anima mea*, inde congrue sequitur:

20 *Tenui illum, nec dimittam, donec introducam eum in domum matris meæ, et in cubiculum genitricis meæ.*

Tenui eum per præsentiam, *nec dimittam* eum, quin cum eo præsentialiter habitem; *donec introducam*, B id est introductum videam illum *in domum matris meæ*, id est in empireum cœlum, ubi habitat Ecclesia triumphans, quæ est mater Ecclesiæ militantis. Unde quasi exponendo additur; *et in cubiculum genitricis meæ*, id est empireum cœlum. Et dicitur cubiculum Ecclesiæ triumphantis, quia ibi est requies nostræ mentis [48]. Vel per matrem et genitricem intelligitur Ecclesia de gentibus et Judæis de qua descendit Virgo origine carnis. Hujus autem jam domus erat empireum cœlum per spem, in futuro per speciem. Itaque Christus resurrexit, et post resurrectionem in cœlum ascendit. Sed si Mater Virgo resurrexerit et in carne in cœlum ascenderit, vel quando resurrexerit vel ascenderit, C incertum est. Ideo monet Christus filias Jerusalem, id est Ecclesias, quod de resurrectione gloriosæ Virginis nunquam definiant, vel de ejusdem resurrectionis tempore, quod a patriarchis, prophetis et apostolis distinctum [49] non est. Et hoc est quod sequitur.

Adjuro vos, filiæ Jerusalem, per capreas cervosque camporum, ne suscitetis neque evigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit.

O filiæ Jerusalem, id est Ecclesiæ, *adjuro vos per capreas cervosque camporum*, id est in hoc imitantes antiquos modernosque doctores, *ne suscitetis neque evigilare faciatis dilectam* meam, id est non firmiter asseratis tanquam ex auctoritatibus certum Virginem a mortis somno suscitatam vel excitatam; *donec* D *ipsa velit*. Quasi dicat: Hoc reservatum est voluntati Virginis, quæ divinæ voluntati est consona, ut sciri velit se esse suscitatam. Unde quando velit hoc revelari vel non revelari, in hujus assumptione ex persona supernorum civium admirans Spiritus sanctus, ait:

Quæ est ista quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, et thuris, et universi pulveris pigmentarii?

Bene quasi virgula fumi, quia gracilis et delicata, quia divinis extenuata disciplinis, et concremata intus in holocaustum incendio pii amoris et desiderio charitatis. *Ut virgula*, inquit, *fumi ex aroma-*

VARIÆ LECTIONES.

[48] *Ms. Villar. legit*, matris. [49] *Ms. habet*, diffinitum.

A *tibus;* nimirum quia multis erat repleta virtutum odoribus; manans ex ea fragrabat suavissimus odor etiam spiritibus angelicis. Ascendebat autem de deserto præsentis sæculi virga de radice Jesse olim exorta. Sed morabantur electorum animæ præ gaudio quænam esset quæ etiam meritorum virtutibus, angelorum vinceret dignitatem. Sicut superni cives admirantur Virginem assumptam in cœlis; ita fideles in Ecclesia Dei eam collaudant in terris, dicentes :

En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel.

Salomon *pacificus* interpretatur, et ideo significat Christum qui est verus pacificus, qui reformavit pacem inter gentilem et judæum, inter hominem et Deum, inter hominem et angelum. Cujus
B lectulus est Virgo gloriosa, quia in ea recubuit Christus humanitate assumpta. Hunc lectulum ambierunt sexaginta fortes. Per hos fortes intelligitur bonorum operum universalitas [50], quæ sunt fortia contra dæmones vel vitia. In sexagenario quippe numero senarius et denarius **21** continentur. Sexies enim decem vel decies sex sunt sexaginta. Per senarium opera misericordiæ, quæ in Evangelio leguntur, intelliguntur. Per denarium vero, decem præcepta legis significantur. Et ideo per sexaginta [51] perfectissima opera exprimuntur; quæ undique lectulum Salomonis, id est beatam Virginem munierunt sui exercitatione et intentione.
C Quæ per fortes et electos ex fortissimis Israel figurantur; quia semper virgo Maria meliora et fortiora opera habuit, quæ ad sui custodiam deputavit. Tenere autem gladios dicuntur propter defensionem et munitionem quibus Virginem defendunt et muniunt. Propterea dicitur :

Omnes tenentes gladios et ad bella doctissimi, uniuscujusque ensis super femur suum propter timores nocturnos.

Uniuscujusque ensis super femur suum, id est super carnalia opera vel contra delectationes erat uniuscujusque boni operis defensio; quia ipsa Virgo ita bonis operibus et cogitationibus cor firmaverat, quod fluxum carnalis voluptatis, quæ per femur intelligitur, omnino exstinguebat. *Propter timores*
D *nocturnos,* id est ad depellendas tentationes, quæ debent timeri, et in nocte præsentis vitæ solent fieri. Et post [52] lectulum Salomonis, qui sic munitus erat :

Ferculum fecit sibi rex Salomon de lignis Libani.

Ad litteram ferculum dicitur sedes a sedendo, quia fert sedentem. Unde et thronus judicis potest dici ferculum. Per hoc *ferculum* quod *fecit sibi Salomon,* figuratur humana natura veri Salomonis, id est veri pacifici Christi, scilicet. Hanc fabricatus est Christus in utero virginali carnem sumendo de Virgine, et effigiendo in corpus humanum animamque creatam infundendo corpori. Hanc humanam naturam fecit *de lignis Libani,* id est de purissimis substantiis anima videlicet et corpore. Anima enim Christi immunis fuit ab omni peccato, ejusque caro. Libanus mons est Phœnicis, cujus arbores et proceritate, et durabilitate, et pulchritudine præeminent. Unde per ligna Libani intelliguntur partes humanæ naturæ Christi; quia [53] de excellentiori genere [54] sumptæ sunt, et munditia pulchræ et durabilitate perpetuæ. Hæc humana Christi natura eleganter dicitur ferculum; quia, ea mediante, Filius Dei delatus est in mundum, et in ea tanquam in throno suo residens [55] judicabit mundum. Et hujus ferculi

Columnas ejus fecit argenteas, reclinatorium aureum, ascensum purpureum.

Columnæ istæ dona Spiritus sancti significant, quibus quasi quibusdam columnis innixa est anima Christi. De his columnis legitur in libro Sapientiæ in hunc modum : « Sapientia ædificavit sibi domum, et excidit in ea columnas septem (*Prov.* IX). » Quæ columnæ fuerunt argenteæ, id est prædicatione et operatione Dei splendidæ. Et *reclinatorium fecit aureum,* id est animam in qua recubuit, plenam gratiarum et omni sapientia præditam. *Ascensum purpureum*, id est passionem quam ascendendo in cruce sustinuit, et cujus merito in cœlum ascenditur, quæ per ascensum significatur. Quæ dicitur purpurea; quia caro Christi per eam fuit purpurata [56], purpura enim sanguinis colorem repræsentat. Omnia ista

22 *Media charitate constravit propter filias Jerusalem.*

Id est, constituit charitate in medio posita; quia charitas est quasi mediatrix et forma aliarum virtutum. Ipsa enim quasi in medio virtutum posita, cæteras illuminat et informat et ad omnes æqualiter se habet. Et hoc *propter filias Jerusalem.* Jerusalem enim dicitur mens animæ Christi; Jerusalem enim *visio pacis* interpretatur, unde mens illa visio pacis eleganter dicitur, quia, « pacem quæ exsuperat omnem sensum (*Philipp.* IV) » experiebatur. Hujus Jerusalem virtutes filiæ sunt, quia a mente procedunt. Est ergo sensus : Charitas in medio posita est ad illuminandum et informandum circumstantes animæ virtutes, quæ procedunt ex mente. Nec solum ferculum dicitur humana Christi natura, verum etiam diadema; quia in humana natura habito in morte triumpho, meruit Christus coronari et ad dexteram Dei Patris sedere [57]. Est ergo quasi vox virginis adolescentulis dicens :

Egredimini, filiæ Sion, et videte regem Salomonem

VARIÆ LECTIONES.

[50] Universitas, *sic habetur in utroque ms.* [51] *Ms. Villar. habet*, sexagesimum numerum. [52] *Ms. Villar.* Præfer. [53] *Ms. Villar.* quæ. [54] *Ms. interponit*, humanæ naturæ. [55] *Ms. Villar. pro* residens *habet* apparens. [56] *ms. Villar. addit.* purpurata sanguine. [57] *ms. Villar. hic interponit sequentia :* In hac coronatione duo sunt dempta, et infirmitas mentis, et animæ pœna.

in diademate, quo coronavit eum mater sua, in die desponsationis illius, et in die lætitiæ cordis ejus.

O filiæ Sion, quæ Deum speculari vultis (Sion enim *speculatio* interpretatur), *egredimini* a carnali sensu ad spiritualem : *et videte regem Salomonem*, id est intelligite verum pacificum Christum, *in diademate*, id est in humana natura, qua *coronavit eum mater sua* Virgo Maria. Coronavit, inquam, quia non reddidit eum deturpatum macula originalis culpæ, sicut matres filios suos.

Sed potius coronavit, id est sine virili semine gloriose concepit, et nobili carne indutum peperit. Videte eum, dico, *in die desponsationis illius*, id est in clara consideratione incarnationis ejus, quando desponsavit Virginem non solum per unionem spirituum, verum etiam et naturarum [58]. Et ideo hic incarnatio dicitur desponsatio, quia fuit quasi quoddam conjugium et inenarrabile gaudium. Unde sequitur : *Et in die lætitiæ cordis ejus*, quia hæc incarnatio fuit summa cordis Virginis exsultatio.

CAPITULUM IV.

Quam pulchra es amica mea, quam pulchra es [et decora]!

Ad vocem sponsæ laudantis respondet sponsus, laudans et dicens : *Quam pulchra es, amica mea*, exterius per exercitium actionis ; *quam pulchra es et decora*, interius per subtilitatem contemplationis. Et hoc est, quod repetitione pulchritudinem ejus commendat :

Oculi tui columbarum absque eo quod intrinsecus latet.

Oculos columbarum habet Virgo Maria ; quia spe cœlestium sublimata nec terrenum vel caducum concupiscit. Similiter omnia videt, nullus aliquid rapit [59], quæ cum sit pulchra exterius per simplicitatem et munditiam operis, interius tamen ubi nemo videt, nisi solus Deus (quia homo videt in facie, Deus autem in corde [*I Reg.* XVI]), ibi multo pulchrior est. Et hoc est quod ait : *Absque eo quod intrinsecus latet;* latet quidem hominibus, Deo autem patet. Unde est illud : « Quod oculus non vidit, nec auris audivit, etc. (*I Cor.* II). » Adhuc prosequitur Christus laudem Virginis gloriosæ in hunc modum :

23 *Capilli tui sicut grex caprarum, quæ ascenderunt de monte Galaad* [*apparuerunt de Galaad*].

Capilli subtiles sunt, et eminentes, et caput ornantes. Hæc sunt cogitationes Virginis subtiles per contemplationem, eminentes per divinum amorem, exornantes caput, id est mentem, a mente habentes originem, sicut capilli a capite. Caput autem eleganter significat mentem, quia sicut caput præeminet et præest omnibus membris, sic mens præest cogitationibus universis. Est ergo sensus : *Capilli tui*, id est cogitationes tuæ, *sicut grex*

A *caprarum, quæ ascenderunt de monte Galaad.* Idem comparabiles sunt motibus contemplationum ; quia ad contemplationes tales cogitationes pertinent. Eleganter autem modi contemplandi per capreas significantur. Sicut enim capreæ, quæ in montibus pascuntur subtiliter intuentur; ita tales motus in cœlestibus delectantur et cœlestia speculantur. Nec vacat a ratione quod sequitur : *Quæ ascenderunt de monte Galaad.* Non enim descendunt ad inferiora, sed ascendunt ad superiora, et hoc de multiplicis testimonii altitudine auctoritatis sacræ Scripturæ. Galaad enim interpretatur *acervus testimonii.* Multæ enim auctoritates talibus contemplationum motibus [60] attestantur.

B *Dentes tui sicut greges tonsarum, quæ ascenderunt de lavacro.*

Per dentes significantur exercitia, quæ Virgo habuit in sacra Scriptura Per quæ ipsa sacra Scriptura quodammodo atteritur, et ita comestibilis, id est intelligibilis redditur, et sic in stomachum mentis trajicitur. Hi *dentes* sunt *sicut greges tonsarum.* Per tonsas intelliguntur intellectus sacræ Scripturæ, a carnali intellectu alieni. Quia, sicut oves tonsæ superfluitatem velleris deponunt, ita spirituales intellectus carnalis intelligentiæ superfluitatem exuunt. Et sic dentes, comparabiles sunt gregibus tonsarum, quia exercitia in sacra Scriptura ad illos intellectus pertinent, qui simplices sunt non perversi et superfluitate carnalis intelligentiæ exuti.
C Competenter autem additur : *quæ ascenderunt de lavacro.* Per lavacrum intelligitur mentis purgatio ab amore et cogitatione terrenorum, a qua procedunt mundæ et mere spirituales Scripturarum intelligentiæ. Vel per lavacrum baptismus intelligitur, in quo baptizatis vis spiritualia intelligendi confertur.

Omnes gemellis fetibus, et sterilis non est inter eas :

Quia a talibus intellectibus procedunt duo modi intelligendi, qui sunt quasi duo fetus spiritualis intelligentiæ, allegoricus scilicet et moralis. *Et sterilis non est inter eas;* quia nullus talis intellectus est infructuosus.

Sicut vitta coccinea labia tua.

D Per labia, quæ sunt instrumenta loquendi, significatur exterior Virginis locutio vel admonitio, quæ erat veluti *vitta coccinea;* quia sicut vitta coccinea exterius repræsentat rubeum colorem et crines circumligat, sic verba Virginis ad memoriam reducebant passionem Christi et prædicabant, ut auditores disciplina timoris Domini cogitationes astringerent et coercerent. Unde sequitur

Eloquium tuum dulce :

Quia quantum Deus homines dilexerit etiam verbis ostendebat, et quæ cœlestia præmia Deus suis promittebat.

VARIÆ LECTIONES.

[58] *Ms. Villar.* naturalium. [59] *Ms. trumuque :* Simpliciter omnia videt, nullius aliquid rapit. [60] *Ms. Villar. pro* contemplationum motibus, *habet* talibus intellectibus.

24 *Sicut fragmen mali punici, ita genæ tuæ.*

Malum punicum rubicundum habet corticem intus et multitudine granorum plenum est: et bene malum granatum vocatur et punicum dicitur. Per genas, quæ magis quam cætera membra apparent, significatur repræsentatio Dominicæ passionis, quam gerebat in corpore carnis mortificatione. Unde et malo punico comparatur. In mortificatione ergo carnis quasi rubor exterius apparet, quantum ad memoriam passionis. Cum vero quanta utilitas nostræ redemptionis inde provenit, et quomodo per passionem Christi homo non solum a peccatis justificari[61], sed etiam quod divinum consortium meruit, advertebat; quasi candidum erat quod intrinsecus latebat, et hoc est quod sequitur:

Absque eo quod intrinsecus latet.

Quia multa spiritualia in Virgine fuerunt, quæ hominibus latebant, Deo autem patebant. Sequitur:

Sicut turris David collum tuum, quæ ædificatur cum propugnaculis.

Per collum quod solemus humiliare cum aliquid a nobis fertur, quo etiam mediante caput membris unitur, Virginis humilitas designatur, quæ in alios exemplo transmutatur[62]; quia specialiter Christo uniebatur. Hæc erat *sicut turris David*, id est sicut humilitas Christi per David significatur[63]; humilitas enim quam Christus gessit in carne fuit firmitas, et munimentum, et refugium aliorum. *Quæ* ædificata fuit *cum propugnaculis*. Propugnacula hujus turris sunt obedientia, patientia, abstinentia, quæ ipsam humilitatem muniunt[64].

Mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.

Innumera defensionis præsidia, quibus Virginis vallatur humilitas et defenditur, hoc est *omnis armatura fortium*, id est patientium, qui fortes sunt contra insultus tribulationum.

Duo ubera tua, sicut duo hinnuli capreæ gemelli, qui pascuntur in liliis, donec aspiret dies et inclinentur umbræ.

Ut dictum est superius, *duo ubera* Mariæ virginis intelliguntur duo rivuli charitatis quibus dilexit Christum[65]: unus quo dilexit eum tanquam Deum, alius quo dilexit eum tanquam hominem. Qui dicuntur *hinnuli capreæ*, id est fetus Christi per capream significati, qui et in Christo defixi fuerunt, et a Christo processerunt. Christus autem per capream intelligitur propter velocitatem ascensionis et transcursum vitæ mortalis, quam veloci cursu superavit. Isti autem *gemelli* dicuntur; quia simul isti duo motus ab uno fonte charitatis oriuntur. *Qui pascuntur in liliis*, id est informantur castitate mentis et corporis. *Donec aspiret dies*, id est veniat vel oriatur Christus, qui est verus dies et Sol justitiæ, *et inclinentur umbræ*, id est transeant mœroris nubila[66]. Nec ponitur hic exclusive hoc adverbium *donec*, ut intelligantur isti motus charitatis duraturi in Virgine usque in diem judicii et non ultra, sed potius inclusive ponitur, ut sit sensus: *donec aspiret dies*, etc. Id est semper, juxta illud: « Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum (*Psal.* CIX). » Et quia talis et tanta est virgo Maria dicit Christus:

25 *Vadam ad montem myrrhæ et ad collem thuris.*

Vadam per carnis assumptionem et internam aspirationem *ad montem myrrhæ et ad collem thuris*, id est ad gloriosam Virginem, quæ est mons propter virtutum celsitudinem, et myrrhæ propter carnis mortificationem. Quæ etiam comparatur colli thuris, quia suavem Deo orationum odorem offerebat; et se ipsam per sanctarum meditationum studia gratum Deo sacrificium præstabat. Et quasi Christus ad Virginem veniens loqueretur, sequitur:

Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te.

Tota pulchra es, id est in corpore et in anima, *amica mea* per gratiam et per opera; *et macula non est in te* venialis et[67] criminalis. Quia nullum credimus in Virgine ante et post conceptum fuisse peccatum. Et quia *tota pulchra es et macula non est in te*, ideo jam digna regiis amplexibus.

Veni de Libano, sponsa mea, veni de Libano, veni.

Veni de Libano, sponsa mea, veni de Libano, id est de candidatione et dealbatione virtutum. Et nota quod Christus vocat eam ter, ad significandum quod per fidem, spem et charitatem vocavit Deus Virginem, et vocat eam in fide Trinitatis. Et mecum gaudentem[68] in patria, multi in Ecclesia constituti beatitudine te coronabunt et laudabunt, de quorum gratia et gloria mirabili sequitur:

Coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir et Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum.

Amana mons est Ciliciæ, qui et Taurus dicitur, et interpretatur *Deus vigiliarum*. Deus autem vigiliarum diabolum exprimit, qui « circuit quærens quem devoret (*I Petr.* V). » Sanir et Hermon montes sunt Judææ, in quibus leones et pardi feruntur habitare. Sanir *nocturna avis* interpretatur. Per Sanir nocturnæ insidiæ dæmonum notantur.[69] Per hos autem montes, sæculi potentes reges scilicet et principes intelliguntur; quia veluti monte, superbia extolluntur. Et malignis spiritibus quasi leonibus et pardis in se cubilia præbent. Maligni enim spiritus leones dicuntur per superbiam, pardi per ferocitatem, vel etiam propter mille artes nocendi; quia pardus varium animal est. De his ergo

VARIÆ LECTIONES.

[61] *Ms. Villar.* justificatur. [62] *Ms. eodem*, transmittitur. [63] Figurata. [64] *Ibidem*, quæ per ipsam humilitatem muniuntur. [65] *Ms. addit* et quasi rivuli respectu charitatis Christi. [66] *Ms. addit* vel umbræ hujus sæculi. [67] *Ms.* vel. [68] *Ms. Villar*: secum gaudentem. [69] *Idem ms. hic inserit*: Hermon, *anathematizatio* interpretatur.

montibus coronatur Virgo gloriosa: quando principes sæculi convertuntur ad fidem, et recipiuntur in æternam beatitudinem, et cedunt in Virginis societatem et laudem. De vertice horum montium coronatur, quando principibus subjectis catholicæ fidei, illa ab his honoratur et glorificatur in Christo. Et quia prædictis insignita est donis subjungitur:

Vulnerasti cor meum, soror mea sponsa.

More amantium loquitur, *soror mea* per gratiam, *sponsa* per dilectionem.

Vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum.

Repetitio, confirmatio est. *In uno oculorum tuorum,* quasi dicat: Cum tota sis pulchra, o Virgo, et cum te ob multa diligam; præcipue **26** tamen nitor et puritas contemplativæ vitæ, quæ in te est, me delectat. Per duos oculos virginis Mariæ significantur duæ vitæ; contemplativa et activa. Illa felicior, ista fecundior; illa expeditior, ista implicita; illa simplex, ista multiplex; illa una, ista multimoda. Hoc confirmans [70] Christus in Evangelio, ait: « Martha, Martha, sollicita es, et turbaris erga plurima; porro unum est necessarium. Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea (*Luc.* x). »

Et in uno crine colli tui.

Ut supradictum est, per collum intelligitur humilitas vel obedientia, per crinem cogitatio. Ad significandum ergo quod cogitationes, quæ ex humilitate procedunt ad obediendum, Deo placent. Nec mirum si vulnerasti, quia:

Quam pulchræ sunt mammæ tuæ, soror mea sponsa!

Mammas ad fecunditatis benedictionem, ubera vero ad virginitatis gloriam respicere opinantur. In matribus enim mammæ, in virginibus ubera appellantur. Mammæ ergo in Virgine notant fecunditatem; ubera utriusque virginitatis, corporis scilicet et mentis, felicitatem; unde dicitur:

Pulchriora sunt ubera tua vino,

Id est omni carnali voluptate.

Et odor unguentorum tuorum super omnia aromata.

Id est bona fama virtutum, super omnem inanem gloriam.

Favus distillans labia tua, sponsa [71].

Quia in ore, et in corde, et in carne habuit Christum in humanitate latentem: in ore, quia nil aliud prædicavit; in corde, quia nil aliud dilexit; in carne, quia nil aliud concepit.

Mel et lac sub lingua tua.

Adhuc loquitur Christus ad Virginem. Mel et lac Deus et homo. Mel divinitas, lac humanitas. Mel A de rore cœli venit, quia divina natura super omnia est; lac deorsum exprimitur, quia natura humana deorsum assumpta est.

Quid est *mel et lac sub lingua tua?* Hoc est Verbum Patris et homo [72] sub carne tua. Sub lingua, quia verbum sub lingua et non super linguam absconditum est; ideo lac non caro sub lingua tua, et tamen caro de carne; quia de carne patria [73] caro secunda; de carne veteri, caro nova; de carne purganda, hostia caro. Ideo *mel et lac sub lingua tua;* quia in carne tua Deus et homo, et sub carne tua Deus et homo.

Et odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris.

Id est, opinio spiritualium bonorum quibus ve-
B stiris et ornaris ut corpus vestimentis, est ita suavis et delectabilis *sicut odor thuris* corpori.

Hortus conclusus, soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus.

Hortus deliciarum in quo non rosæ patientiæ, nec lilia virginitatis desunt, in quo rosa Dominici corporis et sanguinis, in quo lilium castitatis. *Conclusus;* quia utrobique clausus studio bonæ intentionis et consideratione rationis. *Hortus conclusus* est *soror mea sponsa;* quia valle charitatis signatus, ne irrumpere possit malignus. *Conclusus,* quia angelorum custodia circumseptus. *Soror mea* per dilectionem, *sponsa* per naturarum unionem. *Hortus conclusus,* hic ideo **27** repetitur, ut perfectio
C Virginis in actione et contemplatione notetur. Vel in duplici virginitatis specie, convenit horto, ut sit æqualis septus, satus, distinctus, rectus [74] et uber. Æqualis, ut rigetur; septus, ut servetur; satus, ut fructificet; distinctus, ut delectet; rectus, ut capiat aerem; uber, ut præbeat copiam. Et tu, Virgo Dei genitrix, fuisti uber copia plenitudinis [75], fons in quo ineffabilis misericordiæ fluentum, in quo gratiarum omnium irriguum. *Fons* qui in sinu suæ pietatis recipit lacrymarum nostrarum profluvium. *Signatus* fidei sigillo, evangelicæ veritatis signaculo, et virginitatis pessulo; ita ut nec hæretici vel dæmones in te fidem vel Evangelii veritatem possint infirmare.

Emissiones tuæ paradisus malorum punicorum cum
D *pomorum fructibus.*

Emissiones tuæ, id est operationes a te procedentes sunt *paradisus,* id est delectabiles; quia in mentibus fidelium delicias pariunt. *Paradisus* enim Græce, Hebraice dicitur *eden,* quod Latine interpretatur *hortus deliciarum.* Et non solum paradisus, sed et *malorum punicorum.* Malum punicum exterius rubeum est, in uno cortice multitudinem habet granorum; ita in Virgine multitudo bonarum ope-

VARIÆ LECTIONES.

[70] *Ms. Villar.*: insinuans. [71] *Idem ms. hic immediate subjungit:* Favus est mel in cera; per favum ergo figuratur divinitas latens in humana natura. Labia ergo Virginis fuerunt favus distillans, quia in ore, etc. [72] *Ms.* Deus et homo. [73] *Pro* patria *habetur* pura. [74] *Ms.* retectus. [75] *Hic desiderantur sequentia:* hortus æqualis affectu misericordiæ, septus cœlesti cogitatione, satus exercitio bonorum operum distinctus varietate virtutum, refectus confessione divinæ laudis.

rationum, intra fidem Dominicæ passionis tenetur inclusa. *Cum pomorum fructibus.* Per fructus vero pomorum, honestæ et pudicæ Virginis locutiones significantur, ex quibus in mentes fidelium fructus informationis processit. Unde sequitur :

Cypri cum nardo, nardus et crocus, fistula et cinnamomum, cum universis lignis Libani, myrrha et aloe, cum omnibus primis unguentis.

Id est, diversæ virtutum species in te fragrant, quas istæ species aromaticæ significant. Cyprus arbor est aromatica, semen simile habens coriandro, sicut de manna dicitur; et significat vitam cœlestem, id est virginitatem. *Nardus* vero unguentum est pretiosum ; et significat veram charitatem, quæ cæteris virtutibus præeminet. *Crocus* aurei coloris est, et significat divinam sapientiam. *Fistula* arbuscula brevis, quæ cassia dicitur, et significat humilitatem et patientiam. *Cinnamomum* cortex dulcissimus est, et significat internæ contemplationis dulcedinem. *Cum universis lignis Libani*, id est cum omnibus aliis virtutibus quæ aliquod robur habent et spiritualiter mentem dealbant. *Myrrha* significat carnis mortificationem propter sui amaritudinem. *Aloe* quæ miri odoris est, significat bonam opinionem. *Cum omnibus primis unguentis*, quasi diceret : Hæ virtutes sunt in Virgine cum aliis donis Spiritus sancti. Enumeratis arboribus et aromatibus, quæ sunt in paradiso mentis virgineæ, ostenditur quo fonte talis agricultura irrigetur : ut æterno virore succrescat nec arescat.

Fons hortorum. puteus aquarum viventium, quæ fluunt impetu de Libano.

Quasi diceret : Merito, o Virgo, tali decore arborum et aromatum decoraris; quia in te est fons saliens in vitam æternam. Qui *fons puteus* est, id est inexhaustibilis et profundus propter scientiæ profunditatem. Nec tamen ex te *fluunt* aquæ vivæ; sed ex *Libano*, id est Christo qui omnium virtutum decore candidatus est et dicit : Si quis sitit veniat ad me et bibat; et de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Unde Apostolus : « Ego plantavi, Apollo rigavit, Deus autem incrementum dedit (*I Cor.* III). »

28 *Surge, aquilo, et veni, auster, perfla hortum meum, et fluent aromata illius.*

Aquilo ventus est frigidissimus, auster calidus, ideo per aquilonem terrores et minæ designantur vel ipse diabolus. Per austrum Spiritus sanctus significatur. Et hoc est, quod dicit sponsus, quia in terra [76] plantavi hortum meum et multis arboribus [77] consevi. O tu, *aquilo*, id est tu dæmon, qui cuncta quæ perflare poteris frigida reddis; *surge*, id est procul recede ab horto meo. Vel surge, hoc est insurge et oppugna Mariam quantum potes, quæ quanto magis impugnatur, tanto amplius augetur et crescit. Et tu, *auster*, id est sancte Spiritus, qui calide flas et germinare facis; *veni* et obumbra Virginem protectione virtutum. Et *perfla hortum meum*, id est eamdem Virginem, quæ dicitur hortus prædictis rationibus. Et meus; quia tuo flatu, qui et meus est et non sua virtute, germinabit bona opera. Unde sequitur : *et fluent aromata illius*, id est bona opera, quæ suaviter redolent. Audiens sponsa sponsum dicentem ut auster veniret et perflaret hortum suum, quasi diceret : Auster jam venit, et perflavit hortum, fluunt aromata, idcirco opto ut,

CAPITULUM V.

Veniat dilectus meus in hortum suum, et comedat fructum pomorum suorum.

Veniat, id est visitet, *et comedat*, id est gratanter recipiat *fructum pomorum suorum*, id est fructuosa opera mea. Sponsus cognoscens sponsam, adventum ejus exoptare dicit consolando eam,

Veni in hortum meum, soror mea sponsa.

O soror mea sponsa, olim veni in te, quæ es hortus meus; nunc veni ad me, qui hortus tuus sum ; veni ad me per ascensionem, qui veni ad te per carnis assumptionem. *Veni*, inquam, *in hortum*, id est, in cœlestem paradisum ; quæ est hortus deliciarum, quæ est vita æterna.

Messui myrrham meam cum aromatibus meis.

Id est, omnem pœnalitatis amaritudinem præscidi cum operibus actionis.

Quia Christus immortalis factus præcidit a se opera activæ vitæ, intentus contemplativæ.

Comedi favum [meum] cum melle meo.

Id est, animam quæ separata fuit per mortem a carne, per resurrectionem iterum incorporavi. Quod eleganter figuratur per favum, quia sicut favus est mel latens in cera ; ita anima Christi latuit in carnis cellula. Et hoc cum melle; quia et corpus animavi, cujus corporis animatio, et animæ incorporatio, et utriusque glorificatio, fuerunt tibi summa dulcedo.

Bibi vinum meum cum lacte meo.

Id est, asperitates superavi passionum cum corporalis cibi indigentia. Per lac, quod est cibus puerorum et quo indigent parvuli, significatur corporalis cibi indigentia, quæ in Christo per resurrectionem est absorpta; sicut omnis alia infirmitas. Quod totum figuratum est, per hoc quod Christus suscitatus a mortuis comedit piscem assum et favum, et bibit vinum (*Luc.* XXIV).

29 *Comedite, amici, et bibite, et inebriamini, charissimi.*

A simili, vos, *amici* mei, in horto æternæ beatitudinis delectantes, *comedite* panem qui de cœlo descendit (*Joan.* VI) ; non in sacramento, sed in re. *Et bibite* aquam vivam, quæ cœlestem paradisum irrigat. *Et inebriamini* cœlesti gaudio, *charissimi*, per veram dilectionem; ut inebriati ab ubertate domus Dei et torrente voluptatis potati dicatis : « Calix tuus inebrians quam præclarus est (*Psal.* XXII). » Cum superius mentio fieret de ascensione

VARIÆ LECTIONES.

[76] *Ms. Villar.* pro in terra *habet* jam. [77] *Ms.* arboribus et aromatibus.

Christi consequenter revertitur auctor ad carnis assumptionem more prophetali. Mos enim prophetarum est, ut cum modo loquuntur de præsentibus et futuris, statim revertantur ad præterita, prout Spiritus sanctus tangebat eorum corda. Inducitur ergo Virgo loquens secundum statum ante incarnationem, in quo vacans contemplationi exuerat omnem curam sæcularem. Ait ergo :

Ego dormio, et cor meum vigilat.

Ego dormio a sæculari cura, *et cor meum vigilat* in contemplatione. Sed dum contemplationi vacarem :

Vox dilecti mei pulsantis :

Id est per angelum adventum suum per incarnationem ad me annuntiantis, a me audita in hunc modum.

Aperi mihi, soror mea, amica mea, columba mea immaculata mea.

Aperi mihi per humilitatem et obedientiam, ut veniam in te per incarnationem. Quia ex humilitate et obedientia congruam se reddidit Virgo, ut in ea incarnaretur Dei sapientia. Aperi, inquam, sponsa *amica mea* futura, per carnis contubernium ; *amica mea*, per præsentem dilectionem; *columba mea*, per simplicitatem ; *immaculata mea*, per virginitatem. De hac apertione dicit Isaias : « Aperiatur terra, et germinet Salvatorem (*Isa.* XLV). » Quid est ergo quod Dominus ad Ezechielem testatur : « Porta hæc clausa erit et non aperietur? » (*Ezech.* XLIV.) Aperta quidem fuit Domino, sed non viro, sicut ibidem ad ipsum dicitur : « Vir non transibit per eam ; quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam (*ibid.*); » Aperietur autem Domino, non virginalis integritas corporis, quia sicut Ezechiel post prædicta subdidit : « Hæc clausa erit ipsi etiam principi (*ibid.*); » sed aperietur porta auris et porta cordis; quia videlicet intravit per aurem Virginis Verbum incarnandum, et exivit clausa porta corporis incarnatum. Ad hoc autem volo ad te venire per incarnationem; ut a Patre secundum hominem accipiam gratiarum plenitudinem, et de mea plenitudine instillet abundantia gratiæ. Unde sequitur :

Quia caput meum plenum est rore, et cincinni mei guttis noctium.

Caput Christi Deus, qui plenus *rore* dicitur; quia de eo omnis gratia cœlestis emanat in Christum, et de Christo in Virginem. Unde sequitur, *et cincinni mei*, id est cogitationes tuæ quas dico meas, quia a me sunt et ad me tendunt, plenæ sunt *guttis noctium*, id est obscura et profunda sapientia repletæ sunt; quæ cincinni dicuntur; quia non lapsæ et dissolutæ fluunt, sed vinculo timoris Dei et amoris colligantur. Ad hoc respondens Virgo ait :

Exspoliavi me tunica, quomodo induar illa?

Hoc est quod legitur in Evangelio : « Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco (*Luc.* I), » id est propositum non cognoscendi habeo? Quasi diceret : Omnem curam conceptus et partus abjeci, divinæ voluntati exposita, quomodo curam adhibebo conceptui et partui? Exui curam sæcularem ;
30 quomodo resumam illam ?

Lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos ?

Lavi pedes meos, id est affectus meos purgavi ab omni sæculari cura et concupiscentia, *quomodo coinquinabo illos*, quantum ad opinionem illorum qui putabant me ex concupiscentia concepisse? Sed jam intelligo concipiendi modum.

Dilectus meus misit manum suam per foramen, et venter meus intremuit ad tactum ejus.

Dilectus meus misit manum suam, id est ostendit mihi opus misericordiæ suæ, *per foramen*, id est per occultam inspirationem, quomodo sola sancti Spiritus inspiratione conciperem. *Et venter meus intremuit ad tactum ejus*, id est memoria mea exsultavit ad talem revelationem.

Surrexi, ut aperirem dilecto meo.

Id est statim obedivi, dicens : « Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum (*Luc.* I), » *ut* per humilitatem et obedientiam *aperirem dilecto meo*. Et tunc Spiritus sanctus supervenit in me, et virtus Altissimi obumbravit mihi (*ibid.*). Per quam

Manus meæ stillaverunt myrrham ;

Id est opera mea perfecerunt mortificationem vitiorum. Et hoc est quod sequitur :

Digiti mei pleni sunt myrrha probatissima.

Id est opera mea discreta facta sunt cum carnis mortificatione a Deo probata. Et sic :

Pessulum ostii mei aperui dilecto meo

Ostium dicitur fides vel obedientia, per quam Christus intrat ad hominem, mediante gratia. *Pessulum* ergo *ostii mei* Christo *aperui*, cum ei obedivi et credidi [78].

At ille declinaverat atque transierat.

At ille distulit intrare, sed jam inclinaverat se. Tunc Christus se inclinavit, quando per incarnationem « exinanivit se formam servi accipiens (*Phil.* II). » *Atque transierat* veniens de sinu Patris in uterum Virginis. In hoc autem transitu sic assumpsit quod non erat, quod non reliquit quod erat. Et sic :

Anima mea liquefacta est, ut [*dilectus*] *locutus est.*

Id est Filius Dei me spiritualiter animans atque vivificans, liquefactus est, id est exinanitus per carnis infirmitatem, qui etiam propter unionem voluntatis et spiritus, anima Virginis est nuncupatus, juxta quod et illud posset legi : « Et tuam ipsius animam pertransibit gladius (*Luc.* II), » id est ipsum qui est anima tua per dilectionem, pertransibit gladius. Vel *anima mea liquefacta est*, id est divino igne calefacta, et quæ prius minus capax

VARIÆ LECTIONES.

[78] *In ms. Villar. hic additur :* et sic omnem dubietatem, quæ per pessulum intelligitur, a mente mea removi.

erat et aliquantum dura ad comprehendendum incarnationis modum, liquefacta est, id est mollita et capax reddita ad intelligendum *ut dilectus locutus est* mihi per angelum ; vel postquam Christus se Verbum univit carni meæ, id est carni illi quam de me assumpsit.

31 *Quæsivi, et non inveni illum : vocavi, et non respondit mihi.*

Et quamvis anima mea liquefacta sit ad intelligendum, tamen in Scripturis *quæsivi*, id est inquisivi plenius incarnationis modum. *Et non inveni illum* ad plenum. *Vocavi* illum per internam devotionem ut revelaret, *et non respondit mihi* plenarie.

Invenerunt me custodes qui custodiunt civitatem.

Id est, prophetæ et alii antiqui Patres, qui per sacram doctrinam custodierunt sollicite Ecclesiam, et ei sollicite providerunt.

Percusserunt me, et vulneraverunt me.

Percusserunt me, amore divino, *et vulneraverunt* gladio verbi Dei in suis Scripturis.

Tulerunt pallium meum mihi custodes murorum.

Id est, abstulerunt a me velamen ignorantiæ patriarchæ et prophetæ. Et quia in sacris Scripturis summa intentione studebat Virgo, ut notitiam haberet de Christo, ideo sequitur :

Adjuro vos, filiæ Jerusalem, si inveneritis dilectum meum, ut nuntietis ei, quia amore langueo.

Quasi diceret : O sancti Patres, hoc requiro firmiter a vobis, id est a Scripturis vestris, ut intelligam ea quæ de Christo dixistis; *quia* erga eum *amore langueo*. Ita a sanctis Patribus, id est a Scripturis eorum inquirebat Virgo Christi notitiam ; sed quia plura fuerunt ei revelata de Christo quam Patribus, inde dicitur quosdam evangelistas Virginem docuisse plura de Christo. Sequitur :

Qualis est dilectus tuus ex dilecto, o pulcherrima mulierum ?

Quasi dicerent sancti Patres : Tu quæris a nobis notitiam Christi; sed potius a te inquirere debemus, quæ es ejus specialis secretaria, Mater et filia. Et hoc est, *o pulcherrima mulierum*. Quæ est pulcherrima, nisi illa quæ est « in mulieribus benedicta ? » (*Luc.* I.)

Imo super omnes mulieres gratia plena, Mater intacta plena Deo, Mater et Virgo. *Qualis est dilectus*, id est Filius tuus quem speciali amore diligis, de te natus secundum carnem, et *ex dilecto*, id est Deo Patre secundum divinitatem? Et ut magis insinuarent Virginem pleniorem habere de Christo notitiam vel scientiam quam se, repetitur interrogatio cum additur :

Qualis est dilectus tuus ex dilecto, quia sic adjurasti nos ?

Et nota quod superius Virgo dicitur pulcherrima mulierum, hic vero simpliciter dicitur [79]; ad significandum quod non solum fuit super mulieres pulchra; verum etiam super choros angelorum. Et quia creditur Virgo multos de Filii incarnatione docuisse. Sequitur Virginis responsio :

Dilectus meus candidus et rubicundus, electus ex millibus.

Candidus, id est virgo et sine peccato; « qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus (*I Petr.* II). » *Et rubicundus*, id est sanguine aspersus; quia « lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo (*Apoc.* I). » *Electus ex millibus*, quia solus ex multitudine fidelium dignus fuit audire : « Hic est Filius meus dilectus (*Matth.* III). » **32** Singularis enim gratia homo Christus in humani generis massa refulsit, quia proposuit [80] Deus salvare genus humanum; et ipse est « Mediator Dei et hominum (*I Tim.* II), » de quo David : « Non est qui faciat bonum, non est usque ad unum (*Psal.* XIII). »

Caput ejus aurum optimum.

Caput sponsi Deus, quod auro comparatur optimo; quia, sicut aurum omnibus metallis pretiosius est, ita Deus omnibus bonis a se factis præcellit, unde Dominus : « Nemo bonus nisi solus Deus (*Luc.* XVIII). » *Caput* ergo sponsi *aurum optimum* est; quia Dei bonitas ineffabilis est, omnium rerum transcendens bonitatem, quia nihil bonum nisi participatione hujus boni.

Comæ ejus sicut elatæ palmarum, nigræ quasi corvus.

Elatæ palmarum sunt rami productiores, interdum autem rosei coloris crispantes, et semper ad alta tendentes, et nunquam virorem suum amittentes. Tales ergo comas dicit Sponsi sui esse virgo Maria, crispas scilicet et rutilas. *Comæ* ergo *ejus*, id est adhærentes sibi elatis palmarum comparantur ; quia fidelium multitudines et virore fidei gaudent, et ad æterna gaudia desideranda extolluntur, atque dulcedinem supernæ suavitatis degustant. Et semper victoriosi per palmam significantur, quod fortes erga adversa existant. Qui quanto justiores sunt, tanto in oculis suis peccatores sibi et contemptibiles esse videntur. Unde sequitur : *Nigræ quasi corvus.* Quia multitudines fidelium memores sunt suæ fragilitatis [81] ; et nihil se boni ex se ipsis habere noverunt.

Oculi ejus sicut columbæ super rivulos aquarum, quæ lacte sunt lotæ, et resident juxta fluenta plenissima.

Doctores Ecclesiæ *oculi* sunt sancti Spiritus, qui positi in altiori gradu provident Ecclesiæ, ne quid hæreticæ pravitatis se interserat, et illuminant eam. Qui columbis propter simplicitatem et innocentiam comparantur. Hæ *columbæ super rivos aquarum* re-

VARIÆ LECTIONES.

[79] *Ms. addit*, pulcherrima. [80] *Ms. additur*, per illum. [81] *Ms. Tornacensi interponuntur sequentia :* Quia sancti qui per pœnitentiam et mortis memoriam pericula prænuntiant quasi ad cadavera festinant, *in proximo præmium exspectantes.* Unde : *Cras respondebit mihi justitia mea*, quia, etc.

sident, ut [82] ab accipitre sibi præcaveant, quia sancti doctores, aqua doctrinæ perfusi, securi sunt a maligno, et sedent super rivos Veteris Testamenti: a quo emanant rivi, id est expositiones et sententiæ: *et* etiam *juxta fluenta plenissima*, id est juxta sancti Evangelii doctrinam copiosam, in qua auditores plenius quam in Veteri Testamento instruuntur.

Genæ illius sicut areolæ aromatum, consitæ a pigmentariis.

Genæ sponsi sunt, qui verecundantur de peccatis suis et aliorum. Et quia per eos teritur cibus aliis et transfundunt auditoribus de sanctis Scripturis masticare et ruminare poterant [83]. Quæ genæ areolis comparantur, quia sicut areolæ aromatum optime compositæ et ordinatæ, aspectum intuentium delectant, eisque odorem suum propinant propter multitudinem herbarum aromaticarum; ita illi qui sunt genæ sponsi, redolent Deo ex multitudine bonorum operum, sive sint prædicatores sive auditores. *Areolæ* quod est diminutivum posuit propter humilitatem. *Consitæ*, id est bene firmatæ et locatæ *a pigmentariis*, id est a suis plantatoribus. Pigmentarii isti, id est plantatores, apostoli sunt et prophetæ, quorum alteri futura hæc omnia, alteri jam facta descripserunt.

33 *Labia ejus lilia distillantia myrrham primam.* Id est, illi qui aperiunt secreta illius, sunt lilia, id est suaviter redolentia. *Lilia*, inquam, *distillantia myrrham primam*, id est sui mortificationem non ad oculum, et non fictam. In hoc loco virgines in Ecclesia designantur: nulli enim magis secreta cœlestia pandebantur quam sanctæ Virgini.

Manus illius tornatiles aureæ, plenæ hyacinthis.

Supradicta membra habet hujusmodi. At *manus*, quæ non multum valent in prædicatione, sed sunt fortes in operatione et eleemosynarum elargitione: hi tales sunt *tornatiles*, id est tornati et purgati a vitiis; ut nihil superflui relinquatur in eis.

Manus, inquam, *aureæ*, id est divina sapientia repletæ. Ille vero sapiens est, etsi scientia careat litterarum, qui laborat et operatur ut tribuat necessitatem patienti (*Eph.* IV). Manus ergo sponsi in sancta Ecclesia sunt boni operatores. *Plenæ hyacinthis;* hyacinthus lapis est aerii coloris. Quid ergo in hyacinthis, nisi spes et desiderium cœleste accipitur? Manus ergo sponsi hyacinthis plenæ sunt; quia boni operatores opera sua ad cœlum dirigunt, nihil inde nisi cœlestia sperantes.

Venter ejus eburneus, distinctus sapphiris.

In membris humani corporis nihil ventre fragilius, nihil tenerius, ideoque per ventrem fragiliores, in sancta Ecclesia et minus potentes accipiuntur, sicut sunt rustici et idiotæ; et tamen sunt eburnei, id est frigidi et casti. Ebur enim est os elephantis, quod animal dicitur castissimum et frigidæ naturæ. In sancta itaque Ecclesia simpliciores et minus scientes, castiores et continentiores esse solent. *Venter*, inquam, *distinctus sapphiris*. Sapphirus est lapis [84] crocci coloris, et significat beatam spem; quia qui venter sunt sponsi, pro spe ætherea operantur bona quæ faciunt.

Nec ille venter plenus dicitur, sed *distinctus sapphiris*, ita scilicet, ut inter sapphiros appareat eboris candor; quia sic cœlestia appetunt, ut inde terrena non derelinquant, quia per hæc ad illa ista perveniunt.

Crura illius columnæ marmoreæ, quæ fundatæ sunt super bases aureas.

Crura sponsi, portatores sunt nominis ejus, ut sancti prædicatores, qui Christum portant per mundum et annuntiant coram regibus et principibus et aliis qui fortes sunt et recti; quia resistunt vitiis et concupiscentiis hujus vitæ, qui sunt fundati *super bases aureas*, id est sententias prophetarum et apostolorum, qui firmæ bases dicuntur; quia nulla arte et nulla disputatione humanæ sapientiæ, vel altitudine cassari [85]. Et aureæ sunt, quia divina sapientia et doctrina refulgent; nihil in rebus sæcularibus auro pretiosius; nihil divina sapientia melius et charius per omnia convenienti et concordi.

Species ejus ut Libani, electus ut cedri.

Libanus est mons miræ pulchritudinis in ornatu et speciositate arborum et nemorum; sic et dilectus meus cum omnibus membris suis in omni ornatu et convenientia [86] decorus et candidus est.

34 *Guttur illius suavissimum, et totus desiderabilis.*

Huc usque de pulchritudine et convenientia corporis sponsi peroravit sponsa, nunc de divinitate ejus pauca intulit. Per guttur quippe omnem escam, sive dulcis sit sive amara degustamus; ita divinæ subtilitas intelligentiæ omnia cordis interiora discutit et examinat. Unde recte per sponsi *guttur* divinitas *illius* intelligitur, quod *suavissimum* dicitur, quia omnem dulcedinem divina dulcedo superat. Unde sequitur: *Et totus desiderabilis;* quia omne desiderium exsuperat, in quem desiderant angeli prospicere (*I Petr.* I).

Talis est dilectus meus, et ipse est amicus meus, filiæ Jerusalem.

Ecce descripsi vobis illum, de quo quæsistis qualis esset, et ideo, quia *talis est amicus meus*, est in vera dilectione. Et quia sancti Patres de Christo a Virgine instructi sunt adhuc ad ipsius Christi investigationem in hunc modum ad ipsam loquuntur:

VARIÆ LECTIONES.

[82] *Ms. Villar. interserit:* Quia sancti doctores fluentis divinarum Scripturarum immorantur. *Columbæ super rivos aquarum resident, ut.* [83] *Ms.* potuerunt. [84] *Ms.* ætherei. [85] *Ms.* cassari possunt. [86] *Ms. Villar.* convenientia corporis.

Quo abiit dilectus tuus, o pulcherrima mulierum? quo declinavit dilectus tuus, et quæremus eum tecum?

Quare Christus specialiter dilectus Virginis dicatur, et quare ipsa mulierum pulcherrima, superius expositum est. Sed nota quod dicitur *abiit*. Abire longius ire est. Abit ergo, quando inquirentibus se multum tarde advenire videtur. Declinat, cum citius ad se quærentes redit. Sed abit et declinat ad tempus; ut majus ad se quærendum desiderium excitet. Bene autem dicitur *quæremus eum tecum:* quia, sine gloriosæ Virginis fide, qui Christum quærit, errare potest, proficere non potest. Ad hoc respondet Virgo, dicens :

CAPITULUM VI.

Dilectus meus descendit in hortum suum ad areolam aromatum, ut pascatur in hortis et lilia colligat.

Hortus Christi dicitur humana natura, in quam Christus specialiter abiit, quando eam sibi univit et in eam declinavit, quando se ipsum humiliando exinanivit (*Phil.* II). Humana enim Christi natura plenam et perfectam habuit de Deo scientiam, quam Christus quasi hortum sibi præparavit et excoluit, quam virtutum germinibus consevit, quam merito [87] suæ custodiæ ab incursu malignorum spirituum defendit. Et bene *in hortum suum* descendisse dicitur, nam in horto sepeliri voluit, et primo Mariæ Magdalenæ in horto apparuit (*Joan.* XIX et XX). Descendisse autem dicitur, quia de superioribus in hortum, quem humili loco plantaverat, venit. *Ad areolam aromatum;* anima Christi areola intelligitur, quæ disciplina cœlesti exculta est et diligenter composita; *ut pascatur in hortis*, id est ut sanctorum studiis delectetur. *Et lilia colligat*, id est a sanctis castitatem et sanctitatem recipiat. Et quia dilectus meus pascitur in hortis :

Ego dilecto meo, et dilectus meus mihi.

Ego dilecto meo gratam mansionem præparo; *et dilectus meus mihi* cœleste præmium vel gratiam perfectorum. Et quia ipse in me habitat, et me in se habitare facit, sicut ipse ait : « Ego in vobis et vos in me (*Joan.* XIV). »

Qui pascitur inter lilia.

Id est non curat nisi sanctos innocentia albos, candidos castitate, redolentes bona opinione. Christus **35** Virgini reddens vicem commendationis, ait :

Pulchra es, amica mea, suavis et decora, sicut Jerusalem.

Pulchra es fide, *suavis* spe, *decora* charitate, *sicut Jerusalem*. Jerusalem interpretatur *pacis visio*. Quid igitur verius Jerusalem quam gloriosa Virgo, in qua pax pectoris et pax æternitatis? Hæc est arca A Noe in qua pacatæ sunt bestiæ, quia in ea non fuerunt cogitationes inordinatæ.

Terribilis ut castrorum acies ordinata.

Quia in vita, multis freta virtutibus, et in morte angelorum vallata agminibus. Et sicut terribilis facta est suis virtutibus hæreticorum interimens errores, dæmonum suggestiones repellens, etiam [88] in assumptione, eorumdem angelorum fulta est præsidiis et sanctorum coronata choris. Et ne Virgo crederet in præsenti per Scripturarum investigationem et evangelicam contemplationem se plenarie comprehendere Deum, ait Christus :

Averte oculos tuos a me, quia ipsi me avolare fecerunt.

Licet pulchra, licet amica mea sis, tamen *averte* B *oculos tuos a me*, quasi diceret : Ego dedi tibi oculos columbinos, quibus me intueri et arcana Scripturarum valeres penetrare, sed cave ne illos intendere ad me videndum plenarie velis in præsenti vita, quia in præsenti non potes. Unde dicit ad Moysen : « Non enim videbit me homo et vivet (*Exod.* XXXIII). » Quando vero assumpta ad me perveneris, tunc me, aperta visione, videbis. Quod autem dicitur, *quia ipsi me avolare fecerunt*, non putandum quod Deus quærentes se deserat, et ab illis recedat, cum ipse præcipiat : « Quærite et invenietis (*Matth.* VII); » sed ita accipiendum est, quia quanto magis quisque divinitatem Dei perscrutari voluerit, eo amplius intelliget quod inscrutabilis C et incomprehensibilis sit. Et hoc est quod Psalmista ait : « Accedet homo ad cor altum, et exaltabitur Deus (*Psal.* LXIII), » [89] quia quantus sit comprehendi non potest. Et quamvis plenarie me videre non possis, tamen

Capilli tui sicut grex caprarum, quæ apparuerunt de Galaad.

Capilli tui, id est cogitationes tuæ quæ procedunt a spirituali capite, id est a mente, sunt *sicut grex caprarum*, id est sicut motus contemplationis, qui per capras figurantur, ut superius dictum est. *Quæ apparuerunt de monte Galaad;* quia tales motus de eminentia humanæ conditionis procedunt, et multiplex testimonium veritati asserunt [90].

Dentes tui sicut greges ovium, quæ ascenderunt de D *lavacro.*

Id est, exercitia tua in sacris Scripturis sunt *sicut greges ovium*, id est pertinent ad spirituales intellectus, qui per oves figurantur, propter simplicitatem et puritatem. *Quæ ascenderunt de lavacro;* quia tales intellectus a carnali intelligentia purgati, ab imaginibus defæcati, ascenderunt ad contemplationem Dei.

Omnes gemellis fetibus, et sterilis non est in eis.

Quia tales intelligentiæ etiam bonam concipiunt intentionem, et honestam pariunt actionem; unde

VARIÆ LECTIONES.

[87] *Ms.* Muro. [88] *Ms. Villar.* et in *pro* etiam. [89] *Ms. Villar. hic interserit sequentia:* quasi dicat, licet ad intuendum Deum se sublevet, exaltabitur Deus; quia, etc. [90] *Ms.* afferunt.

et sequitur : *Et sterilis non est in eis*, in bonis scilicet operibus.

36 *Sicut cortex mali punici, sic genæ tuæ absque eo quod intrinsecus latet* [*occultis tuis*].

In genis diximus superius significari castam Virginis verecundiam; in cortice mali punici intelligimus memoriam passionis Christi. *Genæ* ergo Virginis erant *sicut cortex mali punici*, quia ipsa non erubescebat crucem Christi. Unde Apostolus : « Nolite erubescere crucem Christi, neque me vinctum ejus (*II Tim.* I). » Et hæc quidem magna sunt quæ in aperto sunt; sed maxima illa quæ sunt intrinsecus, hoc est, quæ in futuro Virgini sunt reservata. Et quamvis multæ sunt animæ sanctæ quæ mihi spiritualiter adhærent, tamen una est quam specialius diligo propter simplicitatem et virtutum perfectionem; hanc intelligo gloriosam Virginem, et hoc est quod ait :

Sexaginta sunt reginæ, et octoginta concubinæ, et adolescentularum non est numerus.

Reginæ sunt doctores Ecclesiæ, qui merito fidei et scientiæ amplexibus æterni Regis digni sunt et spirituales filios Deo pariunt, et se ipsos bene regunt. Audi reginam bene se regentem et filios Deo parturientem : « Filioli, inquit, quos iterum parturio, donec Christus formetur in vobis (*Gal.* IV). » Bene quidem per sexagenarium reginæ istæ designantur, qui ex denario et senario multiplicatus perficitur. Per denarium decem præcepta legis, per senarium operis perfectio designatur, quia sex diebus opera sua perfecit Deus (*Gen.* I). *Et octoginta concubinæ*. Concubinæ sunt, qui non sunt casti, id est qui non vera et sola dilectione Dei annuntiant Evangelium; sed propter terrena lucra aut pro humana laude. Sed mirum est cur per octogenarium numerum hoc tale designatur, cum hic numerus perfectissimus in omnibus divinæ Scripturæ locis inveniatur, illi autem imperfecti et pravi comprobantur. Ideo puto quod licet imperfecti sint, perfectionem tamen in vultu per hypocrisim ostendunt et ore, qui, cum sint nequissimi, alios tamen per Evangelium generant ad perfectionem, de quibus Salvator : « Attendite a falsis prophetis, etc. » (*Matth.* VII). « Ipse quoque Satanas transfigurat se in angelum lucis (*II Cor.* XI). » *Et adolescentularum non est numerus*. Adolescentulæ jam in Christo renatæ, quæ deposita primi hominis vetustate in Christo renovatæ sunt necdum nubiles necdum toro regis aptæ; quia necdum ad prædicationem de Christo pervenerunt. *Quarum non est numerus;* quia non est numerus animarum in Christo credentium, sed soli Deo cognitus. Et quamvis tot sint reginæ, tot concubinæ, tot adolescentulæ; tamen

Una est columba mea, perfecta mea, una est matris suæ, electa genitrici suæ.

Una est columba mea speciali simplicitate, *perfecta mea* virtutum plenitudine; *una est* filia scilicet

A *matris suæ, electa genitrici suæ*, videlicet Synagogæ, de qua descendit Christus secundum carnem; et ideo mater ejus dicitur. Hæc specialis fuit virgo Maria inter omnes dignissima, inter omnes unica, inter omnes benedicta.

Viderunt eam filiæ Sion, et beatissimam prædicaverunt, reginæ et concubinæ laudaverunt eam.

Filiæ Sion, id est animæ sanctæ, quæ jam per fidem et spem sunt in speculatione, *viderunt eam et beatissimam prædicaverunt*. Non beatam dixerunt, sed beatissimam prædicaverunt, quæ Dei Filium genuit, quæ virgo permansit, humilitate prædita, virginitate beata, reverentia laudabilis, obedientia spectabilis. Et nota quod superius vocavit adolescentulas eas quas modo vocat filias. *Sion reginæ*, B ut superius dictum est, vocantur doctores Ecclesiæ, qui suæ prædicationis præconio Virginem laudant, beatissimam prædicant, filias Sion ad ejus imitationem invitant. *Et concubinæ laudaverunt eam*. Concubinæ, ut dictum est, dicuntur illi qui intuitu 37 favoris humani, vel terreni emolumenti Dei gloriam præconantur, nec laudes Virginis Matris silent [91] laudantes in hunc modum :

Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens ?

Quantæ dignitatis est, quæ cum tanto honore et cum tanta gloria progreditur, ut merito suæ pulchritudinis auroræ compararetur? *Progreditur*, inquam, de virtute in virtutem (*Psal.* LXXXIII) *quasi* C *aurora*, quia sicut aurora solem super terram lucentem mundo inducit, sic virgo Maria quasi cœlestis aurora Solem justitiæ mundo parit. Aurora solem antecedit, sed ipsa tamen a solis virtute procedit; sic Virgo veri luminis prævia, id est Solis justitiæ est prænuntia ; sed tamen ab ipso spirituali gratia est illuminata. Et vere *quasi aurora consurgens*, id est tota simul surgens; quia tota fuit sancta et corpore et spiritu splendens.

Pulchra ut luna, electa ut sol.

Nam sicut luna noctem irradiat, ita hæc exemplo nos illuminat, Solem justitiæ pariendo, tenebras nostræ ignorantiæ eliminat. Et sicut luna illuminatur a sole, sic Virgo illustratur veri solis claritate. Et sicut *pulchra* est *ut luna*, imo plus quam luna, D quia luna aliquando deficit, ista semper proficit; luna decrescit, ista semper crescit; luna aliquam in se habet maculam, ista nullam, ideo *electa ut sol*, qui in se nullum habet defectum luminis. Sicut sol omnibus mundanis antefertur, sic ista omnibus creaturis præfertur et ipsum verum solem imitari nititur vivendo in omni humilitate, mansuetudine, justitia et sanctitate. Et sicut sol sui cursus solitas non mutat habenas, sic beata Virgo propositum, quod semel arripuit, non mutavit.

Terribilis ut castrorum acies ordinata.

Quibus terribilis? Principibus tenebrarum, diabolo et angelis ejus. Hos terret et pungit, et pro

VARIÆ LECTIONES.

[91] *Ms. Villar. pro* silent *habet* diffitentur.

suorum famulorum erectione sæpe improbos reprimit et retundit malignantium insultus. *Terribilis*, inquam, hæreticis, quos tua virtute confundis, et perfidis, quorum errores a tuis delectationibus[92] avertis. *Ut castrorum acies ordinata*, id est ita fide, spe et dilectione munita, ut nullis tentationibus inimici valeat penetrari. Nota quod reginæ vocaverunt eam auroram, lunam et solem, et ordinatam ut castrorum aciem, Christus autem vocat hortum suum, dicens :

Descendi in hortum meum, ut viderem poma convallis.

Quasi diceret : Quia talis est Virgo jam humanatus sum in virginalis uteri thalamo[93]. Hic est hortus in quo spirant virtutum aromata, in quo redolent patientiæ rosaria. Hic est hortus fructibus B redundans, copiis exuberans, flore virginitatis vernans, quem non venti tangit austeritas, ubi mollioris auræ gratia indesinenter aspirat, et vernalis amœnitas allicit intuentes. Et nota quod, ubi habemus in littera nostra *meum*, quidam codices habent *nucum*, quod eleganter convenit Virgini gloriosæ. Nux quippe habet amarum corticem, testam duram, nucleum dulcissimum ; ita Virgo mater exterius habuit carnis infirmitatem et duram testam, id est fidei firmam constantiam, et virginitatis perseverantiam, et dulcissimum nucleum Christum quia mundo parit Christum, ex quo data est nobis dulcedo æternæ beatitudinis. Sic ergo Christus descendit in Virginem per incarnationis suæ humili- C tatem, ut videret, hoc est videre faceret *poma convallis*, id est **38** fructus qui in humilitate condiuntur. Dicitur autem Deus aliquid videre, id est aliquid videri facere, juxta quod ad Abraham dictum est : « Ego cognovi, » id est alios cognoscere feci, « quod timeas Deum (*Gen.* xxii). »

Et inspicerem si floruisset vinea, et germinassent mala punica.

Id est, considerarem quomodo Ecclesia per orbem diffusa in virtutibus floret, et illos sollicite inspicerem qui jam maturi sunt ad perferenda martyria. Hæc enim omnia magnam vigilantiam, et sollicitudinem, et dilectionem quam habet erga Ecclesiam commendant.

Nescivi, anima mea conturbavit me propter quadrigas Aminadab.

Ita Christus venit in carnem et de me assumpsit carnem, dicit Virgo, sed antequam veniret in me, *nescivi* ipsum scilicet venturum in me. Sciebam ipsum nasciturum de virgine, sed qua nesciebam. Et hoc est quod dicit *nescivi* Filium Dei, scilicet de me nasciturum ante angeli adventum ; unde et ad sermonem ipsius angeli : *Anima*, inquit, *mea conturbavit me*, quia cogitabam qualis esset ista salutatio.

A Hoc est quod in Evangelio legitur. « Quæ cum audisset turbata est in sermone ejus et cogitabat qualis esset ista salutatio (*Luc.* i). » Et hoc *propter quadrigas Aminadab*. Nota quatuor fuisse per quæ Christus venit in virginem Mariam, humilitas, charitas, misericordia, prudentia. Venit enim in summa humilitate Filius Dei ad Virginem, ut tanta esset humilitas in Redemptore, quanta fuerat superbia in primo peccatore. Tanta enim fuit superbia in primo parente, ut se erigeret contra suum Creatorem ; tanta humilitas in Dei Filio, quod se inclinaverit[94] usque ad miseriæ carnis nostræ assumptionem (*Phil.* ii). Mulier prima voluit se æquare Deo, se humilem Dei ancillam professa est gloriosa Virgo. Similiter ex summa charitate Filius Dei inclinavit se[95]. Quæ enim est major charitas, quam Filium Dei venire in mundum ut redimeret servum,[96] ut sanaret ægrotum ? Similiter summa pietas et misericordia incarnavit Filium Dei. Quæ enim major pietas et misericordia quam Deum se exinanire et servi formam accipere (*ibid.*), quam opificem opus suum eripere de lacu fæcis et miseriæ (*Psal* xxxix). Et summa etiam prudentia fuit, quod se Dei sapientia incarnavit, ut homo hominem redimeret. Hæc quatuor humilitas, charitas, misericordia, prudentia, fuerunt quasi quædam quadrigæ per quam incarnatus venit ad nos Dei Filius. Hæc autem quatuor admirata est Virgo in sermone angelico, humilitatem, charitatem, misericordiam et prudentiam, quæ Christus exhibuit nobis cum carnem assumpsit in virginali utero. Hæ autem dicuntur quadrigæ Aminadab, id est Christi. Aminadab pronepos fuit Judæ patriarchæ, per quem generatio Christi contexitur, qui interpretatur *populi mei spontaneus*. Et significat Christum qui populo suo spontaneus fuit, quia, cum esset Deus, se ipsum pro ipso tradidit. Sed quasi ad Virginem turbatam in sermone suo respondeat angelus, sequitur :

Revertere, revertere, Sunamitis [*Sulamitis*], *revertere, revertere, ut intueamur te.*

Revertere ad te : « Ne timeas, invenisti enim gratiam apud Dominum (*Luc.* i). » *Revertere* ad Scripturas, ut de Scripturis quæ dico intelligas. « Quia D ecce concipies in utero, et paries Filium, et vocabis nomen ejus Emmanuel (*ibid.*). » Et quæ prius fuisti *Sunamitis*, id est captiva sub onere legis (Sunamitis enim *captiva* interpretatur), revertere ad libertatem evangelicæ dignitatis. Et quæ ignoras hujus conceptionis speciem, ab hac ignorantia revertere ad modi concipiendi cognitionem. « Spiritus » enim « sanctus superveniet in te et virtus Altissimi obumbrabit tibi (*ibid.*). » *Ut intueamur te* **39** non solum per scientiam vel gratiam, verum etiam per

VARIÆ LECTIONES.

[92] *Ms. idem, pro* delectationibus *habet* dilectoribus, *atque sic etiam legendum est.* [93] *Ms. Tornacense* ideo homo natus sum, *Villariense autem sic :* humiliatus in virginalis uteri thalamo. [94] *Ms. Villar.* exinaniverit. [95] Incarnaverit. [96] *Idem ms. hic inserit* : et vulneraret medicum, ut, etc.

incarnationis præsentiam. Vel possunt esse verba sanctorum spirituum assumptionem Virginis desiderantium. Quod dicitur *revertere, revertere*, quasi dicant : Primo *revertere* a captivitate mundi, quia captivitati mundi non debes subjici, per quam captivi a captivitate sua sunt soluti. Secundo *revertere* ab onere sive corruptione carnis, quia sicut immunis es a corruptione peccati, sic ad immortalitatem transire debes absorpta mortalitate per gratiam Dei. Tertio *revertere* ad libertatem filiorum Dei (*Rom.* vi), quia sicut nunquam regnavit peccatum in tuo mortali corpore, sic digna es perfrui eadem spiritus libertate in carne virginali qua fruuntur in spirituali scientia[97] angeli, ab ipsa sui creatione sive potius confirmatione. Quarto *revertere ut intueamur te*, a dignitate angelorum ad superexcellentiam jam beatificatorum spirituum. Quia sicut in faciem Filii tui desideramus prospicere, sic in specie et pulchritudine tua vultus defigere volumus, et luce vultus tui illustrari omnibus modis satagimus. Et quasi Christus, hæc loquens, sermonem dirigeret ad Spiritum sanctum, sequitur :

CAPITULUM VII.

Quid videbis in Sunamite, nisi choros castrorum?

Chori castrorum sunt conventus virtutum, quæ in Virgine ordinantur, quibus Virgo contra vitia dæmones et hæreticos munitur. Et nota quod chori sunt canentium, castra vero pugnantium. In Virgine ergo fuerunt chori canentium quantum ad consonantiam virtutum, castra vero pugnantium secundum quod Virgo circumsepta et sanctis disciplinis instructa vitiorum et dæmonum repellebat insultus. Et adhuc ad Virginem Christus sermonem dirigens, ait :

Quam pulchri sunt gressus tui, in calceamentis, filia principis !

Gressus tui, gloriosa Virgo, sunt nobilitas, virginitas, fecunditas; nobilitas generis, integritas carnis et mentis, fecunditas prolis. Calceamenta sunt affectus, effectus, profectus, excessus ; affectus in meditationibus, effectus in operationibus, profectus in desideriis, excessus in gaudiis. Tu autem es principalis filia principis, Dei videlicet qui est Princeps principum et Dominus dominantium, quia te specialiter per gratiam genuit, specialiter informavit; ita tamen Dei filia, quod et ejus Mater intacta. Vel per pedes et gressus intelliguntur mentales affectus, qui omnino purgati fuerunt et decorati in incarnatione Christi. Per calceamenta figuratur incarnatio divina.

Calceamentum enim solet fieri de pelle mortui animalis, nec tota pellis cedit in calceamentum hominis; sed potius pars pellis. Humana autem natura mortificata erat per pœnas et culpam.

Hanc pellem humanæ pœnæ assumpsit Christus quantum ad naturæ substantiam, sed non totam quantum ad naturæ circumstantiam, quia in assumpsit pœnam, non vero culpam. Sic ergo etiam calceamentum assumpsit, quando humanam naturam assumpsit. Prosequens autem pulchritudinem Virginis, ait :

Juncturæ femorum tuorum sicut monilia.

Femora solent esse generationis signum. Junctura autem femorum nihil aliud intelligitur quam concordia duarum fecunditatum quæ fuerunt in Virgine : una mentis, altera ventris. Et hæc junctura fuit sicut monile, id est [illegible] duplicem, virginitatem [60] carnis et virginitatem mentis. Per monile sunt [illegible] castitas. Monile enim solet apponi pectori ad ornatum et in castitatis signum : unde dicitur monile, id est monens castitatem. Est ergo sensus : *Juncturæ femorum tuorum sicut monilia*, id est sicut in gratia est duplici fecunditate, ita duplici virginitate.

Quæ fabricata sunt manu artificis.

Id est, Dei omnipotentis cujus artificio omnis virtus collata est Virgini, vel manu artificis, id est Filio Dei. Ipse enim est manus Dei Patris, per quem fecit et sæcula (*Hebr.* i).

Umbilicus tuus crater tornatilis, nunquam indigens poculis.

Sicut in viro vis concupiscendi sedem habet in lumbis, sic in femina vis concupiscendi in umbilico. Umbilicus etiam est in medio ventris. Per umbilicum igitur Virginis, intelligitur vis intelligendi [98], qua Deum dilexit scilicet charitas. Hæc in Virgine fuit quasi crater : quia, ea mediante, Virgo mundo lætitiæ vinum propinavit, de quo dicitur : « Calix meus inebrians quam præclarus est (*Psal.* xxii). » Et alibi : « Vinum lætificat cor hominis (*Psal.* ciii). » Et bene *crater tornatilis* dicitur, quia torno facilius operamur. Et ipsa Virgo, sine omni difficultate, sine omni illecebra, sine omni carnis angustia, concepit et peperit. *Nunquam indigens poculis.* Minus dicit et plus significat, id est, plenus poculis, quia in mundo propinavit vinum dilectionis, vinum salutis, vinum æternæ perfectionis vitæ. Nec mirum si umbilicus tuus talis est, quia.

Venter tuus sicut acervus tritici, vallatus liliis.

Eleganter venter Virginis comparatur acervo tritici, quia de ipso processit granum frumenti, quod cadens in terram et mortuum, multiplicem fructum attulit (*Joan.* xii) : ex quo processit in Ecclesia Dei multiplicata seges fidelium et credentium. *Venter*, inquam, *vallatus liliis*, quia etsi plenus fecunditate, decoratus tamen virginitate.

Duo ubera tua, sicut duo hinnuli capreæ gemelli.

Duo ubera Virginis possunt intelligi caro et anima ipsius, quia caro ab omni concupiscentia mundata et virginitate decorata, et anima virtu-

VARIÆ LECTIONES.

[97] Idem ms. Villar., pro *scientia*, habet *substantia*. [98] Ms. Villar., pro *intelligendi* habet *diligendi*.

tum deliciis referta in quibus (quia Christus delectatus est) fuerunt ei quasi ubera a quibus contraxit specialiter et jucunditatis et dilectionis pabula. Illa fuerunt quasi *hinnuli capreæ*. Caprea Christus est, quia sicut animal illud perspicuitate intuitus insignitur et in altis commoratur, sic Dei Filius in cœlestibus habitat, et omnia sua sapientia penetrat. Hujus duo hinnuli sunt corpus et anima Christi; quia sicut hinnuli a caprea procedunt nec ab ea recedunt, imo etiam comitantur ejusque uberibus lactantur, sic caro Christi ab ipso Christo formata animaque creata ipsum sequuntur euntem in cœlum, et ab uberibus divinitatis ejus delectabiliter pascuntur [99]. Præter hæc omnia

Collum tuum sicut turris eburnea.

Id est, doctrina tua qua instruxisti evangelistas, fuit firma et in nullo vacillans, in nullo dubitans, simpliciter docens, nihil falsitatis admiscens, et in omni sanctitate et sanctimonia docens. Ebur enim castitatem et munditiam in Scripturis significat. Similiter

41 *Oculi tui sicut piscinæ in Hesebon, quæ sunt in porta filiæ multitudinis.*

Oculi Virginis dicuntur vita contemplativa, et vita activa, in quarum altera scilicet activa, videt quid agendum ; in altera videlicet contemplativa, quid diligendum. Istæ comparantur piscinis ; quia et Virginem spirituali refectione satiant, et a macula peccati liberant. Hæ sunt *in Hesebon*, id est *in cingulo mæroris :* hæc enim est interpretatio hujus nominis. Virgo enim quantum ad activam vitam vallatur cingulo mœroris, pro diuturnitate laboris et miseriæ, et quantum ad contemplativam pro dilatione patriæ. *Quæ piscinæ sunt in porta filiæ multitudinis.* Sancta Ecclesia recte dicitur multitudinis filia, quia numerositatem gentium quotidie colligit. Hæc porta est fides vel lavacrum baptismi, per quod patet aditus in Ecclesiam Dei. In porta ergo filiæ multitudinis sunt istæ piscinæ ; quia per fidem Ecclesiæ comparantur prædictæ vitæ. A simili :

Nasus tuus sicut turris Libani, quæ respicit contra Damascum.

Per nasum figuratur Virginis discretio, qua discernebat fetorem vitiorum ab odore virtutum. Hinc [100] comparatur turri Libani, quia tanquam turris defendebat [1] ab incursibus malignantium. Et bene turri Libani similis dicitur. Libanus enim *candidatio* interpretatur, quia eam candore virginitatis venustabat et contra vitia defendebat. Hæc contra Damascum respicere dicitur. Damascus enim *sanguinis potus* vel *sanguinis oculus* interpretatur, ideo significat voluptates et illecebras carnis, per

A quod insinuatur quod discretio Virginis contraria erat voluptatibus et illecebris.

Caput tuum ut Carmelus, et comæ capitis tui sicut purpura regis juncta canalibus.

Carmelus qui et Chermel dicitur mons est, et interpretatur *cognitio circumcisionis* et significat Christum qui vera circumcisione fideles suos ab omnibus vitiis circumcidere novit. Et est caput Virginis, cujus comæ sunt omnes fideles. Quæ *comæ* tinctæ sunt *sicut purpura regis*, quia sanguine veri regis decorantur. *Juncta canalibus.* Per purpuram Christi passio, per canales corda nostra significantur. Quia, sicut per canales aqua decurrere solet, ita per corda nostra compunctio ex recordatione passionis Christi. Jungitur itaque pur-

B pura regis, id est passio Christi canalibus, id est humilibus cordibus nostris, quando ipsis intimis cordibus nostris vera charitate Christo passo compatimur, quia, si compatimur, et conregnabimus (*II Tim.* II). Et ideo :

Quam pulchra es et quam decora, charissima, in deliciis!

Quam pulchra es exterius per activam vitam, *et quam decora* interius per contemplativam ! *charissima* in deliciis, id est in dilectione Dei et proximi; quia

Statura tua assimilata est palmæ, et ubera tua botris.

Palma horridam quamdam radicem habet, aspe-

C rum corticem, roboris firmitatem, stipitis proceritatem, pulchra in culmine, delectabilis in flore, dulcis in fructificatione. Solet etiam deferri in signum victoriæ. Statura ergo Virginis gloriosæ, **42**
id est processio vitæ ejus assimilatur palmæ. Ipsa enim processit de radice horrida, id est de peccatrice Synagoga tanquam de spina rosa. Asperum habuit corticem, quia quantum ad sæcularem honorem fuit firma, quantum ad divitias temporales, paupercula ; sed firmitatem habuit roboris per constantiam mentis. Erecta fuit in stipite, quia ad cœlum suspensa animi intentione.

Pulchra in culmine, in virginitatis et humilitatis celsitudine, delectabilis in flore; quia sine concupiscentia concepit florem campi, et lilium conval-

D lium. Dulcis in fructificatione, quia sine pœna [2] peperit mundi Redemptorem. Hæc nobis proponitur in signum victoriæ et exemplum, ut, sicut ipsa vicit mundum, peccatum, diabolum, ita et nos vincamus juxta posse nostrum. *Et ubera tua botris*, quia, ut superius diximus, ubera Mariæ dicuntur virginitas et humilitas, in quibus delectatus est Christus : quæ nobis proposita sunt ad informandum et instruendum ut sequamur vestigia ejus. Et compa-

VARIÆ LECTIONES.

[99] *Ms. Villar hic adjungit :* quas nunquam dimisit ex quo assumpsit, quidquid enim boni habet anima vel caro, habet a Dei Verbo. Sic ergo, *duo ubera* Virginis, sunt *sicut duo hinnuli capræ* quod Virgo in corpore et anima corpori et animæ Christi est conformata. [100] *MS.*, hæc. [1] *Idem ms.*, eam defendebat.
[2] *MS., pro* pœna *habet* dolore.

rantur botris : quia botrus in flore parit odorem, in fructu dulcedinem. Calefacit etiam et reficit : sic virginitas et humilitas Virginis fragrant odore bonæ opinionis, fructum dulcedinis propinant [a], calefaciunt in amorem, et reficiunt ad spiritualem satietatem. Et sicut descendi in te palmam, ita ascendam in palmam, id est crucem. Loquitur ergo ad sponsam de passione sua, et revelat ei consilium suum quod ab æternis temporibus erat apud Patrem dispositum, quod Virgini celare noluit. Et hoc est quod ait : *Dixi*, id est æternaliter et incommutabiliter statui. *Ascendam in palmam*, id est in crucem. Palmam dicit, quia signum triumphale est contra omnem potestatem inimici. *Et apprehendam fructum ejus.* Fructus palmæ illius totus mundus dignoscitur esse per crucem redemptus : unde idem Salvator ait : « Si exaltatus fuero a terra, omnia trabam ad me ipsum (*Joan.* XII). » Et hoc est quod dicitur :

Dixi, ascendam in palmam, et apprehendam fructus ejus.

Unde et sequitur :

Et erunt ubera tua, sicut botri vineæ.

Postquam Christus passus est, et per resurrectionem et ascensionem et sancti Spiritus missionem dilatata est fama nominis Christi : ubera Virginis, id est humilitas et virginitas emiserunt odorem bonæ opinionis ; Virginis imitatores exemplo reficiendo, et ad amorem ejus inflammando. Vel duo ubera dicuntur duo brachia charitatis, quibus Christum dilexit Virgo, quæ in passione fuerunt quasi botri ; quia dilectio Virginis in passione Filii magis flagravit per apparitionem, et eam sobrie inebriavit per dolorem. Et tunc :

Et odor oris tui sicut odor malorum.

Id est, fama et opinio operum tuorum erunt *sicut odor malorum :* quia veniet ad maturitatem, et aliis exhibebunt suavissimum odorem.

Guttur tuum sicut vinum optimum.

Id est, meditatio tua in Scripturis per quam formatur verbum sanctæ institutionis, et spiritualis cibus sacræ Scripturæ trajicitur in stomachum mentis ; est *sicut vinum optimum*, i l est comparatur vino optimo ; quia et sobrie inebriat et a curis temporalium liberat. Cum hæc diceret Christus, quasi [b] verba interrumperet, sequitur :

43 *Dignum dilecto meo ad potandum, labiisque et dentibus illius ad ruminandum.*

Quia meditatio mea in Scriptur's ita placet Deo *dilecto meo*, sicut alicui placet poculum odore et sapore, *labiisque et dentibus illius ad ruminandum.* Per labia doctores, et per dentes prædicatores intelliguntur, qui in sacra Scriptura suam habent meditationem. Nec absurdum est, quia cum vinum potetur et non ruminetur quod magis ad cibum quam ad potum pertinet. Nam sancti doctores spi-

A rituale vinum ruminant, quando spiritualia præcepta diligenter inquirunt, et crebra meditatione investigant atque invicem conferunt. Sic ergo vinum optimum propino dilecto meo. Et hoc est quod sequitur :

Ego dilecto meo, et ad me conversio ejus.

Ego dilecto meo propino sanctæ meditationis poculum, *et ad me conversio ejus* per adjutorium ; quia sine eo nihil facere possum. Et quia meditatio mea in sacra Scriptura nullum habet vigorem sine inspiratione tua, ideo,

Veni, dilecte mi, egrediamur in agrum.

Veni ad me per sacræ Scripturæ revelationem, et sic *egrediamur in agrum*, id est in sacræ Scripturæ scrutinium. Et nota quod eleganter sacra B Scriptura ager dicitur, quia sicut in agro pullulat florum diversitas, herbarum varietas ; sic in sacra Scriptura sententiarum pluralitas. Sententia illa quæ ad castitatem monet, lilii tenet imaginem; quæ ad martyrii patientiam, rosæ gerit similitudinem; quæ ad pœnitentiam, violæ repræsentat speciem.

Commoremur in villis.

Commoremur in villis, id est in obscuris libris diligens adhibendo studium, ut ex fumo eliciamus lucem, ex nocte solem, ex obscuro splendorem. Eleganter autem villæ obscuros libros sacræ Scripturæ significant ; quia, sicut in villis non est frequens strepitus hominum, nec tantus tumultus civium, quantus in urbibus et civitatibus ; sic in C obscuris sacræ Scripturæ locis non tanta perstrepit garrulitas hominum quam in apertis locis. Obscura enim sacræ Scripturæ loca longe sunt relegata a vulgari intellectu [c], et sic :

Mane surgamus ad vineas, videamus si floruit vinea, si flores fructus parturiunt, si floruerunt mala punica.

Mane surgamus ad vineas, id est ad spiritum a littera surgentes, ab historia ad mysticum sensum, accedamus ad sacras Scripturas ; in quibus virent frondes historiæ, redolet flos allegoriæ, satiat fructus tropologiæ. Et hoc *mane*, id est per diluculum spiritualis intelligentiæ. Et sic *videamus*, id est experiamur, hoc est me experiri facias, *si floruit vinea*, id est sacra Scriptura in me per allegoricum sensum. *Si flores fructus parturiunt*, per mo- D ralem intellectum ; quia, sicut post florem sequitur fructus, sic moralis intellectus post allegoricam interpretationem ad nostri informationem. *Si floruerunt mala punica.* Malum punicum exterius habet corticem, interius continet granorum plenitudinem. Hæc est sacra Scriptura, quæ exterius repræsentat corticem litteræ, interius continet fecunditatem **44** spiritualis intelligentiæ. Malum ergo punicum in mente floret, quando hominem spe æternæ beatitudinis sacra Scriptura ad patientiam [d] monet. Robur enim et rubeum quod exterius

VARIÆ LECTIONES.

[a] *Ms. addit* : imitatoribus Virginis. [b] *Ms. Villar. apponit*, Virgo. [c] *Ms.* intelligentia. [d] *Ms. Villar.* tolerantiam passionum.

malum punicum demonstrat, tolerantiam passionum designat.

Ibi dabo tibi ubera mea.

Id est, in ipsa meditatione Scripturæ manifestabo duplicem charitatem, qua te diligo secundum quod Deus es, et secundum quod homo. Ex frequenti enim sacræ Scripturæ meditatione inardescit charitas; ibi enim invenitur quod nobis contulit Christus secundum quod Deus et secundum quod homo.

Mandragoræ dederunt odorem suum in portis nostris.

Quid per mandragoras, herbam scilicet medicinalem et odoriferam, nisi perfectio virtutum gloriosæ Virginis intelligitur? Quæ dum exempla bonorum operum circumquaque per bonam famam tribuit, quasi odorem quo ægroti sanantur, aspergit. Et hoc *in portis*, id est in virtutibus, quæ sunt portæ ad vitam. Nec solum *mandragoræ dederunt odorem suum*, sed et

Omnia poma nova et vetera, dilecte mi, servavi tibi.

Hoc est, præcepta vel sententias vel promissa Novi et Veteris Testamenti *servavi tibi*, id est ad nomen tuum et in te per te implenda esse intellexi. Scio enim omnia quæ in Veteri Testamento annuntiata sunt, non nisi tua auctoritate posse impleri. Per poma autem sacrarum Scripturarum sensus intelliguntur, qui dum a sanctis Patribus ad nos perveniunt et creduntur, quasi quemdam odorem per intellectum pariunt et mentem spiritualiter [1] reficiunt. Ergo, o Christe, tu qui modo es in sinu Patris, assume formam hominis.

CAPITULUM VIII.

Quis mihi det te fratrem meum sugentem ubera matris meæ, ut inveniam te foris?

Sed *quis mihi det te fratrem meum*, id est, quis afficere poterit, ut particeps meæ naturæ existens frater appelleris; *te*, inquam, *sugentem ubera matris meæ*, hoc est assumentem omnia, quæ humanæ naturæ sunt absque peccato nisi Deus Pater? Mater Virginis Synanoga dicitur, de qua descendit et Christus. Sugere ergo ubera Matris virginis est sugere ubera Synagogæ. Introducitur autem hic virgo Maria loquens secundum statum, in quo erat quando respondens angelo, ait: « Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum (*Luc.* I). » Et quis etiam det *ut inveniam te solum foris*, id est ut agnoscam in humana natura incarnatum de mea substantia? Quasi enim Deus intus erat cum in sinu Patris latebat; sed foris inventus est, cum se mundo visibilem præbuit.

Et deosculer te, et jam me nemo despiciat.

Deosculer te, id est multum delecter in te et tu delecteris in me: *et nemo jam me despiciat*, sicut prius, **45** antequam venires in me. Quia ante Filii A Incarnationem nullius momenti esse videbatur; sed post conceptionem et partum in magno honore est habita; non solum ab hominibus sed etiam ab angelis; quia inter mulieres benedicta, imo super choros angelorum exaltata. Et cum in carne veneris.

Apprehendam te, et ducam in domum matris meæ.

Apprehendam te, id est summa dilectione amplectar, *et ducam in domum matris meæ*. Mater Virginis Synagoga est; cujus Synagogæ domus et cubiculum vetus est lex in qua habitat. In hanc ergo domum sive cubiculum introducit eum Virgo Maria: quando omnia quæ de eo in Veteri Testamento scripta sunt diligenter considerat et intelligit veraciter in Christo completa. Et hoc est quod sequi- B tur:

Ibi me docebis et dabo tibi poculum ex vino conditum, et mustum malorum granatorum meorum.

Ibi, id est in Veteri Testamento *docebis me*, id est aperies mihi sensum ut intelligam omnia quæ in lege, prophetis et psalmis scripta sunt de te. *Et dabo tibi poculum ex vino conditum*. Poculum vino conditum dedit virgo Maria Christo, quando Novum Testamentum consonare Veteri intellexit in ipso. Et quasi vino poculum condivit; quia dulcedinem Evangelii testimoniis legis quæ aspera est, ut robustius teneatur, tingendam esse cognovit. Et præterea dabo tibi *mustum malorum granatorum meorum*, id est prædicto modo ad te referam spiritualem C intelligentiam in me ferventem per crebram meditationem. Et bene mysticum sensum; mustum vocat quod adeo ferventissimum est, ut omnem sordem nimio fervore a se excoquat. Quia spiritualis intelligentia legis Mosaicæ a se litteralem sensum quasi fæcem eliminat. Et ideo quia ejus gratiam et ineffabilem dulcedinem sentio, jam terrena omnia postpono, ipsam etiam vitam carnis pro ejus amore contemno, et ad ejus beatitudinem videndam totis desideriis anhelo. Virgo enim menti suæ ea quæ videbat supposuit, et ea quæ non videbat omni conatu et universis cogitationibus appetiit, quæ tanto desiderio cœlestia sectabatur, ut omnia visibilia pro nihilo reputaret mentem suam cœlestibus desideriis occupans [2].

D *Læva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me.*

Ista ergo lævam sub capite habebat, quia mente erecta ad beatitudinem vitam præsentem sub se portabat [3]. Et dextera Christi eam amplexabatur, quia ex omni parte cœlestis eam dilectio tuebatur. Et quia Virgo in contemplatione erat dum veniret, evangelistas Christus admonet ne Virginem a somno contemplationis excitantes ab ea quærant quæ gessit Christus in carne, nisi quando ipsa illis voluerit revelare. Fuit enim tempus quando Virgo contemplationi vacavit, fuit tempus quando multa

VARIÆ LECTIONES.

[1] *Ms.* spiritualiter implendo. [2] *Ms. Villar.* sine intermissione occupant. [3] *Idem ms.* videt.

de gestis Christi apostolis revelavit. Et hoc est quod dicitur:

46 *Adjuro vos, filiæ Jerusalem, ne suscitetis, neque evigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit.*

Et quia tanti meriti fuit Virgo, eam assumptam in cœlum laudant cum admiratione exercitus cœlestium spirituum in hunc modum :

Quæ est ista quæ ascendit de deserto, deliciis affluens, innixa super dilectum suum ?

Descendit Virgo in desertum, ascendit per desertum, ascendit super desertum, *ascendit de deserto.* Descendit in desertum, per nativitatem ; ascendit per desertum, progrediendo de virtute in virtutem (*Psal.* LXXXIII) ; ascendit super desertum, omnem mundanorum contemnens sublimitatem ; ascendit de deserto, in æternam beatitudinem. Et hoc est quod hic dicitur : *Quæ est ista*, id est quanti meriti, quantæ dignitatis, *quæ ascendit de deserto*, id est de mundo in cœlum ; *deliciis affluens*, id est multis virtutibus insignita? *Innixa super dilectum suum*, quia Christo per dilectionem adhærens et in solius Christi auxilio confidens de largitate [10] ab exsilio ad patriam transfertur. Unde vero accipit illa ut ab infimis ad superiora, a deserto ad regnum ascendere possit, manifestat dilectus cum subdit :

Sub arbore malo suscitavi te.

Arborem enim non malam , sed malum vocat Christus crucem suam, propter æternæ beatitudinis fructum, quem per crucem Virgo mater accepit, et cum ipsa cæteræ fideles animæ, sed illa plenius. At [11] propter bonum odorem crucis Christi in omnes gentes, et quia illa gloriosa malum sustinuit, de qua superius dictum est : *Sicut malus inter ligna silvarum ; sic dilectus meus inter filios.*

Ibi corrupta est mater tua :

Scilicet sub ipsa cruce per incredulitatem corrupta est Synagoga, de qua secundum carnem descendit Virgo Maria. Unde et sequitur :

Ibi violata est genitrix tua.

Genitrix tua, id est eadem Synagoga *ibi violata est* a diabolo. Vel sic : *Sub arbore malo suscitavi te*, id est sub me qui dicor arbor malus prædictis rationibus, *suscitavi te*, id est ad virtutum plenitudinem exaltavi, per hoc quod in te et ex te incarnatus sum, exaltata es super choros angelorum. *Ibi corrupta est mater tua*, id est in me Synagoga peccavit. Et hoc est quod sequitur : *ibi violata est.* Et quia exaltavi te, ideo :

Pone me [12] *ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum.*

Signaculum dicitur cujus sigillum vel forma vel imago solet ceræ imprimi ut cera recipiat formam sigilli, ut secreta celentur ignotis, aperiantur notis. Sic Virgo Maria Christum [13] cor suum posuit ut signaculum ; quia ipsi per imitationem conformata

47 est ejusque gratia consignata. Unde legitur : « Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine, dedisti lætitiam in corde meo (*Psal.* IV). » Hoc autem fuit incognitum diabolo : et cognitum angelo. *Et pone me ut signaculum super brachium tuum*, id est in omnibus operibus tuis memor eris mei. Super cor Virginis et super brachium dilectus, ut signaculum ponitur, quia in cogitationibus et in actionibus Virgo Maria filium imitabatur. Per cor enim cogitatio, et per brachium operatio significatur. Et ideo hoc facis ·

Quia fortis est ut mors, dilectio.

Quia sicut mors separat animam a corpore , et jam nihil concupiscere in præsente vita homini licet, ita dilectio, qua Virgo Christum dilexit, totam Virginem huic mundo mortificavit , et insensibilem reddidit, soli Christo viventem, et mundo mortuam. Et vere dilectio illa fortis est in Virgine, quia

Dura sicut infernus, æmulatio.

Id est, dilectionis exsecutio et effectus , est dura sicut infernus. Quia quemadmodum infernus eos, quos semel recipit nunquam dimittit; ita, postquam charitas in Virgine venit, nunquam eam dimisit. Nec mirum, inquit, si dilectio tua tantæ sit fortitudinis, quia

Lampades ejus, lampades ignis atque flammarum.

Lampades, id est ardores et compunctiones dilectionis illius sunt *lampades ignis et flammarum* , quia lucem boni exempli aliis effundunt. Lampades ergo dilectionis præcordia sunt Virginis, in quibus velut in vasis dilectio habitabat. Ergo *lampades* erant *ignis*, quia intus ardebat per amorem ; *et lampades flammarum* , quia exterius lucebat per operationem. Lampades, inquam, sunt sicut flammatus ignis, quod potest per hoc probari , quoniam

Aquæ multæ non potuerunt [*poterunt*] *exstinguere charitatem, nec flumina obruent illam.*

Multæ aquæ, id est minæ persecutorum vel blandimenta sæculi vel tribulationes , quæ per aquas significantur, *non potuerunt exstinguere charitatem*, quæ est inter me et te. *Nec flumina*, id est impetuosæ persecutiones obruent illam dilectionem. Quamvis enim persecutores corpus occidant, animam tamen non possunt occidere (*Matth.* x). Tantæ ergo dignitatis, ut dictum est, existit dilectio tua, etsi non tantam debet unusquisque habere, quod

Si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam [*eum*] *:*

Quia omnis substantia hujus mundi vilis est , et quasi arena exigua in comparatione dilectionis. Et hinc est quod electi non solum substantiam suam, verum etiam se ipsos ad mortem pro dilectione Christi tradiderunt. Hucusque locutus est Christus

VARIÆ LECTIONES.

[10] *Ms. Tornacense :* Deo largiente; *ms. vero Villariense*, eo largiente. [11] *Idem Villar. pro* at *legit* et. [12] *Idem ms. hic immediate subjungit :* Pone me, *id est pones me, ut ponatur præsens imperativum pro futuro indicativo, quod frequens legitur in sacra pagina.* [13] Super cor.

de Virgine secundum statum post incarnationem, nunc loquitur de eadem secundum statum quem habuit ante tempus incarnationis. Et introducitur loquens ad angelos de mittendo nuntio ad Virginem, et de incarnatione celebranda in Virgine. Ait ergo :

48 *Soror nostra parvula* [*parva*] *est, et ubera non habet.*

Virgo Maria parvula est humilitate, parvula ætate secundum aliquos, qui dicunt eam fuisse tredecim [14] annorum, quando Dei Filius ad eam misit angelum ; parvula etiam terrenæ possessionis modicitate, *parvula* opinione. *Et ubera non habet*, id est non est fecunda per conceptionem. Vel adhuc non habet tanta ubera quanta est habitura videlicet charitatis, hoc est adhuc non habet tantam dilectionis plenitudinem quantam habitura est post incarnationem ad diligendum me Deum et hominem.

Quid faciemus sorori nostræ, in die quando alloquenda est ?

Ista interrogatio non est ignorantis, sed dispensatoria. Novit enim quid facturus sit Deus. *Quid*, ait angelus, *faciemus sorori nostræ ?* id est, Virgini Mariæ, quæ soror dicitur Christi, ratione humanæ naturæ, secundum quam Virgo quodammodo erat futura soror Christi, quia in humana natura ei conveniens ; erat etiam soror angelorum, quantum ad spiritualis gratiæ participium, in qua Christus futurus erat similis Mariæ et angelicæ naturæ ; *in die quando alloquenda est*, id est quo tempore Gabriel archangelus eam est allocuturus.

Si murus est, ædificemus super eam propugnacula argentea.

Id est, si firmum propositum habet virginitatem servandi, quam Deo vovit : (quod quidem habet) *ædificemus super eam propugnacula argentea*, id est instruamus eam in scientiis divini eloquii, ut credat de se nasci [15] Filium Dei juxta auctoritates divini verbi : si observaverit virginitatem carnis et animi.

Si ostium est, compingamus illud tabulis cedrinis.

Si ostium est, id est si mihi per fidem et obedientiam et humilitatem præbuerit aditum ad se ut incarner de ipsa ; *compingamus illud tabulis cedrinis*, id est instruamus eam in sacris Scripturis, ut intelligat de se esse dicta, quæ a prophetis de Virgine sunt prædicta. Et quasi ad hoc [16] respondeat, sequitur :

Ego murus, et ubera mea sicut turris, ex quo facta sum coram eo quasi pacem reperiens.

Ego sum *murus*, id est firmum habeo propositum virginitatis, hoc est, quod in Evangelio legitur : « Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco (*Luc.* I) ? » id est propositum non cognoscendi habeo. *Et ubera mea sicut turris*, id est humilitas et virginitas mea immobiliter me custodiunt, et in me immobiles sunt. *Ex quo facta sum coram illo quasi pacem reperiens*, id est ex quo in me humilitatem et virginitatem habui, in quibus maxime Christo et angelis placui, quia similia similibus gaudent. Et nota quod eleganter ait *quasi pacem reperiens*, ad designandum quod in mundo non est vera pax, sed quasi pax et umbra pacis. Unde Christus discipulis ait : « Pacem meam do vobis (*Joan.* XIV), » id est, pro futuro, sed modo relinquo vobis pacem, id est pacis reliquias. Nec mirum si ita me munit Christus ; quia Ecclesiam suam ab initio munivit Christus, et prius in Abel justo. Et hoc est quod sequitur :

49 *Vinea fuit pacifico, in ea quæ habet populos, tradidit eam custodibus.*

Vinea fuit pacifico, id est Ecclesia conjuncta est Christo, quam Christus tanquam vinitor pacificus excoluit redimendo a peccatis, informando virtutibus, delectando in ejus fructibus, id est bonis operibus. Et quod fuerit pacificus apparet in ea pace, quæ tenet populos, quia nisi esset pacificus, nec dum pax esset in terra inter hominem et angelum. Per hunc enim pacificata sunt quæ in cœlis, et quæ sunt in terra (*Col.* I). Vel ad vineam, id est Ecclesiam potest referri quod dicitur, *quæ habet populos*, quia de Ecclesia sunt populi ad fidem conversi ; et eam non reliquit Christus negligenter, sed *tradidit eam custodibus*, id est prædicatoribus apostolis et eorum successoribus, et etiam angelis qui eam semper custodiunt.

Vir affert pro fructu ejus mille argenteos.

In quantum [17] vinitor ille pacificus eam excoluit et operandi facultatem et mercedem habendi pacem tradidit, quod *vir*, id est ille non mollis sed fortis, *affert pro fructu ejus* remunerationem promissam Ecclesiæ ; *mille argenteos*, id est universam substantiam suam. Mille enim argentei significant omnia quæ in hoc mundo possideri possunt. Millenarius enim numerus pro summa perfectione ponitur. Vir ergo affert mille argenteos pro fructu, quia sancti viri omnia relinquunt et pauperibus erogant, ut æternam mercedem consequantur. Et verum est quod dicis, o Virgo, quia,

Vinea mea coram me est.

Id est cum ea sum usque ad consummationem sæculi.

Mille tui pacifici [pacifice], *et ducenti his qui custodiunt fructus ejus.*

Ac si diceret : O Virgo Maria, certa es de mercede æterna, quia *mille pacifici tui*. Per millenarium significatur perfectio ; per hoc quod dicitur *pacifici*, significatur æterna remuneratio, in qua est vera pax. Per mille ergo pacificos, perfecta Virginis re-

VARIÆ LECTIONES.

[14] *In ms. Villar. habetur* quatuordecim. [15] *Idem ms.* posse nasci. [16] *Idem ms. interponit verbum* Virgo. [17] *Ms.*, in tantum.

muneratio insinuatur, huic duplex corona in corpore et in anima cum fructu æternæ vitæ in cœlo reservatur, quod per ducentos significatur. Adhuc loquens ad Virginem ait Christus :

Quæ habitas in hortis, amici auscultant.

Quasi diceret : In multis pulchritudinem tuam laudavi. In hac autem ultima allocutione hoc te moneo :

Fac me audire vocem tuam.

Id est orationem tuam, quia de quacunque tribulatione clamaveris ad me, exaudiam te. Et hoc est, o Virgo Maria, quæ habitas in hortis, in horto Ecclesiæ, scilicet corporaliter et in horto virtutum germinantium in vitam æternam spiritualiter. In horto qui Christus est per amorem, et in horto vitæ æternæ per spem, consequenter habitatura per speciem. *Fac me audire vocem tuam*, id est ad me dirige vocem tuam ut eam adimpleam, quia inordinate orare non potes. Et hoc ideo quia auscultant amici tui, id est angeli qui te diligunt et custodiunt, semper parati renuntiare mihi verba tua, cogitationes et opera. Et quia monuerat Christus ut post suam ascensionem Virgo ad ipsum suam dirigeret orationem ut colloqueretur ei corde et voce, quod postea Virgo consentiens Christi ascensioni ait :

50 *Fuge, dilecte mi, et assimilare capreæ hinnuloque cervorum super montes aromatum.*

Mira exhortatione Christus exhortatur Virginem ut instet orationi, ut possit audire vocem ipsius, et ipsa hortatur eum ut fugiat, sed magna est mysterii consequentia. Nam cum superius prædicta sit Christi nativitas cum dixit : *Quis det te fratrem meum*, etc. Et ejus passio ubi dictum est : *Sub arbore malo suscitavi te;* nunc consequenter hortatur Mater Filium ut fugiat, id est velocissime ad Patrem per ascensionem redeat. Et est sensus : Jubes me orationi insistere, scilicet secundum quod disposuisti, cui dispositioni contraire nolo. *Fuge*, id est completo incarnationis et passionis mysterio ad cœlum revertere, ut jam non te hominem, sed sicut Deum semper cogitare et orare incipiam; tunc enim audies vocem meam. Verumtamen ne me in præsenti, tua visitatio deserat, digneris me crebro per majoris gratiæ infusionem revisere, teque mihi videndum sæpius præbe. Et hoc est quod dicit : *Similis esto capreæ hinnuloque cervorum super montes aromatum. Sicut capreæ hinnulique cervorum* indomita animalia hominum consortium refugiunt, tamen crebrius in montibus videntur. Sic et tu post ascensionem tuam licet invisibilis sis, dignare mihi per majora dona gratiæ tuæ apparere. Et hoc *super montes aromatum*, id est in eminentiis virtutum. *Montes aromatum* dicuntur excellentiæ virtutum cœlesti conversationi proximæ et rectæ operationis odore et fama longe lateque diffusæ.

Expositionis Alani de Insulis, in Cantica canticorum, ad laudem Deiparæ Virginis Mariæ ad preces prioris Cluniacensis editæ finis [18].

VARIÆ LECTIONES.

[18] Hæc ultima clausula additur in antiquissimo codice ms. S. Martini Tornaci.

SUMMA
MAGISTRI ALANI
DOCTORIS UNIVERSALIS
DE ARTE PRÆDICATORIA

In qua optimi suggeruntur conceptus ad formandas conciones in omni fere materia morali, nunc primum in lucem edita

—

51 AD LECTOREM.

Hujus Summæ duo habui exemplaria manuscripta in pergameno, ex Bibliotheca nostra Dunensi, unum characteribus vetustissimis exaratum, et obscurissimis verborum abbreviationibus repletum; aliud recentiori nonnihil (ut apparet) manu conscriptum, et priore multo auctius, quod proinde hic secutus fui; adnotando tamen in margine verborum et sententiarum discrepantias, quibus hinc inde ab alio exemplari discrepat. Addidi (in lectorum gratiam) loca sacræ Scripturæ, ad singulas sententias quæ ex eadem hic in contextu proferuntur.

—

Quo abiit dilectus tuus, o pulcherrima mulierum? quo declinavit dilectus tuus, et quæremus eum tecum?

Quare Christus specialiter dilectus Virginis dicatur, et quare ipsa mulierum pulcherrima, superius expositum est. Sed nota quod dicitur *abiit*. Abire longius ire est. Abit ergo, quando inquirentibus se multum tarde advenire videtur. Declinat, cum citius ad se quærentes redit. Sed abit et declinat ad tempus; ut majus ad se quærendum desiderium excitet. Bene autem dicitur *quæremus eum tecum:* quia, sine gloriosæ Virginis fide, qui Christum quærit, errare potest, proficere non potest. Ad hoc respondet Virgo, dicens :

CAPITULUM VI.

Dilectus meus descendit in hortum suum ad areolam aromatum, ut pascatur in hortis et lilia colligat.

Hortus Christi dicitur humana natura, in quam Christus specialiter abiit, quando eam sibi univit et in eam declinavit, quando se ipsum humiliando exinanivit (*Phil.* II). Humana enim Christi natura plenam et perfectam habuit de Deo scientiam, quam Christus quasi hortum sibi præparavit et excoluit, quam virtutum germinibus conseruit, quam merito [87] suæ custodiæ ab incursu malignorum spirituum defendit. Et bene *in hortum suum* descendisse dicitur, nam in horto sepeliri voluit, et primo Mariæ Magdalenæ in horto apparuit (*Joan.* XIX et XX). Descendisse autem dicitur, quia de superioribus in hortum, quem humili loco plantaverat, venit. *Ad areolam aromatum;* anima Christi areola intelligitur, quæ disciplina cœlesti exculta est et diligenter composita; *ut pascatur in hortis*, id est ut sanctorum studiis delectetur. *Et lilia colligat*, id est a sanctis castitatem et sanctitatem recipiat. Et quia dilectus meus pascitur in hortis :

Ego dilecto meo, et dilectus meus mihi.

Ego dilecto meo gratam mansionem præparo; *et dilectus meus mihi* cœleste præmium vel gratiam perfectorum. Et quia ipse in me habitat, et me in se habitare facit, sicut ipse ait : « Ego in vobis et vos in me (*Joan.* XIV). »

Qui pascitur inter lilia.

Id est non curat nisi sanctos innocentia albos, candidos castitate, redolentes bona opinione. Christus **35** Virgini reddens vicem commendationis, ait :

Pulchra es, amica mea, suavis et decora, sicut Jerusalem.

Pulchra es fide, *suavis* spe, *decora* charitate, *sicut Jerusalem*. Jerusalem interpretatur *pacis visio*. Quid igitur verius Jerusalem quam gloriosa Virgo, in qua pax pectoris et pax æternitatis? Hæc est arca

A Noe in qua pacatæ sunt bestiæ, quia in ea non fuerunt cogitationes inordinatæ.

Terribilis ut castrorum acies ordinata.

Quia in vita, multis freta virtutibus, et in morte angelorum vallata agminibus. Et sicut terribilis facta est suis virtutibus hæreticorum interimens errores, dæmonum suggestiones repellens, etiam [88] in assumptione, eorumdem angelorum fulta est præsidiis et sanctorum coronata choris. Et ne Virgo crederet in præsenti per Scripturarum investigationem et evangelicam contemplationem se plenarie comprehendere Deum, ait Christus :

Averte oculos tuos a me, quia ipsi me avolare fecerunt.

B Licet pulchra, licet amica mea sis, tamen *averte oculos tuos a me*, quasi diceret : Ego dedi tibi oculos columbinos, quibus me intueri et arcana Scripturarum valeres penetrare, sed cave ne illos intendere ad me videndum plenarie velis in præsenti vita, quia in præsenti non potes. Unde dicit ad Moysen : « Non enim videbit me homo et vivet (*Exod.* XXXIII). » Quando vero assumpta ad me perveneris, tunc me, aperta visione, videbis. Quod autem dicitur, *quia ipsi me avolare fecerunt*, non putandum quod Deus quærentes se deserat, et ab illis recedat, cum ipse præcipiat : « Quærite et invenietis (*Matth.* VII); » sed ita accipiendum est, quia quanto magis quisque divinitatem Dei perscrutari voluerit, eo amplius intelliget quod inscrutabilis et incomprehensibilis sit. Et hoc est quod

C Psalmista ait : « Accedet homo ad cor altum, et exaltabitur Deus (*Psal.* LXIII), » [89] quia quantus sit comprehendi non potest. Et quamvis plenarie me videre non possis, tamen

Capilli tui sicut grex caprarum, quæ apparuerunt de Galaad.

Capilli tui, id est cogitationes tuæ quæ procedunt a spirituali capite, id est a mente, sunt *sicut grex caprarum*, id est sicut motus contemplationis, qui per capras figurantur, ut superius dictum est. *Quæ apparuerunt de monte Galaad;* quia tales motus de eminentia humanæ conditionis procedunt, et multiplex testimonium veritati asserunt [90].

Dentes tui sicut greges ovium, quæ ascenderunt de

D *lavacro.*

Id est, exercitia tua in sacris Scripturis sunt *sicut greges ovium*, id est pertinent ad spirituales intellectus, qui per oves figurantur, propter simplicitatem et puritatem. *Quæ ascenderunt de lavacro;* quia tales intellectus a carnali intelligentia purgati, ab imaginibus defæcati, ascenderunt ad contemplationem Dei.

Omnes gemellis fetibus, et sterilis non est in eis.

Quia tales intelligentiæ etiam bonam concipiunt intentionem, et honestam pariunt actionem; unde

VARIÆ LECTIONES.

[87] *Ms.* Muro. [88] *Ms. Villar.* et in *pro* etiam. [89] *Ms. Villar. hic interserit sequentia:* quasi dicat, licet ad intuendum Deum se sublevet, exaltabitur Deus; quia, etc. [90] *Ms.* afferunt.

et sequitur : *Et sterilis non est in eis*, in bonis scilicet operibus.

36 *Sicut cortex mali punici, sic genæ tuæ absque eo quod intrinsecus latet* [*occultis tuis*].

In genis diximus superius significari castam Virginis verecundiam; in cortice mali punici intelligimus memoriam passionis Christi. *Genæ* ergo Virginis erant *sicut cortex mali punici*, quia ipsa non erubescebat crucem Christi. Unde Apostolus : « Nolite erubescere crucem Christi, neque me vinctum ejus (*II Tim.* I). » Et hæc quidem magna sunt quæ in aperto sunt; sed maxima illa quæ sunt intrinsecus, hoc est, quæ in futuro Virgini sunt reservata. Et quamvis multæ sunt animæ sanctæ quæ mihi spiritualiter adhærent, tamen una est quam specialius diligo propter simplicitatem et virtutum perfectionem; hanc intelligo gloriosam Virginem, et hoc est quod ait :

Sexaginta sunt reginæ, et octoginta concubinæ, et adolescentularum non est numerus.

Reginæ sunt doctores Ecclesiæ, qui merito fidei et scientiæ amplexibus æterni Regis digni sunt et spirituales filios Deo pariunt, et se ipsos bene regunt. Audi reginam bene se regentem et filios Deo parturientem : « Filioli, inquit, quos iterum parturio, donec Christus formetur in vobis (*Gal.* IV). » Bene quidem per sexagenarium reginæ istæ designantur, qui ex denario et senario multiplicatus perficitur. Per denarium decem præcepta legis, per senarium operis perfectio designatur, quia sex diebus opera sua perfecit Deus (*Gen.* I). *Et octoginta concubinæ.* Concubinæ sunt, qui non sunt casti, id est qui non vera et sola dilectione Dei annuntiant Evangelium; sed propter terrena lucra aut pro humana laude. Sed mirum est cur per octogenarium numerum hoc tale designatur, cum hic numerus perfectissimus in omnibus divinæ Scripturæ locis inveniatur, illi autem imperfecti et pravi comprobantur. Ideo puto quod licet imperfecti sint, perfectionem tamen in vultu per hypocrisim ostendunt et ore, qui, cum sint nequissimi, alios tamen per Evangelium generant ad perfectionem, de quibus Salvator : « Attendite a falsis prophetis, etc. » (*Matth.* VII). « Ipse quoque Satanas transfigurat se in angelum lucis (*II Cor.* XI). » *Et adolescentularum non est numerus.* Adolescentulæ jam in Christo renatæ, quæ deposita primi hominis vetustate in Christo renovatæ sunt necdum nubiles necdum toro regis aptæ; quia necdum ad prædicationem de Christo pervenerunt. *Quarum non est numerus;* quia non est numerus animarum in Christo credentium, sed soli Deo cognitus. Et quamvis tot sint reginæ, tot concubinæ, tot adolescentulæ; tamen

Una est columba mea, perfecta mea, una est matris suæ, electa genitrici suæ.

Una est columba mea speciali simplicitate, *perfecta mea* virtutum plenitudine; *una est* filia scilicet *matris suæ, electa genitrici suæ*, videlicet Synagogæ, de qua descendit Christus secundum carnem; et ideo mater ejus dicitur. Hæc specialis fuit virgo Maria inter omnes dignissima, inter omnes unica, inter omnes benedicta.

Viderunt eam filiæ Sion, et beatissimam prædicaverunt, reginæ et concubinæ laudaverunt eam.

Filiæ Sion, id est animæ sanctæ, quæ jam per fidem et spem sunt in speculatione, *viderunt eam et beatissimam prædicaverunt.* Non beatam dixerunt, sed beatissimam prædicaverunt, quæ Dei Filium genuit, quæ virgo permansit, humilitate prædita, virginitate beata, reverentia laudabilis, obedientia spectabilis. Et nota quod superius vocavit adolescentulas eas quas modo vocat filias. *Sion reginæ*, ut superius dictum est, vocantur doctores Ecclesiæ, qui suæ prædicationis præconio Virginem laudant, beatissimam prædicant, filias Sion ad ejus imitationem invitant. *Et concubinæ laudaverunt eam.* Concubinæ, ut dictum est, dicuntur illi qui intuitu **37** favoris humani, vel terreni emolumenti Dei gloriam præconantur, nec laudes Virginis Matris silent [11] laudantes in hunc modum :

Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens ?

Quantæ dignitatis est, quæ cum tanto honore et cum tanta gloria progreditur, ut merito suæ pulchritudinis auroræ comparetur? *Progreditur*, inquam, de virtute in virtutem (*Psal.* LXXXIII) *quasi aurora*, quia sicut aurora solem super terram lucentem mundo inducit, sic virgo Maria quasi cœlestis aurora Solem justitiæ mundo parit. Aurora solem antecedit, sed ipsa tamen a solis virtute procedit; sic Virgo veri luminis prævia, id est Solis justitiæ est prænuntia ; sed tamen ab ipso spirituali gratia est illuminata. Et vere *quasi aurora consurgens*, id est tota simul surgens; quia tota fuit sancta et corpore et spiritu splendens.

Pulchra ut luna, electa ut sol.

Nam sicut luna noctem irradiat, ita hæc exemplo nos illuminat, Solem justitiæ pariendo, tenebras nostræ ignorantiæ eliminat. Et sicut luna illuminatur a sole, sic Virgo illustratur veri solis claritate. Et sicut *pulchra* est *ut luna*, imo plus quam luna, quia luna aliquando deficit, ista semper proficit; luna decrescit, ista semper crescit; luna aliquam in se habet maculam, ista nullam, ideo *electa ut sol*, qui in se nullum habet defectum luminis. Sicut sol omnibus mundanis antefertur, sic ista omnibus creaturis præfertur et ipsum verum solem imitari nititur vivendo in omni humilitate, mansuetudine, justitia et sanctitate. Et sicut sol sui cursus solitas non mutat habenas, sic beata Virgo propositum, quod semel arripuit, non mutavit.

Terribilis ut castrorum acies ordinata.

Quibus terribilis? Principibus tenebrarum, diabolo et angelis ejus. Hos terret et pungit, et pro

VARIÆ LECTIONES.

[11] *Ms. Villar. pro* silent *habet* diffitentur.

suorum famulorum erectione sæpe improbos reprimit et retundit malignantium insultus. *Terribilis*, inquam, hæreticis, quos tua virtute confundis, et perfidis, quorum errores a tuis delectationibus [92] avertis. *Ut castrorum acies ordinata*, id est ita fide, spe et dilectione munita, ut nullis tentationibus inimici valeat penetrari. Nota quod reginæ vocaverunt eam auroram, lunam et solem, et ordinatam ut castrorum aciem, Christus autem vocat hortum suum, dicens :

Descendi in hortum meum, ut viderem poma convallis.

Quasi diceret : Quia talis est Virgo jam humanatus sum in virginalis uteri thalamo [93]. Hic est hortus in quo spirant virtutum aromata, in quo redolent patientiæ rosaria. Hic est hortus fructibus redundans, copiis exuberans, flore virginitatis vernans, quem non venti tangit austeritas, ubi mollioris auræ gratia indesinenter aspirat, et vernalis amœnitas allicit intuentes. Et nota quod, ubi habemus in littera nostra *meum*, quidam codices habent *nucum*, quod eleganter convenit Virgini gloriosæ. Nux quippe habet amarum corticem, testam duram, nucleum dulcissimum ; ita Virgo mater exterius habuit carnis infirmitatem et duram testam, id est fidei firmam constantiam, et virginitatis perseverantiam, et dulcissimum nucleum Christum quia mundo parit Christum, ex quo data est nobis dulcedo æternæ beatitudinis. Sic ergo Christus descendit in Virginem per incarnationis suæ humilitatem, ut videret, hoc est videre faceret *poma convallis*, id est **38** fructus qui in humilitate condiuntur. Dicitur autem Deus aliquid videre, id est aliquid videri facere, juxta quod ad Abraham dictum est : « Ego cognovi, » id est alios cognoscere feci, « quod timeas Deum (*Gen.* XXII). »

Et inspicerem si floruisset vinea, et germinassent mala punica.

Id est, considerarem quomodo Ecclesia per orbem diffusa in virtutibus floret, et illos sollicite inspicerem qui jam maturi sunt ad perferenda martyria. Hæc enim omnia magnam vigilantiam, et sollicitudinem, et dilectionem quam habet erga Ecclesiam commendant.

Nescivi, anima mea conturbavit me propter quadrigas Aminadab.

Ita Christus venit in carnem et de me assumpsit carnem, dicit Virgo, sed antequam veniret in me, *nescivi* ipsum scilicet venturum in me. Sciebam ipsum nasciturum de virgine, sed qua nesciebam. Et hoc est quod dicit *nescivi* Filium Dei, scilicet de me nasciturum ante angeli adventum ; unde et ad sermonem ipsius angeli : *Anima*, inquit, *mea conturbavit me*, quia cogitabam qualis esset ista salutatio.

A Hoc est quod in Evangelio legitur. « Quæ cum audisset turbata est in sermone ejus et cogitabat qualis esset ista salutatio (*Luc.* I). » Et hoc *propter quadrigas Aminadab*. Nota quatuor fuisse per quæ Christus venit in virginem Mariam, humilitas, charitas, misericordia, prudentia. Venit enim in summa humilitate Filius Dei ad Virginem, ut tanta esset humilitas in Redemptore, quanta fuerat superbia in primo peccatore. Tanta enim fuit superbia in primo parente, ut se erigeret contra suum Creatorem ; tanta humilitas in Dei Filio, quod se inclinaverit [94] usque ad miseriæ carnis nostræ assumptionem (*Phil.* II). Mulier prima voluit se æquare Deo, se humilem Dei ancillam professa est gloriosa Virgo. Similiter ex summa charitate

B Filius Dei inclinavit se [95]. Quæ enim est major charitas, quam Filium Dei venire in mundum ut redimeret servum, [96] ut sanaret ægrotum ? Similiter summa pietas et misericordia incarnavit Filium Dei. Quæ enim major pietas et misericordia quam Deum se exinanire et servi formam accipere (*ibid.*), quam opificem opus suum eripere de lacu fæcis et miseriæ (*Psal* XXXIX). Et summa etiam prudentia fuit, quod se Dei sapientia incarnavit, ut homo hominem redimeret. Hæc quatuor humilitas, charitas, misericordia, prudentia, fuerunt quasi quædam quadrigæ per quam incarnatus venit ad nos Dei Filius. Hæc autem quatuor admirata est Virgo in sermone angelico, humilitatem, charitatem, mise-

C ricordiam et prudentiam, quæ Christus exhibuit nobis cum carnem assumpsit in virginali utero. Hæ autem dicuntur quadrigæ Aminadab, id est Christi. Aminadab pronepos fuit Judæ patriarchæ, per quem generatio Christi contexitur, qui interpretatur *populi mei spontaneus*. Et significat Christum qui populo suo spontaneus fuit, quia, cum esset Deus, se ipsum pro ipso tradidit. Sed quasi ad Virginem turbatam in sermone suo respondeat angelus, sequitur :

Revertere, revertere, Sunamitis [*Sulamitis*], *revertere, revertere, ut intueamur te.*

Revertere ad te : « Ne timeas, invenisti enim gratiam apud Dominum (*Luc.* I). » *Revertere* ad Scripturas, ut de Scripturis quæ dico intelligas. « Quia

D ecce concipies in utero, et paries Filium, et vocabis nomen ejus Emmanuel (*ibid.*). » Et quæ prius fuisti *Sunamitis*, id est captiva sub onere legis (Sunamitis enim *captiva* interpretatur), revertere ad libertatem evangelicæ dignitatis. Et quæ ignoras hujus conceptionis speciem, ab hac ignorantia revertere ad modi concipiendi cognitionem. « Spiritus » enim « sanctus superveniet in te et virtus Altissimi obumbrabit tibi (*ibid.*). » *Ut intueamur te* **39** non solum per scientiam vel gratiam, verum etiam per

VARIÆ LECTIONES.

[92] *Ms. idem, pro* delectationibus *habet* dilectoribus, *atque sic etiam legendum est.* [93] *Ms. Tornacense* ideo homo natus sum, *Villariense autem sic :* humiliatus in virginalis uteri thalamo. [94] *Ms. Villar.* exinaniverit. [95] Incarnaverit. [96] *Idem ms. hic inserit* : et vulneraret medicum, ut, etc.

incarnationis præsentiam. Vel possunt esse verba sanctorum spirituum assumptionem Virginis desiderantium. Quod dicitur *revertere, revertere*, quasi dicant : Primo *revertere* a captivitate mundi, quia captivitati mundi non debes subjici, per quam captivi a captivitate sua sunt soluti. Secundo *revertere* ab onere sive corruptione carnis, quia sicut immunis es a corruptione peccati, sic ad immortalitatem transire debes absorpta mortalitate per gratiam Dei. Tertio *revertere* ad libertatem filiorum Dei (*Rom.* VI), quia sicut nunquam regnavit peccatum in tuo mortali corpore, sic digna es perfrui eadem spiritus libertate in carne virginali qua fruuntur in spirituali scientia[97] angeli, ab ipsa sui creatione sive potius confirmatione. Quarto *revertere ut intueamur te*, a dignitate angelorum ad superexcellentiam jam beatificatorum spirituum. Quia sicut in faciem Filii tui desideramus prospicere, sic in specie et pulchritudine tua vultus defigere volumus, et luce vultus tui illustrari omnibus modis satagimus. Et quasi Christus, hæc loquens, sermonem dirigeret ad Spiritum sanctum, sequitur:

CAPITULUM VII.

Quid videbis in Sunamite, nisi choros castrorum?

Chori castrorum sunt conventus virtutum, quæ in Virgine ordinantur, quibus Virgo contra vitia dæmones et hæreticos munitur. Et nota quod chori sunt canentium, castra vero pugnantium. In Virgine ergo fuerunt chori canentium quantum ad consonantiam virtutum, castra vero pugnantium secundum quod Virgo circumsepta et sanctis disciplinis instructa vitiorum et dæmonum repellebat insultus. Et adhuc ad Virginem Christus sermonem dirigens, ait :

Quam pulchri sunt gressus tui, in calceamentis, filia principis !

Gressus tui, gloriosa Virgo, sunt nobilitas, virginitas, fecunditas; nobilitas generis, integritas carnis et mentis, fecunditas prolis. Calceamenta sunt affectus, effectus, profectus, excessus ; affectus in meditationibus, effectus in operationibus, profectus in desideriis, excessus in gaudiis. Tu autem es principalis filia principis, Dei videlicet qui est Princeps principum et Dominus dominantium, quia te specialiter per gratiam genuit, specialiter informavit; ita tamen Dei filia, quod et ejus Mater intacta. Vel per pedes et gressus intelliguntur mentales affectus, qui omnino purgati fuerunt et decorati in incarnatione Christi. Per calceamenta figuratur incarnatio divina.

Calceamentum enim solet fieri de pelle mortui animalis, nec tota pellis cedit in calceamentum hominis; sed potius pars pellis. Humana autem natura mortificata erat per pœnas et culpam.

Hanc pellem humanæ pœnæ assumpsit Christus

A quantum ad naturæ substantiam, sed non totam quantum ad naturæ circumstantiam, quia ita assumpsit pœnam, quod non culpam. Sic ergo quasi calceamentum applicuit, quando humanam naturam assumpsit. Prosequens autem pulchritudinem Virginis, ait :

Juncturæ femorum [feminum] tuorum, sicut monilia.

Femora solent esse generationis signa. Junctura autem femorum nihil aliud intelligitur, quam concordia duarum fecunditatum quæ fuerunt in Virgine : una mentis, altera ventris. Et hæc junctura fuit sicut monile, id est habuit secum comitem duplicem, virginitatem **40** carnis et virginitatem mentis. Per monile solet notari castitas. Monile

B enim solet apponi pectori ad ornandum, et in castitatis signum ; unde dicitur monile, id est monens castitatem. Est ergo sensus : *Juncturæ femorum tuorum sicut monilia*, id est sicut tu prædita es duplici fecunditate, ita duplici virginitate.

Quæ fabricata sunt manu artificis.

Id est, Dei omnipotentis cujus largitate omnis virtus collata est Virgini, vel *manu artificis*, id est Filio Dei. Ipse enim est manus Dei Patris, per quem fecit et sæcula (*Hebr.* I).

Umbilicus tuus crater tornatilis, nunquam indigens poculis.

Sicut in viro vis concupiscendi sedem habet in lumbis, sic in femina vis concupiscendi in umbi-

C lico. *Umbilicus* etiam est in medio ventris. Per umbilicum igitur Virginis, intelligitur vis intelligendi [98], qua Deum dilexit scilicet charitas. Hæc in Virgine fuit quasi crater; quia, ea mediante, Virgo mundo lætitiæ vinum propinavit, de quo dicitur : « Calix meus inebrians quam præclarus est (*Psal.* XXII). » Et alibi : « Vinum lætificat cor hominis (*Psal.* CIII). » Et bene *crater tornatilis* dicitur, quia torno facilius operamur. Et ipsa Virgo, sine omni difficultate, sine omni illecebra, sine omni carnis angustia, concepit et peperit. *Nunquam indigens poculis.* Minus dicit et plus significat, id est, plenus poculis, quia in mundo propinant vinum dilectionis, vinum salutis, vinum lætitiæ, poculum vitæ. Nec mirum si umbilicus tuus talis est, quia ,

D *Venter tuus sicut acervus tritici, vallatus liliis.*

Eleganter venter Virginis comparatur acervo tritici, quia de ipso processit granum frumenti, quod cadens in terram et mortuum, multiplicem fructum attulit (*Joan.* XII) ; ex quo processit in Ecclesia Dei multiplicata seges fidelium et credentium. *Venter*, inquam, *vallatus liliis*, quia etsi plenus fecunditate, decoratus tamen virginitate.

Duo ubera tua, sicut duo hinnuli capreæ gemelli.

Duo ubera Virginis possunt intelligi caro et anima ipsius, quia caro ab omni concupiscentia mundata et virginitate decorata; et anima virtu-

VARIÆ LECTIONES.

[97] *Idem ms. Villar., pro* scientia, *habet* substantia. [98] *Ms. Villar., pro* intelligendi *habet* diligendi.

tum deliciis referta in quibus (quia Christus delectatus est) fuerunt ei quasi ubera a quibus contraxit specialiter et jucunditatis et dilectionis pabula. Illa fuerunt quasi *hinnuli capreæ*. Caprea Christus est, quia sicut animal illud perspicuitate intuitus insignitur et in altis commoratur, sic Dei Filius in cœlestibus habitat, et omnia sua sapientia penetrat. Hujus duo hinnuli sunt corpus et anima Christi; quia sicut hinnuli a caprea procedunt nec ab ea recedunt, imo etiam comitantur ejusque uberibus lactantur, sic caro Christi ab ipso Christo formata animaque creata ipsum sequuntur euntem in cœlum, et ab uberibus divinitatis ejus delectabiliter pascuntur [99]. Præter hæc omnia

Collum tuum sicut turris eburnea.

Id est, doctrina tua qua instruxisti evangelistas, fuit firma et in nullo vacillans, in nullo dubitans, simpliciter docens, nihil falsitatis admiscens, et in omni sanctitate et sanctimonia docens. Ebur enim castitatem et munditiam in Scripturis significat. Similiter

41 *Oculi tui sicut piscinæ in Hesebon, quæ sunt in porta filiæ multitudinis.*

Oculi Virginis dicuntur vita contemplativa, et vita activa, in quarum altera scilicet activa, videt quid agendum; in altera videlicet contemplativa, quid diligendum. Istæ comparantur piscinis; quia et Virginem spirituali refectione satiant, et a macula peccati liberant. Hæ sunt *in Hesebon*, id est *in cingulo mœroris:* hæc enim est interpretatio hujus nominis. Virgo enim quantum ad activam vitam vallatur cingulo mœroris, pro diuturnitate laboris et miseriæ, et quantum ad contemplativam pro dilatione patriæ. *Quæ piscinæ sunt in porta filiæ multitudinis.* Sancta Ecclesia recte dicitur multitudinis filia, quia numerositatem gentium quotidie colligit. Hæc porta est fides vel lavacrum baptismi, per quod patet aditus in Ecclesiam Dei. In porta ergo filiæ multitudinis sunt istæ piscinæ; quia per fidem Ecclesiæ comparantur prædictæ vitæ. A simili:

Nasus tuus sicut turris Libani, quæ respicit contra Damascum.

Per nasum figuratur Virginis discretio, qua discernebat fetorem vitiorum ab odore virtutum. Hinc [100] comparatur turri Libani, quia tanquam turris defendebat [1] ab incursibus malignantium. Et bene turri Libani similis dicitur. Libanus enim *candidatio* interpretatur, quia eam candore virginitatis venustabat et contra vitia defendebat. Hæc contra Damascum respicere dicitur. Damascus enim *sanguinis potus* vel *sanguinis oculus* interpretatur, ideo significat voluptates et illecebras carnis, per

A quod insinuatur quod discretio Virginis contraria erat voluptatibus et illecebris.

Caput tuum ut Carmelus, et comæ capitis tui sicut purpura regis juncta canalibus.

Carmelus qui et Chermel dicitur mons est, et interpretatur *cognitio circumcisionis* et significat Christum qui vera circumcisione fideles suos ab omnibus vitiis circumcidere novit. Et est caput Virginis, cujus comæ sunt omnes fideles. Quæ *comæ* tinctæ sunt *sicut purpura regis*, quia sanguine veri regis decorantur. *Juncta canalibus.* Per purpuram Christi passio, per canales corda nostra significantur. Quia, sicut per canales aqua decurrere solet, ita per corda nostra compunctio ex recordatione passionis Christi. Jungitur itaque

B purpura regis, id est passio Christi canalibus, id est humilibus cordibus nostris, quando ipsis intimis cordibus nostris vera charitate Christo passo compatimur, quia, si compatimur, et conregnabimus (*II Tim.* II). Et ideo:

Quam pulchra es et quam decora, charissima, in deliciis!

Quam pulchra es exterius per activam vitam, *et quam decora* interius per contemplativam! *charissima* in deliciis, id est in dilectione Dei et proximi; quia

Statura tua assimilata est palmæ, et ubera tua botris.

Palma horridam quamdam radicem habet, asperum corticem, roboris firmitatem, stipitis proceri-

C tatem, pulchra in culmine, delectabilis in flore, dulcis in fructificatione. Solet etiam deferri in signum victoriæ. Statura ergo Virginis gloriosæ, 42
id est processio vitæ ejus assimilatur palmæ. Ipsa enim processit de radice horrida, id est de peccatrice Synagoga tanquam de spina rosa. Asperum habuit corticem, quia quantum ad sæcularem honorem fuit firma, quantum ad divitias temporales, paupercula; sed firmitatem habuit roboris per constantiam mentis. Erecta fuit in stipite, quia ad cœlum suspensa animi intentione.

Pulchra in culmine, in virginitatis et humilitatis celsitudine, delectabilis in flore; quia sine concupiscentia concepit florem campi, et lilium conval-

D lium. Dulcis in fructificatione, quia sine pœna [2] peperit mundi Redemptorem. Hæc nobis proponitur in signum victoriæ et exemplum, ut, sicut ipsa vicit mundum, peccatum, diabolum, ita et nos vincamus juxta posse nostrum. *Et ubera tua botris*, quia, ut superius diximus, ubera Mariæ dicuntur virginitas et humilitas, in quibus delectatus est Christus: quæ nobis proposita sunt ad informandum et instruendum ut sequamur vestigia ejus. Et compa-

VARIÆ LECTIONES.

[99] *Ms. Villar hic adjungit:* quas nunquam dimisit ex quo assumpsit, quidquid enim boni habet anima vel caro, habet a Dei Verbo. Sic ergo, *duo ubera* Virginis, sunt *sicut duo hinnuli capræ* quod Virgo in corpore et anima corpori et animæ Christi est conformata. [100] *MS.*, hæc. [1] *Idem ms.*, eam defendebat.
[2] *MS.*, *pro* pœna *habet* dolore.

rantur botris : quia botrus in flore parit odorem, in fructu dulcedinem. Calefacit etiam et reficit : sic virginitas et humilitas Virginis fragrant odore bonæ opinionis, fructum dulcedinis propinant [a], calefaciunt in amorem, et reficiunt ad spiritualem satietatem. Et sicut descendi in te palmam, ita ascendam in palmam, id est crucem. Loquitur ergo ad sponsam de passione sua, et revelat ei consilium suum quod ab æternis temporibus erat apud Patrem dispositum, quod Virgini celare noluit. Et hoc est quod ait : *Dixi*, id est æternaliter et incommutabiliter statui. *Ascendam in palmam*, id est in crucem. Palmam dicit, quia signum triumphale est contra omnem potestatem inimici. *Et apprehendam fructum ejus.* Fructus palmæ illius totus mundus dignoscitur esse per crucem redemptus : unde idem Salvator ait : « Si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum (*Joan.* XII). » Et hoc est quod dicitur :

Dixi, ascendam in palmam, et apprehendam fructus ejus.

Unde et sequitur :

Et erunt ubera tua, sicut botri vineæ.

Postquam Christus passus est, et per resurrectionem et ascensionem et sancti Spiritus missionem dilatata est fama nominis Christi : ubera Virginis, id est humilitas et virginitas emiserunt odorem bonæ opinionis; Virginis imitatores exemplo reficiendo, et ad amorem ejus inflammando. Vel duo ubera dicuntur duo brachia charitatis, quibus Christum dilexit Virgo, quæ in passione fuerunt quasi botri; quia dilectio Virginis in passione Filii magis flagravit per apparitionem, et eam sobrie inebriavit per dolorem. Et tunc :

Et odor oris tui sicut odor malorum.

Id est, fama et opinio operum tuorum erunt *sicut odor malorum* : quia veniet ad maturitatem, et aliis exhibebunt suavissimum odorem.

Guttur tuum sicut vinum optimum.

Id est, meditatio tua in Scripturis per quam formatur verbum sanctæ institutionis, et spiritualis cibus sacræ Scripturæ trajicitur in stomachum mentis ; est *sicut vinum optimum*, id est comparatur vino optimo ; quia et sobrie inebriat et a curis temporalium liberat. Cum hæc diceret Christus, quasi [b] verba interrumperet, sequitur :

43 *Dignum dilecto meo ad potandum, labiisque et dentibus illius ad ruminandum.*

Quia meditatio mea in Scripturis ita placet Deo *dilecto meo*, sicut alicui placet poculum odore et sapore, *labiisque et dentibus illius ad ruminandum.* Per labia doctores, et per dentes prædicatores intelliguntur, qui in sacra Scriptura suam habent meditationem. Nec absurdum est, quia cum vinum potetur et non ruminetur quod magis ad cibum quam ad potum pertinet. Nam sancti doctores spiritualo vinum ruminant, quando spiritualia præcepta diligenter inquirunt, et crebra meditatione investigant atque invicem conferunt. Sic ergo vinum optimum propino dilecto meo. Et hoc est quod sequitur :

Ego dilecto meo, et ad me conversio ejus.

Ego dilecto meo propino sanctæ meditationis poculum, *et ad me conversio ejus* per adjutorium ; quia sine eo nihil facere possum. Et quia meditatio mea in sacra Scriptura nullum habet vigorem sine inspiratione tua, ideo,

Veni, dilecte mi, egrediamur in agrum.

Veni ad me per sacræ Scripturæ revelationem, et sic *egrediamur in agrum*, id est in sacræ Scripturæ scrutinium. Et nota quod eleganter sacra Scriptura ager dicitur, quia sicut in agro pullulat florum diversitas, herbarum varietas ; sic in sacra Scriptura sententiarum pluralitas. Sententia illa quæ ad castitatem monet, lilii tenet imaginem; quæ ad martyrii patientiam, rosæ gerit similitudinem; quæ ad pœnitentiam, violæ repræsentat speciem.

Commoremur in villis.

Commoremur in villis, id est in obscuris libris diligens adhibendo studium , ut ex fumo eliciamus lucem, ex nocte solem, ex obscuro splendorem. Eleganter autem villæ obscuros libros sacræ Scripturæ significant ; quia, sicut in villis non est frequens strepitus hominum, nec tantus tumultus civium, quantus in urbibus et civitatibus ; sic in obscuris sacræ Scripturæ locis non tanta perstrepit garrulitas hominum quam in apertis locis. Obscura enim sacræ Scripturæ loca longe sunt relegata a vulgari intellectu [c], et sic :

Mane surgamus ad vineas, videamus si floruit vinea, si flores fructus parturiunt, si floruerunt mala punica.

Mane surgamus ad vineas, id est ad spiritum a littera surgentes, ab historia ad mysticum sensum, accedamus ad sacras Scripturas ; in quibus virent frondes historiæ, redolet flos allegoriæ, satiat fructus tropologiæ. Et hoc *mane*, id est per diluculum spiritualis intelligentiæ. Et sic *videamus*, id est experiamur, hoc est me experiri facias, *si floruit vinea*, id est sacra Scriptura in me per allegoricum sensum. *Si flores fructus parturiunt*, per moralem intellectum ; quia, sicut post florem sequitur fructus, sic moralis intellectus post allegoricam interpretationem ad nostri informationem. *Si floruerunt mala punica.* Malum punicum exterius habet corticem, interius continet granorum plenitudinem. Hæc est sacra Scriptura, quæ exterius repræsentat corticem litteræ, interius continet fecunditatem **44** spiritualis intelligentiæ. Malum ergo punicum in mente floret, quando hominem spe æternæ beatitudinis sacra Scriptura ad patientiam [d] monet. Robur enim et rubeum quod exterius

VARIÆ LECTIONES.

[a] *Ms. addit* : imitatoribus Virginis. [b] *Ms. Villar. apponit*, Virgo. [c] *Ms.* intelligentia. [d] *Ms. Villar.* tolerantiam passionum.

malum punicum demonstrat, tolerantiam passionum designat.

Ibi dabo tibi ubera mea.

Id est, in ipsa meditatione Scripturæ manifestabo duplicem charitatem, qua te diligo secundum quod Deus es, et secundum quod homo. Ex frequenti enim sacræ Scripturæ meditatione inardescit charitas; ibi enim invenitur quod nobis contulit Christus secundum quod Deus et secundum quod homo.

Mandragoræ dederunt odorem suum in portis nostris.

Quid per mandragoras, herbam scilicet medicinalem et odoriferam, nisi perfectio virtutum gloriosæ Virginis intelligitur? Quæ dum exempla bonorum operum circumquaque per bonam famam tribuit, quasi odorem quo ægroti sanantur, aspergit. Et hoc *in portis*, id est in virtutibus, quæ sunt portæ ad vitam. Nec solum *mandragoræ dederunt odorem suum*, sed et

Omnia poma nova et vetera, dilecte mi, servavi tibi.

Hoc est, præcepta vel sententias vel promissa Novi et Veteris Testamenti *servavi tibi*, id est ad nomen tuum et in te per te implenda esse intellexi. Scio enim omnia quæ in Veteri Testamento annuntiata sunt, non nisi tua auctoritate posse impleri. Per poma autem sacrarum Scripturarum sensus intelliguntur, qui dum a sanctis Patribus ad nos perveniunt et creduntur, quasi quemdam odorem per intellectum pariunt et mentem spiritualiter [7] reficiunt. Ergo, o Christe, tu qui modo es in sinu Patris, assume formam hominis.

CAPITULUM VIII.

Quis mihi det te fratrem meum sugentem ubera matris meæ, ut inveniam te foris?

Sed *quis mihi det te fratrem meum*, id est, quis afficere poterit, ut particeps meæ naturæ existens frater appelleris; *te*, inquam, *sugentem ubera matris meæ*, hoc est assumentem omnia, quæ humanæ naturæ sunt absque peccato nisi Deus Pater? Mater Virginis Synagoga dicitur, de qua descendit et Christus. Sugere ergo ubera Matris virginis est sugere ubera Synagogæ. Introducitur autem hic virgo Maria loquens secundum statum, in quo erat quando respondens angelo, ait: « Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum (*Luc.* I). » Et quis etiam det *ut inveniam te solum foris*, id est ut agnoscam in humana natura incarnatum de mea substantia? Quasi enim Deus intus erat cum in sinu Patris latebat; sed foris inventus est, cum se mundo visibilem præbuit.

Et deosculer te, et jam me nemo despiciat.

Deosculer te, id est multum delecter in te et tu delecteris in me: *et nemo jam me despiciat*, sicut prius, **45** antequam venires in me. Quia ante Filii

A Incarnationem nullius momenti esse videbatur; sed post conceptionem et partum in magno honore est habita; non solum ab hominibus sed etiam ab angelis; quia inter mulieres benedicta, imo super choros angelorum exaltata. Et cum in carne veneris.

Apprehendam te, et ducam in domum matris meæ.

Apprehendam te, id est summa dilectione amplectar, *et ducam in domum matris meæ*. Mater Virginis Synagoga est; cujus Synagogæ domus et cubiculum vetus est lex in qua habitat. In hanc ergo domum sive cubiculum introducit eum Virgo Maria: quando omnia quæ de eo in Veteri Testamento scripta sunt diligenter considerat et intelligit veraciter in Christo completa. Et hoc est quod sequi-
B tur:

Ibi me docebis et dabo tibi poculum ex vino conditum, et mustum malorum granatorum meorum.

Ibi, id est in Veteri Testamento *docebis me*, id est aperies mihi sensum ut intelligam omnia quæ in lege, prophetis et psalmis scripta sunt de te. *Et dabo tibi poculum ex vino conditum*. Poculum vino conditum dedit virgo Maria Christo, quando Novum Testamentum consonare Veteri intellexit in ipso. Et quasi vino poculum condivit; quia dulcedinem Evangelii testimoniis legis quæ aspera est, ut robustius teneatur, tingendam esse cognovit. Et præterea dabo tibi *mustum malorum granatorum meorum*, id est prædicto modo ad te referam spiritualem
C intelligentiam in me ferventem per crebram meditationem. Et bene mysticum sensum; mustum vocat quod adeo ferventissimum est, ut omnem sordem nimio fervore a se excoquat. Quia spiritualis intelligentia legis Mosaicæ a se litteralem sensum quasi fæcem eliminat. Et ideo quia ejus gratiam et ineffabilem dulcedinem sentio, jam terrena omnia postpono, ipsam etiam vitam carnis pro ejus amore contemno, et ad ejus beatitudinem videndam totis desideriis anhelo. Virgo enim menti suæ ea quæ videbat supposuit, et ea quæ non videbat omni conatu et universis cogitationibus appetiit, quæ tanto desiderio cœlestia sectabatur, ut omnia visibilia pro nihilo reputaret mentem suam cœlestibus desideriis occupans [8].

D *Læva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me.*

Ista ergo lævam sub capite habebat, quia mente erecta ad beatitudinem vitam præsentem sub se portabat [9]. Et dextera Christi eam amplexabatur, quia ex omni parte cœlestis eam dilectio tuebatur. Et quia Virgo in contemplatione erat dum veniret, evangelistas Christus admonet ne Virginem a somno contemplationis excitantes ab ea quærant quæ gessit Christus in carne, nisi quando ipsa illis voluerit revelare. Fuit enim tempus quando Virgo contemplationi vacavit, fuit tempus quando multa

VARIÆ LECTIONES.

[7] *Ms.* spiritualiter implendo. [8] *Ms. Villar.* sine intermissione occupant. [9] *Idem ms.* videt.

de gestis Christi apostolis revelavit. Et hoc est quod A dicitur:

46 *Adjuro vos, filiæ Jerusalem, ne suscitetis, neque evigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit.*

Et quia tanti meriti fuit Virgo, eam assumptam in cœlum laudant cum admiratione exercitus cœlestium spirituum in hunc modum :

Quæ est ista quæ ascendit de deserto, deliciis affluens, innixa super dilectum suum ?

Descendit Virgo in desertum, ascendit per desertum, ascendit super desertum, *ascendit de deserto.* Descendit in desertum, per nativitatem ; ascendit per desertum, progrediendo de virtute in virtutem (*Psal.* LXXXIII) ; ascendit super desertum, omnem mundanorum contemnens sublimitatem ; ascendit de deserto, in æternam beatitudinem. Et hoc est B quod hic dicitur : *Quæ est ista,* id est quanti meriti, quantæ dignitatis, *quæ ascendit de deserto,* id est de mundo in cœlum ; *deliciis affluens,* id est multis virtutibus insignita? *Innixa super dilectum suum,* quia Christo per dilectionem adhærens et in solius Christi auxilio confidens de largitate [10] ab exsilio ad patriam transfertur. Unde vero accipit illa ut ab infimis ad superiora, a deserto ad regnum ascendere possit, manifestat dilectus cum subdit :

Sub arbore malo suscitavi te.

Arborem enim non malam, sed malum vocat Christus crucem suam, propter æternæ beatitudinis fructum, quem per crucem Virgo mater accepit, et cum ipsa cæteræ fideles animæ, sed illa plenius. C At [11] propter bonum odorem crucis Christi in omnes gentes, et quia illa gloriosa malum sustinuit, de qua superius dictum est : *Sicut malus inter ligna silvarum ; sic dilectus meus inter filios.*

Ibi corrupta est mater tua :

Scilicet sub ipsa cruce per incredulitatem corrupta est Synagoga, de qua secundum carnem descendit Virgo Maria. Unde et sequitur :

Ibi violata est genitrix tua.

Genitrix tua, id est eadem Synagoga *ibi violata est* a diabolo. Vel sic : *Sub arbore malo suscitavi te,* id est sub me qui dicor arbor malus prædictis rationibus, *suscitavi te,* id est ad virtutum plenitudinem exaltavi, per hoc quod in te et ex te incarnatus sum, exaltata es super choros angelorum. D *Ibi corrupta est mater tua,* id est in me Synagoga peccavit. Et hoc est quod sequitur : *ibi violata est.* Et quia exaltavi te, ideo :

Pone me [12] *ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum.*

Signaculum dicitur cujus sigillum vel forma vel imago solet ceræ imprimi ut cera recipiat formam sigilli, ut secreta celentur ignotis, aperiantur notis. Sic Virgo Maria Christum [13] cor suum posuit ut signaculum ; quia ipsi per imitationem conformata 47 est ejusque gratia consignata. Unde legitur : « Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine, dedisti lætitiam in corde meo (*Psal.* IV). » Hoc autem fuit incognitum diabolo : et cognitum angelo. *Et pone me ut signaculum super brachium tuum,* id est in omnibus operibus tuis memor eris mei. Super cor Virginis et super brachium dilectus, ut signaculum ponitur, quia in cogitationibus et in actionibus Virgo Maria filium imitabatur. Per cor enim cogitatio, et per brachium operatio significatur. Et ideo hoc facis :

Quia fortis est ut mors, dilectio.

Quia sicut mors separat animam a corpore, et jam nihil concupiscere in præsente vita homini licet, ita dilectio, qua Virgo Christum dilexit, totam Virginem huic mundo mortificavit, et insensibilem reddidit, soli Christo viventem, et mundo mortuam. Et vere dilectio illa fortis est in Virgine, quia

Dura sicut infernus, æmulatio.

Id est, dilectionis exsecutio et effectus, est dura sicut infernus. Quia quemadmodum infernus eos, quos semel recipit nunquam dimittit ; ita, postquam charitas in Virgine venit, nunquam eam dimisit. Nec mirum, inquit, si dilectio tua tantæ sit fortitudinis, quia

Lampades ejus, lampades ignis atque flammarum.

Lampades, id est ardores et compunctiones dilectionis illius sunt *lampades ignis et flammarum,* quia lucem boni exempli aliis effundunt. Lampades ergo dilectionis præcordia sunt Virginis, in quibus velut in vasis dilectio habitabat. Ergo *lampades* erant *ignis,* quia intus ardebat per amorem ; *et lampades flammarum,* quia exterius lucebat per operationem. Lampades, inquam, sunt sicut flammatus ignis, quod potest per hoc probari, quoniam

Aquæ multæ non potuerunt [*poterunt*] *exstinguere charitatem, nec flumina obruent illam.*

Multæ aquæ, id est minæ persecutorum vel blandimenta sæculi vel tribulationes, quæ per aquas significantur, *non potuerunt exstinguere charitatem,* quæ est inter me et te. *Nec flumina,* id est impetuosæ persecutiones obruent illam dilectionem. Quamvis enim persecutores corpus occidant, animam tamen non possunt occidere (*Matth.* X). Tantæ ergo dignitatis, ut dictum est, existit dilectio tua, etsi non tantam debet unusquisque habere, quod

Si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam [*eum*] :

Quia omnis substantia hujus mundi vilis est, et quasi arena exigua in comparatione dilectionis. Et hinc est quod electi non solum substantiam suam, verum etiam se ipsos ad mortem pro dilectione Christi tradiderunt. Hucusque locutus est Christus

VARIÆ LECTIONES.

[10] *Ms. Tornacense :* Deo largiente ; *ms. vero Villariense,* eo largiente. [11] *Idem Villar. pro* at *legit* et. [12] *Idem ms. hic immediate subjungit :* Pone me, *id est pones me, ut ponatur præsens imperativum pro futuro indicativo, quod frequens legitur in sacra pagina.* [13] Super cor.

de Virgine secundum statum post incarnationem, nunc loquitur de eadem secundum statum quem habuit ante tempus incarnationis. Et introducitur loquens ad angelos de mittendo nuntio ad Virginem, et de incarnatione celebranda in Virgine. Ait ergo :

48 *Soror nostra parvula* [*parva*] *est, et ubera non habet.*

Virgo Maria parvula est humilitate, parvula ætate secundum aliquos, qui dicunt eam fuisse tredecim [14] annorum, quando Dei Filius ad eam misit angelum ; parvula etiam terrenæ possessionis modicitate, *parvula* opinione. *Et ubera non habet*, id est non est fecunda per conceptionem. Vel adhuc non habet tanta ubera quanta est habitura videlicet charitatis, hoc est adhuc non habet tantam dilectionis plenitudinem quantam habitura est post incarnationem ad diligendum me Deum et hominem.

Quid faciemus sorori nostræ, in die quando alloquenda est?

Ista interrogatio non est ignorantis, sed dispensatoria. Novit enim quid facturus sit Deus. *Quid*, ait angelus, *faciemus sorori nostræ?* id est, Virgini Mariæ, quæ soror dicitur Christi, ratione humanæ naturæ, secundum quam Virgo quodammodo erat futura soror Christi, quia in humana natura ei conveniens ; erat etiam soror angelorum, quantum ad spiritualis gratiæ participium, in qua Christus futurus erat similis Mariæ et angelicæ naturæ ; *in die quando alloquenda est*, id est quo tempore Gabriel archangelus eam est allocuturus.

Si murus est, ædificemus super eam propugnacula argentea.

Id est, si firmum propositum habet virginitatem servandi, quam Deo vovit : (quod quidem habet) *ædificemus super eam propugnacula argentea*, id est instruamus eam in scientiis divini eloquii, ut credat de se nasci [15] Filium Dei juxta auctoritates divini verbi : si observaverit virginitatem carnis et animi.

Si ostium est, compingamus illud tabulis cedrinis.

Si ostium est, id est si mihi per fidem et obedientiam et humilitatem præbuerit aditum ad se ut incarner de ipsa ; *compingamus illud tabulis cedrinis*, id est instruamus eam in sacris Scripturis, ut intelligat de se esse dicta, quæ a prophetis de Virgine sunt prædicta. Et quasi ad hoc [16] respondeat, sequitur :

Ego murus, et ubera mea sicut turris, ex quo facta sum coram eo quasi pacem reperiens.

Ego sum *murus*, id est firmum habeo propositum virginitatis, hoc est, quod in Evangelio legitur : « Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco (*Luc.* I)? » id est propositum non cognoscendi habeo. *Et ubera mea sicut turris*, id est humilitas et virginitas mea immobiliter me custodiunt, et in me immobiles sunt. *Ex quo facta sum coram illo quasi pacem reperiens*, id est ex quo in me humilitatem et virginitatem habui, in quibus maxime Christo et angelis placui, quia similia similibus gaudent. Et nota quod eleganter ait *quasi pacem reperiens*, ad designandum quod in mundo non est vera pax, sed quasi pax et umbra pacis. Unde Christus discipulis ait : « Pacem meam do vobis (*Joan.* XIV), » id est, pro futuro, sed modo relinquo vobis pacem, id est pacis reliquias. Nec mirum si ita me munit Christus ; quia Ecclesiam suam ab initio munivit Christus, et prius in Abel justo. Et hoc est quod sequitur :

49 *Vinea fuit pacifico, in ea quæ habet populos, tradidit eam custodibus.*

Vinea fuit pacifico, id est Ecclesia conjuncta est Christo, quam Christus tanquam vinitor pacificus excoluit redimendo a peccatis, informando virtutibus, delectando in ejus fructibus, id est bonis operibus. Et quod fuerit pacificus apparet in ea pace, quæ tenet populos, quia nisi esset pacificus, nec dum pax esset in terra inter hominem et angelum. Per hunc enim pacificata sunt quæ in cœlis, et quæ sunt in terra (*Col.* I). Vel ad vineam, id est Ecclesiam potest referri quod dicitur, *quæ habet populos*, quia de Ecclesia sunt populi ad fidem conversi ; et eam non reliquit Christus negligenter, sed *tradidit eam custodibus*, id est prædicatoribus apostolis et eorum successoribus, et etiam angelis qui eam semper custodiunt.

Vir affert pro fructu ejus mille argenteos.

In quantum [17] vinitor ille pacificus eam excoluit et operandi facultatem et mercedem habendi pacem tradidit, quod *vir*, id est ille non mollis sed fortis, *affert pro fructu ejus* remunerationem promissam Ecclesiæ ; *mille argenteos*, id est universam substantiam suam. Mille enim argentei significant omnia quæ in hoc mundo possideri possunt. Millenarius enim numerus pro summa perfectione ponitur. Vir ergo affert mille argenteos pro fructu, quia sancti viri omnia relinquunt et pauperibus erogant, ut æternam mercedem consequantur. Et verum est quod dicis, o Virgo, quia,

Vinea mea coram me est.

Id est cum ea sum usque ad consummationem sæculi.

Mille tui pacifici [pacifice], *et ducenti his qui custodiunt fructus ejus.*

Ac si diceret : O Virgo Maria, certa es de mercede æterna, quia *mille pacifici tui*. Per millenarium significatur perfectio ; per hoc quod dicitur *pacifici*, significatur æterna remuneratio, in qua est vera pax. Per mille ergo pacificos, perfecta Virginis re-

VARIÆ LECTIONES.

[14] *In ms. Villar. habetur* quatuordecim. [15] *Idem ms.* posse nasci. [16] *Idem ms. interponit verbum* Virgo. [17] *Ms.*, in tantum.

muneratio insinuatur, huic ouplex corona in cor- A pore et in anima cum fructu æternæ vitæ in cœlo reservatur, quod per ducentos significatur. Adhuc loquens ad Virginem ait Christus :

Quæ habitas in hortis, amici auscultant.

Quasi diceret : In multis pulchritudinem tuam laudavi. In hac autem ultima allocutione hoc te moneo :

Fac me audire vocem tuam.

Id est orationem tuam, quia de quacunque tribulatione clamaveris ad me, exaudiam te. Et hoc est, o Virgo Maria, quæ habitas in hortis, in horto Ecclesiæ, scilicet corporaliter et in horto virtutum germinantium in vitam æternam spiritualiter. In horto qui Christus est per amorem, et in horto vitæ B æternæ per spem, consequenter habitatura per speciem. *Fac me audire vocem tuam*, id est ad me dirige vocem tuam ut eam adimpleam, quia inordinate orare non potes. Et hoc ideo quia auscultant amici tui, id est angeli qui te diligunt et custodiunt, semper parati renuntiare mihi verba tua, cogitationes et opera. Et quia monuerat Christus ut post suam ascensionem Virgo ad ipsum suam dirigeret orationem ut colloqueretur ei corde et voce, quod postea Virgo consentiens Christi ascensioni ait :

50 *Fuge, dilecte mi, et assimilare capreæ hinnuloque cervorum super montes aromatum.*

Mira exhortatione Christus exhortatur Virginem ut instet orationi, ut possit audire vocem ipsius, et ipsa hortatur eum ut fugiat, sed magna est mysterii consequentia. Nam cum superius prædicta sit Christi nativitas cum dixit : *Quis det te fratrem meum*, etc. Et ejus passio ubi dictum est : *Sub arbore malo suscitavi te;* nunc consequenter hortatur Mater Filium ut fugiat, id est velocissime ad Patrem per ascensionem redeat. Et est sensus : Jubes me orationi insistere, scilicet secundum quod disposuisti, cui dispositioni contraire nolo. *Fuge*, id est completo incarnationis et passionis mysterio ad cœlum revertere, ut jam non te hominem, sed sicut Deum semper cogitare et orare incipiam; tunc enim audies vocem meam. Verumtamen ne me in præsenti, tua visitatio deserat, digneris me crebro per majoris gratiæ infusionem revisere, teque mihi videndum sæpius præbe. Et hoc est quod dicit : *Similis esto capreæ hinnuloque cervorum super montes aromatum. Sicut capreæ hinnulique cervorum* indomita animalia hominum consortium refugiunt, tamen crebrius in montibus videntur. Sic et tu post ascensionem tuam licet invisibilis sis, dignare mihi per majora dona gratiæ tuæ apparere. Et hoc *super montes aromatum*, id est in eminentiis virtutum. *Montes aromatum* dicuntur excellentiæ virtutum cœlesti conversationi proximæ et rectæ operationis odore et fama longe lateque diffusæ.

Expositionis Alani de Insulis, in Cantica canticorum, ad laudem Deiparæ Virginis Mariæ ad preces prioris Cluniacensis editæ finis [18].

VARIÆ LECTIONES.

[18] Hæc ultima clausula additur in antiquissimo codice ms. S. Martini Tornaci.

SUMMA
MAGISTRI ALANI
DOCTORIS UNIVERSALIS
DE ARTE PRÆDICATORIA

In qua optimi suggeruntur conceptus ad formandas conciones in omni fere materia morali, nunc primum in lucem edita

---

51 AD LECTOREM.

Hujus Summæ duo habui exemplaria manuscripta in pergameno, ex Bibliotheca nostra Dunensi, unum characteribus vetustissimis exaratum, et obscurissimis verborum abbreviationibus repletum; aliud recentiori nonnihil (ut apparet) manu conscriptum, et priore multo auctius, quod proinde hic secutus fui; adnotando tamen in margine verborum et sententiarum discrepantias, quibus hinc inde ab alio exemplari discrepat. Addidi (in lectorum gratiam) loca sacræ Scripturæ, ad singulas sententias quæ ex eadem hic in contextu proferuntur.

SUMMA DE ARTE PRÆDICATORIA.

52 PRÆFATIO AUCTORIS.

Vidit scalam Jacob a terra usque ad cœlum attingentem, per quam ascendebant et descendebant angeli (*Gen.* XXVIII). Scala est profectus viri catholici, qui congeritur [19] ab initio fidei, usque ad consummationem viri perfecti. In hac scala primus gradus est, confessio; secundus, oratio; tertius, gratiarum actio; quartus, Scripturarum perscrutatio; quintus, si aliquid [20] occurrat dubium in Scriptura, a majore inquisitio; sextus, Scripturæ expositio; septimus, prædicatio. Homo ergo pœnitens de peccato, primo debet pedem figere in primo gradu hujus scalæ, confitendo peccatum; secundo ascendere secundum gradum, orando ad Dominum ut ei conferatur gratia. Tertius gradus ascenditur, per gratiarum actionem pro gratiæ collatione. Ad quartum gradum fit ascensus per Scripturæ scrutinium, ad gratiam collatam conservandam; sacra enim Scriptura docet quomodo gratia collata conservari possit. Consequenter occurrit quintus gradus, quando dubium occurrit, et lector intelligentiam a majore inquirit. Sextus ascenditur gradus, quando lector aliis sacram Scripturam exponit. Septimum gradum ascendit, quando in manifesto prædicat quæ ex Scriptura didicit. Sed quia de aliis gradibus, quomodo vel quando per eos ascendendum sit, varii [21] varium proposuere tractatum; de prædicatione vero, qualis esse debeat, et quorum, et quibus, proponenda sit, et de quo, et quomodo, et quando, et ubi; quia a paucis dicta sunt [22] ad præsens dignum duximus de his aliquem compingere tractatum, ad utilitatem proximorum. Primo ergo [23] videndum est, quid sit prædicatio, et qualis esse debeat quoad superficiem verborum, et pondus sententiarum, et quot sint ejus species; secundo, quorum debeat esse prædicatio; tertio, quibus sit proponenda; quarto, quare; quinto, ubi.

53 CAPUT PRIMUM.

De prædicatione. Quid sit et qualis esse debeat, etc.

Prædicatio est, manifesta et publica instructio morum et fidei, informationi hominum deserviens, ex rationum semita, et auctoritatum fonte proveniens. Manifesta debet esse prædicatio, quia in manifesto proponenda est. Unde Christus ait : *Quod dico vobis in aure, prædicate super tecta* (*Matth.* X). Si enim prædicatio occulta esset, suspiciosa esset, et videretur redolere hæretica dogmata. In conciona- A bulis [24] enim suis, latenter hæretici prædicant, ut facilius alios decipiant. Publica debet esse, quia non uni, sed pluribus proponenda est. Si enim uni tantum proponeretur, non esset prædicatio, sed doctrina. Ea enim differentia est inter prædicationem, et doctrinam, et prophetiam, et concionationem. Prædicatio enim est illa instructio quæ pluribus fit, et in manifesto, et ad morum instructionem; doctrina vero est quæ vel uni, vel pluribus fit, ad scientiæ eruditionem; prophetia, est admonitio quæ fit per revelationem futurorum; concionatio est civilis admonitio, quæ fit ad reipublicæ confirmationem [25]. Per hoc quod prædicatio dicitur, morum et fidei instructio, insinuantur duæ partes theologiæ: rationalis, quæ de divinis scientiam prosequi- B tur; et moralis, quæ morum instructionem [26] pollicetur : prædicatio enim nunc in divinis instruit, nunc in moribus; quod significatur per angelos ascendentes et descendentes : angeli enim hi sunt prædicatores, qui tunc ascendunt cum cœlestia prædicant; descendunt, quando per moralia se inferioribus conformant. Per hoc quod sequitur : Informationi hominum deserviens, significatur causa finalis, sive utilitas prædicationis. Et quia prædicatio debet rationibus esse subnixa, et ab auctoritatibus roborata, consequenter annectitur : ex rationum semita, et auctoritatum fonte proveniens [27]. Prædicatio enim in se, non debet habere verba scurrilia, vel puerilia, vel rhythmorum melodias et C consonantias metrorum, quæ potius fiunt ad aures demulcendas, quam ad animum instruendum [28], quæ prædicatio theatralis est et mimica, et ideo omnifarie contemnenda, de tali prædicatione dicitur a propheta : Caupones vestri miscent aquam vino (*Isa.* I).

In illa prædicatione est aqua vino mista, in qua puerilia et scurrilia verba, et animos quodammodo effeminantia ponuntur : prædicatio enim non debet splendere phaleris verborum, purpuramentis colorum, nec nimis exsanguibus verbis debet esse dejecta, sed

Medium tenuere beati.

Quia, si nimis esset picturata, videretur nimio studio excogitata, et potius elaborata ad favorem ho- D minum [29] quam ad utilitatem proximorum, et ita minus moveret animos auditorum. Qui sic prædicant Pharisæis comparantur, qui ampliabant fim-

VARIÆ LECTIONES.

[19] *Aliud exemplar habet*, contexitur. [20] Aliquod. [21] *Aliud ex. sic :* Sed quia de aliis gradibus satis patet quomodo, et quando per eos ascendendum sit, de quibus varii, etc. [22] Quia pauca dicta sunt. [23] *Aliud exemplar hic primum inchoat caput, in cujus fronte ponit omnia sequentia :* Primo ergo, etc. *Titulum autem hunc habet :* Quid sit prædicatio, et qualis esse debeat? etc. [24] *Aliud exemplar :* conciliabulis. [25] Conservationem. [26] Infirmationem. [27] *In alio, hic novum incipit caput, sub hoc titulo :* De prædicatione spirituali. [28] Informandum. [29] Humanum.

brias, et dilatabant phylacteria sua (*Matth.* xxiii). Talis autem prædicatio potest dici suspiciosa, non tamen contemnenda, sed sustinenda. Unde Apostolus ait : Quacunque occasione prædicetur Christus, in hoc gaudeo, et gaudebo (*Phil.* i). Non debent etiam interseri, ad majorem Christi laudem [30] quia non minus Christus irascitur de falsa laude, quam de negata veritate. Talis autem prædicatio hæreticorum solet esse, qui vera proponunt, et consequenter falsa interserunt [31] **54** de quibus dicitur : *Lamiæ nudaverunt mammas, lactaverunt filios suos* (*Thren.* iv) [32]. Lamiæ virgineas habent facies suas, sed pedes equinos. Pedes equini ungulam non findunt, sed firmiter terræ affigunt [33]. Per lamias ergo intelliguntur hæretici, qui præponunt faciem virginis, sed concludunt aculeum scorpionis. Primo B enim proponunt vera, consequenter concludunt falsa . pedes vero habent equinos, quia per affectus mentis in Dei et proximi dilectione non dividuntur [34], sed omnes affectus terrenis delectationibus affigunt [35]. Talis prædicatio omnino abjicienda est, quia vitiosa et perniciosa. In sententiis vero debet habere prædicatio pondus, ut virtute sententiarum animos auditorum emolliat [36], excitet mentem, pariat contritionem, compluat doctrinis, tonet minis, blandiatur promissis, et ita tota tendat ad utilitatem proximorum. Sunt enim quidam qui finem suæ prædicationis constituunt terrenam mercedem; horum autem prædicatio sumptuosa est. Tales enim potius mercenarii sunt quam prædicatores, et tamen prædicatio eorum audienda et sustinenda est. C

Unde Dominus : *Quod dicunt facite, quod autem faciunt, nolite facere* (*Matth.* xxiii). Sunt autem tres species prædicationis ; una quæ est in verbo, de qua dicitur : *Ite, prædicate Evangelium omni creaturæ,* etc. (*Marc.* xvi.) Alia est in scripto, unde Apostolus dicit se prædicasse Corinthiis (*I Cor.* v), quia eis epistolas scripsit. Alia est in facto, unde dicitur : *Omnis Christi actio nostra est instructio.* Hæc autem debet esse forma prædicationis, ut initium sumatur ab auctoritate theologica, tanquam a suo proprio fundamento : maxime ab Evangeliis, Psalmis, Epistolis Pauli et libris Salomonis. Quia in his specialiter resultat moralis instructio. De aliis ergo [37] D libris sacræ paginæ sumendæ sunt auctoritates, si fuerint necessariæ, et ad propositum utiles.

Consequenter, prædicator debet captare benevolentiam auditorum a propria persona per humilitatem, et a rei quam proponit utilitate, dicendo, se iis proponere verbum Dei, ut fructum faciat in mentibus eorum, non ad terrenum emolumentum, sed ad provectum et profectum eorum; non quod inanibus vulgi clamoribus excitetur, non quod favo- A rabili aura mulceatur, non quod theatrali applausu deliniatur; sed ut eorum animi informentur, et quod ipsi considerare non debent quis loquatur, sed quid [38]. Non enim in spineto consideranda est spinæ asperitas, sed rosæ amœnitas, nam etiam in calamo fragili mel reperitur [39], et ex lapide flamma excutitur. Consequenter ostendere debet quam utile sit audire verbum Dei, si effectui mancipetur.

Debet etiam promittere se pauca dicturum et utilia ; nec se trahi ad hoc nisi amore auditorum, neque etiam se loqui, quod majoris sit scientiæ aut prudentiæ, vel melioris vitæ ; sed quia revelantur aliquando minori, quæ non majori : et tunc debere majorem tacere, et quia aliquando majores prædicare nolunt, non est mirum si minores quandoque balbutiunt, quia si litterati taceant, lapides loquentur vel clamabunt.

Consequenter debet accedere ad auctoritatis propositæ expositionem, et totam inflectere ad auditorum instructionem; nec auctoritatem nimis obscuram vel difficilem proponat, ne auditores eam fastidiant, et ita minus attente audiant. Nec in auctoritatis expositione, debet nimis cito a proposito recedere, ne primum medio, medium ne discrepet imo. Debet etiam alias auctoritates inducere ad id asserendum, maxime, quæ pertinent ad propositum. Poterit etiam ex occasione [40] interserere dicta gentilium, sicut et Paulus apostolus aliquando in Epistolis suis philosophorum auctoritates interserit, quia elegantem habebit locum **55**, si callida verbum junctura reddiderit novum.

Verba etiam commotiva interserat, quæ mentes emolliant, et lacrymas pariant. Sit autem sermo compendiosus, ne prolixitas pariat fastidium. Postquam autem prædicator perpenderit animos esse mollitos, et profluere lacrymas, ac vultus humiliari, debet aliquantulum immorari, sed non nimis; quia ut dicit Lucretius : « Nihil citius arescit lacryma. »

In fine vero, debet uti exemplis, ad probandum quod intendit, quia familiaris est doctrina exemplaris. Verbi gratia :

CAPUT II.

De mundi contemptu.

Si Prædicator vult invitare auditores ad mundi contemptum, in medium hanc afferat auctoritatem : *Vanitas vanitatum, et omnia vanitas,* etc. (*Eccle.* i.) Quæ enim auctoritas ita insinuat mundanarum rerum vanitatem, et hominum vilitatem, omnia esse lubrica, et nulla stabilia, sicut auctoritas ista? Juxta hanc auctoritatem, debet distinguere triplicem mundi vanitatem. Est enim vanitas mutabilitatis, vanitas curiositatis, et vanitas falsitatis. Vanitas mutabilitatis est, secundum quam naturali-

VARIÆ LECTIONES.

[30] *In alio sic :* ad majorem Christianæ religionis laudem. [31] Falsa concludunt. [32] *Scriptura Thren.* iv *habet,* catulos suos. [33] Infigunt. [34] Quia affectus, etc., non dividunt. [35] Infigunt. [36] *In alio hic adjungitur :* Ad lacrymas moveat. [37] Etiam. [38] *In alio sic :* Quis est qui loquitur. [39] *Recipitur.* [40] Ex causæ cognitione.

ter omnia mutabilitati subjacent; de qua Apostolus: *Omnis creatura vanitati subjecta est* (*Rom.* VIII). Vanitas curiositatis est, secundum quam homo expendit omnem curam suam in mundanis. Unde: *Dominus dissipat cogitationes hominum quoniam vanæ sunt* (*Psal.* XCIII; *I Cor.* III). De qua Persius comicus ait:

O curas hominum, o quantum in rebus inane!

Vanitas falsitatis, est curiositas mentiendi; de qua dicitur: *Vana locuti sunt unusquisque ad proximum suum* (*Psal.* XI). Sic prædicator omnem divisionem quam proponit auctoritatibus debet roborare, aliter tota divisio nutans est et lubrica[41]. Consequenter ostendere debet, ubi *vanitas*, ubi *vanitatum* vanitas, ubi *omnia vanitas*[42] hoc liquet in omnibus mundanis; quia, si divitiæ accedunt ad hominem, vanitas, quia cito prætereunt; si morantur, hominem sibi auferunt, ecce vanitatum vanitas; si recedunt, omnia vanitas. In divitiis est vanitas mutabilitatis, quia prætereunt; vanitas curiositatis, quoniam in eis homines totam curam expendunt; vanitas falsitatis quia pro divitiis acquirendis vel retinendis, homines mendacia evomunt. Ubi major vanitas quam in divitiis, quæ cum beatitudinem spondent, eamdem auferunt, quæ securitatem promittunt, sed timorem inducunt? Ubi major timor quam in divitibus, qui omnia formidant ne divitias amittant? non confidunt in filiis, suspectus est amor uxoris, majores timent, fures abhorrent; somniant falsa, discredunt vera. Ubi major vanitas quam in divitiis, quæ spondent satietatem et pariunt esuriem, de siti ebrietatem afferunt; quæ cupiditates non minuunt, imo cupiditatibus addunt; quæ non implent mentem sed exhauriunt; quæ sunt nescio qua vacuitate plenæ, et qua plenitudine vacuæ?

Ubi vanitas nisi in honoribus[43] qui ad hoc homini favent ut dejiciant, ad hoc erigunt ut destruant? ad hoc suspendunt ut gravius impellant; in quibus est vanitas vanitatum, quia importabile onus in honore, phasticus honor in onere, et in eis omnia vanitas cum funditus **56** recedunt ab homine[44]. Vanitas est in mundanis illecebris, cum primo blandiuntur; vanitas vanitatum cum fastidiuntur, et omnia vanitas cum per eas ad mortem perducimur. Primo mellificant, secundo pungunt, tertio interimunt. Similiter falsitas est in veniali peccato, falsitas falsitatum in mortali delicto, et omnia falsitas in obstinato. Falsitas in pœna, falsitas falsitatum in culpa, omnia falsitas in gehenna. Abhorrentes ergo vanitatem, et timentes falsitatem, cur-

A ramus ad summam veritatem, id est ad Deum, in quo est veritas veritatum, per solutionem promissorum; in quo omnia veritas, quia ipse est omnia in omnibus (*I Cor.* XII) sanctis. Sic probato mundi contemptu per habitum temporalium, eumdem probare debet a causa finali, quæ consistit in duobus, scilicet, in adeptione commodi et in evitatione incommodi. Per adeptionem commodi sic probatur contemptus mundi: o homo, si contempseris mundum, Deum qui mundi conditor et dominus est, in præmium habebis. Per evitationem vero incommodi, sic potest contemptus mundi probari: O homo, si mundana et vana contempseris, non te timor concutiet, non laxabit spes[45], non arctabit tristitia, non dissolvet lætitia: nulli B servies, liber eris, adversitatis non timebis insultum, serena tibi conscientia erit, pacifice mortis exspectabis adventum; mors grata, post mortem exspectatio beata. Si vero mundanis voluptatibus adnæseris, terrenis irretitus illecebris, erit tibi conscientia cauteriata, mors invisa, post mortem concluderis pœna æterna. Quid tibi tunc animi, o homo? cum in morte ipsa apparebunt tibi dæmones, inimici horribiles, exspectantes animam tuam delaturi in gehennam; et quos in vita habuisti blandientes, in morte senties sævientes? Ubi tunc tuæ deliciæ? ubi terrenæ amicitiæ? ubi delectationes mundanæ? Ex divitiis sequetur æterna paupertas, ex honoribus dejectio, ex delectationibus perpetua C amaritudo.

Post hæc, prædicator concludat admonitionem suam in exemplari doctrina, ostendens quomodo antiqui Patres contempserint mundum, et tamen mundus tunc florebat, cum in cordibus eorum arescebat; nunc vero, cum in se arcat mundus, florere non debet in cordibus nostris; sed debemus fugere fugientem, et relinquere labentem, ne labamur cum labili, ne ruamus, cum mobili[46].

CAPUT III.

De contemptu sui.

Si vero prædicator intendat auditores invitare ad contemptum sui, hanc afferat auctoritatem: *Memorare, fili, novissima tua, et in æternum non peccabis* (*Eccli.* VII). Vel hanc: *Ego sum vermis, et* D *non homo* (*Psal.* XXI). Aut certe hanc: *Homo natus de muliere repletur multis miseriis*, (*Job* XIV), etc. vel consimilem, in qua miseria exprimatur humana. Sic ergo procedere debet: memorare novissima tui, memorare novissima mundi, memorare novissima diei: novissima tui, considerando quia tua conceptio culpa, tua nativitas quædam pœna,

VARIÆ LECTIONES.

[41] *Aliud exemplar hic interserit sequentia:* Membra vero divisionum debet sibi quasi per quasdam compositiones conferre, V. G: per vanitatem mutabilitatis homo præterit, per vanitatem curiositatis homo se occidit; per vanitatem falsitatis spiritualiter interit, vanitas mutabilitatis hominem mutat, vanitas curiositatis hominem commutat, vanitas falsitatis hominem in pejus permutat, homo per vanitatem mutabilitatis fluit; per vanitatem curiositatis effluit, per vanitatem falsitatis, perefluit. [42] *In alio hæc interponuntur:* Quomodo in nativitate hominis vanitas; in vita, vanitas vanitatum; in morte, omnia vanitas. [43] *In alio:* Terrenis honoribus. [44] *Additur:* Quia summis negatur stare diu, nimioque graves in pondere lapsus. [45] Laxaberis spe. [46] Ruente.

tua vita pœnalitas, tuum mori necessitas : quod vita tibi abest, aut spondet absentiam, mors autem instat, aut minatur instantiam. Ergo, unde superbit homo, cujus conceptio culpa, nasci pœna, labor vita, necesse mori? O homo, memorare quod fuisti sperma fluidum, quomodo sis vas stercorum, quomodo eris esca vermium. Quod post mortem de lingua nascetur vermis, ut notetur peccatum linguæ, de stomacho *ascarides*, ut significetur *peccatum gulæ;* de spina scorpio, ut significetur peccatum luxuriæ; de cerebro, bufo, ut significetur
57 peccatum superbiæ. Vermis ergo es homo de terra natus; vermis dum vivis, quia terrenis intentus; vermis dum morieris, quia vermibus in escam datus. Memorare o homo quia terra es, et in terram ibis, quia cinis es, in cinerem reverteris; quia pulvis es, et in pulverem reduceris. In persona tua dixit Job : *Putredini dixi : Pater meus es; Mater mea, et soror mea, vermibus* (*Job.* XVII). O homo, memorare novissima pulchritudinis tuæ, quomodo *omnis caro fenum, et omnis gloria ejus quasi flos feni* (*Isa.* XL); quia,

Forma bonum fragile est, quantumque accedit ad [annos,
Fit minor, et spatio carpitur ipsa suo.

Memorare quomodo eam mors perdit, unius acus exaratio perimit, infirmitas demolitur, senium deprædatur. Si fortitudinem jactas, memorare novissima fortitudinis tuæ, quomodo senectus eam infirmat, infirmitas enervat, mors funditus exstirpat. Si jactas sapientiam, audi quid dicat Dominus per Isaiam : *Perdam sapientiam sapientium, et prudentiam prudentium reprobabo* (*Isa.* XXIX; *I Cor.* I). Et alibi : *Sapientia hujus mundi, stultitia est apud Deum* (*I Cor.* III). Considera quomodo *scientia inflat, charitas ædificat* (*I Cor.* VIII). Quomodo philosophi *per ea quæ facta sunt, invisibilia Dei comprehenderunt, sed quoniam in cogitationibus suis evanuerunt, traditi sunt in reprobum sensum* (*Rom.* I). Si genus jactas, memorare novissima cujusque generis, quomodo :

Omne genus hominum simili consurgit ab ortu.

Quoniam una omnium nascendi conditio, una moriendi conclusio; quoniam melior est nobilitas facta quam nata; quia illa generalior, hæc generosior.

A regula mortis non excipitur purpura regis; quoniam mors æque pulsat culmina regum, et tuguria pauperum. Si divitias jactas, et voluptates terrenas, considera quod potius insidiæ sint quam amicitiæ, ad quas potius debes esse suspensus et timidus, quam securus. Considera quod nudus egressus es de utero matris tuæ, et nudus illuc reverteris (*Job* I). Disce domum matris paupertati aperire, voluptates sub jugo rationis tenere [47], fructus terrenorum bonorum superficialis est, et rutilitas [48] levium metallorum in superficie eminet; illa opulentissima sunt, quorum in profundo latet vena, assidue plenius responsura fodienti. Ad hos cœlestes thesauros animum dirige, ut ubi est thesaurus tuus, ibi sit et cor tuum : *Noli ergo thesaurizare in terrenis, ubi fures effodiunt et furantur, sed thesauriza in cœlis thesauros quos nec ærugo nec tinea demolitur* (*Matth.* VI). Quia ut ait Seneca : « Hæc in quibus delectatur vulgus, tenuem habent et superfusoriam voluptatem; et quodcunque venientium gaudium est, fundamento caret. » Disce ergo, et conculca illa quæ extrinsecus splendent, quæ tibi permittuntur ab alio vel ex alio. Ad verum bonum tende, et de tuo gaude.

Noli jactare insignem habitum; quæ enim gloria in velleribus ovium, et stercoribus vermium? Quæ utilitas, lutum corporis præparare, carnis sterquilinium deaurare? memorare igitur novissima tui, in libro scientiæ, ut te legas in libro experientiæ, ut te invenias in libro conscientiæ : ut te reprehendat liber scientiæ scriptus in codice, liber experientiæ scriptus in corde. In libro scientiæ legis : « Nosce te ipsum; » in libro experientiæ legis : « Caro pugnat adversus spiritum (*Gal.* V); » in libro conscientiæ legis :

Assiduis circumvolat alis,
Sæva dies animi.

O homo! vide te in triplici speculo, et displicebis tibi. Triplex est speculum in quo te debes videre. Speculum Scripturæ, speculum naturæ, speculum creaturæ. In speculo Scripturæ legis statum tuum, in speculo creaturæ videbis te miserum, in speculo tuæ naturæ considerabis te reum. In tua autem natura triplex resultat speculum, speculum rationis, sensualitatis et carnis. Ut dicit philosophus, quædam est species speculi, in qua sinistra videtur esse sinistra, et dextera videtur esse dextera. Dextera in hoc speculo est ratio [49] quæ dictat 58 dextera esse appetenda, id est cœlestia; sinistra esse fugienda, id est terrena. Aliud vero est speculum, in quo dexteræ partes videntur esse sinistræ, et sinistræ videntur esse dexteræ; hoc est, sensualitas quæ dictat terrena esse appetenda, et cœlestia esse postponenda.

Aliud est speculum, in quo facies videtur inversa, hoc est caro, quæ totam humanam naturam invertit. Vide ergo te in speculo rationis, ut ei obedias : vide te in speculo sensualitatis, ut eam rationi subjicias; vide te in speculo carnis, ut eam castigando dejicias, et ut possis carnalia debellare, in triplici specula te constitue : primo in specula providentiæ, ut caveas imminentia. Secundo in specula circumspectionis, ut opposita vitia caveas; medium teneas, et medio tutissimus ibis, nam et natura mediocritatis est amica. Tertio in specula cautelæ, ne vitium sub pallio virtutis se obumbret, sæpe enim crudelitas mentitur justitiam, remissio misericordiam; et sic per triplicem speculam pervenies ad triplex

VARIÆ LECTIONES.

[47] *Aliud exemplar hic interponit sequentia :* In hujus rei possessione te esse volo, ut spiritualiter gaudeas : nunquam istud deficiat gaudium [48] Utilitas. [49] *In alio legitur sic :* Hoc speculum est ratio, quæ dictat, etc.

specular, puræ conscientiæ, contemplationis divinæ et vitæ æternæ.

CAPUT IV.

Contra gulam.

Si prædicator vult invitare auditores ad gulæ fugam, hac auctoritate potest uti : *Castigo corpus meum, et in servitutem redigo* (*I Cor.* IX). Item : *Sobrie et juste, et pie vivamus in hoc sæculo* (*Tit.* II). Corpus, inquam, castigandum est ut nobis serviat, indulgendum est ei, non serviendum ; oportet enim multis servire qui corpori servit, qui pro illo nimium timet qui ad illud omnia refert. Illi vile, est honestum, cui corpus est nimis charum. Dominus dicit in Evangelio : *Videte ne graventur corda vestra in crapula et ebrietate, et curis hujus vitæ* (*Luc.* XXI). Paulus etiam ait : *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria* (*Ephes.* V). Salomon etiam ait : *Luxuriosa res est vinum et tumultuosa ebrietas: quicunque in his delectatur, non est sapiens* (*Prov.* XX). Jesus filius Sirac : *Operarius ebriosus non locupletabitur. Vinum et mulieres apostatare faciunt sapientes, et arguunt sensatos* (*Eccli.* XIX). *Sufficiens est homini sapienti et erudito vinum exiguum, in dormiendo non laborabis ab illo, nec senties laborem. Vinum moderate potatum sanitas est corporis et animæ* (*Eccli.* XXXI). [50] Dicit Isidorus : « Ubicunque saturitas et ebrietas fuerit, ibi libido dominatur. » [51] Sic ergo te debes gerere, o homo, ut non propter corpus vivere videaris, sed tanquam sine corpore vivere possis te ipso utere, et tui optima parte, carnem magis crede necessariam rem quam magnam ; ex qua perfunctorie nascuntur voluptates, breves, pœnitendæ, et (nisi temperentur) immoderatæ, et in contrarium abituræ. [52] Castiga ergo carnem, quæ similis est cani, servo, jumento.

Quanto autem magis indulgetur servo, tanto magis dissolvitur otio ; quanto magis canis percutitur, tanto magis latratibus indulget : quanto magis nutritur jumentum, tanto magis recalcitrat in dominum. Quanto ergo studio fugienda est gula, quæ corporis domicilium, spiritus et animæ receptaculum reducit ad sterquilinium, et carnis nostræ massam reducit in lutum : quæ animam, veram virtutum scholam, rationis regulam, templum Deitatis, fundamentum immortalitatis, inclinat in vitiorum pompam, in criminum cœnam, in lutum peccati, theatrum immunditiæ.

Hæc est gula, pro qua interes causis, laboras in castris, divitibus servis, eorum **59** supercilia pateris, pallias adulationem, demulces sermonem. Vitans ergo gulam, non carni servias ; sed indulgeas ; sustentes, non nutrias ; regas, non erigas. O homo, scis tu quid sit gula? Certe gula est mentis

A sepulcrum, acervus stercorum, origo luxuriæ, mater nauseæ. O homo! pro gula conquereretur stomachus si loqui posset, dicens : O homo, quod necessitatis est, exigo, quod superfluitatis est respuo : noli dare quæ mihi sunt onera, sed quæ poscenti sunt alimenta ; postulo quæ natura petit, quæ necessitas exigit, quod amplius est, a malo est. Quoniam

Satis est populo, fluviusque ceresque.

O homo, quæ cura unde conficiantur stercora, et unde augmententur sterquilinia? considera tui naturam, intuere stomachi mensuram. Scis unde proveniant corporis infirmitates, mentis alienationes? certo ex cibi impendio, ex potus diluvio, vel profluvio. Unde procedit febris, nisi ex gula : unde

B morbus caducus, nisi ex crapula : nonne ex ebrietate nascitur paralysis, et ex vinolentia hydropisis? Quid est ebrietas, nisi mentis alienatio, virtutum deprædatio, imago mortis, similitudo furoris? Per ebrietatem crescit insolenti superbia, crudelitas servo, malignitas invido. Ebrietas implicat verba, obliquat lumina, degradare facit errantem, stomachi tormenta efficit, viscera ipsa distendit, capitis operatur vertiginem ; ipsam verecundiam mentis, et oris custodiam expellit, pudoris characterem ejicit, sigillum castitatis frangit. Hæc est ebrietas, per quam, quidquid mali latebat emergit, postquam nimia vini animum possederit ; et sicut musto æstuante rumpitur dolium, et quod in vino est

C emergit ad summum : sic inundante ebrietate, secretum quod in mente latebat, ab imo cordis exit ad summitatem oris ; quia sicut a stomacho corporis usque ad os vinum exit, sic a stomacho mentis in verba prodit secretum, ut, sicut vinum non potest retinere ebrius, sic secretum evomit exterius.

Hæc est una idololatriæ filia, cui deus venter est (*Phil.* III), quæ latriam exhibet Baccho, unde et bacchilatria vocari potest, ficto vocabulo.

Ille enim satis idololatra est, qui ventrem Deo præponit, qui Bacchum magis quam Deum colit, qui in crapula sua putrescit, et tanquam jumentum in stercore suo sordescit.

O homo, considera divitem (*Luc.* XVI) qui quotidie epulabatur splendide ; considera ex opposito

D Lazarum, qui jacebat ante januam ejus ulceribus plenus! Dives gaudebat in convivio, consequenter sepultus est in inferno ; epulabatur in vita splendide, post vitam sitiebat stillam aquæ : primo indutus fuit purpura, consequenter vallatus est gehennali flamma : Lazarus vero in vita mendicus, post vitam in sinu Abrahæ est collocatus ; hic pauper, ibi dives, hic ulceribus plenus, ibi beata spe consolatus [53].

VARIÆ LECTIONES.

[50] *Aliud exemplar interponit sequentia* : Isaias (cap. V) : Væ qui potentes estis ad bibendum vinum, et viri fortes ad miscendam ebrietatem. [51] In omnibus te exhibe sobrium, ut te sobrietas exhibeat purum. • [52] *Sequitur* : Quæ ex præcipiti ad dolorem vergunt, nisi modum teneant ; difficile est autem eas aliter sub modo tenere. [53] *In alio exemplari, hæc subjunguntur* : Profecto, per summam miseriam ad illum deberemus aspirare cœlestem liquorem sapientiæ, qui haustus, dat mentis sobrietatem, non illum qui dat menti ebrietatem. Fugiendus est potus qui sapientiam aufert.

Considera, o homo, quomodo Adam per gulam perdidit paradisum; Elias per abstinentiam ascendit in cœlum; Noe per gulam denudavit femora; Moyses per abstinentiam meruit Dei colloquia; Loth per ebrietatem decidit in incestum; David per abstinentiam pœnitentiæ consecutus est remedium. O homo, consule naturam, illa tibi dicet quæ debeat esse lex vivendi. Lex naturæ est ut famem sitimque depellas, ad hoc necesse non est ut transfretes maria, ut sequaris castra, parabile est et appositum quod desiderat natura. Assume ergo arma contra gulam, muni te contra crapulam. Assume medicamenta jejunii contra insultus tanti morbi, jejuna a cibo, ne caro lasciviat; jejuna a temporali voluptate, ne mens languescat: jejuna a peccato, ne animus torpeat. Hoc triplici jejunio castigare debemus jumentum nostrum, id est carnem nostram, ne erigat contra nos calcaneum: corrigendum est jumentum nostrum fuste, calcaribus, freno, aculeo.

60 Si enim caro nostra vult deviare in illicita, freno discretionis est retardanda, jejuniis quasi quibusdam calcaribus est corrigenda; vigiliis quasi quibusdam fustibus est castiganda; timoris aculeo est excitanda.

CAPUT V.

Contra luxuriam.

Si prædicator ad fugam luxuriæ auditores vult instruere, ab hac auctoritate potest initium sumere; fugite fornicationem. Dominus dicit in Evangelio: *Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes in* C *manibus vestris* (*Luc.* XII). Paulus ait: *Fornicatores et adulteros judicabit Deus* (*Hebr.* XIII). Salomon: *Fovea profunda est meretrix, insidiatur in via quasi latro; quos incautos videt interficit* (*Prov.* XXIII). Jesus filius Sirac: *Non des mulieri potestatem animæ tuæ, ne ingrediatur in virtute tua, et confundaris* (*Eccli.* IX). Hieronymus: « Væ illi, qui tunc habuit terminum luxuriæ, quando vitæ. Difficile enim inter divitias servatur pudicitia: nitens cutis sordidum ostendit animum; et in sericis et in pannis libido dominatur. Qui luxuriatur, vivens mortuus est, et qui inebriatur, mortuus et sepultus. » Gregorius: « Dum satietate venter extenditur, aculeus libidinis excitatur. » Qui delectationem refrenat libidinosæ suggestionis, non transit ad D consensum libidinis. Si plus oblectat delectatio fornicationis mentem quam amor castitatis, adhuc in homine regnat peccatum. Omnis immunda pollutio, fornicatio dicitur: melius est mori quam fornicari; melius est mori, quam libidine maculari. Libido hominem in infernum mergit. Gravius libido urit quem otiosum repererit; magis approxima igni ardenti quam mulieri juveni, cum et ipse sis juvenis. Cum materialia monstra fu-

A gienda sint et horrenda, multo magis spiritualia monstra fugienda sunt, et fuganda. Quod monstruosius est monstrum luxuria quæ in capite suo gerit faciem virginis et imaginem voluptatis, in medio capram fœtosæ libidinis [54], in fine lupam, deprædatione virtutis. Hæc est pestis illa, quæ familiarem habet cum gehenna similitudinem. In gehenna tria sunt, odor fetens, vermis conscientiæ urens, flamma perurens; sic luxuria fetet per infamiam, urit per conscientiam, perurit per concupiscentiam [55]. Hæc est pestis omni monstro damnosior, quæ bursam evacuat, corpus enervat, animum inebriat, statum mentis effeminat, animum commaculat, famam perdit, proximum offendit, Deum amittit. Hæc est pestis illa, in qua cito B præterit quod delectat, permanet sine fine quod cruciat; cujus appetitus anxietatis est et vecordiæ, actus abominationis et ignominiæ, exitus pœnitudinis et verecundiæ. In peste ista, tria sunt exsecranda, ardor in accessione, labor in exsecutione, fetor in expletione. Ecce quam vilia, plena stercoribus luxuriæ contubernia! saturies famelica, delectatio pœnitentiæ plena, delectatio momentanea, amaritudo æterna. Hæc est pestis quæ lucem odit, tenebras appetit, velamen quærit, janitorem in porta ponit. Hæc est musca, quæ perdit suavitatem unguenti, musca ex sterquilinio nascitur, et in immundis moratur; locus cui insidet inficitur. Hæc est luxuria, quæ est filia gulæ [56], fetor natus ex sterquilinio carnis, odor genitus ex luto corporis. Hæc immundis pascitur, et carnalitate delectatur. Unguentum vero est castitas, in qua species quasi aromaticæ sunt, puritas mentis, munditia corporis, modestia in **61** gestu, pudicitia in habitu, abstinentia in cibo, verecundia in verbo. Hoc unguentum corrumpit luxuria, quia mentem incestat, corpus commaculat, laxat gestum, effeminat habitum, ampliat cibum, dissolvit verbum; sicque castitatem expugnat armis suis luxuria, quæ sunt:

Visus et alloquium, contactus et oscula, factum.

Cum primo luxuria hominem per visum ad concupiscendum allicit, castitatem impetit; secundo, castitati per alloquium contumelias ingerit; tertio, per osculum in faciem pudicitiæ conspuit; quarto, per tactum pudicitiam percutit; quinto, per factum interficit. More Parthorum ineunda est pugna contra luxuriam: ut siculi Parthi fugiendo fugant, terga vertendo superant; sic fugiendo fuganda est luxuria, et recedendo cædenda. Hæc est illa pestis, quæ illa tria complectitur per quæ homo a domo ejicitur; scilicet, fumum, stillicidium et uxorem. Uxor est carnalitas, stillicidium luxuriæ fluxibilitas, fumus infamiæ enormitas. Hæc tria ejiciunt animam a pace pectoris, a serenitate men-

VARIÆ LECTIONES.

[54] *In alio exemplari sic:* Imaginem voluptatis, in medio capram fetore libidinis. [55] *Additur:* O miserabilis ignis luxuriæ! ubi gula materia, flamma concupiscentia, fumus infamia, cinis immunditia. O horrenda pestis luxuriæ, quæ in sinu hominis dormiens, adulando illum decipit, et in lapidem vertit.
[56] *Additur in alio:* Proles gulæ.

tione nimia. Sicut enim levi susurrio fontis vel auræ lenis, vel dulcedine carminis materialis somnus introducitur : sic instinctu prosperitatis quasi flatu auræ lenis, vel susurrio carnalis delectationis, inducitur mens in somnum torporis. Umbra etiam ignorantiæ hunc somnum parit ; honesti etiam laboris defatigatio hunc somnum gignit. Ad quem dormientem clamat Scriptura : *Surge, qui dormis* (*Ephes.* v). Surge, inquam, per rationis circumspectionem, surge per mali aspernationem, surge per boni operationem ; *et illuminabit te Christus* (*ibid.*). Quia nox abiit, dies autem appropinquat. [61] Vos ergo qui jacetis in sepulcris negligentiæ, dealbati exterius, quo ad exteriorem justitiæ superficiem, sed interius fœtidi per mentis torporem, et in vermes resoluti per pravarum cogitationum multitudinem ; surgite a terra in cœlum, ab otio ad exercitium, a pernicioso torpore ad virtutis negotium, et occurrite ad judicium Salvatoris [62]. Audite quid Scriptura dicat : *Piger lapidabitur stercoribus bovis* (*Eccli.* XXII). Bos est ille qui laborat in area Domini, qui sacram Scripturam spirituali sensu quasi dentibus atterit, spiritualemque intelligentiam a sacra Scriptura elicit, eamque in mentis delectationem quasi in stomachum trajicit. Ab hoc spirituali cibo quasi stercus ejicitur litteralis superficies, quæ aliquando hæresim sapit, quæ illum qui ad intelligendum Scripturas pigrescit, per torporem interficit. O homo, quid est quod cæteræ creaturæ deputatis sibi officiis indulgent, sol annuum cursum perficit, luna menstruis vicissitudinibus discurrit, et cæteræ stellæ officia sibi deputata exercent, bruta animalia ad suæ naturæ exercitia non torpent, tu solus, desidia soporatus, a tuo officio devias, imaginem Dei in te deformas, vivens morieris et moriens vivis ? Saltem te ad erubescentiam moveat minimi et dejecti animalis industria, id est formicæ cautela, quæ in æstate magna sollicitudine grana colligit quibus vivat cum hiemis austeritas ingruerit. Sic in præsenti vita, fructus bonorum operum deberes acquirere, ut adveniente die hiemali, id est in die judicii habeas fructum bonorum operum, qui te reficiant in æternum.

Vide ergo quam perniciosa sit segnities ! Quandiu David se exercuit in militia, ei non insultavit luxuria, sed postquam desedit in palatio, laboravit adulterio. Samson quandiu pugnam habuit cum Philistæis, tandiu non est captus ab hostibus, sed dormiens in sinu Dalilæ, excæcatur ab hoste. Salomon

A laborans in structura templi, non sensit luxuriæ jacturam, sed feriatus a labore, expertus est insultus lasciviæ. Hæc est ignavia quæ hominem offert diabolo inermem, nudum exponit suggestioni, debilem tentationi. Hæc privat hominem spiritualibus bonis [63] virtutum vestimentis. Hæc diabolum vocat ad pugnam, carnem ad lasciviam, os ad gulam, mentem ad negligentiam. Sis ergo honesto **65** occupatus negotio, ut quod perdidisti per præteritum redimas per futurum. Omnem horam complectere, omne momentum tuæ utilitati facias deservire, ut saltem Deo offeras senectutis fæcem, qui diabolo obtulisti juventutis florem ; ut saltem in senectute fias miles Christi, qui in juventute fuisti servus diaboli.

B

CAPUT VIII.

Contra invidiam.

Contra invidiam, his auctoritatibus potest prædicator munire auditores ; Dominus ait in Evangelio : *Nolite invidere invicem.* Item Petrus ait : *Deponentes omnem malitiam, et omnem dolum, et simulationes, et detractiones, et omnem invidiam* (*I Petr.* II) [64]. Salomon ait : *Vita carnium, sanitas cordis ; putredo ossium invidia* (*Prov.* XIV). Item Augustinus ait [65] : « Invidia omnes virtutes concremat. Invidus certe est, qui alienum bonum suum facit, invidendo, supplicium. » De eadem ait Isidorus : « Unde bonus proficit, inde malus vel invidus contabescit. » De eadem alia auctoritas : « Invidia
C diaboli mors intravit in orbem terrarum (*Sap.* II). » Item poeta :

Risus abest, nisi quem visi fecere dolores.

Item :

Invidia Siculi non invenere tyranni
Majus tormentum.

(HORAT. *Ep.* I, II, 5-8.)

Juxta has auctoritates, sic procedat prædicator : Audistis, fratres charissimi, qualiter sacra Scriptura invidiæ pestem persequitur, qualiter malum livoris exsecratur. Unde maxime vitanda est pestis invidiæ, quæ primo se vexat et suum possessorem infestat, primo sibi nocet quam alium vulneret, et in se sua vulnera revertuntur. Hæc est quæ in al-
D terius prosperis dolet, et in alterius lætis luget, in alterius adversitate lætatur. O vitium, omni vitio despectius, omni peste dejectius ! quod virtus molestat, infestat felicitas, beatitudo vexat, lætitia cruciat ! Cum cætera vitia quamdam habeant perfunctoriam delectationem, lætitiæ umbram, felicita-

VARIÆ LECTIONES.

[61] *In alio exemplari sic :* Ille ergo qui dormit acediæ somno clamet ad Dominum : *Custos quid de nocte, custos quid de nocte ?* O Deus, qui es verus Samaritanus, verus animæ et eorporis custos, quid me non eripis de morte ignaviæ, de tenebris acediæ ? Si hoc clamaverit homo tota mentis intentione, audiet Dominum dicentem : *Venit mane, et nox recedit*, quasi dicat : cum ad me vigilare et torporem excutere contendas, ecce tibi offero mane æternæ illuminationis, auroram gratiæ cœlestis ; et sic recedet nox negligentiæ, si tamen in vigiliis niteris perseverare. [62] *In alio hæc :* Ut ille qui vos judicat judicio discretionis, nis, operantes inveniat, et sic in futuro, a vobis judicium damnationis excludat. [63] *Pro* bonis *habetur* armis. [64] *Cap.* 8. *In alio exemplari hic interseritur.* Paulus etiam ait : Charitas non æmulatur. (*I Cor.* XIII). [65] S. Prosper lib. III, *De vita contemp.*, cap. 5.

tis imaginem, pestis ista est tormentum sine refrigerio, morbus sine remedio, labor sine respiratione, pœna sine interpolatione. Hoc est peccatum quod se ipsum punit, se impunitum non relinquit; simul maculat et cruciat, simul punit et vitiat; hic est vermis qui ex manna nascitur; hic est vermis quo Jonæ (*cap.* IV) hedera desiccatur; hic est ignitus serpens quo filii Israel punguntur · hic est bruchus quo fructus terræ depascuntur.

Legimus filiis Israel cœlitus manna datum (*Exod.* XVI), ex quo servato scatebat pluralitas vermium : sic ex cœlesti gratia collata fideli, occasionaliter in animo superbi nascitur invidia; et quanto magis fidelis in manna cœlestis gratiæ solidatur, tanto magis superbi mens in invidiæ vermem resolvitur. Legimus vermem ex hedera natum, cujus umbra Jonas (*cap.* IV) a caloris insultu defendebatur, hederam funditus corrosisse; sic invidia quasi vermis ex nitore virtutis nata, puritatem conscientiæ qua se homo contra æstus vitiorum debet defendere, funditus corrodit; et caput Jonæ, id est mentem hominis æstibus vitiorum exponit. Filios Israel in deserto peregrinantes legimus serpentes igneos pupugisse (*Num.* XXI); sic claustrales in hujus mundi deserto exsulantes, qui debent esse veri filii Israel, frequenter invidia laborant, vermis enim iste habitat in cinere et cilicio, et in pulvere latitans, pungit usque ad mortem. Hæc est tinea quæ purpuramenta virtutum demolitur. Hæc est ærugo quæ thesaurum sapientiæ deprædatur. Bruchus iste terræ virentia consumit, quia si quid boni operis viret in homine, perdit.

Hæc est pestis, quæ angelum ejecit de cœlo, hominem proscripsit a paradiso. **66** Hæc filios Israel in deserto percussit; hæc contra Joseph fratres armavit; hæc Danielem in lacum leonum detrusit; hæc tandem Caput nostrum patibulo crucis affixit. O homo, quod tibi emolumentum si invides, quod lucrum si leves? Tu laqueum aperis, et illum effodis, et ipsemet in foveam cadis quam facis? dum alios laboras tenere, ipse teneris; dum alios defraudare, deciperis. O homo, naturam impugnas, charitatem debellas, te ipsum molestas, erras in proximum, offendis Deum. Cum deberes alterius gaudia tua facere congaudendo, alterius dolorem tuum facere condolendo, cum in alterius miseriam tuam deberes miseriam legere, in te ipso statum proximi cognoscere. Quo tendit livor! quo prosilit zelus! quo fertur invidia! Quæ rumpit vinculum amicitiæ, charitatis glutinum, fœdus amoris, legem naturalis justitiæ.

CAPUT IX.

Contra iram.

Si prædicator vult hominem armare contra iram, his utatur auctoritatibus : *Omnis qui irascitur fratri suo, reus erit judicio* (*Matth.* V). Et Paulus ait : *Sol non occidat super iracundiam vestram* (*Ephes.* A IV). Et Jacobus : *Ira viri justitiam non operatur* (*Jac.* I). Et Salomon : *Fatui statim indicant iram suam; qui autem dissimulat iram suam, callidus est* (*Prov.* XII). *Vir iracundus provocat rixas, qui patiens est, mitigat suscitatas* (*Prov.* XV). *Ira in sinu stulti quiescit* (*Eccle.* VII). Gregorius : « Spiritum ad irascendum facilem quis poterit sustinere? » Et in Psalmo : *Irascimini et nolite peccare* (*Psal.* IV); poeta etiam ait :

Ira brevis furor est, animum rege, qui nisi paret,
Imperat; hunc frenis, hunc tu compesce catenis.

Et Claudianus :

Si metu, si prava cupis, si duceris ira,
Servitii patiere jugum.

Ecce auctoritates, quibus quasi spiritualibus B armis contra iram se munire debet catholicus. Vide, homo, quam pravæ sobolis fecunda sit ira. Ab ira procedit odii rancor. Quid enim est odium, nisi ira inveterata? Ex ea nascitur homicidium, contumelia, detractio, injuria. O homo, si irasceris, si proximum odis, tibi ipsi contradicis, qui in oratione clamas ad Dominum : *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris* (*Matth.* VI). Qua fronte debita dimitti poscis, qui proximo rancorem animi non dimittis?

Tres autem sunt species iræ; quædam in animo nascitur, sed usque ad exteriorem iram non perducitur; hæc est de qua dicitur : *Qui irascitur fratri suo, reus est judicio* (*Matth.* V). Quia qui interius C iram retinens concipit, æternæ damnationis judicium non evadet. Hæc ira significatur per filiam archisynagogi defunctam in thalamo. Est alia ira quæ procedit usque ad generales contumelias, quæ gravior est, et gehennæ vicinior, de qua dicitur : *Qui dixerit fratri suo, racha*, id est generales contumelias ei ingesserit, *reus erit concilio* (*ibid.*), id est graviori judicio reus erit. Hæc autem significatur per filium viduæ (*Luc.* VII). Quia cum quis extra mentem ad actum ira provocatur, anima extra septa mentis usque ad exercitium pravæ operationis mortua defertur. Quando vero usque ad speciales nequitias contumelia prorumpit, gravius furit. De qua dicitur : *Qui dixerit fratri suo, Fatue, reus erit gehennæ ignis* (*Matth.* V).

D Quia, quanto graviores sunt contumeliæ, tanto ille qui contumelias ingerit, eum infamiæ fetore corrumpit. Si ira in animo oritur, in instanti refrenetur, quia allidendi sunt parvuli ad petram antequam crescant; vulpeculæ capiendæ, antequam vineam corrodant; et mane primogenita interficienda; et Chananæus de terra promissionis ejiciatur; et sic *non occidat sol super iracundiam vestram* (*Ephes.* IV).

Quia sic est irascendum primis motibus, ut per consensum non peccemus. Humanum est enim in ira surgere, sed diabolicum est perseverare. Non pudet irasci, sed non incidere **67** culpam **. O

VARIÆ LECTIONES.

** *In alio exemplari habentur sic sequentia :* Quia si perseveraverit ira, cadet super eam Sol justitiæ,

homo, audi quid dicat doctrina cœlestis Magistri : *Si offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris quod frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum*, etc. (*Matth.* v). Ibi habes, quia si velis materiale munus tuum offerre ad altare, quod prius te debeas reconciliare fratri tuo, si rancorem teneas in animo; quia nihil prodest exterioris muneris oblatio, nisi interius mentis tranquillitas offeratur Deo. Similiter, in altari fidei vis offerre hostiam bonæ operationis, prius exclude ab animo nubila rancoris. Quia si peccaverit in te frater tuus, non solum debes ei dimittere septies, sed septuagies septies (*Matth.* XVIII). Caput nostrum Jesus Christus in passionis articulo, pro suis oravit persecutoribus, et primicerius martyrum Stephanus pro suis intercessit lapidatoribus (*Act.* VII); et si hujus perfectionis non sumus ut bonum pro malo solvamus, saltem pro malo minime mali talionem reddamus.

Illud frequenter ad memoriam debemus reducere, quod nobis insinuat doctrina evangelicæ parabolæ, ubi legitur de illo, cui dominus dimisit debitum, nec ille suo debitori voluit dimittere suum, et ideo detrusus est in carcerem, et coactus reddere usque ad novissimum quadrantem (*Matth.* XVIII). Similiter qui proximo non remiserit injurias, ab eo summus exactor de singulis culpis exiget pœnas. [67] Cum rancorem in animo detines, inimico non noces, sed te in anima perdis, et te in animo per rancorem punis, dum alii cupis adversari. Quæ est ista malitia? quæ vindicta? ubi dum vis tenere hostem, teneris? dum vis percutere inimicum, te perimis? Illud præceptum diligenter attende, cautius intellige : *Diligite inimicos vestros, et benefacite his qui oderunt vos* (*Matth.* v).

CAPUT X.

Contra superbiam.

Si ad fugam superbiæ prædicator auditores intendit excitare, his utatur auctoritatibus : *Omnis qui se exaltat, humiliabitur* (*Luc.* XIV). Item : *Quod hominibus altum est, abominatio est apud Deum* (*Luc.* XVI). Item Paulus : *Noli altum sapere, sed time* (*Rom.* II). Item Jesus, filius Sirach : *Initium omnis peccati superbia* (*Eccli.* X). Item : *Deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles* (*Luc.* I). Item Petrus : *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam* (*I Petr.* v; *Jacob.* IV). O homo, considera quid superbia auferat, quid humilitas alumna virtutum conferat. Superbia ex angelis dæmones fecit;

A humilitas autem homines sanctis angelis similes facit. Superbia cœlestis est natione, et tamen latitat in cinere et cilicio. Caveat claustralis ne dicat cum Pharisæo : *Non sum sicut cæteri hominum* (*Luc.* XVIII). Sed potius clamet : *Ego sum vermis et non homo, opprobrium hominum, et abjectio plebis* (*Psal.* XXI). Si litteratus est, non intonet cum Pharisæo : *Labia nostra a nobis sunt, quis noster dominus est* (*Psal.* XI)? sed potius clamet cum publicano : *Deus, esto propitius mihi peccatori* (*Luc.* XVIII). O homo, tuum est ponere locum in imo, periculosum est stare in præcipitio, ad
68 humilem dicit Dominus : *Ego sum ros, et germinabit Israel sicut lilium* (*Osee* XIV). Lilium melius crescit in valle quam in monte; quia ibi ma-
B gis fecundatur irriguo, diutius retinet viredinem, diuturniorem conservat candorem. Unde dicitur : *Lilium convallium* (*Cant.* II). Sic ille qui est verus Israel, vere Dominum videns, in valle humilitatis plantatus, majore irriguo gratiæ cœlestis fecundatur, melius spiritualiter germinat.

Magis retinet charitatis nitorem, et innocentiæ candorem. [68] « Tanto ergo quisque esse humilior debet ex munere, quanto obligatiorem se conspicit in reddenda ratione. » Quævis enim opera merito privantur, nisi humilitatis dulcedine condiantur. Nam [69] « qui sine humilitate virtutes congregat, quasi in ventum pulverem portat. » Hæc est humilitas quæ clamat : *Qui major est fiat sicut ministrator* (*Luc.* XXII). Et alibi : *Quanto major es, humilia*
C *te in omnibus* (*Eccli.* III). Hæc est quæ Filium Dei de sinu Patris descendere fecit in uterum Virginis; hæc est quæ eum involvit vilibus pannis, ut nos indueret virtutum ornamentis; hæc est quæ eum circumcidit in carne, ut nos circumcideret in mente; hæc est quæ eum permisit corporaliter flagellari, ut nos liberaret a flagello peccati; hæc est quæ regem nostrum coronavit spinis, ut nos servos coronaret æternæ beatitudinis rosis.

O quam humilitati dissimilis est superbia! quæ Luciferum de cœlo ejecit, Adam paradiso privavit, Nabuchodonosorem in bestiam transformavit. Hæc est superbia, quæ dum supra se insolenter se erigit, infra se ruinose descendit. Hæc est quæ dum se
D extra se quærit, se intra se non invenit. Hæc est quæ hominem in generalitate facit specialem, et in universitate facit singularem, in publico solitarium, et in conventu privatum. Hæc prima fuit quæ hominem dejecit, et ultima est quæ ei ad Dominum redeunti se objicit.

VARIÆ LECTIONES.

Christus, qui operatur in nobis mane, quando nobis gratia infunditur, tunc enim aurora gratiæ in nobis surgit, dum in nobis per justificationis lucem diescit; tunc vero ad meridiem sol tendit, cum major in mente charitas incandescit; tunc vero tendit ad vesperam, quando charitas sentit corporis nubeculam; sed quando iræ nubeculæ surgunt, tunc radii cœlestis solis humanæ menti se subtrahunt. O homo, iram fuge, quæ est hostis sapientiæ, degenerat a ratione; excedit mensuram justitiæ, amicitiam et concordiam rumpit, aufert pacem pectoris, Sabbatum æternitatis. [67] Nec tamen per negligentiam, ut dicit philosophus, sunt remittendæ injuriæ, sed potius per sapientiam. O quanta labes fraterni odii, per quod peccata redeunt, vitium pullulat, homo morbi patitur recidivum! O homo, cogita ne facias alii quod tibi nolles fieri (*Tob.* IV). [68] S. Greg. *in Matth.* XXV. [69] S. Greg. *super Psal.* III, *pœnit.*

Cum bene pugnabis, cum cuncta subacta putabis,
Quæ mala tunc præstat, vincenda superbia restat.

Hæc est quæ effeminat habitum, extra regulam ponit gestum, per quam verba inundant, minæ fulminant, arrogatur quod deest, absentatur quod instat. Hæc philosophos tradidit in reprobum sensum, excæcavit Judæum, perimit obstinatum, dejicit exaltatum.

[70] Hæc designatur per aquilonem, dum dicitur : *Surge, aquilo, et veni, auster* (*Cant.* IV). Aquilo inimicatur floribus, gramina deprædatur, aquas gelicidio ligat; sic superbia novercatur bonis, fructum operis perdit, mentem ligat gelicidio perversitatis, de qua dicitur : *Omne malum panditur ab aquilone* (*Jerem.* I); quia superbia mater est omnis nequitiæ. De hac etiam dicitur : Quid tu vides, Jeremia? *Ollam succensam ab aquilone ego video* (*ibid.*). Hæc olla est servorum superbiæ, in qua decoquuntur filii tenebrarum, sectatores honorum, venatores divitiarum, qui appetunt primas cathedras, qui volunt in foro salutari, et vocari ab hominibus rabbi. Hanc ollam succendit Nabuchodonosor, id est diabolus, huic flammam præstat superbiæ fastus, in hac decoquitur superbus, decoctum comedit Ægyptus, id est immundus spiritus trahit in corpus suum, consequenter egerit in infernum. Superbia ventus est, qui projicit pulverem a facie terræ; quia superbum ejicit a stabilitate vitæ æternæ. Hic est tumor, qui infusa medicamina depellit, quia superbia oblatam gratiam non recipit. Quatuor autem sunt species superbiæ, quæ quasi quatuor venti totum mundum perflant, quia mundanos tumoribus inflant. Arrogantia scilicet, quæ sibi ascribit quod non habet : insolentia, quæ sibi appropriat quod aliis debet; fastus, qui multa credit de se ultra verum; contumacia, quæ se erigit in prælatum. Hi sunt quatuor fabri qui totum orbem concutiunt **69** et varia phantasmata hominibus offerunt.

CAPUT XI.

De contemptu mundani timoris.

Volens prædicator invitare auditores ad contemptum mundani timoris, et ad appetitum timoris superni, his utatur auctoritatibus : *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere, sed eum timete, qui potest et animam et corpus perdere in gehennam* (*Matth.* X). In libro Sapientiæ legitur : *Deum time, et mandata ejus observa* (*Eccle.* XII). Item alibi : *Beatus est qui semper est pavidus* (*Prov.* XXVIII). Et iterum : *Initium sapientiæ timor Domini. Timentibus Deum bene erit in extremis, et in die defensionis ejus benedicentur* (*Eccli.* I). *Qui timent Dominum, custodiunt mandata ejus, et patientiam habebunt usque ad inspectionem illius* (*Eccli.* II). Et Hieronymus ait : Nulla res est quæ sic servet nos a peccato immunes, sicut timor supplicii, et amor Dei. Et Gregorius ait : Deum timere est, nulla quæ facienda sunt bona præterire. Ex his auctoritatibus sic procedendum est : O homo, specialiter est vitandus omnis timor mundanus : Qui tribulationes fugit antequam veniant, qui in tormentis dolorem exaggerat, qui in prosperitate parit adversitatem, in gaudio tristitiam et mortem; qui est pessimus augur in dubiis, mendax in veris, abundans in falsis. Nullum bonum adjuvat habentem, nisi ad ejus amissionem præparatus est animus.

Ergo adversus omnia quæ accidere possunt, etiam potentissimus adhortare te [71]. Cupiditatum finis etiam ad timoris remedia proficit, et ut Seneca dicit : « Spem metus sequitur. » Providentia maximum bonum conditionis humanæ, in malum versa est; feræ pericula quæ vident fugiunt, cum effugere secure possunt : nos et venturo torquemur et præterito. Multa bona nostra nobis nocent. Timoris enim tormentum memoria reducit, providentia anticipat, nemo tantum præsentibus miser est. O homo, vince timorem omnium victorem; si viceris eum, adversitas erit prospera, tribulatio dulcis, dolor fiet delectabilis. O homo, vis timorem fugere, terrena postponere? non adhæreas terrenis, non indulgeas caducis, si terrena diligis, times offendere, times amittere; si vis timorem vincere, time Deum. Sic ars deluditur arte, sic clavus clavo retunditur. Deum time ne timeas, Deo servi ne servias, et mandata ejus observa mente [72], hoc est omnis homo, id est ad hoc factus est omnis homo, ut in se legat omnem Dei potentiam. Constitue te, o homo, inter duas molas, molam timoris et spei. Sic spera ne laxetur animus, sic time ne dilatetur cogitatus. O homo, noli timere mortis instantiam, nec recuses vitæ militiam! hæc dat viro justo amplius meritum, illa largitur stipendium. Noli considerare quantum vivas, sed quomodo. Non ut diu vivas curandum est, sed ut satis bene; diu vivere pertinet ad eventum, satis bene ad animum. Longa est vita si plena est; impletur autem animus, cum se virtutibus plenum reddit, et a propria sui potestate non resilit. Quid prodest illi si octoginta annos exegerit cum torpore inertiæ? non vixit iste, sed in vita moratus est, nec sero mortuus est, sed diu. Ille autem plenus dierum moritur, qui senium pensat gravitate virtutis, qui coactam ætatem extendit meritis; quia licet ejus ætas sit imperfecta, tamen vita est consummata [73]. Obsecro, o homo, ut

VARIÆ LECTIONES.

[70] *In alio exemplari interjecta hic erant :* Hæc prælatos percutit, divites in tumorem erigit, religiosos decipit. Hæc hominem excæcat ne se cognoscere valeat, et quasi quodam præstigio fallit, ut nec de se credat quod est, et de se opinetur quod non est. [71] *Additur in alio :* Et indura. [72] *Additur* : Ut dicere possis, Mandata tua meditatio mea est. Observa ore ut clames ad Dominum, Docebo iniquos vias tuas : observa opere ut dicas, Mandata tua exquisivi nimis. [73] Quæris, o homo, quid altissimum vitæ spatium exigat? usque ad sapientiam timere : qui ad finem illum pervenit, attigit finem non longissimum, sed maximum.

sic vivas, ut quemadmodum **70** rerum pretiosa ex casu pendere putas, sic spatium vitæ in pendulo esse non ambigas. Actu illam metiamur, non tempore. Recuperet in bono actu quod amisit in fluxu. Non repente nos in mortem dejicimus, sed minutatim procedimus: quotidie morimur, quotidie aliquid vitæ demimus. Faciamus, ut quantum decrescit de temporali vita, tantum crescat de æterna. Sit detrimentum temporalis vitæ, in augmentum vitæ æternæ.

Armemus nos patientia ad vitæ cursum, ad mortis insultum: ad utrumque enim monendi et firmandi sumus, ut nec vitam nimis amemus, nec nimis mortis impetum timeamus, sed libra rationis pensemus utrumque; est enim ad moriendum alioquin inconsulta animi inclinatio, nam quidam gravati desidia, morte volunt finire fastidium. Non ad mortem adversitas importunitatis mundanæ debet impellere, sed potius ardor charitatis divinæ, ut homo non constituat finem desiderii in mortis articulo, sed potius, in æternæ beatitudinis dispendio.

CAPUT XII.

De spe cœlestium, et contemptu terrenorum.

Si prædicator vult auditores invitare ad spem cœlestium, et arcere a spe terrenorum, uti debet auctoritatibus, quæ ad hanc spem faciant, et ab illo spe animum retrahant. Verbi gratia: *Maledictus homo qui sperat in homine, et carnem ponit brachium suum* (*Jer.* XVII). Item: *Quam difficile est in pecuniis confidentes, intrare in regnum cœlorum?* (*Marc.* X.) Et alibi: *Bonum est sperare in Domino, quam sperare in principibus* [74] (*Psal.* CXVII). Item: *Jacta cogitatum tuum in Domino, et ipse te enutriet* (*Psal.* LIV). Item: *Spera in Domino, et fac bonum* (*Psal.* XXXVI). Ex his auctoritatibus ita procedendum est: Spes terrenorum ad vota futura tendit, et antequam veniant gaudia consumit. Hæc per nimiam sollicitudinem mentem corrodit, quia, spem timor offendit, venturaque gaudia vendit, et cupiditatem in infinitum extendit. O homo, qui incumbis terrenis, confidens in incertis, baculo arundineo inniteris, qui facile frangitur! noli ergo credere illi qui fragilis est et lubricus, cito decidit, et te interimit. Potius constitue animum in adversitatis nubilo, quam in prosperitatis sereno. Si spem in prosperitate terrenorum constituis, fallax est et seductoria; cum tenueris, non invenies quod sperabas. Disces ex prænuntio, non esse spem ponendam in lubrico: cur speras quod diu obtinere non poteris, ubi non invenies quod credis, ubi minor delectatio in experientia? nec solum in eis quod sperabas non invenies, sed potius fomitem culpæ, fomitem ruinæ, decipulam animæ, fermentum justitiæ. Potius spem dirige in tribulationibus, quæ

A quamvis exterius prætendant amaritudinem, tamen in constantis animo pariunt cœlestis spei dulcedinem. nec fruetur patientiæ fructus dulcedine, qui non fuerit punctus tribulationis amaritudine. Tribulatio etenim est fornax quæ decoquit aurum, lima quæ expolit ferrum, flagellum quo a palea separatur granum. In hac tribulationis militia, patientia exercetur, militat fortitudo, roboratur constantia, spes ad cœlestia invitatur. Potius ergo anchora spei defigatur in portu salutis, in misericordia Salvatoris. Hæc enim spes non confundit sed reficit, illuminat, non excæcat, ubi plus invenitur quam quod quæritur, vel quam spes possit capere; ubi plus fit, quam spes possit intelligere; ubi spes gaudium non consumit, ubi votum gaudium non minuit: propter

B quod votum nihil exspectat, ubi spes figit gressum.

71 O quam felix spes illa cœlestis, quam timor non expugnat, in qua timor non auguratur falsa, ubi cupiditas non somniat inaudita, sed *charitas omnia suffert, omnia credit, omnia sperat* (*I Cor.* XIII), ad quæ credenda vel speranda limes rationis invitat. Quis timor humanam mentem infirmare valeat, si pro ea apud Deum spes cœlestis allegat? In quo nocebunt tyrannorum fulmina, fortunæ præcipitia, infirmitates corporis, strepitus paupertatis, si mens fuerit spe cœlesti vallata? hæc est spes quæ congregationes regit; actiones dirigit. Hæc est quæ in charitate altitudinem ponit, ut actiones dirigamus in Deum: hæc est quæ in charitate latitudinem

C expendit, ut eam extendamus ad inimicum. Hæc est quæ in charitate longitudinem porrigit, ut in ea perseveremus usque ad vitæ terminum. Inter hanc et timorem, velut inter duas molas moli debet Christianus, suavis et delicatus. Unde in Deuteronomio dicitur (*cap.* XXIV): *Non accipies loco pignoris superiorem vel inferiorem molam.* Superior mola est spes; inferior, timor; non enim illa sine ista accipienda est. Qui enim sperat et non timet, negligens est; qui autem timet et non sperat, depressus est.

CAPUT XIII.

De spirituali luctu.

His auctoritatibus et rationibus potest aliquis invitare ad spiritualem luctum: *Beati qui lugent,*

D *quoniam ipsi consolabuntur* (*Matth.* V). Et alibi: *Væ vobis qui ridetis nunc, quia lugebitis et flebitis* (*Luc.* VI). Jacobus ait: *Miseri estote et lugete, et plorate: Risus vester in luctum convertatur, et gaudium in mærorem* (*Jac.* IV). Salomon ait: *Melius est ire ad domum luctus, quam ad domum convivii* (*Eccle.* VII). Gregorius: « Præsentia gaudia sequuntur perpetua lamenta. Nemo potest hic gaudere cum sæculo, et illic regnare cum Deo. » Tres sunt luctus, quibus mentem suam tenetur irrigare homo; luctus pro proprio peccato, luctus pro alieno, luctus pro

VARIÆ LECTIONES.

[74] In alio exemplari adduntur hic sequentia: *Et poeta*: Maxima mortalibus addita est cura, spes ubi longa venit. *Idem ait:* Longo consumit gaudia voto, *econtra, de spe cœlestium dicitur:* Jacta, etc.

dilatione beatitudinis æternæ. Primus luctus fit ad se ipsum, secundus ad proximum, tertius ad Deum. De primo dicitur: *Fuerunt mihi lacrymæ panes die ac nocte* (*Psal.* XLI). De secundo dicitur: *Quis infirmatur, et ego non infirmor? quis scandalizatur, et ego non uror?* (*II Cor.* XI.) Hoc fletu flevit etiam Jesus super Jerusalem, dicens: *Quia si cognovisses et tu!* (*Luc.* XIX.) De tertio fletu legitur in Psalmo: *Super flumina Babylonis illic sedimus et flevimus*, etc. (*Psal.* CXXXVI.) Hi sunt Threni Jeremiæ, quibus plangit peccatum animæ, plangit insultum miseriæ et dilationem patriæ. Horum fletuum imbribus debet homo irrigare terram mentis suæ, ut pariat fructus bonorum operum, diversos flores virtutum. Hi sunt imber matutinus et serotinus; matutinus, id est fletus pro propriis peccatis, cujus irrigatione in mente surgit germen boni operis; sed postquam ad maturitatem perfectæ justitiæ pervenit germen pœnitentiæ, adesse debet imber serotinus, id est fletus pro dilatione patriæ, ut tali lamentationis condimento congruentius metamus fructus bonorum operum. Hi sunt gratiæ fluctus per quos transierunt filii Israel ascendentes in terram promissionis; peccatores enim de Ægypto vitiorum exeuntes, primo per mare Rubrum transeunt, in quo submerguntur hostes, id est primo pœnitentiæ fluctus subeunt, ubi delentur vitiorum errores. Unde per fletum hic cantare debemus canticum Moysi, dicentes: *Cantemus Domino, gloriose enim magnificatus est, equum et ascensorem dejecit in mare* (*Exod.* XV).

Consequenter enim veniunt filii Israel ad torrentem Hernon, et inclinantur scopuli, quando fideles in deserto animi positi, et a curis sæculi eruti, ac in throno virtutum locati, flent pro alienis peccatis, compatiuntur proximis, alienum errorem judicant suum, et sic scopuli inclinantur. Tandem perveniunt filii Israel ad Jordanem, **72** et pede sicco pertranseunt, cum fideles in cumulo perfectionis constituti, a fluxibus carnalium cogitationum purgatis affectibus animi, ingrediuntur lamentum, propter præsentis miseriæ dispendium. Primus, fletus est pœnitentiæ, secundus ex compassione proximi, tertius ex propria compassione. O homo, fac ut mens tua sit ille liber quem vidit Ezechiel (cap. II), in quo erat scriptum: *Væ, lamentationes et carmina.* Ut, si peccato irretitus fueris, ad pœnitentiam convertaris; ut, si præcesserit væ mortali culpæ, sequatur lamentatio pœnitentiæ; imo, tres lamentationes: lamentatio pœnitentiæ, lamentatio compassionis alienæ, lamentatio pro dilatione patriæ. O homo, ad hos gemitus te converte. Hos dolores amplectere, ab aliis terrenis doloribus te averte. Si tibi inimicatur fortuna, propter ejus inimicitias, dolorem non augeas; non habet quid in te lædat, nisi ei vires præbeas. Certe, tibi non nocet nisi

A tibi noceas, ei præbuisti arma si doleas. Quid tristaris de amissione illorum, quæ in mediis voluptatibus causam habent doloris? quæ in media pace causam habent dissensionis? quæ cum deberent esse securitatis fomentum, vertuntur in metum? Si pro morte amici doleas, magis doleas pro periculo animæ, quoniam pro seclusione hujus vitæ temporalis; si pro ipso fles, potius effundas lacrymas mentis pro eo ad Deum, quam exteriorem ululatum ad mundum. Si naturalis infirmitas te invitat ad luctum, non luctui tradas animum. Non prohibeo lacrymas quas naturaliter necessitas exprimit, quas infirmitas humana expellit; quia hæ lacrymæ per elisionem cadunt, nobis nolentibus. B Sæpe salva sapientis auctoritate fluxerunt tanto tempore pro amico lacrymæ, ut illis non humanitas nec dignitas deesset; licet enim, servata gravitate, naturæ obsequi; sed quamvis natura te invitet ad luctum animi, non tamen lacrymæ suffocent animum, sed in mediis lacrymis animus constans et immobilis, miseriam suam legat, vincatur ab animo luctus, absorbeat infirmitatem mens, extenuet spiritus carnem, ratio sensualitatem. Si mors immineat, noli dolere, sed præpara te ad mortis instantiam per mentis constantiam. Talem te præpara ut mortem timere non possis; ut post mortem vivere incipias, qui ante mortem moriendo vivebas. Non tamen dico quod desidia victus, ad mortem fugias, quia tam turpe est aliquando ad mortem C confugere, quam mortem fugere. Desiderium vitæ æternæ te invitet ad mortem: desiderium majoris meriti te in vita detineat [75]. Noli dissolvi prosperis, noli suffocari adversis. Ne sis de illis mulieribus quas vidit Ezechiel (cap. VIII) plangentes Adonidem. Per Adonidem qui legitur fuisse mortuus, consequenter redivivus, de quo mortuo videbantur lugere mulieres, de redivivo gaudere, intelligitur temporalis prosperitas, quæ in momento desinit, ad momentum resurgit, quia semper est in fluxu, et nunquam in eodem statu permanet. Hunc mortuum lugent, hunc redivivum gaudent mulieres, id est homines effeminati, qui ad fortunæ ludum semper variantur; qui cum lugente fortuna lugent, cum gaudente gaudent. Qui tot habent mentis vi- D cissitudines, quot habet fortuna varietates. Non iste temporalis amplectendus est luctus sed æternus præcordialiter est cavendus, ubi erit fletus sine remissione, dolor sine intermissione, labor sine quiete: ubi tota anima erit in fletu conscientiæ, totum corpus in luctu miseriæ, quia a prima porta erit clamor, a secunda miseria.

73 CAPUT XIV.

De gaudio spirituali.

Ad spirituale gaudium, hæ auctoritates et rationes possunt hominem invitare: *Lætamini in Domino et exsultate, justi* (*Psal.* XXXI). Item: *Gaudete*

VARIÆ LECTIONES.

[75] *In alio exemplari sequuntur hæc:* Non tædio doloris appetas mortem, non amore blandimenti terreni appetas vitam. Hanc fer patienter, illam exspecta constanter.

quia nomina vestra scripta sunt in cœlis (*Luc.* x). Item : *Exsultabimus et lætabimur in te* (*Isai.* xxv). Item : *Gaudete in Domino semper, iterum dico : Gaudete* (*Philipp.* iv). Item : *Jubilate Deo omnis terra, servite Domino in lætitia* (*Psal.* lxv). His auctoritatibus monemur ad spiritualem mentis lætitiam, quam non operatur divitiarum copia, non fallax mundi gloria, non potestas sæculi, non prolis fecunditas, non corporis sanitas, sed puritas conscientiæ, munditia vitæ. Hoc gaudium nulla interrumpit miseria, hanc prosperitatem nulla demolitur adversitas, huic dulcedini nulla se miscet amaritudo. O felix puræ conscientiæ jucunditas! quæ vermem interiorem excludit, a carcere doloris liberat rationem, ab immunditia purgat mentem.

B Hæc est paradisus deliciarum, variis arboribus bonorum operum consita, variis virtutum floribus picturata, fonte cœlestis gratiæ irrigata[76]. Hæc puritas conscientiæ vitæ æternæ est imago, et regni cœlestis præfatio. Contra hanc mentis serenitatem, nihil potest turbo fortunæ : contra hæc mentis propugnacula nihil valent mundi instrumenta. Qui habet puritatem conscientiæ, in mediis doloribus gaudet, in mediis lamentationibus ridet, felix est in adversis.

Hæc est domus Salomonis variis referta unguentis, quia in puritate cordis dulcia redolent dona charismatis. Hæc est thalamus Dei, palatium Christi, lectus cœlestis sponsi. Ibi sponsa, id est anima, requiescit cum Christo sponso suo. Ibi occurrit Rebecca Isaac venienti de agro. Ibi Jacob deliciosis delectatur amplexibus Rachelis. Ibi Maria Magdalene Christo pretiosissima offert unguenta. O, si tanta est felicitas puræ conscientiæ, quanta est miseria mentis cauteriatæ? qua judice nemo absolvitur nocens, ubi vermis conscientiæ mentem assidue demolitur. Ubi assiduis circumvolat alis, sæva dies animi. Ubi occurrunt monstra, belluæ peccatorum. Hic est liber diaboli manuscriptus, notis teterrimis deturpatus, ibi charta est mens conscia mali ; ubi calamus, libertas arbitrii, ubi incaustum[77], enormitas peccati. Ibi, o homo, miserrime recolis quidquid ab ineunte ætate scripsisti, per quod Deum offendisti, in quo proximo obviasti, in quo tibimet nocuisti. O liber damnabilis, in quo D non sunt scripta carmina, sed lamentationes et væ. Sed jam, o homo, dele per confessionem quod scripsisti per falsam locutionem ; dele per contritionem quod scripsisti per malam cogitationem ; dele per satisfactionem, quod scripsisti per pravam operationem ; dele librum perversæ conscientiæ ne ibi legat ratio unde te damnet, ne ibi inveniat diabolus unde te accuset ; ne ibi videat Deus unde te judicet, ut sic redeas ad spiritnale mentis gaudium, ut revertaris ad te ipsum, ut recurras ad Deum.

74 CAPUT XV.

De patientia.

Si ad patientiam vis auditores informare, his utere auctoritatibus : *Patientia opus perfectum habet* (*Jacob.* iv). Item : *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam* (*Matth.* v). Item : *Doctrina viri per patientiam dignoscitur* (*Prov.* xix). Et philosophus ait : Morum patientia summa, hæc est per quam martyr moriendo superat viventem, patiendo triumphat, in tribulatione invenit dulcedinem, in labore quietem. De felle elicit favum, de aceto mellitum ; contumeliæ sagittas patientiæ clypeus frangit, injuriarum jacula tolerantiæ virtus expellit. Quatuor sunt injuriarum species quas patientia victrix expugnat, quibus resistendo, superat. Prima est injuria verborum quam patientia aut per silentii tranquillitatem absorbet, aut mollitie verborum demulcet. Secunda injuria est odii quam patientia remittit, et pro odio charitatem reddit. Tertia est injuria rerum quam patientia superat, modico contenta viatico. Quarta est injuria corporis proprii quam repellit castigatio carnis. Multi leguntur habuisse patientiæ umbram, multos legimus mentitos fuisse constantiam, ut prosperitatem consequerentur mundanam. Miramur quædam animalia quæ per medios ignes sine noxa corporis transeunt ; sed multo magis mirari debemus eos qui per ferrum et ruinas et ignes illæsi et indemnes animo transeunt. Turpe est cedere passioni, turpius est succumbere : luctare contra eam, si semel victa fuerit, rixam non iterabit. Auge animum, amplia virtutem, non est vir fortis aut strenuus, qui laborem fugit ; his, inquam, negotiis locum debet habere patientia, ubi se ingerit cœlestis negotii causa ; alioquin, sordido te continue fatigabis labore. Quare, si vides gravia insistere, noli terga vertere, sed pedetentim in tutum recede ; facile est per patientiam tribulationum aculeos evadere, facile est per patientiam bona temporalia contemnere. Quid turpius, quam in ipso securitatis limine esse sollicitum? Causa hæc est quæ nos facit impatientes, quod sumus boni cœlestis inanes. Sunt autem septem patientiæ species, quæ in septem petitionibus Dominicæ orationis comprehenduntur. |

Prima est, contra mundi insultum, contra vanæ gloriæ appetitum, contra terreni laboris desiderium, contra cupiditatis retinaculum ; quæ petitur cum dicitur : *Libera nos a malo* (*Matth.* vi), quasi diceret fidelis : confer patientiam contra malum sæculi, contra mundi insultum. De hac eadem patientia fit sermo, cum dicitur in catologo beatitudinum : *Beati pauperes spiritu* (*Matth.* v). Patientiæ enim prima species consistit in spirituali paupertate, quæ est in abdicatione rerum exteriorum, in

VARIÆ LECTIONES.

[76] *In alio exemplari sequitur :* Hæc est paradisus in qua plantatur arbor vitæ, id est viror cœlestis sapientiæ : ubi viret lignum scientiæ boni et mali, id est libertas arbitrii. In hac constituitur homo, ut perenni felicitate lætetur. [77] *In alio habetur,* incaustum.

in abdicatione naturalium donorum, cum homo pro naturalibus animæ dotibus non intumescit, in abdicatione eorum quæ pertinent ad dotes corporis, ut fortitudinis, pulchritudinis, etc.

Secunda patientia est contra insultus diaboli. Quæ species patientiæ petitur, cum dicitur : *Et ne nos inducas in tentationem* (*Matth.* VI). Non petit homo ne tentetur, sed, ne in tentationem ducatur; tentatur enim quis, et non in tentationem ducitur; ut justus, qui resistit diabolo; tentatur, et in tentationem ducitur, qui peccando, maligno subjicitur; de hac patientia dicitur : *Beati mites*, etc. (*Matth.* V). In hac enim patientia, summa mansuetudo resultat, quod homo malignanti dæmoni assensum non præstat.

Tertia patientia est contra injurias proximi, quando homo patienter sustinet contumelias; hæc petitur cum dicitur : *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris* (*Matth.* VI). De eadem dicitur : *Beati misericordes*, etc. (*Matth.* V.) **75** Spiritualis enim misericordiæ effectus est in injuriarum remissione.

Quarta species patientiæ est contra naturalis paupertatis instantiam cum aliquis constanti animo egestatis sustinet ingruentiam. Hæc petitur cum dicitur : *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie* (*Matth.* VI). Quis est iste panis quotidianus, nisi patientia contra paupertatem in hujus vitæ dispendio? Hæc enim patientia est quæ viatici modicum computat immensum, quæ abundanter cibat mentem, quamvis non impleat ventrem. Hæc patientia fructuosa facit jejunia; hæc in milio invenit similam, in gobione salmonem, in aquis pigmentum; de hac dicitur : *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam* (*Matth.* V). Patientia enim quæ in materiali jejunio satietatem invenit, justitiam sitit et esurit; et quanto magis cibum materialem fastidit, tanto magis spiritualem appetit.

Quinta patientia est contra insultum carnis, quando homo viriliter refrenat insultum carnis, et castigat jumentum, ut sensualitas famuletur rationi, caro spiritui, quando spiritus super carnem tenet imperium, quando contra carnem ratio obtinet regnum. Hoc regnum petitur in dominica oratione, cum dicitur : *Adveniat regnum tuum* (*Matth.* VI), id est fac ut sicut omnia obediunt tibi, ita in nobis sensualitas pareat rationi. Ut, sicut omnia in regno tuo sunt pacifica, ita in regno nostræ mentis omnia sint tranquilla. O quam timendum est hoc duellum inter carnem et spiritum, ubi caro contra spiritum armatur, illecebris sensuum, jucunditate carnalium delectationum. Vide exercitum carnis, qui militat in ejus castris, et cum carne venit ad bellum; pulchritudo rei quæ decipit visum, blandimentum soni quod seducit auditum, odoramenta rerum quæ suspendunt olfactum, sapor cibi qui A allicit gustum, lenitas rei quæ provocat tactum. Contra hunc exercitum armat patientia mentem, quæ sola hostes istos valet expugnare, sola litem terminare, sola exsulantem rationem in suo regno restituere. Istud bellum plus quam civile est, et ideo magis cavendum. Est bellum externum inter hominem et diabolum, de quo dicitur : *Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates aeris hujus* (*Ephes.* VI). Est civile bellum inter hominem et proximum, de quo dicitur : *Filii matris meæ pugnaverunt contra me* (*Cant.* I). Est bellum plus quam civile, inter carnem et spiritum, de quo dicitur : *Militat caro adversus spiritum, et spiritus adversus carnem* (*Gal.* V). Hoc bellum sedari potest spirituali luctu, si B lugeat quis absentiam sponsi, si fleat pro ingruentia peccati, si doleat abstinendo a desiderio carnali, si ploret cessando ab amore mundi. De quo luctu dicitur : *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur* (*Matth.* V).

Sexta patientia est contra miserias corporis, quæ attenduntur in labore, languore, frigore, æstu, fame, siti. Hæc vulnera intulerunt latrones homini descendenti a Jerusalem in Jericho (*Luc.* X), id est dæmones Adæ peccanti, qui descendit a Jerusalem cœlestis visionis in Jericho, id est in defectum nostræ mortalitatis. Contra hæc patientia est, quando animus superat virtutem morbi in languore gratias agens Deo, et ita in infirmitate carnis invenit sanitatem mentis; quando etiam in labore mens invenit C requiem, pœnam referens ad debitum finem, ut quæ sunt languores corporum, sint medicamina mentium. Contra has miserias corporis, petitur patientia cum dicitur : *Fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terra* (*Matth.* VI), id est fac ut, sicut in cœlo, id est in humana Christi natura nutu tuæ voluntatis fuit firma tua patientia, contra has miserias carnis, sic et in terra, id est in nobis terrenis hominibus, sit patientia contra infirmitates corporis. De hac dicitur : *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* (*Matth.* V). Per hanc patientiam oculus rationis purgatur, ne per languorem in desperationem cadat, vel per laborem in torporem ruat.

76 Septima vero patientia est contra flagella D Dei, quæ justum examinat, servum probat, filium demonstrat. Hæc petitur, cum dicitur : *Sanctificetur nomen tuum* (*Matth.* VI). Per hoc enim quod aliquis patiens est in Dei flagellis, sanctificatur in eo nomen filiationis; et quanto patientius sustinet flagella Dei, tanto magis in eo sanctificatur nomen paternum, quia *Flagellat Pater*, per pœnam, *omnem filium quem recipit per patientiam* (*Hebr.* XII). De hac patientia dicitur : *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur* (*Matth.* V). Illi enim qui pacem retinent pectoris per patientiam dum a Patre flagellantur, recte filii Dei esse probantur [78]. Si quis

VARIÆ LECTIONES.

[78] *In alio exemplari, hic additur :* Iste septenarius patientiæ resultat in Job, quem amissio terreni ho-

ergo patiens esse desiderat, Job patientiam, Christi finem, martyrum constantiam diligenter attendat, et sic omnibus mundanis insultibus patientiæ virtute illudat. Ut legitur in libro Macrobii : « Vinculo patientiæ obligandi sunt impetus animi; magna est illius gloria, qui nullius laudibus crescit, nullius vituperationibus decrescit. » Plato de patientia ait : « [79] Congrediendum est cum voluptariis rebus, ut adversus eas non fuga nec absentia simus tuti, sed vigore animi et constanti præsentia moderatoque usu continentiam temperantiamque tueamur, et calefacto simulque refecto animo, si quid in eo vel frigidæ tristitiæ, vel torpentis vecordiæ fuerit, diluamus. » Ait etiam Aristoteles : « Quis habens aliquid humani pudoris, voluptates cum sue et asino communes se habere gratulatur ? » Similiter et Socrates dicebat multos homines propterea velle vivere ut ederent et biberent, non bibere et edere ut viverent. Gregorius etiam ait : « Nulli imponas quod pati ipse non possis. » Et iterum Socrates : « Sapientis est, ne in cassem cadat, cavere, et si quis forte ceciderit, fortiter ferre. Fortis enim non potest judicari, nisi et sapiens fuerit, virtus enim sine sapientia temeritas periculosa putanda est. » Item Socrates : « Viri boni est scire pati, nec facere injuriam. » Item, idem : « Patientia miseriarum portus est. »

CAPUT XVI.

De obedientia.

His auctoritatibus possunt auditores ad patientiam informari : *Christus factus est pro nobis obediens usque ad mortem, mortem autem crucis* (*Philipp.* II). Samuel etiam ait : *Melior est obedientia quam victimæ* (*I Reg.* XV). Item apostolus : *Servi, obedite præpositis et dominis vestris, non tantum bonis et modestis, sed etiam dyscolis* (*I Petr.* II). Et : *Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit* (*Rom.* XIII). Ex his auctoritatibus procedendum : O homo, Filius Dei factus est pro nobis obediens usque ad contumeliam patibuli; tu non vis obedire præceptis Evangelii ? Cum angelus in omnibus obediat Deo, tu qui lutum es et cinis, contradicis Dei præcepto ? Insensibilia obediunt Deo, tu qui solus præditus es ratione, impugnas Dei voluntatem ? Sol a sua semita non deviat, luna a suo tramite non aberrat, stellæ suis indulgent officiis, ad nutum Dei, campus floribus amœnatur, imbribus terra irrigatur, fronde crispatur silva, in nemore citharizat avicula, sic Deo obediunt cuncta; tu solus impugnas ejus præcepta ! Considera, o homo, *quod melior est obedientia quam victimæ* (*I Reg.* XV), quia per victimas aliena caro immolatur, per obedientiam vero propria voluntas mactatur. Tanto ergo Deum quisque placat citius, quanto repressa arbitrii sui superbia, gladio præcepti se immolat. Peccatum vero ariolandi inobedientia dicitur (*ibid.*) [77] ut, quanta sit virtus obedientiæ, ex adverso monstretur. De hac obedientia dicit Salomon : *Vir obediens loquitur victorias* (*Prov.* XXII). Dum enim alienæ voci humiliter subdimur, nosmetipsos in cordibus superamus.

Sciendum est etiam quod obedientia aliquando de suo nihil habere debet; cum enim locus superior imperatur, obedientiæ sibi virtutem evacuat, qui ad hunc proprio desiderio anhelat ; aliquando vero, obedientia aliquid de suo habere debet ut, cum contumeliæ et probra imperantur, nisi hæc animus ex semetipso appetat, obedientiæ sibi bonum minuit, qui ad hoc invitus descendit. Debet ergo obedientia et in adversis suum aliquid habere, et rursum in prosperis, de suo nihil habere. Hinc Moyses principatum populi humiliter recusat (*Exod.* III). Paulus audacter dicit : *Ego non solum ligari in Jerusalem, sed et mori paratus sum* (*Act.* XXI). Sed cavendum est ne in obedientia erres [80]. Scias ergo quod vera *obedientia est animi deliberantis honesta, justæ jussionis effectus cum discretione.* Ecce quos comites debeat habere obedientia : scilicet justitiam, ut justum sit quod præcipitur; unde dicitur : *Justæ jussionis effectus*, 2° ut sit honestum quod deliberatur, ut dictum est : *Deliberantis honesta*; 3° ut ex discretione procedat; unde additur : *Cum discretione.* Illa ergo obedientia quæ sine discretione est, cassa est; illa quæ sine honestate, supina est; quia qui obedit in honestis ex nimia obedientiæ ampliatione, superbiam mentis significat. Si vero non fuerit cum justitia, irregularis est, anomala est. Sciendum autem quod per obedientiam nunquam debet malum fieri, sed aliquando bonum quod agitur intermitti. Non enim erat mala arbor in paradiso, quam Deus contingere vetuit, ut per obedientiæ meritum homo benedictus cresceret; dignum tamen fuit ut hunc a bono prohiberet. Notandum vero quod ibi dicitur : *Ex omni ligno paradisi comede* (*Gen.* II), etc., qui enim ab uno bono subditos vetat, necesse est ut multa concedat, ne mens ab omnibus repulsa, quasi jejuna intereat. Quatuor ergo rationabilem comitantur obedientiam, discretio, honestas, justitia, humilitas [81]. Sunt autem tres regularis obedientiæ species : sufficiens, qua quis obedit majori; perfecta, qua obedit pari; abundans, qua servit minori. Prima est quasi po-

VARIÆ LECTIONES.

noris non fregit; quem Satan tentavit, nec vicit; qui uxori injurianti viriliter restitit; qui omnibus temporalibus privatus, egestati non succubuit; quem carnalis filiorum dilectio non dejecit; qui in virtute animi, carnis ulcera absorbuit; qui flagella Dei patienter sustinuit. [79] *Additur* : Nullum sibi unquam aut continentem prorsus, aut temperatum satis visum esse, cui vita non inter ipsa errorum pericula, in mediis voluptatum illecebris explorata sit. *Et postea* : Itaque congrediendum, etc. [80] *Hic interponuntur sequentia* : Hic enim potest latere fel sub specie mellis, lupus sub vellere ovis, in potu venenum, in cibo mortiferum. [81] *Additur hic iterum in alio* : Quæ ipsam obedientiam ita constituant, ut a modo ruere, vel in modico vacillare non valeat.

sitiva, secunda comparativa, tertia superlativa. Prima est præcepti, secunda supererogationis, tertia consilii [82]; has in se complevit Christus, majori obediens, cum Patri obedivit, minor eo secundum humanitatem; et pari, quando Patri æqualis secundum divinitatem; obedivit minori, quando obedivit matri. Præterea, est quædam obedientia quæ est directa, quæ fit fine debito et officio congruo; ut quando bona intentione obedimus Deo. Alia recta, sed non directa, ut quando obedimus Deo, sed incongruo officio, qualem obedientiam exhibet Judæus Deo creatori suo, sed caret forma officii, id est regula charitatis et fidei. Indirecta vero obedientia est, quando obedimus Creatori intuitu favoris humani. Retrograda autem est, quando dæmones obediunt Deo. Quia sic obediunt agentes quod nolunt.

Prima est meritoria, secunda introductoria, tertia quæstuosa, quarta perniciosa. Prima est efficiens, secunda, faciens; tertia, deficiens; quarta, inficiens.

O quam efficax est regula obedientiæ, quæ concordiam servat in angelis, quæ pacem nutrit in claustris, sine qua nec respublica stare, nec minima familia regi potest. Quæ et brutis jus naturale suggerit; quam pro lege res inanimata custodit. Hac ligantur cœlestibus terrena, humanis divina; hæc est scala per quam fit ascensus in cœlum. Hæc insuper obedientia humilitatem nutrit, patientiam probat, mansuetudinem examinat. Studeat hanc claustralis ulnis charitatis amplecti ut, quod **78** est Dei solvat Deo, et quod est proximi proximo. Hæc est obedientia, quæ juxta regulam justitiæ, singulis reddit quod suum est : et sicut ex obedientia omne bonum procedit, ita ex inobedientia malum omne exoritur; dum scilicet per peccatum homo Creatori suo contemnit obedire.

CAPUT XVII.

De perseverantia.

His auctoritatibus commonetur quis ad perseverantiam : *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* (*Matth.* x). Item alibi : *Si perseveraverit pulsans, dico vobis, et si non dabit ei eo quod amicus ejus sit, propter improbitatem tamen ejus, surget et dabit ei quotquot habet necessarios* (*Luc.* xi). Et Apostolus ait : *Omnes in stadio currunt, sed unus accipit bravium* (*I Cor.* ix). Et : *Qui legitime certaverit, coronabitur* (*II Tim.* ii). Item alibi dicitur, *quod Dominus judicabit fines terræ* (*Psal.* ix). Et : *Ubi ceciderit arbor, sive ad austrum, sive ad aquilonem, ibi erit* (*Eccle.* xi). Et alibi : « Finis, non pugna coronat. »

Multi aggrediuntur magna, sed deficiunt in via. Multi Sodomam exeunt, sed cito retro respiciunt. A Multi egrediuntur Babylonem, sed moriuntur in via, nec perveniunt ad æternæ pacis civitatem, Jerusalem cœlestem. Perseverantia informat meritum, colorat boni propositum, remunerat currentem, coronat pugnantem. Hæc ducit ad bravium, ducit ad portum, dat formam operi, regulam actioni. Hæc est tunica talaris Joseph, finem vitæ contingens; hæc est tunica sacerdotalis usque ad pedes perveniens, hæc est cauda hostiæ quam Deo tenemur offerre.

Hic est calcaneus bonæ operationis, quam contra morsus serpentis debemus observare. Hæc est virtus quæ omne bonum votum informat, qua laureantur martyres, qua coronantur virgines. Hæc est quæ res difficiles reducit ad facultatem, et omnem vincit difficultatem. Hæc est vestis sine ruga, tunica B sine macula. Hæc est quæ bonam actionem facit unicolorem, virtutem uniformem. Et notandum quod quædam perseverantia est quasi fenalis, quæ, instar feni, ad tempus viret, et in tempore adversitatis flaccescit. Hæc quasi flos egreditur, et conteritur, et fugit velut umbra, et nunquam in eodem statu permanet; finalis vero perseverantia est quæ perdurat usque ad finem. Hæc est fons vivus, hortus signatus, cui non communicat alienus, qui semper fluit, semper scaturit. Laborent fideles ut hanc habeant, claustrales ut hanc retineant, virgines ut hac se informent, viduæ ut in hac perseverent.

Diabolus quandoque irritat hominem ad bonum, ut de bono gravius malum eliciat. Contra hunc dæ- C monis insultum valet perseverantia, ut bono fine bona concludantur initia :

Ne primo medium, medio ne discrepet imum.

Bonum enim inchoare, et malo fine concludere, est monstruosa conficere.

Illa namque actio est quasi chimera, quæ initium habet a ratione, finem in sensualitate. Cum sic agitur :

Jungit. Humano capiti cervicem pictor equinam

Et sic varias inducit infructuositatis plumas. Sunt quidam quorum vita monstrum mirabile facit, cujus initium bonum, quasi caput hominis prætendit, medium vero in luxuriam descendens, ventrem capræ ostentat, ad ultimum in rapaci- D tatem devians, lupæ pedes habet. O homo, quid prodest tibi bonum inchoare, et non recto fine concludere? *Melius est viam veritatis non agnoscere, quam post agnitam retro ire* (*II Petr.* ii). Per hanc inconstantiam levitatis argueris, apostasiam incurris, mentis stabilitatem postponis [83]. Seneca ait : « Compositæ mentis est posse consistere et in bono morari. » Nihil tam utile est quod in transitu possit prodesse. Perseverantia bonum **79** educat, tenerum ad maturitatem perducit. Nec quærit pue-

VARIÆ LECTIONES.

[82] *Additur :* Prima est mensura bona, secunda conferta, tertia supereffluens. [83] *In alio exemplari sic :* O homo, per perseverantiam brevitatem redimis vitæ, nullum opus incassum transire permittis, omnes horas complecteris, ut ex crastino minus pendeas.

rilem animum, sed adultum : maturos quærit mores, non teneros nec enormes [84]. Si totam vitam perseverantia non illustrat, saltem finem perseverantia finalis concludat. Si obtulisti florem juventutis diabolo, saltem fæcem senectutis offer Christo. In vespere laudatur serenitas diei, in fine status operis boni. Vide a quanto bono Judas cecidit, qui in bono non perseveravit.

Vide quid Salomon per animi instabilitatem perdidit, in quantam calamitatem Saul decidit. Quanti meriti sit perseverantia ex flagitio oppositi vitii, scilicet impœnitentiæ conjectare possumus. De impœnitentia enim dicitur, quod tanta sit labes hujus peccati, quod humilitatem postulandi veniam subire non possit. Hæc est enim peccatum in Spiritum sanctum, hæc est peccatum ad mortem, de quo Joannes ait : *Est peccatum ad mortem, non dico ut pro eo oret quis* (*I Joan.* v). Impœnitentia autem ex desperatione nascitur, aut ex præsumptione oritur, et quantum in ipsa est, aut derogat Dei justitiæ, aut detrahit ejus misericordiæ. Felix ergo perseverantia, quæ impœnitentiam excludit, obstinationem expellit, contemptum eliminat, obdurationem expugnat.

CAPUT XVIII.

De misericordia.

Ad misericordiam hæ possunt auctoritates hominem invitare : *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur* (*Matth.* v). *Misericordiam volo, et non sacrificium* (*Matth.* ix, xii). Item : *Beatus homo qui miseretur et commodat* (*Psal.* xxxvi). Et Jacobus in Epistola canonica : *Misericordia superexaltat judicium* (*Jac.* ii). Item Salomon : *Misericordia et veritas custodiunt regem, et roboratur clementia thronus ejus* (*Prov.* xx). Et in Evangelio : *Omnia quæcunque vultis ut faciant vobis homines, et vos facite illis; hæc est lex et prophetæ* (*Matth.* vii). O homo, si diligenter considerares Dei misericordiam, in te posses habere miserendi formam. Quid incarnavit Christum, nisi misericordia ? quid subjecit eum nostræ miseriæ, nisi sua clementia : hæc est sola via hominis ad Deum, Dei ad hominem. O beata via, quæ sola commercium nostræ salutis agnoscit, quæ sola ad Deum dirigit hominem, et Deum deducit ad hominem ! Ipsa sola mediatrix aversos concilians, disjunctos socians, dispares quodammodo coæquans, Deum humilians, nos sublimans, illum ad ima trahens, nos ad summa erigens ; ita tamen, ut non abjecta sit ejus descensio, nec superba sed gloriosa sit nostra exaltatio. Magnam enim vim habuit misericordia, quæ sola potuit Deum de cœlo trahere ad terram, et hominem de exsilio reducere ad patriam. O magnum misericordiæ vinculum, quo Deus ligari potuit, et homo ligatus vincula iniquitatis dirupit ! O homo, si tuam considerares miseriam, in opere Dei erga A te, non invenires nisi misericordiam. Misericordia est, si peccantem sustinet, si flagellat ut emendet, si a peccato liberet, si in justitia conservet : misericordia quoque si æternaliter punit, quia citra merita, misericordia si æternaliter remunerat, quia supra merita præmiat. Nec in hoc detrahitur ejus justitiæ, quia ejus justitia exigit usum misericordiæ. Justitia namque semper debet habere comitem misericordiam, quia justitiæ veritas in severitatem vertitur, nisi dulcedine misericordiæ condiatur. Unde dicitur : quod *Misericordia et veritas obviaverunt sibi, justitia et pax osculatæ sunt* (*Psal.* lxxxiv). Debet enim justitia misericordiam quodammodo osculari, ut ipsa a tramite **80** misericordiæ non recedat, et misericordia justitiæ lineam non evadat. B

Unde et misericordiæ dicitur super altare judicium, quia justitia in crudelitatis abyssum deprimitur, nisi misericordiæ gratia relaxetur. Est misericordia justitiæ condimentum, judicii medicamentum. Nec tamen pro miseria vel vulgaris debet esse misericordia vel abscissa, nam ut ait Seneca : « Tam omnibus ignoscere crudelitas est, quam nulli. » Disciplina enim vel misericordia multum destruitur, si una sine altera teneatur, sed hæc circa subditos debet inesse rectoribus, et juste consolans misericordia, et pie sæviens disciplina. Pensemus quantum Moyses populum amavit, pro cujus vita deleri se petiit, et quanto zelo rectitudinis, cum veniam C obtinuisset, ad populum ait : *Ponat vir gladium super femur suum*, etc. (*Exod.* xxxii.) Ecce, qui petit vitam hominum cum sua morte, paucorum vitam gladio exstinxit ; intus amoris igne, foris accensus est zelo severitatis apud Deum. Utrobique fortis legatus, causam populi precibus apud Deum, causam Dei apud populum gladiis allegavit.

O homo, misericordiam secteris in proximo, non intuitu fortunæ, sed causæ ; non ægritudo animi sed charitas Dei clementiam excitet ; multi enim sunt, qui nocentissimorum lacrymis moventur, qui, si liceret, carcerem effringerent ; quos non movet charitas, sed animi infirmitas. Reddat ergo charitas compassionem homini, puniat æquitas enormitatem vitii. Maxime autem studendum est D in operibus misericordiæ, ut cibetur esuriens, reficiatur sitiens, vestiatur nudus, recipiatur peregrinus, consoletur pupillus, visitetur ægrotus. Hæc sunt opera misericordiæ, quæ justus disponet in judicio (*Psal.* xxxvi), quæ allegabunt in die judicii pro eo. Sola enim misericordiæ opera perorabunt pro homine in causa finali ; quia *Judicium fiet sine misericordia ei qui non fecerit misericordiam* (*Jac.* ii). O homo, in alterius miseria te ipsum recognosce, in alia, miseriam tuam lege. Si justus es, cadere potes ; si dives es, donum fortunæ est, non naturæ. Si sanus es, infirmitas vel instat, vel minatur in-

VARIÆ LECTIONES.

[84] *Hic habebantur sequentia :* Si vis consequi perseverantiam, stude acquiescere bonis, ut consuetudo quæ est altera natura, in te perseverantiam gignat, convictus bonorum, vitæ longanimitatem pariat.

stantiam. Si sapiens, sapientia hominis non habet constantiam. O homo, si devias a tramite clementiæ, quantum in te est, turbas fontem misericordiæ; tu qui in Deo expertus es fontem misericordiæ et pietatis, saltem in proximum sinas rivulum misericordiæ emanare. Quid erit si Salvator tuus clemens et pius sit, et tu in proximum immisericors, et austerus? Tu a Domino recepisti misericordiam et in proximum patras malitiam. Tu in Dei misericordia legere potes quid agere debeas, quam clementiæ regulam tenere valeas. Et certe, potius misericordiam quam justitiam teneris amplecti. Applicabilior enim debet esse omnis homo naturaliter ad misericordiam quam ad justitiam; quia misericordia parit amorem, justitia timorem; quia charitas excludit timorem, timore autem dignior est dilectio. Multa etiam sunt quæ nos monent de justitia aliquid relaxare; humanæ naturæ infirmitas, rei utilitas, misericordiæ etiam dignitas, quæ superexaltat judicium. Nascatur ergo misericordia non ex negligentia, non ex pusillanimitate, non ex indiscretione, non ex animi infirmitate, sed omnibus modis sit circumscripta, ut sic suum retineat proprium, nec justitiæ auferat debitum. Vide, o homo, in Joseph misericordiam, quæ fratrum oblita est injuriam (*Gen.* XLIII). Lege in David clementiæ gratiam, qui filii persequentis deflebat dementiam (*II Reg.* XVIII). Hæc et his similia tibi exempla propone, si vis recta sectari tramitem misericordiæ. Si claudis viscera misericordiæ indigenti, claudis tibi januam misericordiæ Christi. Misericordia etenim clavis est qua reseratur cœlum, quæ solvit reatum. Hæc est porta Domini, justi intrabunt in eam. Hæc est misericordia, quæ Novum illuminat Testamentum, et rigorem veteris legis extenuat. Hæc est lignum quod aquas Mara dulcorat (*Exod.* XV). Hoc sale Eliseus aquarum amaritudinem exterminavit (*IV Reg.* II). Hac farina Eliseus ollæ mortem exstirpavit (*IV Reg.* IV). Hoc oleum infudit Samaritanus **81** vulnerati vulneribus (*Luc.* X). Clementia non tantum hominem reddit honestum, sed etiam tutum. Principum ornamentum est clementia, et lux certissima. Hæc sola dividit inter crudelem et pium, inter regem et tyrannum. Rex armatur clementia, tyrannus armis provocat odia. O homo, ubi pareres, nisi tibi clementia subveniret? Si tecum ageret Deus districta justitia, non posset excogitari pœna quæ responderet meritis, supplicia quæ æquipollerent delictis. Omnia ergo attribue Dei misericordiæ, et a simili expendas misericordiam in proximum; non sis avarus in miserendo, quia expertus es misericordiæ largitatem in Deo.

CAPUT XIX.

De justitia.

Hæ auctoritates ad justitiam commonent: *Diligite justitiam qui judicatis terram* (*Sap.* I); item: *Feci judicium et justitiam, non tradas me calumniantibus me* (*Psal.* CXVIII). Item: *Beatus vir qui in sapientia morabitur, et qui in justitia meditabitur* (*Eccli.* XIV). Item: *Judicate pupillo et humili, ut non apponat ultra magnificare se homo super terram* (*Psal.* IX). Cavendum est tibi, o homo, ad quod inspectas judicium, ne judicium odio exasperes, ne crudelitate inflammes, ne amore pecuniæ emollias, ne timore recidas. Non te moveat purpura divitis, non saccus pauperis; regia via incede, non declines ad dexteram, emolliendo judicium, nec ad sinistram, exasperando supplicium. Non est crudelitas punire reatum, sed justitia; non est tyrannicum, sed divinæ rectitudinis judicium. Sed cave, ne sic ab alterius oculo festucam ejicias, ut in oculo tuo trabem non videas. Nec sic alterius velis revelare lapsum, ut tuum negligas casum; nec sic cures alterius morbum, ut te postponas ægrotum; dicaturque tibi: *Medice cura te ipsum* (*Luc.* IV). Audi quid Dominus dicat Phariseis accusantibus adulteram: *Qui sine peccato est, primus mittat in eam lapidem* (*Joan.* VIII). Si peccator alium peccatorem judicas, te ipsum condemnas. O homo, qua fronte in alio arguis, quod in te ipso gravius invenis? qua facie judicas proximum, cum te ipsum scias gravius judicandum. Decet principem justitia, ab omni vitio circumcisa, terminis circumscripta debitis, comitibus vallata: ut eam comitetur rectitudo, ne judicando a recto deviet; discretio, ne errore exorbitet; charitas, ut non odii rancore sed zelo justitiæ gladium vindictæ exerceat; debet uti misericordia, ne justitia in crudelitatem evadat; deliberatione, ut de pœna diu apud se tractet vel deliberet. Unde Seneca ait: « Prope est ut condemnes libenter, qui cito; prope est ut inique puniat subditos, qui nimis; moderate imperare, laudabile est. » Natura convincat esse regem, quod ex aliis animalibus licet cognoscere quibus natura præficit regem, ut apibus, eum tamen natura nec sævum esse voluit, nec ultionem magno constantem petere. Zelum quoque ejus retrahit et inermem relinquit, quia, ut ait Seneca, iracundissimæ et pro captu corporis pugnacissimæ sunt apes, et aculeos in vulnere relinquunt, rex ipse sine aculeo est, exemplar magnis rebus existens. Pudeat ab istis animalibus non trahere mores, cum tanto moderatior animus hominum esse debeat, quanto vehementius nocere potest. Qui justitia præditus fuerit, cum Moyse mare mundi vitiorum sanguine rubricatum sicco vestigio pertransibit. Hæc est virga qua petra percussa in fluenta emanat, quæ subditorum lapidea corda in virtutum flumina exuberare facit [85]. **82** Hæc est ventilabrum quo dividitur granum a palea, fornax in qua separatur argentum a scoria, gladius quo separatur vivus a mortuo, ferrum quo dividitur sanus a morbido; quia contra morbum peccati, apponendum est mordax emplastrum, ne nimia vitiorum ta-

VARIÆ LECTIONES.

[85] *In alio exemplari interponitur*: Hæc est Virga Aaron quæ floruit et fronduit, et fructum peperit, nam justitia quodammodo frondet dum in mente concipitur, floret dum materialiter exercetur, fructificat dum subditus corrigitur.

bes exuberet incurata, et in augmentum facinorum redivivat [86] iniquitas impunita. Hæc est mensura qua debemus metiri pœnas, ponderare merita. Hæc est quæ unicuique jus suum tribuit, communi utilitate servata. Aliquando enim de pœna relaxandum propter aliorum scandalum; aliquando pœna exaggeranda est, ut sit aliorum cautela. Hæc est medicina vitiorum, antidotum peccatorum. Hæc est gladius qui utramque partem hominis defendit; corpus ab exterioribus injuriis, animam ab interioribus molestiis. Hæc est lapis quo David Goliam percussit, et Israel a servitute liberavit. Hæc, sine discretione, est gladius in manu furiosi; hæc, sine potentia, est gladius in manu contracti; hæc, sine misericordia, est gladius in manu tyranni. Cum summa discretione tenendum est exercitium justitiæ, ut non judicemus ex suspicione, sed potius ex rectitudine [87]. Nullum condemnes ante judicium; ante proba et sic judica; non enim qui accusatur, sed qui convincitur reus erit.

CAPUT XX.

De dilectione Dei.

Hæ auctoritates formam præferunt charitatis: *Diliges Dominum Deum ex toto corde tuo et ex tota anima tua* (*Matth.* XXII). Joannes ait: *Deus charitas est, et qui manet in charitate, in Deo manet; et Deus in eo* (*I Joan.* IV). Item Petrus: *Ante omnia in vobismetipsis mutuam charitatem habentes, quia charitas operit multitudinem peccatorum* (*I Petr.* IV).

Item Paulus: *Charitas patiens est, benigna est,* etc. (*I Cor.* XIII.) Item Augustinus: « Omnia quæcunque sine charitate facimus, nihil nobis prodest facere, et inane studium expendimus, si non habemus charitatem quæ est Deus. » Item Gregorius: « Tanto amplius peccatorum rubigo consumitur, quanto peccatoris cor charitatis igne crematur. » Ex his, sic procedendum est: Quis Tulliana præditus eloquentia, quis omni formatus sapientia sufficit laudes charitatis exprimere et ejus virtutes exponere? Hæc est charitas quæ docet illecebras fugere, voluptates calcare, carnis concupiscentiam cohibere, honores contemnere, desideria illicita frangere; postremo, universa præsentis vitæ blandimenta respuere. De hac sponsus in Canticis admonet, dicens: *Pone me ut signaculum super cor tuum, pone me ut signaculum super brachium tuum; quia fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio* (*Cant.* VIII). Mors enim viventes exstinguit, infernus autem nec mortuis parcit. *Dilectio* ergo *ut mors*, quia sicut illa sensum carnis, sic ista affectum concupiscentiæ carnalis punit. **83** *Dura est sicut infernus æmulatio*, quia hos quos intus trahit desiderium æternorum, non solum foris blanda respuere, sed adversa quidem et aspera pro eo quod diligunt adipiscendo, cogit tolerare [88]. Charitas virtutes cæteras munimine suæ perfectionis solidat. Quisquis in ejus radice se inserit, nec a viriditate deficit, nec a fructibus evanescit [89]; quia opus efficax non amittit. De hac etiam dicit Isidorus: Nullum præmium compensatur sine charitatis amore; quantumvis quisque recte credat, sine charitate ad beatitudinem pervenire non potest. Quia tanta est charitatis virtus, ut etiam prophetia et martyrium sine ipsa non prosint. Charitas omnium virtutum obtinet principatum. Unde et vinculum perfectionis ab Apostolo dicitur (*Col.* III); quia universæ virtutes ejus vinculo religantur. Dilige ergo Deum ut diligaris ab eo; et esse cum eo citius ad ipsum pervenies, nam dilectione apprehendes, possidebis, frueris. Hæc est via superexcellens, via supereminens, vias distortas dirigens, vias rectas ostendens.

Hæc est charitas quæ tantum in Deum prævaluit, quod eum de supernæ majestatis sede ad infima nostræ mortalitatis adduxit; vulneravit impassibilem, traxit incommutabilem, ligavit insuperabilem, æternum fecit mortalem.

Si tantum potuit charitas in Deum, quantum, o homo, debet posse in te ipsum? Si Deus propter hominem tanta pertulit, quid homo propter Deum tolerare recusabit? Pudeat autem hominem non subjici charitati, quæ sibi subjecit auctorem mundi! Hæc non æmulatur, non agit perperam, sed ab illo in quo habitat vitiorum radicem exstirpat. Charitas omnium virtutum origo est, mentem illuminat, conscientiam mundat, animam lætificat, Deum demonstrat. Animam in qua charitas habitat, superbia non inflat, invidia non devastat, ira non dissipat, tristitia mala non vexat, avaritia non excæcat, gula non inflammat, luxuria non coinquinat.

Semper casta est, semper munda, semper quieta, semper benigna. In adversis secura, in prosperis temperata. Hæc est crux spiritualis, quam quilibet portare tenetur, ut tollendo hanc crucem, Christi vestigia sequatur; cujus altitudo erigitur ad Deum, latitudo extenditur ad inimicum, longitudo usque ad vitæ terminum, profunditas divinæ gratiæ sapit immensum. Hæc est charitas quæ pugnanti est scutum, triumphanti præmium; quæ sic inchoatur in via, ut consummetur in patria. Est enim ignis in Sion, et caminus in Jerusalem (*Isai.* XXXI). Charitas quasi trinitatem parit creatam; in qua trinitate quasi Pater est dilectio Dei, a qua procedit dilectio qua homo ipse diligitur tanquam proles a patre [90]: ab utroque vero procedit dilectio proximi, quasi Spiritus sanctus ab utroque. Item tres distinctiones sunt in una charitatis substantia, sed di-

VARIÆ LECTIONES.

[86] *In alio, pro* redivivat, *habetur* recidivit. [87] *Unde auctoritas:* Nolite judicare et non judicemini, et nolite judicare secundum faciem, sed justum judicium judicate. [88] *In alio exemplari hæc adduntur:* Hæc est Charitas quæ Abel martyrem fecit, hæc est quæ Abraham de terra sua eduxit. Hæc Joseph in Ægypto servavit. Hæc in fornace tribus pueris flammas exstinxit. Hæc omnium bonorum maxima est; nihil sapit extra eam, nihil in ea asperum, nihil durum. [89] *Pro* evanescit, *habetur* defraudatur fructibus. [90] *In alio sic:* Qua homo se diligit.

versæ sunt pro sua propria. Cave ergo, homo, si dilectionem sectari velis, ne dilectionis umbra fallaris; est enim dilectio fortunæ, quæ cum prosperitate accedit [91]. Hac diligit homo carnalis Deum, cum bene fecerit ei. Est dilectio naturæ, qua quodlibet rationale Deum diligit. Ut enim ait beatus Augustinus : « Nullius mens unquam Deum odire potuit. » Est dilectio gratiæ, quæ sola habet meritum; qua Deus diligitur ut habeatur in præmium.

Prima est deficiens, secunda faciens, tertia perficiens. Prima carnis, secunda sensualitatis, tertia rationis. Prima falsi fratris, secunda humilis peccatoris, tertia justificati hominis. O homo, considera quam dulcis amor Dei, quam impurus sit **84** amor hujus sæculi! Amor Dei mater est omnium virtutum, amor sæculi mater est omnium vitiorum. Apud istum amorem omnia sunt imperfecta, apud illum consummantur universa; per charitatem Deus toto corde exquisitus, super omnia quæritur, extra omnia invenitur, plus omnibus diligitur; hic est ignis quem Deus venit mittere in terram (*Luc.* XII), ut comburat rubiginem peccatorum, ut exurat paleas vitiorum. In alto constituit charitas tribunal suum, quod non expugnat timor mundanus, nec amor terrenus, spes carnalium, aut tristitia adversitatum. Quis enim ejus latitudinem investigare potest quæ usque ad hostem extenditur? Quis comprehendet altitudinem ejus quæ usque ad Deum erigitur? Quis scrutari posset profunditatem quæ usque ad abyssum divinæ sapientiæ dimittitur. *Charitas Deus est, et qui manet in charitate in Deo manet, et Deus in eo* (*I Joan.* IV). Audi, o homo, et ne amplius parum repules si charitatem habeas, audi quia charitas Deus est, nunquid parum est in se Deum manentem habere? magnum profecto est in se charitatem habere, quia Deus est charitas. Hoc privilegium sola charitas habet, ut dicatur Deus, et etiam sit, ita quod nulli alteri convenire possit. Quia cum omnis virtus donum Dei sit, nulla præter solam charitatem hoc habet, ut non solum donum Dei, sed etiam ipse Deus dici possit.

CAPUT XXI.

De dilectione proximi.

His auctoritatibus informatur homo ad dilectionem proximi : *Diliges proximum tuum sicut teipsum* (*Matth.* XXII). *Quæcunque vultis ut faciant vobis homines, et vos facite illis* (*Marc.* XII). *Diligite inimicos vestros, bene facite his qui oderunt vos* (*Matth.* VII; *Luc.* VI). Sixtus etiam ait : « Fundamentum et initium est Dei cultus amare homines. » S. Gregorius : « Charitas vera est, si et in Deo diligitur amicus, et propter Deum diligitur inimicus. » Non ipse Deus diligitur sine proximo, nec ipse proximus sine Deo. Iterum Beda : « Dilectio dicitur, eo quod duos liget, Deum et hominem, vel unumquemque proximum cum alio conjungat. » Quamvis enim

A dilectio Dei major sit in dignitate charitatis, tamen dilectio proximi major est in operatione, quia per dilectionem proximi pervenitur ad dilectionem Dei. O homo, dilige proximum tuum sicut te ipsum; bona quæ optas tibi non invideas alii; si majus optas tibi quam alii, invidus es; si majus alii quam tibi, fatuus es. Consule naturam, illa te docebit diligere proximum tuum sicut te ipsum. Ipsa etenim fecit omnia communia, unum fecit omnibus ortum, quia

Omne genus hominum simili descendit ab ortu.

Si alii negas quod tibi vis fieri, naturam impugnas, jus commune enervas.

Nulli imponas quod ipse pati non possis; hæc exhibe aliis, quæ tibi optas exhiberi. Quomodo in B alio tuam potes aspernari naturam, qui in te ipso eamdem amplecteris? Omne animal sibi simile diligit, sic omnis homo diligere deberet proximum suum. Omnis caro conjungitur ad sui similem societatem. Samaritanus evangelicus, tametsi alienus esset a vulnerato, tamen curavit ægrotum, et quomodo tu non potes diligere proximum tuum? Sis ergo omni proximo amicus persecutionis tempore et non tantum prosperitatis; noli esse amicus mensæ aut fortunæ sed tribulationis, ut ejus adversitates tuas facias compatiendo, ut ejus dolorem tuum facias condolendo; ejus passionem tuam facias compatiendo, quæ est major charitas quam animam ponere pro amicis suis, et charitatem extendere ad C inimicos. Hæc sunt mirabilia in lege Domini. Sicut Deus miseretur suæ creaturæ, sic miserere in proximo tuæ naturæ. Quam laudanda est charitas quæ proximos ligat, diversos compaginat, pluralitatem ad unitatem reducit, diversitatem in identitatem redigit? Hæc est concors dissonantia, pluralitas unita, dissensus consentiens, varietas conjungens. Hæc **85** est tunica Christi desuper contexta per totum (*Joan.* XIX).

Hæc est tunica Joseph distincta secundum opus plumarium (*Gen.* XXXVII). Hæc est varietas qua legitur circumamicta regina de qua dicitur : *Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate* (*Psal.* XLIV). De hac unitate charitatis dicitur : *Ecce, quam bonum et quam jucundum, habi*-D *tare fratres in unum!* (*ibid.*) *In unum*, non tam quoad locum quam quoad animum. Nam in uno loco habitare, et non esse animo uno, pœna est et non delectatio. Hæc unitas ad cœlestem perducit unitatem, de qua dicitur : *Unam petii a Domino, hanc requiram* (*Psal.* XXVI), etc. Hæc unitas hominem in proximo ditat, in alterius felicitate lætificat, hæc bonum speciale in commune deducit, bonum alterius ampliat, non exstinguit. Pudeat Christianos vinculo charitatis invicem non astringi, cum ethnicos pares in amicitia ex ipso naturalis amoris nexu legimus fuisse ligatos! Cum tempora-

VARIÆ LECTIONES.

[91] *Additur* : Sed in adversitate recedit.

lis amor multos unum in amicitia fecerit, cœlestis amore fideles vinculo charitatis non ligabit? Si frivolæ causæ in multis amicitiam pariunt, æterna præmia idem non poterunt? O quanta suavitas in vera proximi dilectione, quam non parit favor humanus, non terrena commoditas, non humana carnalitas, sed sola charitas! Hæc est quæ in Samuele orat pro Saule (*I Reg.* xv). Hæc est quæ pro populo ad Deum allegat in Moyse (*Gen.* xxxii), hæc flet in David (*II Reg.* i) pro Jonatha, pro Jerusalem in Jeremia. Certe a dilectione Dei deviat qui se ab amore proximi alienat, quia: *Qui proximum quem videt non diligit, Deum quem non vidit quomodo diligere potest?* (*I Joan.* iv.) O homo, nonne vis ut proximus te diligat propter Deum? eum dilige propter te ipsum. Ut ait moralis philosophus Seneca: « Si vis amari, ama. » O felix amor, quem non externæ causæ impellunt, verum insita summi forma boni, livore carens se contentus est. Talis amor in se suam habet dilectionem, non anxiatur; in tranquillo posita est, non per ludibria defluit. O quam jucundum est in altero invenire te ipsum! Torporis est et negligentiæ, charitatis usum obsoletum relinquere, et nobilissimæ virtutis non habere exercitium.

Gloriosum est veræ amicitiæ esse artificem quæ superficialis dilectionis purgat fecem. Habeas amicum non ut te viset ægrotum, non ut famelicum cibet, non ut consoletur incarceratum, sed ut eum in carcere visites, esurientem cibes, potes sitientem, recipias errantem. Si pauperem proximum diligis, ex sola dilectione eleemosynam facis, eleemosyna enim cordis multo major est quam corporis; charitas enim in eleemosyna sufficit, sine terrena substantia. Illa quoque quæ corporaliter datur, non sufficit, nisi benigno animo tribuatur. Tene igitur ordinem charitatis. Dilige Deum super omnia, te infra, proximum juxta, carnem infra. Dilige carnem tuam non ut ei servias, sed ut eam disciplinaliter corrigas, dilige eam ad bonum non ad sæculi luxum. Non sequaris ejus voluntatem, sed eam cogas sequi voluntatem tuam. Tanquam bonus medicus, cura in ea quod infirmum est, quod factum, quod morbidum; sic ad tempus doleat ut in æternum congaudeat, ad tempus sentiat acrimoniam medicinæ, ut consequatur commodum sanitatis æternæ.

CAPUT XXII.

De pace.

Ad pacem informant auctoritates sequentes: *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis* (*Joan.* xiv). Item: *Pacem habete inter vos* (*Marc.* ix). Item: *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur* (*Matth.* v).

De pace etiam dicitur: *Pax qua exsuperat omnem sensum* (*Phil.* iv). Et: *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis* (*Luc.* ii). Et Gregorius: « Si, quam sit magna pacis virtus ostendimus, quo a nobis sit studio colenda, cognoscimus, etc.; » hujus autem virtutis dignitatem ex eo satis cognoscimus, quod Dominus ac Redemptor noster eam pro magno munere discipulis suis relinquere dignatus est, ut **86** per hanc sibi pacificarent in pacificatione consortes. Hanc itaque lex naturæ dictat, et elementa, planetæ, cæteraque insensibilia ulnis pacifice amplectuntur [**].

Sunt autem tres species pacis, pax temporis, pax pectoris et pax æternitatis. Prima est pacis umbra; secunda pacis circumstantia; tertia pacis substantia. In prima sunt pacis faces; in secunda pacis reliquiæ; in tertia dapes delicatæ. Prima est imaginaria, secunda invitatoria, tertia substantiva. Prima pax in temporalium prosperitate consistit, secunda ex mentis tranquillitate provenit, tertia in jucunditate vitæ cœlestis existit. Prima pax [*³] appetenda non est, quia fallax est et lubrica et transitoria, quæ cum teneri putatur, fugit. Hæc est muliebris tempestas, prospera adversitas, deliciosæ amaritudines, amaræ dulcedines. Hæc pax in serenitate parit nubilum, in tranquillitate tumultum; ad similitudinem auræ mundanæ blanditur, tunc sævit ad similitudinem maris, nunc tranquilla est, tunc statim evertitur et, ut dicit Seneca, eadem die ubi fluxerint navigia, sorbentur. Has pacis voluptates experti sunt principes, experti sunt mediocres, experti sunt et pauperes. Qui hanc sperat, in lubrico pedem ponit, in naufragio locat navem, stat in præcipitio, seminat in arenoso.

Secunda pax longe excellentior est quam ista, quæ exterioris pacis lubricum non timet, quæ fortunæ nubilum non horret, quæ mentem purgat a vitiis; quam non demolitur conscientiæ vermis. Hanc non possunt destruere fulmina principum, non excludere insultus hostium. Hac sola comite homo dives est, hac sola contentus est sapiens, hac comite tutus est in adversis, securus in periculis. Hæc hominem filium Dei facit. Hanc parit virtutum conventus, vitiorum egressus. De hac dicitur: *In pace in idipsum dormiam et requiescam* (*Psal.* iv). In hac pace mentis est somnus tranquillus, quies pacifica, visio vera. Cujus mens ab exterioribus bonis pendet, hanc pacem non habet.

Qui sui contentus non est, ei talis pax deest. Qui in se pacem tenet, eamdem cum proximo retinet.

Non potest eam claudere intus qui eam non exercet forinsecus. Pax vero æternitatis est illa quæ exsuperat omnem pacem, ubi Deus est omnia in omnibus, unum omnia et omnia unum velle et

VARIÆ LECTIONES.

[**] *In alio exemplari adduntur sequentia:* Hæc est quæ in cœlis angelorum ordinat hierarchias. Hæc in hominibus fluctus cogitationum sedat, mentem fluctuantem serenat, conscientiam purgat, et ab animo tumultum relegat. [*³] *Additur:* Prima dat fortunam, secunda conscientiam, tertia vitam æternam.

unum nolle. Ubi contra rationem caro non obstrepit, ubi omnis voluntas Dei voluntati se subjicit, ubi homo pacem habet cum Deo, pacem cum se ipso. Ubi Simon magus non decipit, ubi Pharisæus phylacteria sua non dilatat, ubi Judæus non murmurat, ubi tantum gaudet Linus de bono Petri, quantum de proprio, ubi amor relativus, ubi affectus vicarius; ubi pacem non disrumpit discordia, ubi fraus non facit in pace divortia, ubi omnia succedunt ad votum, ubi nihil impugnat affectum, ubi voluntatem comitatur effectus, ubi effectum affectus non præcedit [24]. Ad hanc pacem non veniet, nisi qui prius ordinaverit pacem in animo, nisi prius tumultus sedaverit in se ipso: nisi prius carnalium cogitationum rixam a se excluserit, nisi prius sui rector exstiterit. Triplex pax prædicta olim variis est figuris signata. Per requiem quam habuerunt filii Israel in terra promissionis significata est pax temporis, quia, sicut requies illa variis adversitatibus fuit respersa, sic pax temporis multis turbatur adversis. Per Sabbatum vero solemne in veteri lege, significatur pax nostræ conscientiæ; quia sicut in Sabbato feriabantur homines ab opere servili, sic in pace pectoris feriatur a servitute peccati. Per **87** illam vero requiem qua septimo die requievit Deus ab opere suo (*Gen.* II), significatur pax æterna, in qua quiescendum est ab omni labore. Prima pax calcanda, secunda tenenda, tertia appetenda. Si Cain pacem habuisset in pectore, non irruisset in fratrem (*Gen.* IV). Si Absalon mentis pacem tenuisset, non irruisset in patrem (*II Reg.* XV). Si animum Judæ serenasset conscientiæ tranquillitas, non confugisset ad laqueum (*Matth.* XXVII). O quam tuto locatur in throno, cui tranquillitas mentis blanditur, quam eleganter stravit lectum suum, qui in pace pectoris ordinat animum, quam secure cubat in lecto, qui pacem disponit in animo! In hac singulariter debet homo esse donec transeat. In hac tendens dormiat et requiescat.

CAPUT XXIII.

De prudentia.

Si quis de prudentia doctrinam habere cupit, hac via procedat: *Estote prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbæ* (*Matth.* X). Item: *Sapientia vincit malitiam* (*Sap.* VII). Et alibi: *Beatus vir qui in sapientia morabitur* (*Eccli.* XIV). Item: *Stultus suscitat rixas, sed et sapiens suscitatas mitigat* (*Prov.* XV). Seneca ait: « Quisquis prudentiam sequi desiderat, ductu rationis bene vivere incipiat, et non dignitatem rebus ex opinione, sed ex earum natura constituat. » Prudentia est rerum bonarum et malarum, et utrarumque discretio, cum fuga mali et electione boni. Dicitur *utrarumque*, quia non sufficit bona et mala a se invicem dividere, sed etiam bona a se invicem, et mala similiter; et bona a melioribus et minus bonis; et mala a pejoribus et minus malis. Non sufficit illa discernere, nisi sequatur boni electio et mali aspernatio. Prudentia docet quæ videantur esse bona, et non sunt; et quæ non videantur esse bona et sunt. O homo, prudentia te docet, ut non mireris de rebus transitoriis quæ possides, nec quod caducum est magnum existimes. Prudentia te docebit, ut ea quæ tanquam aliena possides prudenter dispenses, et quæ non potes perpetuo tenere fructuose permittas abire. Si amplecteris prudentiam, ubique idem permanes, in nulla patieris jacturam, et prout rerum vel temporum varietas exigit, ita te accommodabis tempori, loco, personæ, causæ, nec te in aliquibus mutabis, sed potius in omnibus adaptabis; sicut manus, quæ eadem est et cum in palmam extenditur, et cum in pugnum constringitur. Prudentia nec fallere vult, nec falli potest. Prudentia laudat parce, vituperat parcius; nam similiter reprehensibilis est nimia laudatio, quam immoderata vituperatio; illa siquidem adulatione, ista suspecta est malignitate. Prudentia testimonium veritati non amicitiæ reddit. Cum discretione promittit, promissum accelerat, plenius quam promiserat præstat. Prudentia tribus temporibus dispensatur, præsentia ordinat, prævidet futura, præteritorum recordatur; nam qui nihil de præterito cogitat, vitam perdit; qui nihil de futuro præmeditatur, in omnia incautus incedit. Prudens proponit in animo et mala futura et bona, ut illa possit sustinere, et ista temperare. Non semper in actu est, sed interdum animum recreat pausatione quietis. Et requies ipsa plena est sapientiæ studiis et cogitationibus bonis; nam prudens nunquam otio marcet, nunquam desidia torpet, animum aliquando remissum habet, nunquam resolutum, accelerat tarda, expedit perplexa, emollit dura, aggreditur ardua [25]. Sapientem non movet dicentis auctoritas, non generis sublimitas, nec quid dicat vel agat, nec quam multum, sed qualibus placeat cogitat. Id optat **88** et petit, quod optari coram omnibus possit. Nec altiori se imponit in quo vel stanti tremendum, vel descendenti cadendum.

Tunc sibi salubria consilia advocat, cum sibi alludit vitæ prosperitas, sæcularis dignitas, tunc velut in lubrico pedem retinet et sistit; nec impetuose, sed circumscripte gressum procedere sinit. Ad prudentiam pertinent, circumspectio et cautio. Prudentia metitur futura secundum præterita; ut, si prudens aliquem videt cecidisse in tale vitium, tali occasione, secundum hoc metitur futurum, ne ex simili occasione decidat in consimile peccatum. O quantæ prudentiæ est, ex præteritis metiri futura!

VARIÆ LECTIONES.

[24] Quis potest esse tumultus, ubi ipsa sapientia regnat? ubi una disponit misericordia? ubi principatur justitia? [25] *In alio exemplari sic:* Scit enim qua via egredi debeat, et tuto singula destinat, ex apertis obscura exstimat, ex obscuris aperta pronuntiat, ex parvis magna, ex proximis remota, ex partibus tota, ex malis bona, ex otiosis seria.

ex ante factis instantia, ex similibus similia, ex signis consequentia! Ad eamdem prudentiam pertinet circumspectio, quæ nihil aliud est, quam cautela contrariorum vitiorum, qua ita fugimus unum vitium, quod non incurramus in contrarium. Verbi gratia: sic avaritiam cavemus, quod non incurramus prodigalitatem, hanc virtutem Salomon persuadebat, dicens: *Omni custodia serva cor tuum* (*Prov.* IV). Dicturus *custodia*, præmisit *omni*, ne si huic ostio seras claudas, alia ex parte aditum pandas. Sunt enim multi, qui sic unius vitii evadunt insultum, quod in alterius retinaculum labuntur. Sic enim vitia sibi invicem subministrant, ut dum quis latenter effugit unum, aliud vicaria vicissitudine retinet fugitivum. Ad eamdem prudentiam pertinet cautio, qua prudentia discernit vitia virtutum speciem præferentia. Unde ait Isidorus: « Vitia virtutum præferunt speciem, unde perniciosius sectatores suos decipiunt, quia sub velamine se virtutis tegunt; nam sub prætextu justitiæ crudelitas agitur, et remissa segnities mansuetudo creditur: Plerumque hoc agit torporis negligentia quod agere creditur indulgentia. Ex his liquet quod se contentus est prudens ad beate vivendum. Unde Crispus ait, « Sapientem nulla re egere, » summum enim in se bonum habet, et ideo extrinsecus instrumenta bonitatis quæri non oportet. Intus in mente colitur summum bonum, intus totum complectitur, quia exterius formam [96] non amplectitur. Incipit enim fortunæ esse subjectus, qui aliquam partem bonitatis quærit extrinsecus. Prudens vero intra se omne bonum terminat, et si omne bonum fortunæ amittat, clamabit: Omnia mea mecum sunt, scilicet prudentia, justitia, fortitudo, temperantia. Omnia quæ eripi possunt, bona non putat. Imprudenti nihil sufficit, sed non est contentus, sibi relinqui non debet. Si nulla res opus est, nulla re scit uti, sed eget omnibus.

CAPUT XXIV.

De fortitudine.

Ad fortitudinem invitant hæ auctoritates: « Estote fortes in bello, et pugnate cum antiquo serpente [97]. » Seneca ait: « Si magnanimus fueris, nunquam judicabis tibi contumeliam fieri: de inimico dices: non nocuit mihi, sed animum nocendi habuit. » O quam generosa magnanimitas quæ, cum inimicum habet in potestate, vindictam judicat vindicare potuisse. Honestum et summum genus vindictæ judicat ignoscere, neminem ex improviso impetit, palam aggreditur; non gerit conflictum nisi indixerit; adversa non deprimunt, prospera non extollunt. Fortis pericula non appetit velut temerarius, nec formidat ut pavidus [98]. Hæc est quæ fecit Vincentium plus posse dum torqueretur, quam ille qui torquebat.

89 O homo, si virtutem hanc complexus fueris, fortunæ jaculum non timebis; deridebis blandam, contemnes iratam. Qui fortis est liber est, non servit fortunæ, non varietati mundanæ. Vide, quanta fuerit in martyribus fortitudo, qui tormenta vicerunt, qui sua magnanimitate ipsis illusere tyrannis, qui projecti corpore, non sunt projecti mente; qui adversitati terga non verterunt, sed magnanimiter restiterunt. Est autem triplex fortitudo: fortitudo hypocritæ dealbati, fortitudo philosophi, fortitudo justi. Prima venatur vanam gloriam, sed venando meretur æternæ damnationis ignominiam. Hæc sic trahit gloriam, quod non sit in gloria. Hæc potius imbecillitas est quam magnanimitas, potius infirmitas quam valetudo. Hanc prætendunt hæretici, hanc præsumunt fratres falsi. Secunda est, qua philosophi spernebant fortunam mundi, aspernabantur gloriam, respuebant divitias, abdicabant potestates humanas. Sed hæc fortitudo insufficiens erat ad meritum, impotens ad vitæ præmium; quia carebat forma, id est charitate quæ est forma omnis affectionis bonæ. Secundum hanc fortitudinem dicitur rigor fuisse in Catone, magnanimitas in Socrate, mundi contemptus in Diogene.

Sed quia hæc fidei fundamentum non habuit, eam spes non erexit, charitas non perfecit, virtutis meritum amisit. Fortitudo vero justi est quæ finem constituit Deum, debitum non omittit officium. Hæc fortitudo est quæ mortem contemnit, quæ domum paupertati spirituali aperit, voluptates sub freno rationis jacere cogit. Tria sunt fortuitorum incommodorum genera: paupertas, morbus, tyranni violentia. Contra paupertatem valet fortitudo ut non frangatur animus, sed amplior sit interius, et tanto magis ditescat in mente, quanto minus abundat in rebus fortunæ. Valet fortitudo contra morbi insultum; hæc enim in dolore gratias Deo agit, spirituales delicias invenit in tribulatione [99], ut potius cedant morbi in mentis commodum quam in corporis detrimentum. Sicque morbus affert medicinam, infirmitas sanitatem, tristitia gaudium. Fortitudo tyranni violentiam expugnat, cujus crudelitatem enervat, carcerem respuit, mortem non metuit [100]. Homo, nil valet tua operatio, nisi columna fortitudinis roboretur. Nutat ædificium bonæ operationis, nisi innitatur columnæ fortitudinis: hac fracta, totum ædificium corruit, et Samson, id est vir fortis, semetipsum interficit [1]. Hæc æquat adversa prosperis et prospera adversis, ut non magis erigatur quis prosperis, quam deprimatur

VARIÆ LECTIONES.

[96] *In alio*, *pro* formam, *legitur* fortunam. [97] *Aliud exemplar habet:* pugnate contra antiqua vitia. *Et Claudius ait:* Quid enim generosam humanitatem vela aggredi pigeat cœptum fatiget? [98] Miramur quædam animalia quæ per medios ignes sine noxa corporis transeunt; quanto mirabilior est vir fortis, qui per ferrum, prunas et ignes, illæsus et indemnis animo evadit? [99] *In alio exemplari habetur:* In tribulatione spirituales delectationes invenit. [100] *Additur:* Equuleum amplectitur, optat vincula, et spontanee currit ad mortem. [1] *Additur:* Si hanc Petrus habuisset, non ad vocem ancillæ a fide deviasset; si hac filii Israel præditi, ad aquas contradictionis non murmurassent.

adversis. Prospera judicat fumum, et quasi spumam transeuntem, adversa quasi nebulam fugientem. Ipsa magnanimitas ostendit quod infirmitas hominem in tribulatione facit potentem, quæ ex se nullam habet virtutem. Cæterarum cardinalium virtutum regina est prudentia. In ea formam inveniunt, ab ea modum requirunt, sine ea, quæ virtus esse videtur, decidit in fatuitatem quod bonum esse apparet, labitur in temeritatem. Prudentia est quæ docet quid cogitandum, quid qua intentione agendum, quomodo ad finem perducendum. Hæc metitur vires humanas, hæc ponit cogitationibus metas, hæc dirigit motus mentis, intuitus rationis, hæc ponderat bona, examinat mala? Quid valet relig'o, nisi prudentiæ recipiat condimentum, quid jejunium, nisi sale sapientiæ conditum. Quare, o homo, antequam quidquam aggrediaris, considera in speculo prudentiæ, modum tuæ actionis, lege in libro prudentiæ quid agendum sit, quid cavendum. Ille liber non fallit, neminem decipit, sed omnes ejus sententiæ sunt assertiones veræ et honestæ.

90 CAPUT XXV.

De temperantia vel modestia.

Hoc modo procedat prædicator in sermone de temperantia, vel modestia:

Modestia vestra nota sit omnibus hominibus, Dominus prope est (*Phil.* IV). Item Apostolus: *Sobrie, et juste, et pie vivamus in hoc sæculo* (*Tit.* II). Item: *Sobrietatem sectantes* (*ibid.*). Et Hieronymus: « Modicus et temperans cibus, utilis est animæ et corpori. » Idem iterum: « Omnia sunt virtuti continentiæ præparata. » S. Gregorius: « Altitudo mentium munditia est continentium. » Et alibi poeta:

Medium tenuere beati.

Et:

Medio tutissimus ibis.

Considera quantum natura poscat, non quantum gula concupiscat. Si continens fueris, eo usque pervenies, ut te ipso contentus sis. Nam qui sibi satis est, in deliciis natus est. Impone concupiscentiæ frenum. Omnia quæ blandimento, et quæ voluptati animum trahunt, rejice, ede citra saturitatem, bibe citra ebrietatem, desideria tua parvo redime; quia hoc tantum curare debes, ut desinant. Ad cibum accede non ad voluptatem: palatum tuum fames excitet, non sapores. Nunquam paupertas immunda tibi sit, nec parcimonia sordida, nec simplicitas neglecta, nec levitas languida; nec tua defleas, nec aliena mireris. Si continentiam diligis, turpia fugito, antequam accidant [a]. Non acerba, sed blanda verba teneas. Esto vitiorum fugator ipse, aliorum vero non sis curiosus scrutator neque acerbus reprehensor, sed sine reprobatione corrector ita, ut admonitione hilaritatem prævenias, et erroris veniam facile dato. Non extollas quempiam supra modum, nec dejicias. Esto tacitus dicentium

A auditor [b]. Facile quærenti responde, contendenti facile cede, nec injurgia, exsecrationesque descendas. Si vis esse continens, et animi et corporis motus observa, ne indecori sint; nec ideo illos contemnas quia latent; nam nihil refert quod nemo illos videat, cum ipse illos videas. Paucis familiaris sis, omnibus æquus; severior vita quam vultu, ultor clemens, sævitiæ detestator, optior bonæ famæ, non tamen inanis gloriæ seminator; imo, extra inanem gloriam occultator virtutum, sicut alii vitiorum; vanæ gloriæ contemptor et honorum; quibus præditus eris non acerbus exactor. O quam

Rara avis in terris, alboque simillima corvo,

quæ teneat mensuram hujus mediocritatis. O quam gloriosa virtus temperantiæ quæ virtutem facit B tenere medium, ne fiat lapsus in diminutum, vel excessus in superfluum. Hæc est spiritualis circumcisio, quæ singulorum sensuum superfluum lima rationis præcidit. Hæc est ad quam Seneca invitans ait: « Temperetur vita inter bonos mores et publicos: magnus ille est qui sic fictilibus utitur quemadmodum argento; nec ille minor est qui sic utitur argento quemadmodum fictilibus. » Idem ait: « Nec sordeat, nec nimis splendeat habitus. In mediocritate virtus est, non in dejectione. » O homo, temperantiæ terminis te astringe, cave ne avarus sis, nec inhoneste contrahas prodigalitatis notam; cæteras quoque virtutes temperantiæ regula metire. In justitia temperantia tenenda est, ut re- C verentia disciplinæ ejus neque nimia communitate negligentiæ despecta vilescat, nec sæviori atrocitate gratiam humanæ amabilitatis amittat. Hæc in fortitudine mensuram ponit, ut sciat et prospera suscipere [c] et adversa non inconsulte appetere. Hæc ordinat prudentiam, ut non sapiat ultra debitum; sed sapiat ad sobrietatem, nec ultra [d] mensuram inquisitionis turpiter obsolescat. Temperantia per omnia omnem substantiam bonis operibus exornat, circumstantiam informat. Hac ita metitur tempora, loca, personas 91 et causas, ut juxta limitem ejus ambulans, in hujus mundi abruptis, et vitæ temporalis præcipitiis ruinam pati non possit. Si quis hac armatus fuerit, nihil in eum potest livoris stimulus, detractionis cumulus; nihil inve- D nit in eo diabolus quod accuset, nihil conscientia quod exstirpet, nihil mundus quod derideat, nihil purgatorius ignis quod purget.

CAPUT XXVI.

Contra verbositatem et linguæ evagationem.

Si quis a verbositate et effrenata linguæ evagatione cavere studet, hæc quæ sequuntur diligenter attendat. Ait Apostolus: *Ineptas et viles fabulas devita* (*I Tim.* IV). Hieronymus ait: « Scurrilitas atque lascivia, te præsente non habeant locum. » Omne quod non ædificat audientes, in periculum vertitur audientium; *Corrumpunt enim bonos mores colloquia*

VARIÆ LECTIONES.

[a] *In alio exemplari ita:* Omnia tolerabilia præter turpitudinem concede. [b] *Additur:* Audientium promptus susceptor. [c] *In alio, pro* suscipere *habetur* sustinere. [d] *Pro* ultra *habetur* citra.

mala (*I Cor.* xv). Sixtus etiam ait: « Lingua maliloqua indicium est malæ mentis: » Lingua tua sensum tuum sequitur, verbum sine sensu opprobrium est. Ad Nepotianum quoque Augustinus dicit: « Officii tui sit, charissime, non tantum oculos servare castos, sed et linguam: nunquam ad luxuriam moveatur corpus, ad jocos vel inania verba nec moveatur lingua. » Sixtus etiam ait: « Sermo vanus vanæ conscientiæ index est: « Qualis sermo ostenditur, talis etiam animus comprobatur. O homo, qualis futurus es in factis, si dissolutus inveniaris in verbis? non major est gloria dicere nota, quam silere otiosa. Stultus est qui primum non inducit verbum ad limam rationis, quam educat ad linguam sui oris. Prius debet homo habere verbi scrutinium, quam dicendi usurpet officium. Cave ne in publico verba facturus, verbositas tua verecundiam pariat imperitis, indignationem peritis. Fluxus verbi significat animum fluxum; et qualis sit homo in mente verbositas depingit in ore. Verbositas hominem mutat in scurram, transformat in mimum, in joculatorem dejicit, humanæ naturæ deponit dignitatem. Refrenanda est lingua, ut ait Jacobus (*cap.* iii), *quæ inflammat rotam nativitatis nostræ.* Rota autem nativitatis nostræ est præsens vita, quæ ab ineunte ætate, in multiplici volvitur volubilitate. Hanç inflammat linguæ mobilitas in adolescentia ad jocosa, in ætate virili ad fraudulenta, in senili ad detractoria. Sedanda est ista scintilla ne evadat in flammam; surculus ne excrescat in silvam; gutta ne intumescat in torrentis abundantiam. Majus est refrenare linguam quam capere civitatem, quia illud insultat interius, hoc exterius. Hic sumuntur arma contra te de te ipso, ibi vero pugnatur de alieno. Summa tamen verecundia est et depressa dejectio unicum non posse refrenare membrum, vile non posse sibi subjugare mancipium. Si in humido locata est lingua, sistatur per constantiam; si egredi vult, refrenetur per temperantiam, apponatur pessulum rationis, circumcidatur lima discretionis. Si equo frenum imponitur ne contra equitem evagetur[6] ubi non imminet nisi corporis periculum, multo magis frenum apponendum est linguæ, per quam periculum imminet animæ[7]. Melior est vera simplicitas, quam abundans loquacitas: melior est sancta rusticitas, quam peccatrix eloquentia. Facile contemnitur qui frequentius non vocatus in garritum resolvitur. Assuesce igitur linguam tuam bene loqui; pretiosa est lingua quæ non novit nisi de divinis rebus verba construere; et sanctum est os, unde semper cœlestia proferuntur eloquia. Considera te redditurum rationem de omni verbo otioso: *Otiosum autem est verbum* (*Matth.* xii), ut dicit Gregorius, « quod caret aut utilitate rectitudi-

A nis, aut ratione justæ necessitatis. » Verbositas est semen quod fructum non facit, sal infatuatum quod ad nullius rei valet condimentum, sed potius terram sterilem reddit, quia auditores in 92. cachinnum convertit. Noli, homo, stude pluralitati verborum sed fructuosæ brevitati sententiarum, quia, ut ait Hieronymus, brevitati studens, non debes plura dicere. Et si castitatem habes in mente, non eam fœdes inhonesto sermone, « non loquendo et discurrendo, sed tacendo et sedendo te sapientem monstra. » Garrulus nunquam loqui erubescit, non considerat quid, sed quantum dicat, non metitur sententiarum sed verborum abundantiam. Sermo moderatus sancta reverentia est, sermo immoderatus impudicitiæ nota. Quidam, ut verbositati

B indulgeant, imprudenter Scripturas demonstrant, quas tamen non intelligunt, et cum aliis persuaserint, eruditorum sibi supercilium assumunt. Revera garruli[8] sunt vitandi velut venenosa animalia, qui verbositate sua alios infatuant, et quæ nec sibi nec aliis prosunt imprudenter eructant; et, ut Hieronymus ait: « Quidam rumores turpissimos ferunt, et quod ab ipsorum egressum est labiis, audisse se dicunt. » Quidam adversus alios sunt loquaces et garruli, pro se vero elingues et muti. Verbositas est speculum mentis, et garrula lingua littera cordis.

Audi quid dicat Evangelium: *Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bona* (*Matth.* xi.).

C Salomon quoque ait: *In multiloquio peccatum non deerit, et qui moderatur labia sua prudentissimus est* (*Prov.* x). *Qui custodit os suum, custodit animam suam; qui autem inconsideratus est, sentiet mala* (*Prov.* xiii). Homo sapiens tacebit usque ad tempus, lascivus autem et imprudens vel impudens non servabit tempus. Item David ait: *Vir linguosus non dirigetur in terra* (*Psal.* cxxxviii). Et Gregorius: Vir linguosus imperitus est, prudens paucis utitur verbis. Brevis sermo scientiam facit, loqui multum stultitia est. In principio audi, loquere novissimus, finis plus habet honoris; melior novissimus sermo quam primus.

CAPUT XXVII.

Contra mendacium.

D Qui vult mendacii vitare perniciem, his se informet sententiis; legitur in Evangelio: *Non falsum testimonium dices* (*Matth.* xix). Et Paulus ait: *Deponentes mendacium, loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo* (*Ephes.* iv).

Salomon etiam ait: *Qui mentitur, testis est fraudulentus. Abominatio est Domino, labia mendacia: qui autem fideliter agunt, placent ei* (*Prov.* xii). *Os quod mentitur occidit animam* (*Sap.* i). Et David ait: *Perdes omnes qui loquuntur mendacium* (*Psal.* v). Item Isidorus ait: Omne quod a veritate dis-

VARIÆ LECTIONES.

[6] *In alio exemplari sequitur:* Ne deferatur in præcipitia, ne decidat in abrupta. [7] *Subjunguntur sequentia:* Ne nos deferat in scurrilitatis lucum, in perditionis præcipitium, in detractionis venenum, et ad ultimum, in pœnæ gehennalis abyssum. [8] *In alio habetur:* Rumigeruli sunt vitandi.

cordat, iniquitas est. O homo, quantum a summa A veritate discordas, dum figmentis mendaciorum operam præstas! quomodo putas te venturum ad verum, si es in verbis dissentiens a vero, nescio qua conscientia ea lingua quis rogat Deum qua eructavit mendacium. Nullum est peccatum quo ita cauteriatur conscientia, ac mendacii nota. Cum omne peccatum mortale hominem alienet a vero, nullum malum magis quam mendacium, quod derogat veritatis naturæ. Hoc est vitium quod falsa testimonia commentatus, fabricat adulationes, invenit fraudes, consummat detractiones. Per hoc vitium corde et ore quis loquitur, et in semetipso diversificatur. Negat ore quod tenet in corde. Per hoc vitium, cor contradicit cordi, os obviat cordi. Hoc vitium hæresim parit; schismata facit, generat suspiciones, inauditos concinnat rumores, colorat probra, palliat denudanda, denudat velanda. Hoc assistit perjuriis, assidet actionibus inhonestis, contra omnes res lege naturali ad utilitatem proximorum tendit, cum ipsam etiam veritatem oppugnat. Hoc tantæ malitiæ rubiginem in se continet, quod ea nulla ratione excusari possit. Non hanc solvit a reatu in **93** obstetricibus naturalis pietas (*Exod.* I); non in Gabaonitis rationabilis timiditas (*Josue* IX), non in Petro error mentis (*Matth.* XXVI), non in Anania providentia necessitatis (*Act.* V).

Nullum est peccatum quod ita aspirat ad dolum, tendit ad fraudem, spectat ad deceptionem, anhelat ad proditionem, sicut mendacii vitium, falsitatis C flagitium. O *filii hominum, usquequo gravi corde, utquid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium* (*Psal.* IV)? nimis vultis sectari nostræ naturæ vanitatem, qui et in verbo commutatis veritatem. Sed si modo in mendacio fuerit culpa, in veritate in futuro non deerit pœna; et qui nunc fuerit per mendacium falsus, in futuro erit in gehenna verus. Scis quoniam imitaris per mendacium, patrem mendacii diabolum, qui in veritate non stetit, sed per superbiæ vanitatem decidit. Hujus filii sunt, qui recedunt a vero. Hujus sunt complices qui indulgent falsis. O homo, si in tuo mendacio est falsitas, in culpa erit veritas. O miserabilis mendacii effectus, qui propositione falsa consequenter infert verum supplicium. O quanta imprudentia, o D quanta fatuitas, pro verbo mendacii sustinere verbera æterni supplicii! Quantum deviat ab officio linguæ, qui commaculatur mendacii sorde! Satis homo suæ nativitatis exprimit rotam, quando labitur per falsitatis offensam. O homo, si vis cavere verba mendacii, linguam informa ad veritatem, a verborum scurrilitate averte. Mendacium servitium est, quod totam locutionis massam in sui amaritudinem convertit. Est autem triplex mendacium: mendacium vanitatis, mendacium falsitatis, mendacium intentionis. De primo dicitur: *Vana locuti sunt unusquisque ad proximum suum*, etc. (*Psal.* XI.) De secundo dicitur: *Omnis homo mendax* (*Psal.* CXXV). De tertio: *Perdes omnes qui loquuntur mendacium* (*Psal.* V). Primum miserabile, secundum culpabile, tertium abominabile. Primum pœnæ, secundum culpæ, tertium malitiæ. Primum innatum, secundum excogitatum, tertium elaboratum.

CAPUT XXVIII.

Contra detractionem.

Hæ auctoritates remedium præstant contra detractiones; Hieronymus ait: « Cum factum aliquod a maledico fingitur, alterius fama vexatur. » Idem ait: Non juste potes in aliis reprehendere, quod ipse facis; nec arguere simulationem potes, cum ipse reus tenearis. Item: Cave ne aut linguam aut B aures habeas prurientes, id est ne ipse aut aliis detrahas, aut alios audias detrahentes. « Nulli detrahas, nec in eo te sanctum putes, si cæteros laceres, si detractionibus tuis alios vulneres. Non est hoc emendare, sed vitio tuo satisfacere. » Item: Incongruum est latere corpore, et lingua per totum orbem vagari. Vide ne dum reprehendis vitia, vitium detractionis incurras. Item: Querulum est servorum genus, et quantumcunque tribulatur, illis minus est; non enim considerant quid, sed quantum detur, doloremque suum solis detractionibus consolantur. Idem: « Qui aliis crebro detrahit, quamplurimos offendit; turpe est lacerare absentes, et alienam vitam describere; minus disertus est, qui se excusat alieno errore. » Detractor scorpionis gerit imaginem, quia sicut scorpio præfert virginis vultum, et consequenter emittit aculeum, et a superiori vulnus infert acuatum *; sic detractor in facie hominum verba favorabilia proponit, et in occulto aculeum detractionis concludit, et quasi a superiori vulnerans, melioribus detrahit. O homo, quid de te cogitas, dum jaculum detractionis vibras? Prima sagitta in te revertitur, et prius tibi quam aliis vulnus infertur. Male velas tui facti enormitatem, qui eam palliare cupis per alienam detractionem. Dum detrahis hominibus, suspectum **94** reddis, omnibus te odiosum facis, et quos honestis sermonibus amicare deberes, veneno detractionis eis inimicari studes. Dum alios deturpare niteris, te profundius inficis; et quod in alios commentaris falsum, in te invenis verum. De detractoribus dicitur: *Sepulcrum patens est guttur eorum*, etc. (*Psal.* V, XIII.) Sepulcrum dealbatum exterius, fetorem cadaveris tenet intus; sic detractor interiorem malitiam colorare volens, in morsus detractionis exit. Sed per hoc potius sepulcrum aperitur, et interioris malitiæ fetor egreditur. Detractores canum gerunt imaginem; qui indiscrete latratibus intendunt et omnibus morsus inferunt. Hi sunt qui in scirpo inveniunt nodum, in immaculato maculam, in rotundo angulum, in splendido tenebrosum. Hæc est pestis hypocritarum, morsus invidorum; pestis illa nulli parcit, auget culpam, diminuit gratiam,

VARIÆ LECTIONES.

* *In alio exemplari habetur* arcuatum.

errat in proximum, peccat in Spiritum sanctum. A Hac maligna peste intonantes Scribæ et Pharisæi dicebant : *In Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia* (*Luc.* XII, *Marc.* III). Et alii clamaverunt : *Samaritanus es tu, et dæmonium habes* (*Joan.* VIII). O homo, quæ commoditas in detractione? quæ utilitas in maledico dente? Dum proximo nocere credis, magis honori ejus accedis; quia solet detrahi bonis, et in virtutem desævit tabes livoris. Dedignatur enim lingua maledica in vitia exercere malitiam, et totam se armat ad proximi diminuendam justitiam, et sic suæ detractionis rubigine alterius famam expolit, suaque demorsione alterius gloriam purgat et extollit. Detractio invidiam prædicat animi malignitatem denudat; et quod interius est incognitum, exterius vomit per detractionis venenum[10]. B O homo, si arguis argue ad mensuram, reprehende ad cautelam, non ut proximus scandalizetur, sed ut corrigatur. Argue, non ut tuum facinus pallies, sed ut alterius vulnus sanes. Ad scurras pertinet detractio, qui adulantur ut emungant pecuniam; qui detrahunt ut divites stimulent ad largitiones faciendas; qui per adulationes in auribus potentum citharizant; qui juxta doni mensarum laudes ponderant, qui per detractiones acquirunt quod per virtutes non possunt. Horum lingua quæ cibos venatur, erit cibus ignis æterni; et quæ per detractionem attrahit munera, gehennali distrahetur pœna.

Detractio est inimica virtutum matri, scilicet C charitati; quam a se fugat, qui proximum detractione sugillat, quia Spiritus sanctus detractioni effugiet figmentum, mendacium abhorret reprehensionis, detractionis peccatum. Nec hic, neque in futuro locum remissionis vix invenit, qui Spiritum sanctum offendit. O homo, qui cinis es et pulvis, qua fronte, quo supercilio verecundiæ perfusus charactere, in meliorem audes detractionis venenum evomere, aut in minus malum, vel parum, judici sententiam ferre? Si proximum judicas injuste, a majori judicaberis juste : pro judicio detractionis, æternæ senties judicium damnationis.

CAPUT XXIX.

Exhortatio ad orationem.

D Hæc est doctrina ad orationem : *Omnia quæcunque petieritis in oratione, credentes, accipietis* (*Matth.* XXI). *Orate pro invicem ut salvemini; multum enim valet deprecatio justi assidua* (*Jac.* V). *Longe est Dominus ab impiis, et orationes justorum exaudiet* (*Prov.* XV). *Ante orationem præpara animum tuam, et noli esse quasi homo qui tentat Deum* (*Eccli.* XVIII). *Deprecationem læsi exaudiet Deus* (*Eccli.* XXXV). Fili, in infirmitate tua noli despicere teipsum, sed ora Deum, et curabit te. Surge a lecto, averte te a delicto, et dirige manus, orationibus et lectionibus nocte ac die vaca, et cum somnus de oculis tuis ceciderit tunc sensus in oratione evigilet. Sicut militi **95** sine armis exire ad bellum non convenit, ita Christiano cuilibet sine oratione procedere non expedit. Unde Hieronymus : « Egredientem de hospitio armet oratio. » Quanto graviori tumultu carnalium cogitationum premimur, tanto orationi ardentius insistere debemus[11]. Melius est cum silentio cordis orare, quam solis verbis, sine intuitu mentis ; psallendi enim utilitas, tristitiam cordis consolatur.

Tantus debet esse erga Deum orandi affectus, ut non desperet precibus consequi effectum. Inaniter oramus, si spei fiduciam non habemus. Qui a præceptis Dei avertitur, quod in oratione postulat non merebitur. Cæsarius dixit : Sic orationi et lectioni debemus incumbere, ut interdum etiam manibus aliquid possimus exercere. Sicut venenata animalia fortiores herbæ, vel et pigmenta pellunt, ita et cogitationes sordidas oratio munda pellit. Noli, o homo, orationem aliqua circumstantia deformare; æterna petas, non temporalia. Si terrena petas, oratio tua caret materia ; si non ex charitate, caret forma : pete ergo pie, ut informetur oratio; perseveranter, ut radicata sit intentio; et ea quæ ad salutem æternam spectant, ut stabili adhæreant fundamento. Noli enormia petere, ne in peccatum tibi vertatur oratio, ut oratio Judæ. Noli petere ex rancore animi, ut filii Zebedæi, qui petierunt a Christo ut ignis descenderet de cœlo, qui Samaritanos vastaret (*Luc.* IX). Hi enim non postulaverunt intuitu justitiæ, sed amore vindictæ. Si oras, exclude ab animo cogitationum tumultum, claude tuæ mentis ostium, intra cordis tui cubiculum. Cum oras ad Deum, serva suavitatem tui unguenti, ne muscæ morientes perdant suavitatem thymiamatis sancti (*Eccle.* X); id est cave ne in oratione tua se pravæ cogitationes immisceant, quæ meritum orationis perdant. Si hostiam orationis offers Deo, abige cum Abraham aves a sacrificio (*Gen.* XV), ne hostiis insidientur easque inficiant; quia timendum est ne cogitationes immundæ corrumpant suavitatem orationis propositæ. Multi enim sunt, qui habent in ore Deum, in mente diabolum; qui voce Deum laudant, mente autem blasphemant, et cum lingua sit in hymnis, animus est in patinis; ac quod ore fatentur, animo diffitentur. Tales, quantum in ipsis est, Deum derident, divinam majestatem blasphemant, ac, cum linguæ peccata remitti orant, ea in mente retinere non dubitant. Imo, quidam sunt qui os in orando polluunt, et animam inficiunt. De his Seneca ait : Nunc quanta est dementia hominum ! Turpissima vota Deo insurrant,

VARIÆ LECTIONES.

[10] *Sequentia omnia deerant in nostro exemplari, desumpta autem sunt ex alio antiquiore.* [11] *In exemplari vetere additur :* Hinc Isidorus : Citius ad precem flectitur judex, si a pravitate sua peccator corrigatur.

si quis amoverit aurem, conticescent : quod homines scire nolunt, Deo narrant. « Sic cum hominibus vive, tanquam Deus videat, sic loquere cum Deo, tanquam homines audiant. » O homo, si vis exaudiri, digne digna pete, sic Deum postulabis, quod ad Deum pertinet dare. Est autem quædam oratio periculosa, qua petimus mala, qualis fuit oratio Judæ proditoris, quia petiit proditionem Salvatoris. Alia quæstuosa, qua petuntur temporalia, qualis fuit petitio filiorum Zebedæi, qua petierunt ut unus sederet a dextris, et alius a sinistris Dei in regno suo, quem credebant temporaliter regnaturum (*Matth.* xx). Alia est infructuosa, qua quis obstinatus petit salutem æternam, de qua dicitur : *Non omnis qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum* (*Matth.* vii). Alia est fructuosa in qua de contingentibus nihil omittitur, de qua dicitur : *Quodcunque petieritis Patrem in nomine meo, fiet vobis* (*Marc.* xi, *Joan.* xvi). Ubi potius intelligitur numen nominis, quam nomen numinis. Ille vere petit in nomine Jesu, qui salutari intentione petit, et ad salutem æternam. Hæc sola oratio allegat apud judicem, perorat apud cœlestem Principem. De hac in Canticis amoris dicitur : *Quæ est ista quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ et thuris et universi pulveris pigmentarii?* (*Cant.* iii.) Hæc enim vere *ascendit*, quæ penetrat paradisum et ascendit usque ad Dei thronum.

96 Hæc eleganter dicitur *virgula*, et directa, quia sicut virga ex directo in altum dirigitur, sic oratio fructuosa in terrena non curvatur, sed ad cœlestia inflexibiliter dirigitur. Eleganter autem comparatur fumo, quia sicut fumus ex igne nascens tendit in altum, sic oratio fructuosa ex camino charitatis orta, ascendit in altum. Eleganter etiam per desertum dicitur ascendere, quia animus per quem talis oratio effunditur, ab omni pravarum cogitationum strepitu separatur. Hæc est *ex aromatibus myrrhæ et thuris*. Thus affert odorem, myrrha amaritudinem. Per thus ergo significatur mentis devotio; per myrrham, pœnitentiæ amaritudo. Ergo ex amaritudine pœnitentiæ de peccatis, et odore internæ devotionis, constare debet unguentum orationis. Quia quicunque orare fructuose desiderat, necesse est ut de peccatis pœnitens, mentis devotionem orando redoleat. *Et universi pulveris pigmentarii*. Pigmentarius est Christus, qui diversis pigmentis virtutum suos illustrat, et quasi pigmentario nectare inebriat. Hujus pigmentarii pulvis universus, est multiplex virtus, de qua orationis unguentum conficere debemus.

CAPUT XXX.

De compunctione, seu contritione.

His auctoritatibus potest aliquis informari ad com- A punctionem et contritionem cordis; ait propheta : *Scindite corda vestra et non vestimenta vestra* (*Joel.* ii). Et Joannes : *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cælorum* (*Matth.* iii.) Et Psalmista : *Sacrificium Deo spiritus contribulatus* (*Psal.* l). Item sanctus Augustinus : « Qui non habet compunctionem, non habet mundam orationem. » Et sanctus Isidorus : « Prius lacrymis purganda sunt vitia quæ gessimus, et tunc mundata mentis acie, id quod quærimus contemplemur. » Compunctio cordis, est humilitas mentis cum lacrymis, de recordatione peccati, et amore judicis, et timore judicii. Ille perfectior est compunctionis effectus, qui a se omnes carnalium desideriorum affectus repellit, et intentionem suam toto mentis studio in Dei contemplationem defigit.
B Gemina quoque compunctione anima electi afficitur, id est dum operum suorum mala considerat, vel dum desiderio vitæ æternæ suspirat. Quatuor sunt affectionum qualitates, quibus mens justi compungitur salubriter. Prima est memoria præteritorum factorum ; secunda, consideratio peregrinationis suæ in hac vita ; tertia, recordatio pœnarum suarum ; quarta, desiderium supernæ patriæ, quatenus ad eam citius valeat pervenire. Lacrymæ enim pœnitentiæ apud Deum pro baptismate reputantur Dilige lacrymas, et tanto sis pronior ad lamenta, quanto pronior fuisti ad culpam. Magna peccata grandia lamenta requirunt : beatus autem est, qui habet compunctionem secundum Deum. Compunctio sanitas est animæ, compunctio remissio est
C peccatorum, compunctio secunda est tabula post naufragium, secunda medicina post peccati remedium. Compunctio est spirituale lavacrum internæ regenerationis, sine quo adultis non valet baptismus; sine quo, ad judicium sumitur Christi corpus; sine quo infructuosa est confessio, sine quo inanis est satisfactio. Hæc est aqua mentem purgans, intentionem fecundans, confessionem irrigans, animam satians. Hæc est aqua quæ submergit Ægyptios, id est exstinguit motus primos. Hæc est spirituale diluvium, quod omnem carnem interficit, id est omnem carnalem cogitationem exstinguit [11]. Est autem triplex lavacrum, baptismi, pœnitentiæ et martyrii. Primum est ingredientium,
D secundum **97** redeuntium, tertium pervenientium.

De primo dicitur : *Lavamini, mundi estote* (*Isa.* i). De secundo dicitur : *Amplius lava me ab iniquitate mea* (*Psal* l) De tertio : *Laverunt stolas suas in sanguine Agni* (*Apoc.* vii). Primum lavacrum est figuratum per aspersionem quæ fiebat in Veteri Testamento ex aquis vivis ; secundum per cineris aspersionem ; tertium, per vitulæ rufæ sanguinem (*Num.* xix). Quid enim aqua viva, nisi baptismus? Quid aspersio cineris, nisi humilitas compunctionis,

VARIÆ LECTIONES.

[11] *In alio exemplari hic addebantur sequentia :* O felix medicina, per quam peccatorum morbus expellitur, per quam virus culpæ evomitur! O felix tabula per quam naufragus redit ad portum salutis! Aqua salutaris qua peccatum diluitur, via per quam reditur ad patriam, spirituale remedium per quod reditur de invio ad viam!

per quam homo se cinerem ostendit, et sedet in A cinere et cilicio? Quid etiam sanguis vitulæ rufæ, nisi martyrium, rubricatum sanguine, quod efficaciam habuit ex Christi passione? Sic itaque triplex est baptismus : baptismus fluminis, qui fit in aqua; baptismus flaminis qui fit in pœnitentia, ex Spiritus sancti gratia; baptismus sanguinis, qui fit in martyrii lucta. Per primum vestitur homo stola prima; per secundum, difformatus renovatur; per tertium, præparatur secundus. In primo, deletur vetus homo; in secundo, renovatur interior homo; in tertio, moritur caro. Primum est omnium, secundum multorum, tertium paucorum. O felix lavacrum pœnitentiæ, quod toties valet ad purgandum, quoties purgatione indiget cor humanum. Hæc est herba cœlestis B fullonis, qua vestes suorum deturpatas a sordibus purgat. Hæc est cœleste nitrum quod de rore divinæ gratiæ descendens, sole justitiæ decoctum, abstergit maculas peccatorum. Hæc est lixivium, quo interioris hominis caput, id est mens, vitiorum vermibus scaturiens abluitur, quod ex cinere humilitatis, et aqua compunctionis conficitur. Hæc est solum contra ruinas hominum solatium, quæ passionis Christi vicaria, contra peccata affert remedium, ne toties cogatur Christus mori, quoties homo labitur in abyssum peccati. Hæc est circumcisio spiritualis, quæ fit per petram, Christum, per hanc amputatur præputium carnis, id est concupiscentia immunditiæ carnalis. Si ergo in abysso C peccati naufragaris, adhæreas tabulæ contritionis, hæc excludit naufragium, hæc adducit ad portum. Intra conscientiam tuam, disquire eam; primo considera statum tuæ prudentiæ; si visus te incurvaverit per concupiscentiam, si guttur per gulam, si auditus per enervantem melodiam, vel spontaneam detractionis audientiam, et si lingua claudicaverit in verbo, si olfactus erraverit in odoramento, si tactus erraverit in furto, si gressus deviaverit in plano; si in his vel in aliquo istorum inveneris culpam, ablue per compunctionis notam; juxta quantitatem sordium, metire quantitatem ablutionis; juxta magnitudinem morborum, adhibe mensuram medicaminum; juxta excessum culpæ, pondera progressum vindictæ. Pœnitentia autem D dicitur a puniendo, quia culpa deletur quæ contererendo punitur; Pœnitentiæ vero mater et origo est timor, qui pœnitentiam concipit, et contritionem parit. Unde Isaias : *A timore tuo, Domine, concepimus, et peperimus spiritum salutis* (*Isa.* XXVI). Pœnitentia ergo est anteacta peccata deflere, et flenda non committere; nam qui sic alia plorat, ut alia iterum committat, adhuc pœnitentiam agere aut ignorat, aut dissimulat. Quid enim prodest alicui, si, verbi gratia, peccata luxuriæ defleat, et adhuc avaritiæ æstibus anhelat? ait Isidorus : Irrisor est et non pœnitens, qui adhuc agit quod pœnitet; nec videtur Deum poscere subditus, sed subsannare superbus. Canis reversus ad vomitum (*Prov.* XXVI) est pœnitens ad peccatum rediens. Multi lacrymantur indesinenter, et peccare non desinunt. Quosdam accipere lacrymas ad pœnitentiam cerno, et affectum pœnitentiæ non habere conspicio, quia per justitiam mentis, non recordatione peccati lacrymas fundunt, et statim reviviscente usu ea quæ fleverunt iterando committunt.

Hic desinebat antiquissimum exemplar nostrum, cum verbo : Explicit. *In alio tamen exemplari subjungebantur omnia sequentia.* *

98 CAPUT XXXI.

De confessione peccatorum.

Auctoritates : *Confitemini alterutrum peccata vestra* (*Jac.* V). Et alibi : *Dixi : Confitebor adversum me injustitiam meam Domino* (*Psal.* XXXI). Job etiam ait : *Loquar in amaritudine animæ meæ* (*Job* X). In amaritudine enim animæ suæ loquitur, qui secundum contritionem cordis, ore peccatum confitetur. Apostolus quoque ait : *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem* (*Rom.* X). In Veteri Testamento præceptum est, ut homo a lepra curatus, ostenderet se sacerdoti (*Lev.* XIV). Per quod demonstratur, quod pœnitens curatus a spirituali lepra per contritionem, tenetur se ostendere sacerdoti per confessionem. Tu ergo, confitere peccata ut absolvaris, accusa ut excuseris. Si in præsenti non es accusator tui, tres habebis accusatores in die judicii : Deum accusatorem et judicem, conscientiam accusantem et punientem, dæmonem accusantem et punitorem. Hæc est differentia inter judicem soli et poli : qui apud judicem soli se accusat, pro reo habetur, sed apud judicem poli, qui peccatum suum confitetur, absolvitur. Apud judicem soli, locum habet relatio criminis vel remotio. Reus enim qui a se crimen removet, vel in alium refert, quodammodo excusatur, sed qui apud judicem poli sibi crimen adscribit, nec in alium refert, nec causam peccati ascribit fortunæ vel fato, excusatur. Potest autem esse quadruplex confessio, scilicet, confessio exactionis, confessio desperationis, confessio pœnitudinis, et confessio laudis. Confessio exactionis est, quæ quodammodo ex exactione provenit, ut, illa qua dæmones confessi sunt Filium Dei, dicentes : *Jesu fili Dei vivi, ut quid venisti ante tempus perdere nos?* (*Matth.* VIII.) Confessio desperationis est illa qua Judas confessus est, dicens : *Peccavi tradens sanguinem justum* (*Matth.* XXVII), et Caïn : *Major est iniquitas mea quam ut veniam merear* (*Gen.* IV). Confessio pœnitudinis est, quæ ex pœnitentia provenit, de qua dicit Jacobus : *Confitemini alterutrum peccata vestra* (*Jac.* V). Confessio laudis est, qua confitemur Dei bonitatem, dicentes : *Confitemini Domino quoniam bonus* (*Psal.* CXXXV), qua et Christus confessus est, dicens : *Confiteor tibi, Pater, Domine cœli et terræ* (*Matth.* XI). Duplex est autem peccati confessio, quædam generalis, quædam specialis. Generalis, quæ fit indies in sacrificio matutino et vespertino, id est in completorio, pro venialibus et occultis;

specialis quæ fit pro mortalibus, et manifestis [13] : ad quam tenentur clerici singulis Sabbatis, laici vero ter in anno tenentur specialiter confiteri; videlicet in Natali Domini, in Paschate, et in Pentecoste. Quod figuratum est in veteri lege, per hoc quod præceptum est filiis Israël, ut ter in anno offerrent se Domino in Jerusalem, et non vacui. Sic et nobis præcipitur ut ter in anno nos Deo offeramus per confessionem in spirituali Jerusalem, id est in Ecclesia, et non vacui a bonis operibus. Sed hodie invaluit, ut vix laicus vel clericus semel confiteatur in anno, et dum confitetur, timendum est ne confiteatur, potius ut satisfaciat consuetudini, quam ex contritione animi. Quosdam arcet a confessione negligentia, quosdam verecundia, quosdam consuetudo prava, quosdam timor satisfactionis injungendæ; quosdam propositum vivendi in crimine. Hi sunt ranunculi, qui projecti in os canis, reddunt canem mutum. A quibusdam asseritur, quod calamites est rana in calamis habitans, quæ si in os canis projiciatur, canis mutus efficitur. Canis est peccator immundus, cui latratum, seu confessionis sonum auferunt prædictæ pestes, quasi ranunculi in os canis projecti. Hi sunt allophyli qui obturarunt puteum Abrahæ (*Gen.* xxvi). Per puteum Abrahæ significatur confessio, de qua fidelis haurit aquam salientem in vitam æternam : hanc obturant prædictæ pestes, ne homo de puteo confessionis, aquam hauriat salutis. Hæc est cisterna Bethlehem **99**, quam obsident Philistæi, de qua David bibere cupit (*II Reg.* xxiii); quia fidelis per David figuratus, aquam confessionis et salutis cupit : sed cuneus Philistinorum, id est multitudo pestium prædictarum eam obsidet, et impedit ne fidelis haurire possit. Debet autem confessio universalis esse, non particularis, ut de peccatis cognitis in specie fiat confessio, de ignotis in genere; quia piarum mentium est ibi culpam reputare ubi culpa non est, et ibi cognoscere per confessionem, ubi manifesta non est, per agnitionem. Quia sicut universalis est remissio, ita universalis debet esse confessio ; nam Spiritus sancti gratia nescit tarda rerum molimina ; quem enim sanat, totum sanat.

Tria debent occurrere, ad hoc ut vera sit confessio : scilicet cordis contritio, oris professio, operis satisfactio. Unde, si aliquod istorum defuerit, non est confessio, sed tantum oris hiatio : confessio enim perplexa propositio est et tria notat. Hæc est via trium dierum per quam debemus ire in solitudinem, id est tendere ad patriam cœlestem, ut Deo nostro sacrificemus.

CAPUT XXXII.

De pœnitentia, seu satisfactione.

Facite fructus dignos pœnitentiæ (*Matth.* iii). Et alibi dicitur : *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum* (*ibid.*). Et Job : *Ago pœnitentiam in favilla et cinere* (*Job* xlvii). Exterior ergo

A pœnitentia a Christo habuit exordium per prædicationem, a Job exemplum per satisfactionem. a David per magisterium et instructionem, qui dicit : *Tibi soli peccavi*, etc. (*Psal.* xc). Pœnitentiæ autem fructus sunt remedia, orationes, jejunia, psalmodiæ, vigiliæ, oblationes, lectiones, eleemosynæ, asperitas habitus. Contra morbum luxuriæ, orationes et jejunia sunt medicinæ; orationes, ut Deus rore cœlestis gratiæ temperet ignem concupiscentiæ ; jejunia, ut castigent jumentum carnis nostræ. Hoc genus dæmonii non ejicitur nisi in oratione et jejunio. Psalmodiæ et lectiones valent contra peccatum acediæ, ut animus excitetur a torpore et discat repellere otia, sectari seria. Eleemosyna quoque remedium fit contra avaritiam : tenuitas victus
B contra crapulam; quia, ut testatur Gregorius : « Contraria contrariis curantur. » Septem ergo principalibus vitiis, septem principales virtutes sunt opponendæ. Contra superbiam, humilitas; contra invidiam, charitas; contra iram, patientiæ longanimitas; contra acediam, mentis hilaritas; contra avaritiam, largitas; contra crapulam, sobrietas; contra luxuriam, castitas. Sicut tripliciter peccamus, tripliciter pœnitere debemus. Quia peccamus cogitatione; contra hunc morbum adhibeamus remedium contritionis; quia ore, adhibeamus antidotum confessionis; quia opere, opponamus medicinam satisfactionis. Est autem duplex pœnitentia : quædam est momentanea, et transiens, alia
C perseverans et permanens. Prima ad peccati deletionem insufficiens est, secunda ad remissionem sufficiens. Prima est imperfecta, secunda perfecta. De prima dicit Isidorus : « Irrisor est et non pœnitens, qui agit quod pœnitet. » De perseverante dicitur, quod pœnitentia usque ad mortem finiri non debet. Peccator enim per pœnitentiam tot debet offerre de se satisfactionis holocausta, quot de se diabolo obtulerat vitia; ut caro nostra quæ prius protulit spinas et tribulos vitiorum, exaretur per pœnitentiam ad incrementa virtutum. Et sicut peccata nostra semper in memoria habenda sunt ad delendum, ita pœnitentia ad memorandum ; ut pœnitentia memoriam pariat, memoria dolorem eliciat. In hoc igne purgatorio debet constitui in præsenti, ne cru-
D cietur peremptorie in flamma gehennali. Est triplex ignis, purgatorius, probatorius, peremptorius; purgatorius est, satisfactio, probatorius tentatio; peremptorius, **100** æterna damnatio. De primo dicitur : *Purgabit nos in spiritu et igne* (*Matth.* iii). De secundo legitur : *Igne nos examinasti* (*Psal.* xvi). De tertio : *Ite in ignem æternum* (*Matth.* xxv). Est autem duplex ignis purgatorius, unus in via scilicet pœnitentia, alius post vitam scilicet purgatoria pœna.

Si purgamur in primo, liberamur in secundo et tertio; si non experimur primum, sentiemus secundum, imo (quod gravius est!) peremptorium. Pri-

VARIÆ LECTIONES.

[13] Peccata manifesta hic dicuntur, quæ confitenti nota sunt.

mus purgatorius, duplicem excludit ignem, scilicet secundum purgatorium et æternum peremptorium. Primus enim purgatorius, quasi umbra est et pictura secundi; quia, sicut umbra et pictura materialis ignis nullum infert dolorem sed ipse ignis materialis cruciatum vel ardorem infert: sic ignis pœnitentiæ nihil habet amaritudinis juxta secundi purgatorii comparationem. Quia, ut dicit Augustinus, pœna purgatorii multo gravior est qualibet temporali. O homo, patientia Dei te invitat ad pœnitentiam, potentia ad timorem, benignitas ad amorem. Considera quanta est potentia ad puniendum, quanta patientia ad pœnitendum! vide, quam pius est, qui dat tibi spatium pœnitendi. Jam non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat (*Ezech.* XXXIII). Et hoc totum ex ejus dulcedine et dilectione procedit. Quia Pater *castigat omnem filium quem recipit* (*Hebr.* XII), vel diligit.

CAPUT XXXIII.

De eleemosyna.

Frange esurienti panem tuum, et egenos, vagosque induc in domum tuam (*Isa.* LVIII). Et alibi : ***Date eleemosynam, et omnia munda sunt vobis*** (*Luc.* XI). Item : ***Omni petenti te tribue*** (*Luc.* VI). Item : Beatus qui prævenit manum perituri. Item : Si vides fame pereuntem et non subvenis, occidisti.

O homo, eleemosyna est condimentum jejunii, ornamentum orationis, vigiliarum decus, largitatis insigne, peccati remedium speciale. Ad hanc invitat te Christus, exemplo pauperis omnia erogans, verbo opera misericordiæ prædicans. Ab hac, nulla paupertate te excuses. Si pecuniam dare non potes, da frustum panis; si hoc non vales, saltem aquæ frigidæ potum. Si proximo non potes subvenire facto, subveni verbo, vel pro eo intercedens, vel eum instruens. Est enim eleemosyna multiplex, a manu, largiendo pauperi; ab officio, ministrando eroganti; a lingua, proximum instruendo, vel pro eo intercedendo; ab animo, peccanti compatiendo, vel injurias remittendo. Sunt autem quædam eleemosynæ ordinatæ, quædam exordinatæ. Ordinatæ sunt, quæ suis circumstantiis formantur; exordinatæ, quæ privantur iisdem. Circumstantiæ eleemosynarum hæ sunt : ***Quis, quid, quantum, cui, ubi, quando, quare. Quis***, si sit dives vel pauper, gratior est enim eleemosyna pauperis quam divitis. Unde Dominus dicit in Evangelio (***Marc.*** XII), pauperculam mulierem quæ posuit duo minuta in gazophylacium plus misisse quam divites qui miserant magnas summas. Per ***quis***, etiam intelligitur, utrum justus sit vel injustus. Quia si justus det eleemosynam, ad utrumque valet; si vero injustus det eleemosynam, valet ei ad fugam pœnæ, non ad meritum gloriæ. Per ***quid***, insinuatur quod de proprio debeat fieri eleemosyna, non de alieno. Non enim de furto vel de rapina recte fit eleemosyna; quia, ut dicit auctoritas : « Facere eleemosynam de substantia pauperis, hoc est filium mactare in conspectu patris (*Eccli.* XXXIV). Per ***quantum*** ostenditur quod non totum uni, sed plura pluribus particulatim distribuenda sunt. Per *cui* innuitur quod potius pauperi quam diviti largienda sit eleemosyna, potius cognato vel affini, quam extraneo; potius domesticis fidei quam dyscolis. Unde ad insinuandum *quantum* et *cui*, dictum est : ***Dispersit, dedit pauperibus*** (***Psal.*** CXI), ubi scilicet in aperto ad aliorum instructionem, procul tamen omni humana laude remota. Unde ait Dominus : ***Sic luceant opera vestra coram hominibus, ut glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est*** (***Matth.*** V). **101** *Quando :* tempore necessitatis. *Quare :* intuitu Dei, non terreni emolumenti, vel favoris humani. Eleemosyna est ros cœlestis, exstinguens peccati caminum; quæ sola allegat apud Deum, quæ sola allegabit pro te apud districtum judicem. Pro quo enim laudabuntur a Christo beati in judicio? quod silentium tenuerunt? non. Quia continentes fuerunt? minime. Quia vigiliis intenderunt? nequaquam, sed quia eleemosynis operam tribuerunt.

Eleemosyna gerit similitudinem olei, jejunium luminis. Sicut enim lumen subtracto oleo exstinguitur, sic jejunium sine eleemosyna meriti virtute privatur. Illi speciali et naturali præcepto quo dicitur, *quod vis ut tibi faciant homines, et tu fac illis* (*Matth.* VII), obviat, qui eleemosynam indigenti negat.

Est autem triplex eleemosyna, frigida, tepida, calida. Frigida est, quæ non fit instinctu naturalis pietatis vel fervore charitatis, sed tantum humani favoris; tepida est, quæ fit instinctu naturalis pietatis, ut illa quæ fit infidelibus, motu naturalis affectionis; calida vero, quæ fit æstu charitatis. Prima meretur pœnam, secunda vitat eam, tertia consequitur gloriam. Eleemosyna non solum de superfluis, sed et de necessariis fieri debet. Unde dictum est : ***Qui habet duas tunicas, det non habenti*** (***Luc.*** III). Ideo tunicam nominat, non pallium, quia tunica est magis necessaria; ad insinuandum quod non tantum superflua, verum etiam necessaria dare tenemur. Quod in beato confessore Martino claruit, qui asperitate temporis partem chlamidis qua sola indutus erat, pauperi erogavit. Sunt quidam qui ea quæ vix porcis exponenda erant erogant pauperibus, quibus sua peccata redimi putant; et hoc est quasi in Deum blasphemia, indignis honorare divos, et quæ proculcanda sunt a porcis offerre cœlestibus margaritis.

CAPUT XXXIV.

De jejunio.

Monet propheta (*Joel.* II) pœnitentes in jejunio, et fletu, et planctu esse. Et Dominus ait : ***Cum jejunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes*** (***Matth.*** VI). Gregorius quoque ait, quod peccator debet etiam indulgere jejuniis, ut Deus aliquando convertat cor ejus ad pœnitentiam. Jejunium carnem macerat, animam elevat, concupiscentiæ fomitem refrenat, excitat rationem. Jejunio meruit Moyses Dei colloquium, Daniel interpretationem somnio-

rum, Elias subsidium, Ninivitæ remissionem peccatorum. Exemplum jejunandi nobis Christus dedit, qui in deserto quadraginta diebus et quadraginta noctibus jejunavit (*Matth.* IV). Non tamen prodest jejunium corporis, absque jejunio mentis; aliter fallax est et deceptorium. Quid enim valet, si os jejunet a cibo, dum lingua resolvitur mendacio? dum oculus epulatur in vanis? auris deliciatur in fabulis, nares otiantur in odoramentis? tactus discurrit in planis, manus in rapina, pes extra ordinariam viam? Jejuneat cæteri sensus cum gustu, ut qui fuerunt comites delectationum, socii sint passionum.

Est autem multiplex jejunium, jejunium consuetudinis, quod non fit ex charitate, sed ex sola consuetudine, ne homo videatur contra publicum navigare. Istud ad hoc solum proficit, ut vitet pravum exemplum, ne præbeat scandalum. Est jejunium avaritiæ et cupiditatis, ubi sic evacuatur stomachus, quod impleatur loculus et istud est perniciosum. Est jejunium infirmitatis, ut consequatur sanitas; et istud indifferens est, quia nec bonum nec malum. Est etiam jejunium crapulæ et gulositatis, ut affectuosius sumatur cibus: et istud est pessimum. Est jejunium laudis et apparentiæ, quo utuntur hypocritæ ut inde laudem humanam consequantur: et istud est malum.

102 Est jejunium indigentiæ et necessitatis, quo jejunant pauperes: et istud est indifferens. Est jejunium coactionis, quo multi utuntur claustrales; et istud est insufficiens. Cæteris ergo omissis jejuniis, ad istud est aspirandum, quod est charitatis: quo castigatur corpus, imperat spiritus, et sic homo vivit ut angelus. Per jejunium enim fit homo spiritus, per mediocre edulium, homo; per superfluum, pecus.

Multæ sunt autem jejunii circumstantiæ, quæ informant ipsum jejunium, scilicet: *A quo, ubi, quando, et quare. A quo*, ut a cibis deliciosis abstineat, quid enim prodest jejunare a cibo, si quod amisit in tempore, recuperet delectatione vel quantitate? Tempore enim prandii debet jejunans mediocri cibo uti, ut in parte subveniat proximo, et sic affligat se ipsum, ut reficiat proximum. Considerandum est etiam, *ubi*, servanda etenim est patriæ consuetudo; ut,

Si fueris Romæ, Romano vivito more.

Unde Augustinus ait: « Cum Romæ sum, in Sabbato non jejuno, cum Mediolani, jejuno. » *Quando*, ut in diebus constitutis fiat jejunium. Sunt enim quidam dies in quibus non est jejunandum, ut in diebus Dominicis, et quibusdam magnis festivitatibus, propter scandalum. *Quare*, ut intuitu Dei ex charitate fiat. Quot sunt a carnalibus abstinentiæ, tot sunt species jejuniorum diversæ. Est jejunium in continentia, in abstinentia, in humilitate, in mansuetudine, in exsultatione. De jejunio dicit Augustinus; « Laudent te jejunia, non viscera eructantia. »

A Jejunium ad medicinam corporis et animæ valet. Conservat enim corpus a morbo, animam a peccato. In hac medicina, cœlestis philosophia cum naturali concordat. Hæc enim medicina et stomachum purgat a vitio crapulæ, et animam ab indignatione. Si Adam in paradiso jejunasset ab esu vetito, non esset damnatus exsilio (*Gen.* III). Si jejunasset Esau a lenticula, non perdidisset primogenita (*Gen.* XXV). Si Noe jejunasset a vino, non denudasset femora vel pudenda (*Gen*, II). Ergo, per jejunium purgatur corpus ut recipiat eucharistiam sacramentaliter; spiritus, ut recipiat spiritualiter. Hoc debet esse præambulum ad eucharistiæ sumptionem. Contemnat ergo homo in præsenti escam materialem, ne in futuro sentiat ignem B gehennalem. Adsint tria ista quæ informant jejunium, bona intentio, eleemosynarum largitio, charitatis inflammatio. Si caro optat delectamenta ciborum, consideret homo, quia non refert unde fiat materia stercorum. Si velit caro prævenire horam prandii, confugiat ad asylum exercitii, ne otium gula excitet, appetitum augeat. O homo, si consideres Patres antiquos, qui bis tantum aut semel in septimana utebantur tenui esca, nulla vel modica tua tibi viderentur jejunia. Sed, si te non movent antiquorum exempla, saltem moveat beati Nicolai infantia, qui quarta vel sexta feria semel tantum sugebat ubera.

Pudeat non jejunasse adultum, dum viderit jeC junasse parvulum. In nostri confusionem cedit exemplum parvuli, dum nos corrigunt infantes et pueri.

CAPUT XXXV.

Informatio ad vigiliam.

Beatus ille servus, quem cum venerit Dominus invenerit vigilantem (*Luc.* XXII, *Matth.* XXIV). Item: *Si sciret paterfamilias, qua hora fur veniret, vigilaret utique*, etc. (*ibid.*) Item: *Vigilate ergo, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit* (*Matth.* XXIV). Item: *Vigilate et orate, ut non intretis in tentationem* (*Matth.* XXVI). Et Salomon: *Qui mane vigilant, invenient me* (*Prov.* VIII). Ad vigilias exemplariter nos invitat Christus, in oratione pernoctans, ad nostri invigilans instructionem. MaD teriales celebrandæ sunt vigiliæ ad corporis exercitium, ad torporem excludendum, ad vitandum nocturnales illusiones, ad cavendum lubricas carnis passiones; ut detur locus orationi, **103** denegetur hosti. Debet enim unusquisque fidelis tanquam vir fortissimus ambire lectum Salomonis (*Cant.* III), et tenere gladium super femur suum, propter timores nocturnos. Quod non solum vigiliis materialibus, verum etiam spiritualibus debet unusquisque fidelis providere Ecclesiæ Dei, quæ est lectus Salomonis, id est Christi; in quo requiescit ipse, quia deliciæ sunt ei, esse cum filiis hominum (*Prov.* VIII). Debet quoque tenere gladium super femur suum, id est uti gladio discretionis, ad refrenandum motus carnis et in-

sultus diaboli, qui maxime in tenebris hujus mundi cavendi sunt, et timendi. Magis autem indulgendum est spiritualibus vigiliis quam materialibus, ut mens uniuscujusque vigilet super gregem suum, id est motus animi, ne lupus insidians, id est diabolus, cogat aliquem motum a recto deviare. Vigilare debemus ne fur, id est diabolus, claustrum nostri pectoris intret per luxuriam, thalamum mentis per desidiam, et furetur vestimentum animæ, id est ornamenta virtutum. Fur iste invisibilis aliquando est latro, quando sævit per tyrannidem principum: aliquando ut fur nos infestat per hæreticum; nunc ut avis, cum effertur per superbiam; nunc ut aspis, cum fallit per luxuriam; nunc ut leo, cum furit per apertam sævitiam; nunc ut draco, cum per tentationem occultam. Quatuor sunt partes noctis peccati; prima dicitur, intempestum, quando quis delectatur in prava cogitatione. Secunda, conticinium, quando homines, scilicet rationales motus, jacent sub seducta voluntate. Tertia, galli cantus, cum voluntas sonat in opere. Quarta, antelucanum, cum opus est in manifestatione. Non immerito enim nocturnæ institutæ sunt vigiliæ, quibus significatur, ad nocturnos hymnos surgendum media nocte, ut nec illa vacet a laude divina, et materialis vigilia excitet spiritualem. Pudeat hominem solis ortum suas prævenire vigilias, et gallum in nocte suis indulgere cantibus, dum ipse vacat a divinis laudibus. O homo, cave a virga vigilante, ne te inveniat dormientem; cave a fure ne suffocet torpentem. Virga vigilans, seu virga vigiliarum est virga qua intromissa in domum, fur tentat utrum paterfamilias dormiat, aut familia torpeat. Si enim paterfamilias dormit, omnia quæ invenit deprædatur; si vigilat, aufugit. Spiritualiter, virga vigiliarum est Christus, de qua dicit Jeremias: *Virgam vigiliarum ego video* (*Jer.* I). Hæc est quæ sua discretione tentat utrum paterfamilias in domo sua dormiat, id est homo in propria continentia torpeat. Si dormientem invenerit, damnat; si vigilantem reperit, in eo non invenit unde ei noceat. Similiter diabolus qui fur est spiritualis, si hominem vigilantem invenit, fugit; si dormientem, omnia diripit. Quia Isboseth in meridie dormivit, a latronibus est interemptus (*II Reg.* IV); Samson soporatus, est ab hostibus captus (*Judic.* XVI); Sisara dormiens, est a muliere interemptus (*Judic.* IV); Gedeon hostes somnolentos interemit (*Judic.* VII). Christus imminente passione, discipulos dormientes increpavit.

CAPUT XXXVI.

Exhortatio ad doctrinam.

Sic disce, quasi semper victurus; sic vive, quasi cras moriturus. Item Apostolus: *Libros lege. Et affer tecum libros* (*II Tim.* IV). Item Seneca: « Vita sine litteris mors est, et vivi hominis sepultura. » Item Hieronymus: « Jam caput meum canis aspergebatur, nec videbat finem studium discendi. » Et alibi: « Malo ab aliis cum verecundia discere, quam mea impudenter ingerere. Lectio, sensum acuit, intellectum multiplicat, animositatem discendi parat, facundiam ministrat, teporem mentis calefacit, torporem expellit, tela libidinis exstinguit, gemitum cordis excitat, **104** lacrymas elicit, Deo nos propinquos facit. Amorigraphus ait:

Otia si tollas, periere Cupidinis arcus

(Ovidius.)

Si legis, effugit otium, diabolus te invenit occupatum. Intra in cellam vinariam (*Cant.* II), in qua ordinata est charitas; id est Scripturas lege, sententias disquire. In hac enim cella homo sic inebriatur, quod sobrius redditur; et cum multa legeris, unum specialiter tibi deputa, unum medullitus rumina, quod magis tuo sedeat animo, quod magis placet mentis palato.

Si ad aliquam lectionem accedis, non eam in momento relinquas, sed ei fideliter adhæreas, nec quasi fastidiens ad aliam transeas; quia, ut ait Seneca: « Planta quæ sæpe transfertur, non convalescit; et medicamentum sæpe mutatum, ad vulneris cicatricem non pervenit. » Et si contigerit aliquando te transferri a libris theologiæ ad libros terrestris philosophiæ, transeundo aspicias, utrum ibi forte invenias quid, quod mores instruat, quod fidei catholicæ competat, ut his quibus spoliantur Ægyptii, ditentur Hebræi: et mutuetur aurum ab Ægyptiis, ad ædificium tabernaculi et ligna ad ædificium templi. Largiatur opes Hiran rex Tyri, et de puteis Amorrhæorum bibant filii Israel. Et de proprio Goliæ gladio ejusdem retundatur hostilitas. Sic tamen transire debemus in aliena castra, ut simus exploratores et peregrini, non incolæ. O homo, ad hoc lege ut intelligas, ad hoc intende ut legas; quia ut dicit moralis philosophus: « Legere et non intelligere, negligere est. » Considera verba Papiliani philosophi qui ait: « Si nunc alterum pedem tenerem in sepulcro, adhuc aliquid addiscere vellem. » Nec dedignetur major a minore discere, quia aliquando revelatur minori, quod non majori. Et Apostolus ait: *Si minori revelatum est, major taceat* (*I Cor.* XIV). Moyses peritus in omni scientia Ægyptiorum, non aspernatus est a Jethro gentili consilium accipere. Et Salomon, cui datus est thesaurus scientiæ, non dedignatus est a regina austri sapientiam audire. Descendit enim aqua per canales lapideos, in areolas aromatum. Plato gentilis, multas passus tempestates, descendit in Ægyptum ut Genesim legeret; et Christianus dedignatur quod præsens est, quod appositum et parabile, quod ipsum instrueret. Clerici namque nostri temporis, potius sequuntur scholas Antichristi, quam Christi, potius dediti gulæ quam glossæ; potius colligunt libras quam legant libros: libentius intuentur Martham quam Marcum; malunt legere in Salomone, quam in Salomone (*sic.*) Jam omnis scientia vilet, omnis lectio torpet, non est qui legat libros. *Non est usque ad unum: omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt* (*Psal.* XIII). Jam

deserta est schola Christi, quæ in duobus versatur, in vita et doctrina ; sed vera vita contemnitur, doctrina sepelitur. Olim, et si bona vita non amabatur, doctrina tamen amplectebatur ; sed jam summa est exorbitatio, summa obstinatio, summa alienatio, cum non solum mores boni postponuntur, sed etiam decor eorum, id est doctrina, contemnitur.

Et si forte quis discit, finem non refert ad Deum, sed ad terrenum emolumentum, vel favorem humanum ; qui in lectione non quærit Christum, sed nummum ; terram, non cœlum. Isti tales deflorant virgines, id est corrumpunt scientias virginales, quoniam eas pro lucro prostituunt, et quantum in ipsis est, eas inficiunt, et quod pejus est et omni monstro monstruosius ! auditores theologiæ aures vendunt ut audiant, doctores eas emunt, ut scientiam suam jactanter exponant. Jam theologia venalis prostituitur, et in quæstu pro meretrice sedet. Olim in summo honore habebantur magistri, sed modo, jure reputantur insipientes et fatui. Modo non quæritur quid sit in mentis armario, sed quid sit in ærario. Qui sunt qui honorantur ? divites. Qui sunt qui despiciuntur ? doctores. Qui sunt qui assistunt palatiis regum ? pecuniosi. Qui sunt qui excluduntur ab aula ? litterati. Jam honoratur familia Cresi, contemnitur familia Christi. Quam gloriosum est legere, quam fructuosum Scripturis insudare, perscrutari mentem Dei, investigare instructionem sui ! Debet autem quisque in triplici libro legere ; in **105** libro creaturarum, ut inveniat Deum ; in libro conscientiæ, ut cognoscat seipsum ; in libro Scripturæ, ut diligat proximum.

CAPUT XXXVII.

De hospitalitate.

Paulus ait : *Hospitalitatem nolite oblivisci* (*Hebr.* XII). Similiter et Petrus : *Hospitales invicem sine murmuratione* (*I Petri* IV). Et Isaias : *Egenos vagosque induc in domum tuam* (*Isa.* LVIII). Hinc Veritas ait : *Hospes eram, et suscepistis me* (*Matth.* XXV). O homo, Christus in membris suis clamat ad ostium, petit hospitium. Suscipe peregrinum in terra, ut te recipiat exsultantem in patria. Abraham quia angelos suscepit sub specie hospitum, meruit donari filio (*Gen.* XVIII). Loth quia angelos quasi hospites suscepit, meruit liberari a Sodomorum incendio (*Ibid.* XIX). Vidua quæ hospitii beneficio Eliam honorabat, meruit suscitationem filii (*III Reg.*, XVII). Euntes in Emmaus discipuli per Christi doctrinam illuminati sunt, sed per hospitalitatis obsequium, plenius et perfectius ab ipso illuminare meruerunt (*Luc.* XXIV). O homo, si scias te advenam et peregrinum in hoc sæculo, si recognoscis peregrinationis tuæ statum, non negabis peregrino hospitium. Nam, si pauperem Christi excludis a tecto, ipsum Christum excludis a pectoris tui hospitio. Audi quid ipse dicat : *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis* (*Matth.* XXV). Debet

A autem ipsa hospitalitas esse læta, munifica, humilitatem exhibens, largitatem amplectens. Magna enim pars hospitalitatis honestæ, est vultus serenitas. Unde dictum est :

Super omnia, vultus
Accessere boni.

Munificentia quoque hospitalitatis est portio, ut non suscipiamus postulantem victi fastidio, sed etiam præveniamus præcellenti officio. Exemplo enim illorum euntium in Emmaus non solum hospites invitandi sunt, sed trahendi. Exhibenda est quoque hospitibus humilitas, ut gratia humilitatis, quæ etiam totam consummat hospitalitatem, gratius sit obsequium quod impendit. Recipiamus igitur in peregrino, illum qui pro nobis in terra pe-
B regrinatus est de cœlo ; qui pro nobis egressus de patria, mendicus exstitit in via. O felix hospitium, quod exhibetur Christo in paupere ! O felix lectus, in quo requiescit Christus in corpore ! Felix mensa, ad quam sedet homo, Deus in homine ! O homo, apud gentiles jura hospitalitatis servantur, apud fideles franguntur. Bruta animantia in adventu similium gaudent, et eis quodammodo jus familiaritatis exhibent ; homines vero humanitatis officium inhibent. *Erubesce Sidon*, *ait mare* (*Isa.* XXIII), erubescat mare a fluminibus adjuvari. Erubescat rationale ab irrationali instrui. Erubescat sol a camino et facibus calefieri.

Sicut autem fidelis tenetur Christo in membris suis exhibere charitatis officium, sic tenetur ipsi
C Christo capiti, in mente sua spirituali ministrare obsequio. Ad domum mentis suæ unusquisque Christum invitare debet internis cordis clamoribus, et ei in domo mentis, honestis et mundis cogitationibus mensam parare, vinumque charitatis offerre. Tertium quoque debet quisque fidelis Christo parare hospitium, scilicet, ut recipiat cæleste viaticum, spiritualem eucharistiam, carnem Dominicam. Ad adventum tanti hospitis, purget domum proprii corporis ; emundet eam a sterquilinio luxuriæ, a pulvere vanæ gloriæ, a luto gulæ ; ut ipse adveniens, placide dignetur ibi quiescere, sicut idem ait : *Ego et Pater veniemus, et mansionem apud eum faciemus* (*Joan.* XIV) ; ne immunditia
D hospitii, oculos offendat tanti hospitis.

106 CAPUT XXXVIII.

Quod Prælatorum tantum debeat esse prædicatio.

Dictum est quid sit prædicatio, qualis debeat esse et de quibus fieri debeat ; nunc restat ostendere, quorum debeat esse prædicatio. Prælatorum debet esse prædicatio, et ab eis est proponenda. Ad hos enim duo pertinent, doctrina et vita : doctrina, ut alios instruant ; vita, ut aliis bene vivendi exemplum præbeant. Ad quod significandum, præceptum est, ut os turturis in sacrificio reflectatur ad axillas (*Lev.* I). Per turturem, prædicatoris simplicitas figuratur ; per reflexum ad axillas, intelligitur quod prædicator debet habere in opere, quod proponit in voce.

Idem quoque figuratur per recurvationem virgæ A pastoralis, ut quod prædicat aliis, in se reflectat, ratione bonæ operationis. Ad insinuandum hæc duo, scilicet prudentiam et bonam vitam, de dispensatore dicitur : *Quis putas est fidelis servus et prudens? etc.* (*Matth.* XXIV). Fidelis enim debet esse prædicator, in verbo et in facto; fidelis in verbo, ne veris falsa misceat; fidelis in verbo, ne intuitu favoris humani verbum proponat; fidelis in verbo, ne pro terreno emolumento prædicationem vendat; fidelis in verbo, ne verbis suis contradicat operibus. Unde de falsis prædicatoribus dicitur : Caupones nostri miscent aquam vino. Aquam enim vino miscent, qui falsa cum veris prædicant, ut hæretici faciunt; item qui verbum pro favore humano vendunt, ut hypocritæ; qui per prædicatio- B nem terrena emungunt, ut mercenarii; qui verbo opere contradicunt, ut falsi Christiani.

Fidelis etiam debet esse in facto, ut quod facit, recta intentione faciat, et ipsius facti finem constituat Deum. Prudens itaque debet esse in verbo et facto. In verbo, ut sciat quæ sint prædicanda, et quæ non. In facto, ut sciat, quibus et quando sint prædicanda; scilicet, majora majoribus, minora minoribus. Quibus, ne indignis velut canibus, sanctum Dei proponatur, nec margaritæ pedibus porcorum conculcandæ tradantur (*Matth.* VII). Quando, ut cum tempus exegerit, verbum proponat, cum temporis opportunitas defuerit, taceat; quia ut ait Salomon : *Est tempus loquendi, et tempus tacendi* C (*Eccl.* III).

Ad prædicatores pertinet scientia, ut sint exercitati in utroque Testamento, et sententiarum examine discreti, in sermonibus facundi, in omnibus actibus suis circumspecti, contemptores mundi, in officio suo assidui. De prælato enim dicit Malachias : *Labia sacerdotum custodiunt scientiam, et legem requirunt ex ore ejus, quia angelus Domini exercituum est* (*Malach.* I). Et Jesus filius Sirach, ait : *Si habes scientiam, responde proximo tuo; si non, manus tua sit super os tuum; ne capiaris verbo indisciplinato* (*Eccl.* V). Valde enim timendum est illud evangelicum : *Si cæcus cæcum ducat, ambo in foveam cadunt* (*Matth.* XV, *Luc.* VI). Et istud Apostoli : *ignorans ignorabitur* (*I Cor.* XIV). Et quid dicturus est Dominus fatuis D virginibus? *Amen dico vobis, nescio vos* (*Matth.* XXV). Et illud : « maledictus elementarius senex. » Item : *Maledictus peccator centum annorum erit* (*Isa.* LXV). Est autem quædam ignorantia affectata, quando aliquis potest scire et non vult, hæc est crassa et supina, et vincibilis, et ideo inexcusabilis. De hac dicitur : *Noluit intelligere ut bene ageret* (*Psal.* XXXIV). Item : *Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis* (*Psal.* XLVIII). Hæc ignorantia pertinet ad prælatos, qui ex contemptu labuntur in ignorantiam; ex superbia remanent in insipientia : sine ratione presbyteri et prophetæ; præceptores impossibilium, indices occultorum.

O vilis ignorantia, abominabilis insipientia, quæ prælato imponit silentium, canem nostrum, id est pastorem, reddit mutum, hæc est *calamites*, quæ in os canis projecta, aufert latratum. Prælati nostri temporis prius sedent **107** in cathedra, quam erudiantur sub ferula; prius suscipiunt honorem magisterii, quam sustineant onus discipuli. Isti volunt præesse, non prodesse, pretium honoris, non pondus oneris. Prælato tali potest dici : *Medice, cura te ipsum* (*Luc.* IV); orator pro te ipso allega; tu qui es vicarius Christi, imitare ipsius opus, qui *cœpit facere et docere* (*Act.* I). Qui enim docens non facit, Christo contradicit; subditis suis onera importabilia imponit, digito autem non vult ea movere. Quidam talentum divinæ sapientiæ sibi commissum abscondunt in sudario; scilicet, qui ex negligentia prædicare nolunt : quidam abscondunt in sterquilinio, scilicet qui operibus contradicunt verbis suis; alii in luto, qui ex invidia verbum abscondunt.

CAPUT XXXIX.

Quibus proponenda sit prædicatio

Dicto, quorum debeat esse prædicatio, et quales esse oporteant prædicatores, restat ostendere, quibus proponenda sit prædicatio. Fidelibus videlicet, qui quodam mentis appetitu verbum Dei audire desiderant; de quibus Dominus dicit : *Levate oculos vestros, et videte quia regiones jam albescunt ad messem* (*Joan.* IV). Regiones albæ ad messem, dicuntur mentes hominum, paratæ ad suscipiendum verbum Dei. Hæc est terra bona, quæ semen recipit et fructus facit. Indignis vero et obstinatis subtrahenda est prædicatio, quia qui verbum Dei respuunt, se indignos faciunt. Unde et apostoli dixerunt Judæis prædicationem illorum respuentibus : *Quia repulistis verbum Dei, et indignos vos judicatis vitæ æternæ, ecce convertimur ad gentes* (*Act.* XIII). Minuit enim majestatem secretorum, qui indignis secreta divulgat; et vasa Domini Babylonis non sunt exponenda. Minoribus autem decet in parabolis loqui, majoribus revelare mysteria regni Dei. Parvuli liquido cibo sunt nutriendi, adulti solido corroborandi; ne parvulus enecetur per solidum, et adultus abominetur liquidum, ut sic singula quæque locum teneant sortita decenter. Pertinet ad prædicatorem gerere statum materialis physici, vel medici. Sicut enim materialis medicus pro diversitate morborum, variat genera remediorum; sic prædicator debet adhibere remedia admonitionum. Ut, si luxuriosis prædicat, contra luxuriam auctoritates afferat, rationes inducat; ostendat illam abominabilem apud Deum et apud homines; quomodo feteat infamia, feteat in carne propria, feteat apud proximum, feteat apud Deum. Nunc ferro secet per comminationem, nunc foveat per consolationem. Simili modo contra alia vitia disputet, secundum quod auditores viderit variis vitiis irretitos. Si pauperibus prædicat, de paupertate disserat, commendans paupertatem; exemplum sumens

a capite nostro Jesu Christo. Qui cum dives esset in cœlis, pauper factus pro nobis est in terris, ut sua paupertate nos divites faceret. In exemplum etiam veniant antiqui Patres, qui nudi Christum nudum secuti sunt. Ostendat quomodo beati pauperes spiritu (*Matth.* v), non divites censu. Si divitibus prædicant, invitet eos ad eleemosynam, ad contemptum divitiarum, ad amorem cœlestium talentorum; ut si divitiæ affluant, cor non apponant; si eas habeant, non tamen ambiant; habere enim est in substantia, ambire est in culpa.

Si militibus prædicat, moveat eos ut propriis contenti sint stipendiis, non imminentes alienis; nil violenter exigant, neminem concutiant, sint defensores patriæ, tutores orphanorum et viduarum; sic exterius gerant arma mundi, ut interius armentur lorica fidei.

Si oratoribus, moneat eos, ne injustam causam foveant pro munere, **108** vel justam infirment ex odii rancore, ne linguam suam vendant, ne sapientiam prostituant, nec sectentur falsa, ne venerentur mendacia.

Si doctoribus prædicat, moneat eos ut intuitu Dei doceant, Deum tantum finem sui laboris constituant; non venentur auram favorabilem, vel terrenam mercedem; demonstrent in facto, quod proponunt in dicto.

Si ad prælatos sermonem dirigit, hortetur eos de regimine subditorum, ut eos spe cœlestium erigat, comminatione corrigat, blandimento dirigat.

Si prædicat principibus terrarum, moneat eos ut sectentur prudentiam, abominentur avaritiam, ut non recedant a tramite justitiæ, ut rigorem temperent mansuetudine.

Si loquitur viris claustralibus, et religiosis, afferat ad eorum instructionem, exempla antiquorum Patrum, qui vitam præsentem duxerunt in nimia corporis castigatione: ostendat quod parum sit incipere, nisi inceptum concludatur bono fine, quia *nemo mittens manum ad aratrum, et respiciens retro aptus est regno Dei* (*Luc.* IX). *Et uxor Loth retro respiciens, mutata est in statuam salis* (*Gen.* XIX).

Si conjugatis proponat sermonem, commendetur status conjugii, fides tori, virtus sacramenti. Ostendat quomodo conjugium in paradiso habuerit initium, quomodo antiqui Patres in conjugali statu meruerunt vitam æternam adipisci.

Si viduis, demonstrentur onera conjugii in cura filiorum, in acquisitione necessariorum, in dispensatione rerum familiarium; quam gloriosum sit probatos carnis luxus vitare, et libere Deo servire.

Si virginibus, commendentur a munditia corporis, a puritate mentis, per quam homo sit supra hominem, superans carnem, et angelorum gerens similitudinem.

CAPUT XL.

Ad milites.

Militibus ait Joannes Baptista: *Neminem concutiatis, nemini injuriam faciatis: estote contenti stipendiis vestris* (*Luc.* III). Habeant exemplum vitæ suæ milites, beatum martyrem Sebastianum militem, qui sub Diocletiano imperatore ita temporalem exercuit militiam, quod spiritualem non deseruerit agoniam: reddens quod Cæsaris erat Cæsari, et quæ Dei, Deo. Beatum quoque Victorem, beatum Hypolitum, et multos alios, qui per materialem militiam strenue ministratam, ad æternam summi regis militiam, feliciter sublimari meruerunt. Thebæa etiam cohors, sic exterius utebatur militiæ cingulo, quod interius devote militabat Deo. Militia enim exterior figura est interioris militiæ, et sine interiori, exterior est inanis et vacua. Sicut autem sunt duæ hominis partes, corporalis et spiritualis, ita sunt duo gladii pertinentes ad propulsandos diversos insultus hominum; materialis, quo repelluntur injuriæ; et spiritualis, quo repelluntur molestiæ mentis. Unde dictum est: *Ecce gladii duo hic* (*Luc.* XXII). Accingatur ergo miles exterius ad reformandam violentam pacem temporis; interius quoque gladio verbi Dei, ad restaurandam pacem proprii pectoris. Ad hoc specialiter instituti sunt milites, ut patriam suam defendant, et ut repellant ab Ecclesia violentorum injurias, sed jam milites facti sunt prædarii duces aliorum, facti sunt abigeri; nec jam exercent militiam, sed rapinam, et sub specie militis, assumunt crudelitatem prædonis: nec tam militant in hostes; quam grassantur in pauperes; et quos debent tueri clypeo militaris muniminis, persequuntur gladio feritatis. Jam suam prostituunt militiam, militant ut lucrentur; **109** arma capiunt ut prædentur. Jam non sunt milites, sed fures et raptores; non defensores, sed invasores. In viscera matris Ecclesiæ acuunt gladios, et vim quam debent in hostes expendere, expendunt in suos; hostes autem suos (aut torpore dejecti, aut timore perterriti) desistunt invadere, et in Christi famulos imbelles, cogunt gladios desævire. Honestæ militiæ et temporalia donativa debentur, et æternæ remunerationis stipendia non negantur. Et cum quidam pro officio teneantur militiam exercere corporalem, omnes tenentur ex præcepto, militiam suscipere spiritualem. Miles materialis habitat in castris, vacat ab amplexibus uxoris, tenuibus contentus est cibis, intentus vigiliis, vestitus armis, resistens hostibus, providens suis commilitonibus. Talis debet esse quilibet homo in spiritu, qualis est materialis miles in actu. De milite Christi dicitur: *Militia est vita hominis super terram* (*Job* VII). Et alibi: *Non habemus hic certam mansionem* (*Hebr.* XIII). Item Apostolus ait quod hic sumus hospites et advenæ, tamen in futuro, cives sanctorum et domestici Dei (*Ephes.* II). Christianus ergo in peregrinatione hujus vitæ, debet vivere velut in castris, ut non putet se hic habere certam mansionem, sed exspectet in cœlis æternam habitationem. De quibus habitationibus dictum est: *In domo Patris mei mansiones multæ sunt* (*Joan.*

xiv). Ut vivat tanquam in momento moriturus, ut habitet in tabernaculo carnis, quasi in momento exiturus, vacet ab amplexibus terrenæ delectationis, fugiat diluvium gulositatis; vigilet contra insidias spiritualis furis, vestiatur spiritualibus armis, induatur lorica fidei, accingatur gladio verbi Dei, armetur lancea charitatis, assumat galeam salutis. His armatus, dimicet contra triplicem hostem: contra diabolum, ne rapiat; contra mundum, ne alliciat; contra carnem, ne illicita appetat. Provideat commilitonibus suis, id est fidelibus: largiendo, si egeant; admonendo, si indigeant; compatiendo ægris, congaudendo sanis.

CAPUT XLI.

Ad oratores, seu advocatos.

Ad oratores dicit Scriptura: *Judicate pupillo et humili* (*Psal.* x). Et Isaias: *Subvenite oppresso, defendite viduam* (*Isa.* i). Orator enim debet esse veritate munitus, discretione promptus, charitate fervidus, aspernator avaritiæ, sectator justitiæ, ne vel falsitas ejus obnubilet rationem, vel indiscretio enervet sermonis veritatem, odium ingerat suspicionem. Non avaritia incurvet animum, non injustitia deducat in invium, non lingua venetur pecuniam, non lepore verborum popularem captet auram, sed orationis finem constituat rectum, sermonis terminum faciat honestum. Non prostituat linguam, non venalem exponat loquelam, non vendat Dei donum, non locet gratuitum Dei beneficium. Quod accepit de solo munere gratiæ, non prosternat venditione. O quam exsecrabilis simonia est, vendere patrimonium pauperis, locare subsidium inopis.

Inter eleemosynas non minimum obtinet locum, qui viduæ in causa præbet subsidium; quia qui ei rationis virtute, proprium conservat, non solum defendit, sed etiam præbet. Non tamen oratores alicujus paupertas vel miseria debet incurvare in falsum; nec alicujus felicitas reducere in injustum.

Semper veritas robur rationi præbeat, et opem inopi sermone ferat. Qui rectum non tuetur cum tueri valeat, idem est ac si injusto assensum præbeat. Hoc est enim in carcere visitare miserum, oppresso in causa ferre patrocinium. Hoc est vestire nudum; nudato patrocinio, in causa ferre patrocinii subsidia: hoc est esurientem pascere, sitienti potum dare **110**, medicinam largiri infirmo, peregrinum recipere, destitutum ab omni auxilio, ad patrocinandum in causa suscipere. Qui ergo in justa causa indigenti patrocinium præbet, omne opus misericordiæ implet. Orator, cur defendere viduas in suis necessitatibus omittis? In tuæ scientiæ expositione nihil amittis, nihil in hujus thesauri largitione perdis. Hæc est nobilis possessio, quæ avarum dedignatur possessorem, cumque non publicatur, elabitur. Spiritualis etiam orator, id est vir justus cujus oratio perorat apud Deum, alleget pro reo, apud Deum, pias preces, ut quamvis reo exigentia meriti debeatur damnatio, ei propitia divina miseratio, conferat spatium veræ pœnitentiæ, et emendationem vitæ. *Multum enim valet oratio justi assidua* (*Jac.* v). Alleget justus pro reo apud divinam misericordiam, ut quia sine miseratione divina nihil potest humana infirmitas, ejus gratia reus liberetur a noxis, et ad salutem dirigatur. Et quamvis oratio justi non semper consequatur optatum finem in altero, tamen orans semper consequitur finem in se ipso; quia et si illi pro quo orat, peccatum non remittatur, oratio in sinum orantis revertitur; quia nec semper medicus sanabit, nec orator semper persuadebit; sed, si de contingentibus nihil omiserit, finem suum consecutus est.

CAPUT XLII.

Ad principes et judices.

Ad principes terrarum dicitur: *Diligite justitiam qui judicatis terram* (*Sap.* i). Et alibi: *Et nunc, reges, intelligite, erudimini, qui judicatis terram* (*Psal.* ii). O mundi principes, quos constituit Dominus super capita hominum, nolite superbia erigi, avaritia excæcari, crudelitate debacchari. Considerate super vos majorem potestatem, quæ judicabit vos in judicio. Si princeps pompa familiæ fuerit vallatus, si in throno regio constitutus, non tamen valebit divinæ voluntati contraire; potestati enim ejus quis resistet? humiliet ergo se quilibet princeps sub potenti manu Dei. Nabuchodonosor quia supra se non cognovit divinam potestatem, habitum induit bestialem; quia Manasses rex Israel super se divinam potestatem non cognovit, divina potentia ipsum extremæ captivitati subjecit. O princeps, si vis recte judicare terram mundi, recte judica terram corporis tui. Est enim triplex terra; terra quam terimus, terra quam gerimus, terra quam quærimus. Terra quam terimus, materialis terra est, quæ calcanda est. Terra quam gerimus, est terra corporis nostri, quæ excolenda est. Terra quam quærimus, est vita æterna, quæ incolenda est. Sicut ergo rex materialem terram custodit ne hostis invadat; sic custodire debet terram corporis sui, ne diabolus subripiat bona terræ, id est dotes corporis et animæ.

Et sicut in terra materiali est diversitas habitantium, inter quos alii sunt imperantes, ut principes; operantes, ut milites; alii obtemperantes, ut plebæi homines; sic in terra corporis sui, rex debet ordinare trium motuum diversitates. Motus rationis, qui imperent; motus sensualitatis, qui operentur; motus carnis, qui obtemperent. Et sicut ad pacem terræ materialis laborare decet principem, id est ad observandam pacis tranquillitatem, ita ad principes hujus terræ dicitur: *Erudimini*, id est ruditatem carnalitatis erudiatis, *qui judicatis terram*, id est qui in vestris corporibus damnatis terrenitatem. Quid tibi tunc animus dictabit, o princeps terræ, cum pauper te judicabit in die judicii, si male rexeris orbem, si injuste judicaveris paupe-

rem. O rex ! non reputes tuum principatum honorem, sed potius considera, quod terrenus honor non est naturæ, sed fortunæ. Nam quod non sint honores, lubrici casus veritatem probant et **111** mutabilitas vanitatem demonstrat. Multi Reges cum honore funeris deducuntur ad tumulum, et corpora cum quadam superficiali felicitate deducuntur ad sepulcrum, sed miseræ animæ horribili dæmonum caterva vallatæ cruciantur miserabiliter in gehenna. Ubi tunc honor sæcularis? ubi aura popularis ? ubi turba familiæ? ubi sæculares divitiæ? Ubi nobilitas generis ? ubi fecunditas prolis ? ubi pulchritudo uxoris ? Ista non proderunt post mortem animabus miseris; imo, cedent in augmentum doloris.

CAPUT XLIII.

Ad claustrales.

Ad claustrales loquens Scriptura, ait : *Ecce quam bonum, et quam jucundum habitare fratres in unum* (*Psal.* CXXXII). Et alibi, Psalmista in persona claustralis : *Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini*, etc. (*Psal.* XXVI). Cum apud moralem philosophum, unitas celeberrimis adnotetur laudibus; apud theologum non mediocribus subjacet sacramentis. Nam sine unitate spirituali, nec in præsenti gratia habetur, nec in futuro gloria conferetur. Sine unitate, omnis exsufflatur religio, languescit superna dilectio, fides ipsa perit, obedientia deficit.

Unitas in divinis parit consonantiam, in angelis concordiam, in ecclesiis obedientiam. Est enim unitas supercœlestis, unitas cœlestis, unitas subcœlestis. Unitas supercœlestis est in concordia Trinitatis, ubi est unitas uniens et unita. Unitas uniens et unita, est Spiritus sanctus, qui Patrem unit cum Filio; unde dicitur : Unum Patri cum Filio. Et alibi dicitur esse osculum et amor Patris et Filii. Et est unitas unita, quia unitur Patri et Filio, mediante divina natura. Unitas uniens non unita, est divina natura, quæ tres personas sibi invicem unit, sed ipsa iis non unitur, quia ipsa non est persona. Unitas unita non uniens, est Pater, quia unitur Filio et Spiritui sancto, sed neuter eorum unitur eo, seu per eum. De Unitate uniente et unita etiam dicitur : *Nunc sancte nobis Spiritus, unum Patri cum Filio*. De unitate non unita etiam dicitur : *In majestate unitas*. De unitate vero unita non uniente, dicit Hilarius : In Patre unitas est, etc.

Unitas autem cœlestis, est in angelorum concordia; et est ibi triplex unitas : unitas naturæ, unitas gratiæ, unitas gloriæ. Unitas naturæ, quia omnes sunt spiritus administratorii : unitas gratiæ, quia sunt in gratia confirmati : unitas gloriæ, quia omnes in æterna beatitudine glorificati. In hac triplici unitate est diversitas in dignitatum magisteriis, in cognoscendis arcanorum mysteriis. Est etiam ibi concors dissonantia, consonans discordia, diversa unitas, unita diversitas, dissensus consentiens, di-

A versitas uniens. Unitas vero subcœlestis in ecclesia esse debet, et est, trina : unitas fidei, unitas charitatis, unitas obedientiæ. Ut superioribus inferiores obediant, superiores minoribus moderata consuetudine condescendant. Ad insinuandum ergo hujus unitatis meritum, unus descendens in piscinam, sanatur (*Joan.* V); unus filius viduæ suscitatur (*III Reg.* XVII); arca in uno cubito consummatur (*Gen.* VI); ad nuntiandum David victoriam unus mittitur; unus nuntiat Job mortem filiorum, qua solus a periculo liberatur (*Job* I). Omnia quæ ad ecclesiasticum statum pertinent, amplectitur unitas, omnia informat singularitas : est enim unus Deus, una fides, unum baptisma (*Ephes.* IV), una lex, unus rex, una Ecclesia, una gratia, una gloria. Inter re-

B ligiosos itaque similiter debet esse trina unitas : unitas religionis, unitas possessionis, unitas charitatis. Unitas religionis, ut sint uniformes in habitu, in victu, in vigiliis, in jejuniis. Sed quidam anomali, se a regula hujus unitatis excipiunt, cupientes mollioribus accumbere stratis, paucioribus interesse vigiliis, delicatioribus uti cibis, modico vel nullo uti silentio. Quidam **112** enim monachi vilem habitum quoquo modo insigniunt, aut pulveris excussione, aut quadam partium eleganti dispositione; quia aut pedes in calceis arctius ponunt, aut manicas stringunt, aut caputium super aures reflectunt. Cibos quoque pro posse suo delicatiores appetunt, et in quantum possunt, si non materiam, saltem mutant formam; quia si unus vult fabas

C vel alios cibos tenues parari uno modo, alius vult alio. Quidam silentium frangunt, et si non verbis, saltem signis, et sic faculas verborum redimunt pluralitate signorum. Quidam vigilias aut intermittunt, aut intercidunt. Unitas quoque debet esse in possessione, ut omnia sint eis communia. Nihil enim proprium debet habere monachus, quia nec proprium debet habere in possidendo, nec proprium in volendo. Quod autem nihil debeant habere proprium in re, intelligant exemplo Ananiæ, qui ad pedes Petri exspiravit (*Act.* V), eo quod proprium retinuerat. Et ad instructionem claustralium dicit Dominus : *Nisi quis renuntiaverit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus* (*Luc.* XIV).

D Nec tamen sufficit propriis abrenuntiare in re, nisi abrenuntientur voluntate, unde et Petrus de hac abrenuntiatione voluntatis ait : *Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te* (*Matth.* XIX). Claustralis ergo qui proprium habere desiderat, retro respicit cum uxore Loth, manum ab aratro retrahit, cum Dina filia Jacob, ornatum alienigenarum appetit. Qui ergo a communione possessionis aliquid proprium excipiunt, locum Judæ proditoris et furis emunt. O claustralis, qui in mundo multa reliquisti, noli ad mundum redire unius nummi desiderio. Non capiat te unius nummi appetitus , quem non decepit divitiarum thesaurus; timeas ne decipula diaboli capiat te in minimo, quæ non decepit in maximo. Propriam etiam debet claustralis abjicere

voluntatem, ut sicut communitas est in religione, ita sit in voluntate; ut non solum eis omnia sint communia quantum ad censum, verum etiam quantum ad consensum, ut omnes conveniant in voluntate una, omnes consentiant in una charitate, ut de eis vere possit dici : *Erat eis cor unum, et anima una* (*Act.* IV). Tenentur etiam claustrales habere unitatem charitatis, ut in proximi sui profectu, suum profectum inveniant; in alterius quoque defectu, defectum suum lugeant. Sapientior minus peritum instruat, sanus ægroto condoleat, incolumis sano congaudeat, et sic vita claustralis imago sit vitæ cœlestis; ut sicut in vita æterna in dispari claritate, par erit gaudium; ita in claustrali, in dispari charitate, uniforme amoris vinculum. Ab hac triplici unitate, claustralis dicitur monachus, quasi unitatis custos. Nam, si primam non servat unitatem, fit anomalus; si secundam, apostata; si tertiam, schismaticus. Sit in conventu claustrali unitas uniens, et unita, id est, prælatus subditos uniens auctoritate, subditis unitus charitate; sit ibi unitas unita, non uniens, id est subditus qui, etsi alios non uniat, aliis tamen se charitate jungat. Sit ibi unitas uniens non unita, id est charitas, quæ etsi claustrales uniat, nulli tamen in præsenti se firmiter copulat. Sit in eis unitas naturæ, ut in se eam diligant; sit unitas gratiæ, ut sibi invicem gratiam collatam impertiant. Sit unitas gloriæ, ut una spe ad æternæ vitæ gloriam tendant. Sit unitas fidei, ne sint hæretici. Sit unitas charitatis, ne sint schismatici. Sit unitas spei, ne sint obstinati; ut de eis specialiter possit dici : *Ecce, quam bonum*, quantum ad hominum opinionem, *et quam jucundum*, quantum ad mentis devotionem, *habitare fratres in unum* (*Psal.* CXXXII). Religionis, in unum possessionis, in unum charitatis; ut ad illam pervenire valeant unitatem, de qua dictum est a Propheta : *Unam petii a Domino*, etc. (*Psal.* XXVI).

113 CAPUT XLIV.

Ad sacerdotes.

Ad sacerdotes ait Dominus : *Vos estis sal terræ, quod si sal infatuatum fuerit, in quo salietur?* (*Matth.* V.) Sal quatuor facit; terram sterilem reddit, cibos condit, carnem a putredine custodit, vermes ab ipsa carne excludit. Hæc quatuor spirituali sali, id est sacerdoti, conveniunt, qui terram subditorum, id est eorum cogitationes terrenas vomere prædicationis exarare debet, ne pullulent in spinas et tribulos vitiorum, et ita sterilem a pravis operibus debet reddere; a terra etiam propria, id est a carne sua tenetur vitiorum fertilitatem excludere, ipsamque carnem a putredine, id est a luxuria et gula immunem servare. Eleganter autem luxuria putredini comparatur, quia sicut putredo carnem corrumpit, et fetere facit, sic luxuria hominem fetere facit per infamiam, carnem per immunditiam, hominem per pravam conscientiam. Crapula etiam comparatur putredini, quia per crapulam, homo in

A corpore corrumpitur, fetore inficitur, citius tendit ad non esse.

A vermibus debet custodire carnem suam, ne caro pravas gignat cogitationes, ne in appetitus inordinatos evadat. Cibum quoque sacræ Scripturæ debet condire diligenti inquisitione, quia sacra Scriptura in quibusdam locis videtur insipida, nisi diligenti inquisitione perquiratur. Condire debet cibum Eucharistiæ, bona operatione, quia nisi digne sumatur cibus qui in se dulcis est, amaricatur, et quod justis est electuarium, injustis est absynthium. Condire debet cibum doctrinæ exemplo vitæ bonæ, ne si ejus vita despicitur, ejus, jure, prædicatio contemnatur. Sed, si sal illud infatuatum fuerit, in quo salietur? Infatuatur sal istud tripliciter : per B ignorantiam, per negligentiam, per avaritiam, quia sacerdotes nostri temporis sunt senes elementarii, centum annorum pueri, de quibus ait Dominus per prophetam : *Tenentes legem nescierunt me* (*Jer.* II). Tales quomodo alios condire poterunt? qui nec se ipsos, nec alios instruere sciunt? Quia sæpe contingit, cum sacerdotes lumen scientiæ, sua culpa, non habeant, ut per eorum ignorantiam hi etiam qui sequuntur offendant.

Unde Dominus : *Si cæcus cæcum ducat, ambo in foveam cadunt* (*Matth.* XIII). Tales si sint infatuati errore ignorantiæ, quis condiet illos sale sapientiæ, cum docere debeant, non doceri? instruere, non instrui? cum supra se majores non habeant qui corrigant, nec prudentiores habere debeant qui eos C instruant? Infatuantur autem per negligentiam, quia in omnibus eorum operibus, negligentia torporem ingerit, fructum operum perdit.

In Psalmis est nulla devotio, in lectione nulla sollicitudo, in injunctione pœnitentiæ, nulla diligentia, in missæ celebratione nulla cautela, in subditorum regimine nulla discretio, in bonis operibus nulla exercitatio.

Sed si infatuati sunt, a quo ipsi salientur? quis enim poterit eos a tanto negligentiarum præcipitio liberare? quis eos poterit sapore diligentiæ condire? Infatuati quoque sunt per avaritiam, quia ipsum Christum pro pecunia vendunt, sicque locum Judæ proditoris obtinent : baptismum emptioni exponunt, D sepulturas ad vendendum prostituunt; subditorum vitia palpant, ut emungant pecuniam; adulantur vitiis, ut impleant bursam. Tale sal in sacrificium Domini non offertur, sed foras ejicitur, pedibus conculcatur, et in sterquilinium redigitur; quia tales sacerdotes non digne se Deo in sacrificio offerunt, nec sacrificia sua sale sapientiæ condiunt, indigne sacramenta pertractant, indigne consecrant, sicque sal hostiæ subtrahitur, cum tamen a Domino hostia sine sale offerri prohibeatur; et sic, sal foris ejicitur; quia tales sacerdotes et si sint de ecclesia nomine et numero, non tamen sunt numine, et merito, sed digni qui pedibus conculcentur. 114 Pedes sunt subditi, quibus providere tenentur sacerdotes ecclesiastici, ne in via hujus vitæ offendantur

ad scandalum culpæ. His pedibus conculcantur pravi sacerdotes, quia cum subditi eos vident obtenebratos ignorantia, dejectos ignavia, quos debebant habere in forma boni, habent in exemplum mali, et qui debebant esse gregis forma, sunt populi fabula, et ita vertitur sal in sterquilinium, nam fetent tales sacerdotes odore infamiæ, putrescunt corruptione culpæ, computrescunt in stercore consuetudinis pravæ. Sit ergo sal in sacerdotibus, et pacem habeant inter se.

CAPUT XLV.

Ad conjugatos.

Paulus apostolus ait : *Unusquisque habeat suam uxorem, propter fornicationem* (*I Cor.* VII). Item : *Melius est nubere, quam uri* (*ibid.*).

Dominus etiam constituens in paradiso conjugium, ait : *Crescite et multiplicamini* (*Gen.* II). In Evangelio quoque Christus ait : *Quod Deus conjunxit, homo non separet* (*Matth.* XIX ; et *Marc.* X). O quanta est dignitas conjugii quod in paradiso habuit initium, quod incontinentiæ removet vitium, quod in se complectitur cœleste sacramentum : quod servat tori fidem, quod inter conjuges individuam retinet vitæ societatem, quod prolem ab infamia liberat, quod excusat carnale commercium a culpa. In hoc enim statu patriarchæ salvati, in hoc quidam Apostolorum sunt electi. O quanta virtus hujus sacramenti, per quam ne in luxuriæ vel incontinentiæ præcipitium quis labatur, honestate conjugali excipitur ! O quantum expugnat honestatem, qui rumpit tori fidem ! dum relicto conjugali toro, adulteratur in alio, sacramentum quantum in se est, commaculat ; in corpus suum proprium peccat, unitatem dividit matrimonii, jura frangit conjugii. O quantum in adulterio periculum, ubi peccatur in Deum, ubi offenditur proximus, ubi crebro homicidium perpetratur, ubi frequenter filius legitimus exhæredatur, ubi sæpe filia nubit patri, soror fratri ! Adulterium multiplicis solet esse causa flagitii. Ex adulterio enim David in homicidium labitur ; Ruben paternæ maledictioni subjicitur. In commendationem autem conjugii, Christus de desponsata nascitur ; in Cana Galileæ, nuptiæ ejus præsentia dedicantur. Sed quamvis a peccato excuset carnale commercium, celebratur tamen ad susceptionem prolis, non ad voluptatem carnis. Temperet ergo se connexa communio carnalis, ratione loci, ratione temporis, ratione religiosi officii. Observet etiam homo spirituale conjugium inter carnem et spiritum, ut caro tanquam mulier spiritui obediat, spiritus tanquam vir, carnem ut uxorem regat.

Sit ibi fides tori, ne vel caro regimine spiritus relicto, adulteretur cum mundo, vel ratio seducta ipsa carnis illecebra fornicetur cum illa, juxta illud quod dicitur, quod « vehemens amator uxoris, adulter est. » Sit etiam ibi spes prolis, scilicet, boni operis intentio : sit ibi sacramentum spiritualis conjunctionis, procreentur tanquam filii, bona opera ; sit ibi commercium carnis et spiritus rationabilis copula.

CAPUT XLVI.

De viduis.

De viduis dicit Apostolus : *Non nuptis et viduis, bonum est illis si sic permaneant sicut et ego*, id est caste (*I Cor.* VII). Et alibi : *Volo autem et omnes homines esse sicut me ipsum* (*ibid.*), id est continentes esse. Cum bonus sit status conjugalis, expeditior tamen est status vidualis.

115 In conjugio enim est periculum in fide tori observanda, periculum in temperando carnalis commercii jura ; ibi labor in sollicitudine rei familiaris ; ibi onus in educatione prolis, dolor uxoris in pariendo, dolor dum gestat uterum, ibi uxor constituitur sub potestate viri, etiam violente ; ibi timor mariti, ne uxor fiat adultera, ibi marito non est potestas absoluta, ibi inordinatus motus, quamvis venialis. Vidua ergo ad secundas non transeat nuptias ; secundæ enim nuptiæ, suspicionem ingerunt luxuriæ, argumentum sunt incontinentiæ ; viro viduata terrestri, sponso copuletur cœlesti, ubi sine labore conceptus, sine dolore partus, ubi arcta justitia, ubi Deus vita æterna, ubi conceptio voluntas ordinata, ubi partus operatio bona ; ubi concupiscentia charitas, ubi fides tori longanimitas, ubi sacramentum sacramenti veritas, ubi torus castitas, visus contemplatio, alloquium oratio, contactus æterna dilectio, ubi osculum mentis tranquillitas, ubi carnale commercium æterna jucunditas. O vidua, si de statu viduali exemplum quæris, in Anna prophetissa viduitatis formam invenis (*Luc.* II). Hæc merito suæ continentiæ meruit prophetiam, merito castitatis meruit videre messiam. Ad castitatem ergo te invitet fidei turturis viduitas, quia viduatus pari, nec amare petit, nec amari.

Qui si pare caret, nec ramo viridi, nec herbæ virenti insidet. Quod te admonet, o vidua, quod tempore viduitatis, senescentis mundi despicias florem, virorem mundanæ delectationis contemnas. O vidua, si marito temporali jungeris, cœlesti sponso minus libere servis. *Nemo enim potest duobus dominis servire* (*Matth.* VI), et dum intendis carni, minus intendis spiritui.

CAPUT XLVII.

Ad virgines.

Ad virgines dicitur : *Despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo* (*II Cor.* XI). Et propheta ait : *Audi filia et vide*, etc. (*Psal.* XLIV). O virgo, quæ signata es virginitatis sigillo, pudicitiæ titulo, noli prodere illud, quod natura specialius tibi commisit, quo te gratius insignivit.

Noli pro modica delectatione perdere, quod nullo modo poterit reparari. Hic est thesaurus naturæ, qui amissus non redit : hic est flos qui deflorens minime refloreseit.

Hæc est stella quæ occidens ad ortum non revertitur : hoc est donum quod amissum non compensatur, et quia solum est quod reparare non potes,

diligentius servare debes. Per hoc solum homo in carne vivens, imitatur angelum; per hoc solum homo vincit se ipsum; hoc servat famæ integritatem, custodit ab immunditia carnem. *Audi ergo filia*, non solum aure corporis, verum etiam aure mentis, et vide oculo cordis ut intelligas, *et inclina aurem* materialem ut obedias, et sic *obliviscere populum tuum* (*ibid.*). Populus est conventus carnalium cogitationum, qui virgini suggerit ut potiatur nuptiis, ut gaudeat amplexibus conjugis, ut fecundetur prole, ut carnali fruatur delectatione.

Sed, talem obliviscere populum, quia populus est Babylonis; gens confusionis, quæ filiam Sion conatur ducere captivam. *Obliviscere etiam domum patris tui* (*ibid.*). Pater tuus est fomes peccati qui te genuit, qui te de matre produxit, cujus domus et habitatio est concupiscentia, in qua fomes ille imperat, regnat, dominatur et præcipit. *Et sic concupiscet rex decorem tuum* (*ibid.*), ille scilicet rex, qui est Rex regum, et Dominus dominantium **116**, de quo dicitur : *Latera aquilonis, civitas Regis magni* (*Psal.* XLVII). Et alibi : *Domini est terra et plenitudo ejus* (*Psal.* XXIII). O virgo, si terrestri viro nubere vis, propter juventutis florem, considera quia illum florem aut mors decerpit, aut saltem in hieme senectutis effloreseit.

Nube ergo illi viro qui solus habet immortalitatem, *apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio* (*Jacob.* I). Si vis nubere terrestri marito propter divitias, considera quod terrenæ divitiæ fallaces sunt et transitoriæ, quia aut in præsenti vita transeunt, aut saltem in morte recedunt. Nube ergo illi, apud quem thesauri sunt incomparabiles, et divitiæ immutabiles; *quas nec fur furatur, nec tinea demolitur* (*Matth.* VI). Si autem vis nubere terrestri viro, quia pulchritudine insignitur, considera quia pulchritudinem aut infirmitas extenuat, aut senectus exstirpat, aut saltem articulus mortis exterminat. Nube ergo illi, « cujus pulchritudinem sol et luna mirantur. » Si vis nubere terrestri viro, propter generis nobilitatem, nube illi de quo dicitur : *Generationem ejus quis enarrabit?* (*Isa.* LIII.) Si vis nubere terrestri marito propter mundanum honorem, vel terrenam dignitatem, considera quia summis negatum est stare diu, nimioque graves sub pondere lapsus. Nube ergo illi de quo dicitur : *Potestati ejus quis resistit?* (*Job* IX.) Et alibi : *Regni ejus non erit finis* (*Luc.* I).

CAPUT XLVIII.

Ad somnolentos.

Scientes quia hora est jam nos de somno surgere (*Rom.* XIII) : notandum est, fratres charissimi, quod triplex est somnus. Est somnus, quando quis rapitur ad contemplationem cœlestium, et tunc quiescunt naturales vires; de quo dicitur : *Misit Dominus soporem in Adam* (*Gen.* II); et alius somnus, quando quiescunt animales virtutes, et operantur naturales; de quo dicitur, quod *angelus apparuit ni somnis, Joseph* (*Matth.* I, II). Tertius somnus est

A quando dormit ratio, et sensualitas exorbitat. Primus somnus fit supra hominem; secundus secundum hominem; tertius infra hominem. Primus miraculosus, secundus imaginarius, tertius monstruosus. Per primum fit homo Deus, per secundum spiritus, per tertium pecus. In primo somniat vera, in secundo monstruosa; tertius vero fit nocte peccati, in tenebris vitii, in umbra delicti. Nunc ergo in tempore gratiæ, hora est jam nos de somno erroris surgere, de somno peccati exsurgere. Quatuor enim nos debent excitare a somno : sol oriens, galli cantus, timor furis, sollicitudo rei familiaris. Sol justitiæ nos excitat a somno peccati, qui nobis jam ortus est per gratiam in baptismo, quando abrenuntiavimus peccato. Per hoc ergo quod jam accepimus gratiam, invitamur
B ad sollicitudinem mentis, et ad ejus custodiam.

Galli cantus nos excitat a somno, id est prædicatoris admonitio. Timor etiam furis, id est diaboli, qui si nos invenit dormientes, intrabit corpus per luxuriam, animam per superbiam, auferens purpuramenta virtutum, divitias bonorum operum. Sollicitudo etiam rei familiaris nos excitare debet a somno peccati. Excitemur ergo, quia tot excitant nos; vigilemus, quia tot ad vigilias nos invitant, et quia propior est nostra salus, quam cum credidimus; perseveremus in gratia, quia imminet gloria. Curramus per stadium, quia imminet bravium. Dupliciter autem justus appropinquat saluti æternæ : per diætam vitæ naturalis, per diætam vitæ spiritualis,
C quia quanto plus justus explet de diæta temporalis vitæ, tanto plus accedit ad vitam gloriæ.

Quanto magis complet diætam vitæ spiritualis, tanto magis appropinquat saluti vitæ æternalis. Quanto ergo justus sanctior, tanto saluti propinquior, quantoque senior, tanto eidem vicinior. *Propior est nostra salus quam cum credimus* (*Rom.* XIII), quia cum primo est nobis fides collata major pars restabat de vitæ diæta, et ideo major pars justitiæ erat **117** consummanda. *Nox etiam præcessit, et dies appropinquavit* (*ibidem*). Triplex est nox, nox ignorantiæ, nox culpæ, nox tribulationis mundanæ. De nocte ignorantiæ dicitur : *Nox præcessit, Dies autem appropinquavit*. De nocte culpæ dicitur : *Lavabo per singulas noctes lectum meum* (*Psal.* VI). De nocte
D tribulationis mundanæ dicitur : *In die mandavit Dominus misericordiam suam, et nocte canticum ejus* (*Psal.* XLI). In prima ambulant fatui, in secunda impii, in tertia miseri. Nox autem ignorantiæ recessit, quia jam instructi sumus per legem, informati per rationem, docti per creaturam omnem. Lex enim docet quid agendum, ratio quomodo agendum, creatura pro quo agendum. Omnis enim creatura dum Creatori servit, ad serviendum Deo nos instruit. Recessit etiam nox culpæ, quia ex quo gratia nobis in baptismo est collata, culpa a nobis est relegata. Recessit nox tribulationis mundanæ, quia cum primitiva Ecclesia varias sustineret tribulationes, ab insultu tyrannorum, ab impetu falsorum fratrum, ab impugnatione hæreticorum; jam ex parte tem-

pestas est sedata, ut Ecclesia quiete possit Deo militare. Ergo, *dies appropinquavit*, scilicet dies scientiæ, ut illuminet nescientem ; dies gratiæ, ut dirigat deviantem ; dies prosperitatis mundanæ, ut mulceat laborantem. *Abjiciamus ergo opera tenebrarum* (*Rom.* XIII). Sicut variæ sunt species noctis, ita diversæ sunt species obtenebrationis. Sunt enim tenebræ ignorantiarum, de quibus dicitur : *Populus gentium qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam* (*Isa.* IX). Sunt tenebræ peccatorum, de quibus dicitur : *Qui ambulat in tenebris, nescit quo vadat* (*Joan.* XII). Sunt tenebræ pœnarum, de quibus dicitur : *Projicite eum in tenebras exteriores* (*Matth.* XXII, XXV) ; tenebræ ignorantiarum, sunt interiores ; tenebræ peccatorum, intimæ ; tenebræ pœnarum, exteriores. *Abjiciamus ergo opera tene-* A *brarum* (*Rom.* XIII), ut bene agamus, fugiamus opera pœnarum, ne misere vivamus. Abjiciamus opera ignorantiarum, ut simus prudentes ; opera peccatorum, ut simus simplices ; opera pœnarum, ut simus felices. Et sic *induamus arma lucis* (*ibid.*), muniti luce sapientiæ contra hæreticos, luce gratiæ contra diabolum, luce gloriæ contra infernum. *Sicut in die honeste ambulemus* (*ibid.*). Qui in nocte ambulat, frequenter inhoneste ambulat, quia aut offendit in scandalum, aut incidit in lutum, aut labitur in præcipitium, aut ruit in lacum : sic qui in nocte peccatorum ambulat, aliquando offendit in montem superbiæ, incidit in præcipitium gulæ, ruit in lacum avaritiæ. Ambulemus ergo honeste in die bonæ operationis, ut perveniamus ad diem æternitatis.

MAGISTRI ALANI
DE INSULIS
SERMONES OCTO

Ex antiquissimo codice bibliothecæ B. Mariæ de Alna, ordinis Cisterciensis, in diœcesi Leodiensi nunc primum in lucem producti.

—

118 SERMO I.
DE SPIRITUALI UNITATE ABBATIS ET MONACHORUM.

Osculetur me osculo oris sui, etc. (*Cant.* I.)

Notandum, fratres charissimi, quæ petat, quid petat, et a quo petat. Virgo virginum petit, osculum petit, a vero sponso, id est a Christo petit. Quod osculum ? non illud a quo defluit fermentum luxuriæ ; sed, a quo distillat favus cœlestis gratiæ. Triplex autem osculum virgo petiit, quæ postulatum obtinuit.

Est autem primum genus osculi, quod fit per spiritualem conjunctionem animæ et Dei ; secundum osculum est, quo pater osculatur Filium, est enim Spiritus sanctus Patris et Filii amor et nexus. Tertium osculum est Incarnationis, quo Christus per humanitatem assumptam, osculatus est virginem Mariam. Primum osculum est, inspirationis ; secundum, spirationis ; tertium, incarnationis. Primum osculum, est cordis ; secundum, oris ; tertium, corporis. Primum reddit favum, secundum balsamum, tertium oleum. Ante Incarnationem ergo, virgo petiit osculum internæ visitationis, ut per hoc servaret integre sigillum virginitatis : nec sua fuit petitione fraudata, sed interna inspiratione visitata.

Ergo primum osculum sensit, quando virginitatis sigillum non amisit, et sic per visitationem in- B ternam, se quodammodo reddidit Verbi incarnatione dignam. Sed qua dignitate ? dignitate triplici : dignitate præelectionis, dignitate electionis, dignitate subelectionis. Dignitas præ electionis fuit, quando ab æterno decreto prædestinationis, ad hoc fuit præelecta, ut esset Dei mater intacta, sed postquam Spiritus sanctus eam obumbravit, ad hoc elegit ut Filium Dei conciperet, et conceptum ineffabili partu in lucem produceret ; subelecta etiam fuit, respectu illius humanæ naturæ quæ verbo Dei amica fuit ineffabili amore.

Illa ergo humana natura principaliter electa est, cui uniretur beata virgo subelecta, ut ex ea Filius Dei nasceretur. Secundum autem et tertium osculum petiit, cum ab Angelo audiens : *Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus* C *Altissimi obumbrabit tibi* (*Luc.* I). Ipsa ait : *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum* (*ibid.*). Et ex quo hoc dixit, utrumque osculum recepit, Spiritum scilicet ad sui confirmationem, Filium vero Dei in conceptione.

Sed sicut hoc nomen, osculum, in sacra pagina nunc aureis, nunc tetris 119 litteris scribitur, sic diversa etiam sunt oscula ; nam sicut Christus sua habet oscula, ita et Antichristus, id est diabolus, sua habet basia, id est suavia : Osculatur enim

aliquando hominem, blandiendo per mundana, aliquando decipiendo luxuria, aliquando tentando suggestione interna. Primum osculum venenosum, secundum fetosum, tertium lutosum: primum fraudulenti, secundum adulteri, tertium prædonis et furis. Sed his osculis relegatis, in Ecclesia Dei debet observari, unum charitatis ad proximum; secundum ad prælatum, obedientiæ; tertium compassionis, ad subditum.

Hic est triplex funiculus qui difficile rumpitur, per quem unitas claustralis servatur, quæ in tribus consistit, in unitate singularitatis, unionis et integritatis; a qua triplici unitate, claustralis monachus dicitur, quasi unitatis custos.

Oportet monachum habere unitatem singularitatis, ut proximorum peccatis non consentiat, sed saltem mente ab eorum enormitatibus se excipiat; in eo etiam servari debet unitas unionis, ut charitate compatiatur proximis, astringatur vinculo religionis, uniatur nexu compassionis. Non debet etiam aberrare claustralis ab unitate integritatis, imo, debet servare integritatem mentis et corporis, ut in nullo eum fractum interius, hostis inveniat, per quod insultanti ad interna aditus pateat. Nec solum in prædictis osculis Sponsus commendabilis, verum etiam in uberibus suis, unde sequitur: *Pulchriora sunt ubera tua vino* (*Cant.* I). Duo sunt ubera Sponsi; ab uno lac, ab alio vinum emanat. Per lac, misericordia; per vinum, justitia designatur; quia sicut lac dulce est, et cibus parvulorum, sic amicabiliter misericordia exercetur in parvulos; per vinum, justitia; quia sicut vinum austerius est, et majorum potus, sic justitia austerior est, et in majores exercetur. Prima autem duo ubera dulciora sunt vino, id est austeritate veteris legis, ubi erat justitia sine misericordia, sine miseratione miseria; sed tempore Novi Testamenti, justitiæ severitas misericordiæ dulcedine temperatur et misericordiæ dulcedo, justitiæ severitate asperatur. Hæc duo ubera debet habere quilibet prælatus, quibus et episcopus subditum, doctor discipulum, abbas reficiat monachum, ei exhibens ubera matris, nec non verbera Patris, nunc fulgurando correctionibus et minis, nunc compluendo admonitionibus et beneficiis. Hæc autem ubera flagrare debent unguentis optimis.

Tria autem sunt genera unguentorum; unguentum purgans, unguentum mitigans, unguentum sanans. Unguentum purgans adhibet Christus, cum per flagella in homine peccatum purgat; mitigans, cum per misericordiam errantem relevat; sanans, cum admonitionibus et doctrinis confortat. Hoc triplex unguentum debet abbas suis subditis exhibere, ut inobedientes correctionibus et disciplinis a peccato purget, vel, si obstinati fuerint, a consortio aliorum eliminet; infirmos vero, compensationis et dispensationibus remedio sustentet, imperitos doctrinis illustret. Debet enim prælatus esse forma gregis, ut aliis se conformet, et in se alios formet. Sed cavendum ne talis forma deformetur, talis facies inficiatur, tale speculum tenebretur; prælatus etenim debet esse speculum, sed non quodlibet. Sunt enim speculorum tria genera; est speculum in quo sinistræ partes sinistræ, et dextræ videntur dextræ, per quod speculum prælatus ille significatur, qui in operibus et doctrinis declarat quæ sunt sinistra, id est terrena, et quæ dextra, id est æterna. Est aliud speculum, in quo sinistræ partes dexteræ, et dextræ sinistræ videntur, per quod prælatus ille significatur, qui præponit terrena divinis tanquam meliora, et postponit divina tanquam deteriora.

Tertium speculum est, in quo superiores partes hominis videntur inferiores et inferiores superiores, per quod designatur ille prælatus qui secundum sensualitatem ita semper intentus est terrenis, ut ratione non respiciat ad superiora. Conformetur ergo quilibet prælatus primo speculo, ut de spe perveniat ad speciem **120**, de via perveniat ad patriam, de misericordia ad gloriam. Quam nobis præstare dignetur Jesus Christus. Amen.

SERMO II.

IN ANNUNTIATIONE BEATÆ MARIÆ, QUANDO EVENIT DOMINICA IN PALMIS.

Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei (*Psal.* LXXXVI).

Fratres charissimi, Rex regum qui imperat ventis et mari, cujus civitas, latera aquilonis, ut in omnibus rebus suæ Trinitatis figuraret imaginem, trinam sibi fabricatus est civitatem; quarum mundus est prima, Ecclesia secunda, Virgo virginum tertia; mundus etenim eleganti similitudine civitatis censetur nomine, quia sicut in civitate Reipublicæ majestas servatur, sic mundus sua republica non frustratur. Sicut enim respublica est ordinatus rerum conventus, inter quas, aliæ imperant, aliæ operantur, aliæ obtemperant; sic in mundo quasi in civitate magna, Deus est imperans, angelus operans, homo obtemperans. Similiter Ecclesia, eleganti modo civitatis censetur vocabulo, in qua majores prælati auctoritate disponunt, mediocres singula actione componunt, inferiores se majorum auctoritati subponunt. In hac civitate murus est Christianæ fidei fundamentum; cæmentum, est sanguis martyrum; propugnacula, auctoritates sanctorum; plateæ, charitatis latitudo; vallum, humilitatis altitudo; pons, obedientia; janua, eleemosynæ. Non inconsequenter etiam Virgo virginum civitatis sortitur vocabulum, in qua imperavit rationis auctoritas, operata est sensualitas, servivit carnalitas; in qua, fuerunt cives, motus rationales; a quibus, discretione armatis, servata est civitas, ne in eam dæmonis grassaretur hostilitas In hac civitate, murus fuit constantia, cæmentum temperantia, fortitudo propugnaculum, prudentia vallum. Orientalis porta fides, per quam Sol justitiæ in ea illuxit; meridiana porta charitas, per quam in ea Spiritus sancti ardor incaluit; septentrionalis porta virginitas, per quam in ea concupiscentia

carnalis exstincta est; occidentalis porta humilitas, per quam in ea mundanæ tentationes propulsatæ sunt. Hanc fluvius cœlestis gratiæ sic præterfluit, quod in eam continue refluat, sic muniens civitatem, quod non timeat incursum hostilem. De quo fluvio dicitur : *Fluminis impetus lætificat civitatem Dei* (*Psal.* XLV). In hac civitate est hortus conclusus, hortus signatus (*Cant.* IV), hortus irriguus, hortus arboribus consitus, herbis venustatus, floribus ornatus, id est mens virginis, in qua velut in horto cœlesti, mores honesti in similitudine arborum, fructus bonorum operum pariunt; bonæ cogitationes in exemplum herbarum virorem internæ devotionis emittunt : virtutes in exemplar florum, odorem bonæ opinionis producunt. In hoc horto viret myrtus temperantiæ, rosa patientiæ, lilium castitatis, viola æternæ contemplationis. Has ergo tres civitates construxit Rex regum, ut habitaret cum filiis hominum.

In prima civitate fuit creator; in secunda, salvator; in tertia, miserator. In prima resultavit ejus potentia, in secunda sapientia, in tertia gratia. De prima dictum est : *Latera aquilonis civitas regis magni* (*Psal.* XLVII). De secunda : *Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum!* (*Psal.* LXXXII.) De tertia : *Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei* (*Psal.* LXXXVI). Sed videamus, quam gloriosa dicta sint de Virgine Maria. Ait Balaam : *Orietur stella ex Jacob* (*Num.* XXIV). Hæc est illa quæ in arcturo cœlesti, gerit imaginem immobilis poli. Juxta philosophos : Arcturus est ille stellarum numerus septenarius, qui nunc arctos, nunc ursa, nunc septentrio dicitur, in quo stella quæ polus dicitur, ultimum locum tenens, immobilis manet, iter navigantibus præbens. Per arcturum igitur Ecclesia signatur ; **121** quia sicut arcturus semper urgetur et nunquam mergitur, sic Ecclesia semper flagellatur, neque flectitur. In hoc arcturo cœlesti, quæ polus immobilis est, Maria, nulla tentatione mota, nulla tribulatione concussa, iis qui timent in mari mundi hujus naufragium, præbet salutis portum. De eadem ait Isaias : *Egredietur virga de radice Jesse*, etc. (*Isa.* XI). Consequenter virgæ Virgo comparatur ratione directionis, ratione correctionis, ratione parturitionis. Sicut enim virga in altum dirigitur, sic Virgo ad æterna erigitur; sicut virga excessus corriguntur, sic per Virginem peccata remittuntur : sicut virga parturit fructum, sic Virgo parturit panem angelorum. Nec solum ratione muneris, sed etiam ratione nominis, virgæ comparatur Virgo, facta unius enim litteræ mutatione in vocabulo, de virga fit Virgo. Et dum ex Evæ matris floribus velut aurea rosa processit Virgo Maria, virga facta est Virgo; et alpha mutatum est in ω; quia principium factum finis, id est æternus factus est temporalis. Hæc est castrum, seu castellum, de quo dictum est : *Ite in castellum quod contra vos est, et invenietis asinam alligatam, et pullum cum ea*, etc. (*Matth.* XXI). Cum enim Filius Dei vellet assumere trabeam humanitatis in taber-

A naculo Virginis, præcepit angelis ut eam custodirent ab omni illecebra carnis, dicens illis : *Ite ad castellum;* ite ad Virginem custodiendo, ite ad Virginem consulendo, ite ad Virginem comitando. Hæc Virgo consequenter dicitur etiam castellum. Eva autem prima mulier antea castrum etiam fuit, quia naturalibus et gratuitis donis munita, sed postmodum ad instar vilissimi oppidi redacta, imo villa obsoleta facta, patens omni hosti, carni, mundo et dæmoni, sicque genus humanum desolatum plane mansit, usque dum Rex regum *in sole tabernaculum posuit* (*Psal.* XVIII), id est in Virgine castellum confirmavit, quando Virgo per adventum Spiritus sancti ita roborata fuit, ut hosti ad eam non pateret introitus.

Neque vacat a ratione, quod dicitur : *quod contra*
B *vos est.* Humana enim natura ante Incarnationem angelicæ fuit naturæ contraria. In hoc castello erant asina et pullus ligati, id est sensualitas et sensualitatis motus primitivi, qui ex se non erant bono obnoxii, sed per angelorum ministerium ad bonum soluti sunt, et postquam Christus per Incarnationem advenit, super asinam et pullum sedit, quia tam sensualitas quam primitivus ejus motus, ei obedivit, Christus hoc intravit castellum, pugnaturus contra diabolum, sed intravit per auream portam januis clausis, quia neque in ingressu, neque in egressu, fractum est in ea sigillum virginitatis. Hæc est famosa illa Hierusalem, in qua verus ille Salomon templum solemne exstruxit. Quæ enim
C consequentius censeri posset Hierusalem, id est visio pacis, quam illa in qua quievit pax æternitatis, in qua verus Salomon, id est Christus, fabricatus est templum sui corporis, de quo dictum est : *Solvite templum hoc*, etc. (*Joan.* II.)

Sed in fabricatione hujus templi neque malleus neque securis est audita; quia neque in conceptione neque in partu, crepitum carnis vel dolorum sensit Maria. Quia autem ad templum Salomonis tria pertinebant altaria, primum holocaustorum, in quo mactabantur animalia, secundum thymiamatis, in quo offerebantur aromatica, tertium propitiatorium, in quo apparebat gloria divina ; ita in templo Christi, id est in ejus humana natura, tria resultant altaria; primum altare est holocau-
D storum, scilicet caro ejus gloriosa, in qua nostra consumpta sunt peccata; secundum, anima, quia sicut in altari thymiamatis offerebantur aromaticæ species, sic anima Christi variis virtutibus referta est; tertium, divinitas, in qua elucescit divinæ auctoritatis majestas. Igitur, fratres charissimi, ad similitudinem Virginis, si non civitatem, saltem villam, si non castrum Regi regum præparare possumus, saltem in animo nostro hospitium præparemus, imo vel hospitiolum in mente nostra ut in ea dignetur ponere tabernacula sua ; sed prius purgemus mentem nostram, ut invitemus volentem. Tribus autem solet infici hospitium, **122** a quibus nos oportet mundare mentis tabernaculum, scilicet sterquilinio, pulvere et luto : sterquilinium luxuria

est, quæ fetet in carne, fetet in fama. Sicut enim sterquilinium quanto magis movetur, tanto magis fetet; six luxuria quanto magis exercetur, tanto magis olet. Sed in hoc etiam melius est sterquilinium luxuria, quia additum terræ nostræ, illam fecundat; luxuria terræ carnis nostræ adhærens, eam infirmat. Pulvis est vana gloria, quem projicit ventus a facie terræ, quia in nihilum redigitur timore superbiæ. De pulvere nascuntur ciniphes, quæ pungunt aculeis; ex vana gloria nascuntur pravæ cogitationes, quæ penetrant armarium cordis. Pulvis obtenebrat oculum, vana gloria excæcat animum.

Lutum vero quod immundum et tenax est, avaritiam signat, quæ et visco tenacitatis hominem illicit, et spurcitia cupiditatis inficit. Hæc avaritia est quæ nostri temporis homines ad idololatriam reverti cogit, de qua Apostolus ait : *Avaritia quæ est idolorum servitus* (*Ephes.* v). Hæc cogit hominem postponere Deum, colere nummum. Nostri autem temporis idololatria tres habet filias : primam, quæ facit coli ventrem per crapulam; secundam, in qua mundus diligitur per concupiscentiam; tertiam, in qua caro colitur per luxuriam. Ut autem fictis vocabulis liceat nos loqui, prima potest dici bacchilatria; secunda nummilatria; tertia carnilatria. Purgemus igitur mentis hospitium a sterquilinio, per continentiam; a pulvere, per patientiam; a luto, per eleemosynam, ut ita in nobis dignum possimus Deo præparare habitaculum. Quod nobis præstare dignetur Jesus Christus Dominus noster. Amen.

SERMO III.

DE TIMORE JUDICII, IN QUADRAGESIMA.

Dedisti metuentibus te significationem, ut fugiant a facie arcus (*Psal.* LIX).

Fratres, Apostolus nihil sibi conscius, non tamen de meritorum prærogativa præsumens, cum de seipso loqueretur, ait : *Gloria mea, testimonium conscientiæ meæ* (*II Cor.* I). Ego autem quem vermis pravæ conscientiæ remordet, quem scintillula rationis (quæ nec est in Cain fratricida exstincta [*Gen.* IV]) accusat et arguit, dicere possum : Verecundia mea testimonium conscientiæ meæ (*Hebr.* XI); *Tota die* enim *verecundia mea contra me est, et peccatum meum coram me est semper* (*Psal.* XLIII). Unde non mea, sed prophetæ verba vobis proposui, qui privilegio prophetiæ, tuba seu organum dici promeruit Spiritus sancti; nullo enim exteriori adminiculo suscitatus, non per facta, non per somnia, non per dicta, non per visiones, sed solius Spiritus sancti revelatione futura prævidet, et prævisa prænuntiavit; hujus revera verba sunt in persona alicujus modernorum Patrum loquentis ad eum : *Qui dat verbum evangelizantibus virtute multa* (*Psal.* LXVII). Item : *Qui dat nivem sicut lanam, nebulam sicut cinerem spargit* (*Psal.* CXLVII). Asserens eum dedisse, et determinans quibus dedit, et quid, et quare. Quibus? *metuentibus te;* quid? *significationem*; quare? *ut fugiant a facie arcus*. Ubi

A vigilanter advertendum est, quia non dixit simpliciter, metuentibus, sed, *metuentibus te*, sic insinuans de quo timore intendat. Est enim triplex timor, scilicet, timor horroris, timor cautelæ, timor reverentiæ. Timor horroris est, quo timemus seu horremus pœnam; timor cautelæ, quo cavemus culpam et etiam **123** pœnam; timor reverentiæ, quo divinam reveremur majestatem. Horum primus erudit, secundus provehit, tertius consummat et perficit. De primo dicitur in persona Christi capitis : *Timor et tremor venerunt super me, et contexerunt me tenebræ. Et dixit : Quis dabit mihi pennas sicut columbæ*, etc. (*Psal.* LIV). Et de eodem in Evangelio : *Cœpit Jesus pavere et timere* (*Marc.* XIV). Assumpsit enim Redemptor noster verum timorem,

B veram tristitiam, sicut et veram carnem, non necessitate condolentis, sed miserationis voluntate. De secundo, in Salomone dicitur : *Beatus qui semper est pavidus* (*Prov.* XXVIII). Et super eumdem locum : Pœna judicii quanto minus timetur, tanto districtius portabitur. Et alibi : Prudenter timetur quidquid accidere potest. De tertio dicit Isaias : *A timore tuo, Domine, concepimus, et parturivimus spiritum salutis* (*Isa.* XXVI).

Psalmista vero commendat eumdem, dicens : *Timor Domini sanctus permanet in sæculum sæculi* (*Psal.* XVIII). Et alibi : *Immittit Angelus Domini in circuitu timentium eum, et eripiet eos* (*Psal.* XXXIII).

Istis revera data est significatio in tribus, scilicet in Scripturis, in sacramentis et in operum exemplis.

C In Scripturis; continent enim sacræ Scripturæ volumina, mandata et prohibitiones, quæ sunt signa voluntatis divinæ, cum pleruinque præcipiat ea quæ vult ut impleas, et prohibeat quæ vult ut caveas : et hoc edictum tam præceptum quam prohibitio, voluntatis nomine nonnunquam solet appellari. In sacramentis dedit significationem, quia nil aliud sacramentum, quam invisibilis gratiæ signum; quod in baptismo et aliis declarari potest; ablutio enim corporis exterior quæ fit in baptismo, interiorem originalis maculæ designat ablutionem; unctio vero tam in baptismate quam in confirmatione facta, interiorem animæ figurat unctionem, forma etiam panis visibilis in altari, invisibilem Domini carnem desi-

D gnat. Istæ sunt tenebræ de quibus in Psalmis dicitur : *Posuit tenebras latibulum suum* (*Psal.* XVII). Latet enim sive continetur sub sacramentis divina gratia, unde et ipsa vasa dicuntur in Evangelio (*Matth.* XXV), ubi dicitur, oleum recondite in vasis vestris. Et in Isaia : *Mundamini qui fertis vasa Domini* (*Isai.* LI). Hæc vasa in quibusdam sunt vacua, in quibusdam semiplena, in quibusdam vero plena. In apostatis vacua sunt, qui cum a fide exciderint, nec nomine nec numine Christiani sunt; semiplena sunt in falsis fratribus, qui nomine tenus tantum Christiani sunt; plena sunt, in quibus nomen et devotio reperitur. Ista sunt alligamenta quæ Samaritanus noster qui de Jerusalem descendebat in Jericho (*Luc.* x), adhibuit. Eadem sunt mons caliginosus de quo in Isaia : *Super*

montem caliginosum levate signum (*Isai.* XIII). Quod impletur a sacerdotibus super sacramenta signum sanctæ crucis levantibus, ut in baptismi consecratione, et in eucharistiæ confectione. Dedit significationem Dominus in operum exemplis, de quibus duo possumus excipere, scilicet orationem et jejunium; oravit enim Dominus cum ascendisset in montem, pernoctans in oratione (*Matth.* XIV); oravit et in horto trans torrentem Cedron, semel, iterum, et tertio; et discipulos ad idem invitavit, dicens: *Vigilate et orate, ne intretis in tentationem* (*Matth.* XXVI). Quæ sacerdos evangelicus repræsentat in illo trino silentio quod fit in canone missæ.

Jejunavit etiam Dominus quadraginta diebus et quadraginta noctibus (*Matth.* IV), non solum in propria sui persona, sed etiam in suis præconibus, Moyse (*Exod.* XXIV) et Helia (*III Reg.* XIX), ut qui per Moysem dixerat, in ore duorum vel trium stet omne verbum, in duorum vel trium facto nobis commendaret jejunium. Credimus autem nec temere nec casu; sed alto consilio Dominum Christianæ militiæ seu jejunio quadragenarium numerum deputasse, in quo nobis insinuatur quibus armis militare debeamus; cum enim ex denario et quaternario in se ductis quadragenarius surgat, denarius ad Vetus Testamentum, propter decalogum, pertinet, quaternarius ad Novum, gratia Evangelii. Fideles autem contra **124** carnem, contra mundum et contra diabolum observando mandata veteris et novæ Legis militare debent. Ecce: *Metuentibus significationem dedit Dominus* (*Psal.* LIX). Quare? *ut fugiant a facie arcus* (*ibid.*), id est a terribili sententia futuri judicii, quod in arcu figuratur, quia quanto fortius lignum retro flectitur, tanto impetuosius sagitta in anteriora dirigitur; ita, quanto magis judicium differtur, tanto gravior et austerior erit sententia qua dicetur: *Ite, maledicti, in ignem æternum* (*Matth.* XXV). Dici tamen potest absque præjudicio potioris sententiæ, in arcu divinum præfigurari judicium. In arcu enim chorda licet flexibilis, ligni rigorem flectit, et incurvat, ita in examine divino, rigorem justitiæ lenitas temperavit misericordiæ. *Universæ* enim *viæ Domini, misericordia et veritas* (*Psal.* XXIV). Et in judicio, misericordia et veritas obviabunt sibi, justitia et pax deosculabuntur (*Psal.* LXXXIV). Unde et calici pleno mistura comparatur, cum dicitur: *Calix in manus Domini vini meri plenus misto* (*Psal.* LXXIV). Ibi enim est justitia puniens, et misericordia compatiens. Ut igitur, fratres, fugiamus a facie arcus, impleamus quod jubet, caveamus quod prohibet, suscipiamus sacramenta quæ instituit, imitemur operum exempla quæ proposuit. Eamus et ostendamus nos sacerdoti, conscientias nostras effundamus coram Christi vicario, vulnerum nostrorum medicinam ab eo postulantes. Ipse est enim medicus de quo in Jeremia: *Nunquid resina non est in Galaad, aut medicus non est ibi?* (*Jerem.* VIII.) Iste est sapiens de quo dicitur: *Furor illi secundum similitu-*

A *dinem serpentis, sicut aspidis surdæ et obturantis aures suas. Quæ non exaudiet vocem incantantium*, et medicamenti medicati a Sapiente (*Psal.* LVII). Hic si voluerit nobiscum contendere in privato judicio, et tunicam tollere, dimittamus ei et pallium, id est non tantum interiora peccata, sed etiam exteriora quæ corporis ministerio geruntur, diligenter exponamus; si videlicet vana videndo, vel audiendo ludicra, si in olfactu aromatum, vel in gustu saporum, vel in alienæ cuticulæ contactu excesserimus, species confiteamur, et offeramus munus quod præcepit Moyses offerri. Præcepit equidem Moyses neminem pro suspicione lepræ absque sacerdotis examine, excludi a castris, prohibuit etiam quempiam, licet mundum, intra castra recipi, nisi sacerdoti se præ-
B sentaret (*Lev.* XIII). Instituit etiam, ut quem mundabat et mundum judicabat sacerdos, offerre ovem anniculam, duos agnos immaculatos, tres decimas similæ, et sextarium olei (*Lev.* XIV). Offeramus ergo perfectam obedientiam sacerdoti, id est injungenti nobis condignam satisfactionem, obtemperemus, ne simus quasi vitula quæ lascivit, et jugum rejicit, sed tanquam vitula docta diligere trituram; offeramus et duos agnos immaculatos, id est jejunium et eleemosynam, ita ut nec eleemosynam vana gloria polluat, nec jejunium voluntas cumulandi pecuniam corrumpat. Docet enim ut, qui eleemosynam erogat, incautum esse levi famæ pretio, thesaurum bonæ conscientiæ venditare. Decet etiam ut
C jejunans cogitet quia fructuosæ non sunt angustiæ nostræ, nisi alteri præstiterimus latitudinem. Offeramus etiam tres decimas similæ, id est fidem Trinitatis, cujus subtilitas incomprehensibilis. Offeramus denique sextarium olei, id est sex opera misericordiæ, proximis impendamus, quæ Dominus in Evangelio Matthæi (*cap.* VI) insinuat, et Isaias (*cap.* LVIII) ex parte, dicens: *Hoc est jejunium quod elegi, dicit Dominus, solve colligationes impietatis, solve fasciculos deprimentes, dimitte eos qui confracti sunt liberos, et onus eorum disrumpe. Frange esurienti panem tuum, et egenos vagosque induc in domum tuam; si videris nudum, operi eum, et carnem tuam ne despexeris. Tunc erumpet quasi mane lumen tuum, et sanitas tua citius orietur.* Ecce salubre consilium!
D qui enim hæc fecerit, in die ventilationis extremæ a dextris positus audiet: *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum*, etc. (*Matth.* XXV.)

Quod nobis præstare dignetur Jesus Christus Dominus noster, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum, Amen.

125 SERMO IV.

DE PASCHA, AD MAGISTROS CLERICORUM.

Accelera, tria sata similæ commisce, et fac panem subcinericium (*Gen.* XVIII).

Ista sunt verba Abrahæ ad Saram. Abraham autem hospitans in convalle Mambre, tres viros vidit, et unum adoravit, quibus supplicans, obtinuit, ut ad eum de nocte diverterent, et cibum sume-

rent : unde tabernaculum ingressus, Saræ præcipiens ait : *Accelera*, etc.

Fratres mei, profundum credimus sub his velari mysterium. Quod liquido constabit, si *mel de petra, et oleum de saxo durissimo* (*Deut.* XXXII), id est spiritalem intellectum ex sensu eliciamus historico. Quæramus ergo solem sub nube, medullam sub cortice, spiritum vivificantem sub littera occidente. Sint ergo verba hæc Patris ad Filium, quibus et nominum mutatio, et ætatum assignatio satis congruit; Abraham enim primo dictus Abram, id est pater excelsus, ante mundi creationem, unde idem ad Filium : *Tecum principium in die virtutis tuæ* (*Psal.* CIX), etc. Et de eo Filius : *Dominus dixit ad me : Filius meus es tu, ego hodie genui te* (*Psal.* II). Id est ab æterno genui te, circa vero mundi cursilis originem factus est pater multarum gentium.

Unde clamat Ecclesia : *Abba pater* (*Rom.* VIII). In unam Christi Ecclesiam convenerunt Judæus et gentilis. Clamat ergo Judæus, *Abba;* gentilis, *Pater.*

Sara autem primo Sarai dicta est, quasi *princeps mea*, deinde Sara, quasi princeps absolute et generaliter. Fuit ergo prius Sarai; de eo enim Judaicus populus dicere poterat Christo, Tu princeps meus, unde Psalmista : *Notus in Judæa Deus, et in Israel magnum nomen ejus* (*Psal.* LXXV). Modo est Sara, quia princeps plurium. Adorant enim eum omnes reges, omnes gentes serviunt ei. Et de eodem dictum : *Excelsus super omnes gentes Dominus, et super cœlos gloria ejus* (*Psal.* CXII). Ipse autem non tantum est princeps, sed principium, unde in Evangelio : *Ego principium qui et loquor vobis* (*Joan.* VIII). Ipse est principium de principio, ipse est alpha et omega, id est principium et finis. Item circa nativitatem Isaac, Abraham centenarius, Sara nonagenaria erat, juxta illud : Putas *centenario nascetur filius? et mulier nonagenaria pariet?* (*Gen.* XVII.) Centenarius autem numerus quadratus est, a læva transit in dexteram, denario ternarium multiplicante procreatur; nonagenarius autem non ad tantam evadit perfectionem, in quibus notatur, quod penes patrem sit auctoritas principii in filium. Sint ergo verba Patris ad Filium : *Accelera*, *tria sata commisce*, etc. Filius autem Patri obediens tereverentia acceleravit. Ipse enim est de quo dictum est : *Exsultavit ut gigas ad currendam viam* (*Psal.* XVIII). Et alibi : *Qui emittit eloquium suum terræ, velociter currit sermo ejus* (*Psal.* CXLVII). Vere velociter, brevi enim temporis spatio, fere in triennio, universis innotuit ejus saluberrima prædicatio.

Tria sata commiscuit, id est Trinitatem personarum ineffabilem, prædicando fidelium mentibus inseruit, quæque bene in satis similæ, id est farinæ delicatissimæ figuratur. Ista autem Trinitas est, ad quam si homo accedat, magis et magis exaltatur; ista est Trinitas quæ ascendit super Cherubim, ista est Trinitas quæ volavit super pennas vento-

A rum; ista acumina subtilium transcendit ingeniorum; ipsa est, in qua est unitas sine singularitate, distinctio sine diversitate. Inde factus est panis subcinericius, id est doctrina, quæ aliunde translatis verbis palliatur; cineres enim quodammodo ex lignis transferuntur; ita a creaturis verba ad creatricem et ineffabilem Trinitatem transferimus, vocantes Patrem, paradisum; Filium, fontem de paradiso; Spiritum sanctum, voluptatem. Juxta illud : *Fons egrediebatur de paradiso voluptatis* (*Gen.* II). Filium etiam quandoque dexteram, quandoque brachium, quandoque manum nominat **126** Scriptura, juxta illud : *Dextera Domini fecit virtutem* (*Psal.* XVII), etc. Et alibi : *Emitte manum tuam de alto* (*Psal.* CXLIII), etc. Et : *In manu*

B *potenti, et brachio excelso* (*Psal.* CXXXV). Cum autem dicitur : *Si in digito Dei dæmonia ejicio, filii vestri in quo ejiciunt* (*Luc.* XI)? nomine digiti, Spiritum sanctum intelligimus. Hoc pane reficiuntur tres viri, id est fideles de omnibus mundi partibus ad fidem convocati, vel homines ex tribus Noe filiis ubique terrarum disseminati.

Eadem possunt esse verba Patris ad Christianum, non ad quemlibet, sed ad ministrum altaris, cui pastoralis cura commissa est. Iste enim primo Sarai fuit, id est unius princeps, dum ab alio regeretur; idem factus est Sara, seu princeps plurium, quando eum pastorem fragili Christus præfecit ovili. Huic ergo dicitur : *Accelera*, quasi, memento

C quoniam redditurus es rationem villicationis tuæ, cave ne servus inutilis inveniaris (*Matth.* XXV), cave ne sis canis mutus non valens latrare (*Isa.* LVI). *Tria sata similæ commisce*, id est triplicem operationem, satisfactionis et vindictæ, scilicet orationem, jejunium et eleemosynam. Orationem, hæc enim est sacrificium vespertinum, hæc est thymiama boni odoris, quod in ara cordis accendi debet (*Exod.* XXV); hæc est *virgula fumi*, quæ ascendit *ex aromatibus myrrhæ et thuris, et universi pulveris pigmentarii* (*Cant.* III); jejunium debet injungere prælatus, valet enim ad reprimendam lasciviam carnis nostræ, hæc jumentum indomitum est, cujus nisi petulantia refrenetur, in perniciem nos trahit et mortem. Injungantur ergo spiritualia

D jejunia, sint quædam generalia, ad quæ omnes teneantur. Sicut enim Patres Veteris Testamenti decimas et primitias fructuum offerre Domino tenebantur, sic et moderni, dierum non solum decimas, sed et primitias solvere tenentur. Quod fit in jejuniis quatuor Temporum, in Quadragesimali tempore; in jejuniis enim quatuor Temporum, primitias solvimus, in Quadragesima vero, decimas et primitias, habet enim solaris annus 365 dies; dum ergo jejunamus triginta et sex diebus, decimas solvimus. Supersunt quinque dies, et quia melius est supererogare quam deficere, diem unum quasi eleemosynam solvimus. Intercedant tres dies qui ad jejunium quatuor temporum pertinent, et sic completur quadragenarius dierum. Sed quia inutile

est jejunium nisi quod eleemosyna commendat, injungenda est eleemosyna. Est enim jejunium ambitionis, et est jejunium superstitionis, et jejunium religionis. Jejunium ambitionis est et avaritiæ, quando aliquis carnem macerat, ut loculos impleat; sed tale jejunium non novit anima mea, dicit Dominus; jejunium superstitionis est, jejunium hypocrisis, quæ faciem demolitur et extenuat ut videatur ab hominibus jejunans. Jejunium religionis est, quod comitatur eleemosyna, quam tibi primo, secundo proximo teneris erogare.

Ex his fit panis subcinericius, id est pœnitentia; cinis enim et cilicium arma sunt pœnitentium. Hoc pane reficiuntur tres viri quos vidit Ezechiel (*Cap.* XIV) salvandos, Job, Daniel et Noe. In Job, B conjugatos intelligimus; in Daniele continente continentes; in Noe qui tempore cataclysmi arcæ regimen suscepit, rectores; vel tres mortui de quibus in Evangelio, scilicet filia archisynagogi, quæ mortua est in domo (*Marc.* VII); filius viduæ qui extra portam ferebatur (*Luc.* VII); Lazarus quatriduanus et fetens (*Joan.* XI). Indiget enim pœnitentia et ille qui prave cogitavit, et qui male operando cecidit, et qui peccato consuetudinis irretitus, quasi jumentum in stercore suo computruit (*Joel.* I). Sciat eadem sibi dicta Magister, non quilibet, sed cui revelata sunt secreta cœlestia, cui datum est nosse mysterium regni cœlestis (*Matth.* XIII). Iste fuit Sarai, quasi princeps unius, dum sub alio studebat; idem factus est Sara, id est princeps C plurium, quando cathedraticum suscepit honorem. Isti, *Accelera* dicit Ecclesia, id est volumina sacræ Scripturæ sæpe revolve. Auditorum utilitati invigila, ne sis aleator, gyra gregem tuum, et pigros excita. *Tria sata similæ commisce*, id est triplicem expositionem in lectione; quarum prima sit historica, secunda tropologica, tertia allegorica. Prima **127** fundamentum, secunda paries, tertia culmen his duabus appositum. Prima planior, secunda suavior, tertia acutior : prima incipit, secunda provehit, tertia consummat et perficit, inde fit panis subcinericius, id est lectio theologica, quæ non flosculos verborum desiderat, nec dictionum phaleras, sed humiles sententias. Hoc pane reficiuntur tres viri, scilicet, majores, mediocres et minores; D minoribus proponitur lac historiæ; mediocribus mel tropologiæ, majoribus solidus panis allegoriæ. Isti sunt tres panes quos accommodare debet amicus amico. Hoc est iter trium dierum quod aggredi debemus, ut tandem Domino in deserto sacrificemus. Sed dicet aliquis : graves operum angarias nobis imponis, sed quis erit fructus hujus laboris? Audi : In vita præsenti hæc erit utilitas, quod poterit dicere : *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo; a mandatis tuis intellexi, propterea odivi omnem viam iniquitatis* (*Psal.* CXVIII). Et ita celebrabis Pascha Domino, id est transitum de morte ad vitam, de tenebris ad lucem, de labore ad requiem, de vitiis ad virtutem; pascha enim

A dicitur quasi phasea, id est phase, quod est *transitus*. Sed iterum objiciet quis : A quibus, quomodo et quando celebrandum est pascha? Ab existentibus in Ægypto, id est ecclesia militante, cujus typum gerebat Ægyptus, quando populus Domini permistus erat Ægyptiis, sic in ecclesia, rosis urticæ, loliis lilia, id est bonis mali permisti sunt. Vis scire quomodo et quando? istud tibi explanatur cum dicitur : *Quarta decima die ad vesperum* (*Lev.* XXIII). In eo enim quod dicitur, quarta decima, modus sive forma transeundi tibi præfigitur, scilicet in observatione veteris et novæ legis. Denarius enim ad Vetus refertur Testamentum, propter Decalogum, quaternarius vero ad Novum, propter evangelium. In eo vero quod dicitur, *Ad vesperum*, tempus determinatur, id est sexta ætas, in qua verus sol suum cognovit occasum, et post triduum resurrexit, suum non differens ortum. Unde : *Qui ascendit super occasum, Dominus nomen illi* (*Psal.* LXVII). In futuro, tanta erit utilitas, ut merearis audire : *Euge, serve bone*, etc. (*Matth.* XXV.) Non dicetur, Intra ad gaudium, sed, *Intra in gaudium* (*ibid.*). Scuto vero *circumdabit nos veritas ejus*, etc. (*Psal.* XC). *Læva ejus erit sub capite* nostro, *et dextera ejus amplexabitur* nos (*Cant.* II). Tunc hymnum cantabimus Domino, tunc votum reddemus in Jerusalem; tunc solemnitatem celebrabimus in quinta decima die, scilicet in plenilunio : tunc plenus et consummatus erit electorum numerus; tunc plene illuminabitur a sole luna, scilicet triumphans Ecclesia, quæ tunc utrumque habebit sabbatismum; quæ modo unica et singulari contenta est stola, tunc recipiet et secundam.

Septuagesima enim quæ in Sabbato in albis terminatur, vitæ præsentis typum gerit, et figuram; vita namque præsens quæ a mundi creatione usque ad diem extremæ discussionis protenditur, septem dierum repetitione agitur, et in septem ætates distinguitur. Hinc Ecclesia, unicum canit alleluia circa finem Septuagesimæ, id est in vigilia Paschæ, et in diebus paschalibus; in fine vero, id est Sabbato in albis duplicat, ad figurandum, quod qui modo gaudent altera stola, utraque recepta triumphabunt. Vere triumphabunt; recipient enim diadema regni cœlestis, præfecti vero non tantum auream, sed etiam aureolam. Quod nobis præstare dignetur, Pater et Filius, et Spiritus sanctus, qui vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO V.

DE CUSTODIA ECCLESIÆ AD SACERDOTES IN SYNODO.

Vinea fuit pacifico meo, quæ habet populos et tradidit eam custodibus (*Cant.* VIII).

Fratres mei, quoties magnos magna de pacifico dixisse recolo non præsumptuosus quidem, sed meticulosus ad loquendum de eo labia mea aperior. Tamen aliquid vigoris et solatii inde mendico, quoniam *libenter suffertis insipientes, cum sitis vos ipsi sapientes* (*II Cor.* XI). Scriptum **128** etiam memini,

et meminisse juvat : *Montes et colles cantabunt coram Deo laudes, et omnia ligna silvarum plaudent manibus* (*Isai.* LV). Ecce, ab ista generali lætitia, non cedri Libani, nec virgulta deserti excluduntur! Ego igitur humile virgultum, vilis saliuncula, de tenuitate substantiæ meæ, pauca vobis exponere propono, breviter quidem expediens quid sit iste pacificus, quid ejus vinea dicatur, et quare; quibus custodibus tradiderit eam, et quales esse debeant.

Iste pacificus, est Verbum Patris, de corde Patris æternaliter eructatum, qui vere pacificus est; ipse enim de se ipso in Evangelio ait : *Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis* (*Joan.* XIV). Ipse est qui imis suprema conciliat. Ipse est qui duos parietes ex diverso venientes in se angulari lapide compaginat; ipse est *pax quæ exsuperat omnem sensum* (*Phil.* IV). Hæc autem vinea est Ecclesia, quæ ab ipso plantata in cornu, in loco uberi, hanc propria carne pastinavit, proprio sanguine irroravit, et spirituali vomere circumfodit. Hæc est vinea, cujus quotidie fructus colligitur, et nunquam tamen terminatur. Quid plura? Hæc est vinea Domini Sabaoth, id est exercituum, non hominum tantum, sed angelorum. Sed dicet aliquis, nimis est aliena hæc translatio.

Expressa tamen est ecclesiæ cum vinea similitudo; habuit enim hæc radicem in angelis, truncum in patriarchis, vitem in prophetis, palmitem in apostolis, fructum in excussorum, id est in apostolorum filiis. Hæc eadem radicem habet in charitate, truncum in devotione, vitem in proximi dilectione, palmites in cleri veneratione, fructum vero percipit in beatitudine. Ecce radix ecclesiæ charitas, de qua dicitur : *Egredietur virga de radice Jesse* (*Isai.* XI), id est devotio ex charitate, quæ bene radix Jesse dicitur; Jesse enim interpretatur *incendium* : charitas autem ignis est, de quo Veritas in Evangelio : *Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut ardeat?* (*Luc.* XII.) Et alibi : *Vivit Dominus, cujus ignis est in Sion, et caminus in Jerusalem* (*Isai.* XXXI). Notandum autem, quod hæc radix non interiora terræ penetrat, sed ad cœlestia se erigit, sicut et fundamentum Ecclesiæ non cæteris partibus inferioribus substernitur, sed super omnia exaltatum sublimatur. Sic autem credimus satis mature satisque circumspecte, fieri in ea ecclesia quæ habet populos, et non in ea quæ habet gentes. Gentes enim proprie dicuntur, quæ tales se exhibent, quales geniti, non circumcisionis charactere vel baptismi, ab aliis distincti; populus vero est aggregatio hominum qui in unum convenere locum ad vivendum sub jure. Ecce, ut diximus, pacificus noster quomodo in vineæ hujus cultura laboraverit, ejus enim propagines de Egypto in terram promissionis transtulit, demum cum maximo labore, trunco olivæ surculum oleastri inseruit, inde fidelibus eam tradi custodibus judicavit. Circuit enim eam aper de silva, ut extermi-

A net, circuit singularis ferus ut depascat (*Psal.* LXXIX), *circuit et leo quærens quem devoret* (*I Petr.* V). Unde, et si non vites fructiferas, exteriores tamen incorporat labruscas. Vulpes etiam demoliuntur vineam istam, scilicet hæretici, per Samsonis vulpeculas præfigurati. Habet enim historia Judicum Samsonem Philisthæos persequentem (*Judic.* XV), in eorum segetes direxisse vulpeculas, quarum capita divisa, caudæ vero connexæ et alligatæ facibus ardentibus, ut ita segetes incenderentur. Cujus rei figuram breviter expedire, expediens judico. Permittit Dominus propter peccata populi, multoties hæreticos regnare, et Ecclesiæ messem falsorum dogmatum faculis incendere : qui hæretici bene in vulpibus designantur, quarum capita diversa et B caudæ connexæ sunt, licet enim diversa doceant, tamen in errore conveniunt. Necessarii ergo sunt custodes; sed qui, et quales esse debent? Isti sunt ministri altaris, de quibus Sponsa in Canticis : *Invenerunt me custodes civitatis* (*Cant.* V); et alibi de iisdem Sponsus : *Super muros tuos, Jerusalem, constitui custodes* (*Isai.* LXII). Isti sunt de quibus dicitur : *Canite tuba in Sion, vocate gentes, annuntiate populis, quia Dominus noster veniet*, etc. (*Joel.* II). De quorum qualitate certificamur in Evangelio, cum dicitur : *Quis putas est fidelis servus et prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, ut det illis cibum in tempore* (*Luc.* XII). Ecce, breviter insinuatur, quoniam minister altaris fidelis **129** debet esse et prudens; cœlestis alimoC niæ largitor tempore opportuno. Sed dicet minister altaris : Fidelis sum, articulos enim fidei memoriter teneo, et crucis Dominicæ fidei signaculo contra varios impetus diaboli me muniens insignio.

Sed hoc non sufficit, nam si minister altaris se polluat luxuria, cibo ingurgitet, vino inebriet, si sit susurro in populo, si aleator, si fœnerator exstiterit, talem fidelem non esse, denuntio. Vereor, ne quando ad altare accedit, mereatur audire : *Inveterate dierum malorum*, quid tibi prodest vestis dealbata, cum mens interius sit fuliginata? quid tibi prodest ampla corona, cum manus adversus proximum sit coarctata? Vade retro, neomenias et Sabbata non curat anima mea, non accipio de D domo tua vitulos, nec de gregibus tuis hircos (*Psal.* XLIX). Ecce perplexus est iste verus Leviathan. Itaque, talis a ministerio manum cohibeat, vel se emendet, nisi grave sibi judicium provocare velit. Non tantum debet esse fidelis, sed etiam prudens tenetur esse dispensator; et vere prudens, ut non promiscue auditoribus quælibet proponat, sed spiritualibus spiritualia prædicet, minoribus et neophytis minora. Sic sol per diem, luna per noctem, *dies diei eructat verbum, et nox nocti indicat scientiam* (*Psal.* XVIII). Ab Apostolo scilicet præfixam in prædicando sequatur regulam, et dicat : *Sapientiam loquimur inter perfectos, sed nihil judicavi me scire inter vos, nisi Jesum Christum crucifixum* (*I Cor.* II). Ecce memoriter retinebat,

quoniam in tabernaculo Domini erant phialæ et cyathi super mensam propositionis; ut in cyathis prædicatio de divinis, in phialis vero, de his quæ ad humanitatem pertinent prædicatio figuretur; si quis ergo vult esse prudens œconomus, in memoriam reducat, quoniam vidit Jacob scalam, et angelos ascendentes et descendentes (*Gen.* xxviii), opportunitatem etiam temporis consideret. Si enim auditores habeat ad oblatrandum promptulos, ad acquiescendum desides, et pigros, apud se judicet, quoniam margaritæ verbi divini canibus exponi non debent. Si mentes audientium non steriles, sed ad recipiendum semen habiles percipiat, prædicet, et rore cœlesti fertiles areolas irrigare non differat. Ad qualitatem etiam custodis hæc pertinere credimus, ut non eum avaritia, non vana gloria, non incauta garrulitas ad prædicandum impellat; non turpibus lucris inhiet, non judicet scire suum nihil esse, nisi eum hoc scire sciat alter, non reputet pulchrum digito monstrari et dicier, Hic est: Non torrente verbositatis auditoribus fastidium generet. Memoriter teneat quod

Semel emissum volat irrevocabile verbum.

Attente super gregem sibi commissum vigilet, ut cum alii centum, ipse ducenta talenta recipiat, ut portans manipulos suos cum exsultatione veniat, ut non tantum aurea, sed etiam aureola coronatus triumphare valeat. Quod ei præstare dignetur, qui vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO VI.

DE SOLUTIONE PECCATORUM POST CONFESSIONEM.

Solvite eum et sinite abire (*Joan.* xi).

Semel locutus est Dominus, et duo audita sunt. Ista enim sunt verba Veritatis ad apostolos de solutione Lazari, quem precibus Marthæ et Mariæ sororum, Dominus quatriduanum licet et fetentem, suscitaverat, sed quia ligatus erat institis, abire non poterat. Possunt hæc eadem verba esse Mediatoris ad ministros Ecclesiæ, in cujus verbis nihil est absonum, nihil otiosum, sed omnia plena mysteriis, et fructuosa. Loquitur ad ministros, non ad quoslibet, sed ad illos qui in summo statu sunt constituti, scilicet gradu apostolorum. Licet enim aliquis in sacerdotium sublimatus stet, non ibi manere decernat, sed progrediatur de virtute in virtutem, donec videat Deum deorum in Sion (*Psal.* lxxxiii). Vigilantibus enim, non dormientibus promittitur regnum, etc.

Isti duplici de causa dici possunt ministri, tum quia summo pontifici ministrant, de quo dictum est: *Tu es sacerdos in æternum* **130** *secundum ordinem Melchisedech* (*Psal.* cix). Et alibi: *Ecce sacerdos magnus* (13), etc. Et iterum: *Christus assistens pontifex futurorum bonorum*, etc. (*Hebr.* ix.) Tum quia a minoribus eis ministratur, scilicet a diaconibus et subdiaconibus, et aliis. Quatriduanus iste, gravibus irretitum peccatis, et morte quadrifaria peremptum significat. Primus sepulturæ dies, peccatum cogitationis intelligitur; secundus, peccatum pravæ locutionis; tertius, prava operatio; quartus, peccandi consuetudo. Tales suscitat Dominus, quando remissionem peccatorum tribuens, rorem spiritualis gratiæ infundit. Hoc facit interventu activorum et contemplativorum, et quia difficile est consueta relinquere, legitur Dominum lacrymasse, et infremuisse, et clamasse: *Lazare, veni foras* (*Joan.* xi). Non enim de facili solvitur, qui vinculis peccatorum suorum firmiter constringitur; firmius autem constringitur qui per obstinationem, et pravam consuetudinem, quam qui per ignorantiam vel subreptionem aliquam peccat.

Sed quia non sufficit suscitatio interior, si contemnatur confessio, et non sequatur solutio exterior, dicitur ministris: *Solvite.* Nam licet peccator a Deo interius sit resuscitatus per propositum resiliendi a peccato, indiget adhuc sacerdotali absolutione ut absolvatur non solum a pœna, verum etiam, ordinarie a culpa, nec non et a sententia, quando per anathema extra Ecclesiam relegatus est, ut intra sinum Ecclesiæ recipiatur et fidelibus communicare possit. Sed quia finis, non pugna coronat, subditur: *Sinite abire*, id est pro perseverantia talium intervenire. Quod nobis præstare dignetur qui vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO VII.

IN ADVENTU DOMINI.

Rorate, cœli desuper, etc. (*Isa.* xlv.)

Ut sancti Patres testantur, triplicem cœlestis regis adventum sacra Scriptura nobis eloquitur. Primus adventus est in charitate, quando nos Christus visitat de gratia. Secundus fuit in carne, quando visitavit de misericordia. Tertius erit in charitate, quando mundum judicabit in gloria. Primus est pietatis, secundus fuit humilitatis, tertius erit majestatis. Primus ut homo se judicet, secundus fuit ut Deus judicaretur ab homine; tertius erit, ut Deus hominem judicet. De primo dicitur: *Ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus* (*Joan.* xiv). De secundo dicitur: *Rorate, cœli, desuper*, etc. De tertio sequitur, veniet Dominus ad judicium *cum senatoribus terræ* (*Prov.* xxxi). Cum hoc nomen, cœlum, in sacra pagina variis significationibus sigilletur, hoc loco, in signo trium Personarum tenetur. Tres enim personæ comparabiles sunt cœlo empyreo; sicut enim cœlum empyreum unam retinet ignis proprietatem, non peremptoriam, sed mulcentem, illuminativam, non combustivam, sic tres Personæ divinæ, fideli irradiantes per gratiam, mulcent eum per internæ inspirationis solatium, non per supplicium. Comparabiles etiam sunt cœlo sidereo; sicut enim in cœlo

(13) *Offic. Eccl.*

sidereo varia sidera irradiant, sic in tribus personis velut in cœlo sidereo, multiplices stellæ sapientiæ et scientiæ fulgent. Comparabiles etiam sunt cœlo aerio; sicut enim a cœlo aerio pruinæ et nives, et pluviæ et grandines, ros et auræ mulcebres, fulgura et coruscationes, rerum variarum plenitudines; sic a tribus Personis velut a cœlis aeriis, descendunt nix et pruina sola Dei permissione; grando et pluvia, coruscatio et fulgura sola Dei auctoritate; ros et mulcebris aura, sola Dei miseratione; rerum omnium sufficientia, sola Dei bonitate. Sempiternitas etiam temporis quæ a mundo cœpit, et in perpetuum durabit cujusdam magni anni similitudinem gerit. Tunc hiems fuit, a mundi initio usque ad tempus datæ legis, in qua hominum **131** corda variis vitiis fuerunt constricta, et velut pruinis ac nivibus congelata; in qua aquilo flavit, quia diabolus aquas, seu populos per aquas intellectos, gelicidio infidelitatis ligavit; tempore vero legis, velut in vere, descendit grando, comminatione pœnarum, emanavit pluvia, cum promissione præmiorum. In vere, auster flavit, ventus calidus et humidus, quia tempore legis calor cum humore fuit, quando dilectio cum amore fluxibilium, id est terrenorum hominum cordibus adhæsit.

Tempore vero gratiæ, velut in æstate, ros cœlestis gratiæ nobis distillavit, mulcebris aura apostolicæ prædicationis insonuit, imo adhuc fulgura coruscationum et comminationum emicant, et præfulgurant. In hac perflat favonius, cum gratia Spiritus sancti, velut hortum variis floribus consitum, Ecclesiam variis virtutibus insignitam. In vita vero æterna velut in autumno, erit rerum omnium sufficientia quando erit beatitudo perfecta, Christusque erit in omnibus omnia (*I Cor.* xv). In prædicta autem æstate, triplex ros nobis infunditur, de quo in sacra pagina legitur. Est ros communis, qui mane in terram descendit: est ros apparens in superficie agri, qui mellis dulcedinem gerit; est ros cœlestis, scilicet manna, qui Judæos in deserto pavit. Per primum rorem qui mane in terram descendit, primitiva gratia intelligitur, quæ post vitiorum tenebras in matutino fidei ad nos venerat, de quo dicitur: *Sicut ros Hermon qui descendit in montem Sion* (*Psal.* cxxxii). Ros enim gratiæ primum in montem Sion, id est in Judæos descendit, consequenter ad gentiles venit. Per secundum rorem qui gerit similitudinem mellis, divinorum contemplatio intelligitur, in qua dulcedo dilectionis homini datur, cum homo ad cœlestia rapitur. De quo rore legitur: *Montes Gelboe, nec ros nec pluvia*, etc. (*II Reg.* i). Obstinati enim peccatores montibus propter superbiam comparabiles, nec recipiunt pluviam internæ inspirationis, nec rorem divinæ contemplationis.

Per rorem cœlestem qui Judæos pavit in deserti via, significatur Eucharistia, qua in deserto hujus vitæ peregrinans anima pascitur. Primus ros rigat, A secundus delectat, tertius satiat. Primus morbum purgat, secundus sanitatem donat, tertius datam conservat. Primus ad sanitatem faciens, secundus efficiens, tertius perficiens. Patres igitur Veteris Testamenti, secundum Christi præstolantes adventum hunc rorem cœlicum postulantes dixerunt: *Rorate, cœli desuper*, etc. Ac si dicant, huc usque rorastis deorsum, dando nobis rorem terrenum, huc usque dedistis nobis temporalia, promisistis terrena, suspendistis æterna, sed nunc, *rorate, cœli desuper*, dando nobis illum cibum qui panis est angelorum in cœlo, manna peregrinantibus in hujus vitæ deserto, liquidus cibus ægroto, sed solidus sano. Et sic nubes pluant justum. Triplex est nubes; est nubes misericordiæ Dei, est nubes Spiritus B sancti, est nubes corporis Christi. Nubes fieri solet, quando sol aquas attrahit sursum ad sui caloris temperamentum.

Patres Veteris Testamenti multas fuderunt aquas lacrymarum et preces, ut Filius Dei veniret in mundum. Ex his aquis, sol justitiæ quasdam guttulas attrahit ad se, dum illorum multiplici motus prece, nobis dedit refrigerium misericordiæ ad temperandum ardorem suæ justitiæ. Si enim ex justitia nobiscum ageret, non Filium ad nos mitteret, sed juste nos damnaret. Interposuit ergo misericordiæ suæ nubem, ad temperandum suæ justitiæ ardorem. Nubes est obumbratio Spiritus sancti qua beatæ Virgini dedit refrigerium contra vitii C incentivum: dedit eidem obumbrationem ad sustinendum divinæ majestatis ardorem. Nubes est etiam corpus Christi, qua nobis dat refrigeria contra vitiorum incendia, et corda fidelium compluit. De prima nube dicitur: *In visione Dei vidi, et ecce nubes magna, et ignis involvens* (*Ezech.* i). De secunda dictum est: *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi* (*Luc.* i). De tertia dicitur: *Ascendet Dominus super nubem levem, et ingredietur Ægyptum* (*Isai.* xix). Prima temperat, secunda miraculis fulgurat, tertia sanctitate coruscat. Prima ponitur inter nos et divinæ justitiæ ardorem; secunda inter nos et tentationis fervorem; tertia inter nos et vitiorum calorem. His tribus nubibus dum intus compluimur, D aperitur terra, et germinatur Salvator (*Isai.* xlv). Triplex est etiam terra, prima est terra viventium, scilicet vita æterna, de qua legitur: *Non sic* **132** *impii, non sic, sed tanquam pulvis quem projicit ventus a facie terræ* (*Psal.* i). Secunda terra, est sacra Scriptura, de qua legitur, primo parenti dictum: *Terra spinas et tribulos germinabit tibi* (*Gen.* iii). Quia sacra Scriptura indignis non parit fructum delectationis, sed spinas et tribulos erroris. Tertia terra, est virgo Maria, de qua legitur: *Veritas de terra orta est*, etc. (*Psal.* xlviii). Prima terra est, ad quam viandum; secunda, per quam viandum; tertia, juxta quam viandum. Prima, supercœlestis; secunda cœlestis; tertia, subcœlestis; prima autem tripliciter aperta est in Christi nativitate, per Filii

Dei exinanitionem, per Christi cognitionem, per ejusdem prædicationem; secunda autem tripliciter, per promissi adimpletionem, per obscurorum expositionem, per figurarum revelationem. Sed tertia terra, id est virgo Maria, quomodo aperta? Certe, tripliciter clausa et tripliciter aperta: clausa sigillo castitatis, circumspectione mentis, castigatione carnis; tripliciter autem aperta, charitatis dilectione, carnis separatione, quæ facta sola est Spiritus sancti operatione, et quasi fide, quando iis credidit quæ angelus ei prædixit. Sic aperta separatione carnis ut non amiserit sigillum virginitatis; sic aperta dilatatione charitatis, ut non perdiderit circumspectionem mentis; sic aperta fide, ut non amiserit castigationem carnis. Atque sic germinavit Salvatorem. Videndum nunc, quæ sit terra, quis sator, quod semen, quod germen.

Terra est virgo Maria, terra inarabilis, terra promissionis, terra melle manans et lacte: hæc est terra, quæ non ut nostra infirmitas, rastris et ligonibus concupiscentiarum vexata, fructum fecit, non fluctibus luxuriæ perfusa germinavit, sed solo Spiritus sancti rore Filium edidit. Semen vero fuit Virginis caro, opere Spiritus sancti a reliqua carne separata, et in corpus Christi formata. Si tamen semen censeri debeat quod non per luxuriæ pruritum, sed per Spiritus sancti refrigerium est separatum. Germen fuit corpus Christi quod ex prædicta carne processit; et ita germinavit Salvatorem, id est Christum, in quo est triplex salus, sicut etiam in corporalibus triplex est salus, in morbi depulsione, in sanitatis collatione, et in sanitatis conservatione. Prima salus homini est ferrum, primus Christi adventus factus fuit in peccati remissionem, secundus fit in justitiæ collationem, tertius in ejusdem conservationem. Nos, fratres charissimi, habentes adventum Christi per carnem, postulemus adventum per charitatem, dicentes: *Rorate, cœli desuper*, etc., ut terram mentis nostræ cœli compluant divino rore.

Terra tripliciter solet esse sterilis et infecunda, quando rastris et ligonibus non corrigitur, vel nimia ariditate damnatur, vel nimia inundatione submergitur; sic terra mentis nostræ sterilis fit et infecunda, quando jejuniis, orationibus et vigiliis non corrigimus ariditatem cupiditatis, aut rivulis charitatis non temperamus, vel rivulos concupiscentiæ per continentiam non refrenamus; ut sic cœli dignentur desuper rorare, id est terræ mentis nostræ rorem cœlestis gratiæ infundere: et sic nubes pluant justum, superius nubes suspendendo, id est fletus nostros ad cœlos dirigendo, ut lacrymæ nostræ sint nubes contra ardorem divinæ justitiæ, ut in nos cœli non fulminent per justitiam, sed nos irrigent per misericordiam; ut sic fletibus nostris velut nubibus, compluatur in nobis Christus; et sic terra aperiatur, et Salvator germinetur.

Aperiatur itaque terra mentis nostræ, oris con-

A fessione, cordis contritione, exteriori satisfactione, et sic terra nostra germinet Salvatorem. Ut sicut beata Virgo Maria Christum concepit materialiter, mens nostra illum concipiat spiritualiter; sicut illa concepit Spiritus sancti obumbratione, mens nostra concipiat interna inspiratione; et sicut illa concepit permanens integra, ita concipiat mens nostra permanens inviolata. O felix mens illius animæ, quæ meretur esse mater Christi cum B. Virgine Maria, a longe quodammodo ejus vestigia insequendo; ut nimirum, sicut Virgo Christum concepit per fidem, ita mens concipiat per fidelitatem; sicut illa in carne, ita ista in charitate. Quod nobis præstare dignetur ipse Jesus Christus, qui vivit, etc.
B Amen

133 SERMO VIII.

IN DIE SANCTO PENTECOSTES.

Dum complerentur dies Pentecostes, etc. (*Act.* II.

Sicut tres personæ inter se distinctæ sunt, una autem communis essentia, sic tres celebrantur in anno solemnitates ad tres personas pertinentes, ut, Natalis, Paschæ et Pentecostes; una autem tribus communis, quæ dicitur solemnitas Trinitatis, quæ scilicet celebratur in octava Pentecostes; quamvis enim solemnitas Natalis dicatur Filii, tamen etiam proprie dici potest Patris, quia in ea solemnitate agitur de æterna Patris generatione. Unde dicitur: *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie*
C *genui te* (*Psal.* II).Solemnitas Paschalis proprie est Filii, in qua agitur de Filii resurrectione. Solemnitas Pentecostes est Spiritus sancti proprie; solemnitas autem quæ fit in octavis, totius Trinitatis. Nec vacat a ratione mysterii, quod *dum complerentur dies Pentecostes*, descendit Spiritus sanctus in discipulos; per hoc enim quod post septem septimanas Spiritus sanctus datus est apostolis significatur quod post revolutionem septem spiritualium septimanarum, menti fidelium plenarie Spiritus sanctus illabitur. Prima septimana est carentia septem criminalium vitiorum, quæ prima est in omni justificatione; secunda, septem modi remittendi peccatum, per baptismum, per pœnitentiam, per martyrium, per charitatem, per eleemosynam, per
D rancoris remissionem in proximum, per fratris conversionem ad fidem. Tertia septimana est, septem petitionum quæ exponuntur in Dominica oratione; quarta, collatio septem donorum quæ explanantur in Isaia, ubi dicitur: *Spiritus sapientiæ*, etc. (*Isa.* XI); quinta, collatio septem virtutum, fidei, spei et charitatis, et quatuor cardinalium. Sexta, collatio septem beatitudinum, quæ exprimuntur in Matthæo, ubi dicitur: *Beati pauperes*, etc. (*Matth.* V). Septima, septem gradus ascensionis de virtute in virtutem (*Psal.* LXXXIII), quæ explanantur in illo Psalmo: *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo?* etc. (*Psal.* XIV). Post omnium istarum in homine confirmationem, Spiritus sanctus plenarie possidet hominem. Nec vacat a ratione mysterii

quod per septem dies, continuatur solemnitas, septem enim dies significant septem dona Spiritus sancti, quæ plenarie apostolis tunc collata fuerunt. Et ideo dicitur : *Dum complerentur dies Pentecostes, erant omnes pariter*. Unitas localis significat trinam unitatem mentis, unitatem fidei, unitatem spei, unitatem charitatis. Hæ tres faciunt illum triplicem funiculum, de quo dicitur : *Funiculus triplex difficile rumpitur* (*Eccle.* IV). Hoc glutinum quo linita fuit arca Noe, interius et exterius. Hæ sunt tres unitates quæ faciunt in Ecclesia quasi trinitatem creatam, ut fides sit quasi Pater, a quo nascitur spes tanquam Filius, et a spe et fide, charitas, tanquam Spiritus sanctus. Qui ergo peccat in fidem, peccat in Patrem; qui in spem, peccat in Filium; qui in charitatem, in Spiritum sanctum. Qui peccat in Patrem, remittitur ei, quia multoties, qui peccat per infidelitatem, per ignorantiam peccat. Qui vero peccat in Filium, remittetur ei, id est in spem, sed non de facili; qui vero in Spiritum sanctum, id est in charitatem, non remittitur ei, quia cum majori adhuc difficultate deletur. *Cum ergo omnes essent in eodem loco, factus est repente de cœlo sonus* (*Act.* II). Per repentinum sonum qui auditus est, cum Spiritus sanctus descendit in apostolos, significatum est quod duplex sonus esset futurus in apostolis; sonus prædicationis, unde : *In omnem terram exivit sonus eorum*, etc. (*Rom.* X), sonus pœnitentiæ et confessionis; unde : *Clamavi in toto corde meo* (*Psal.* CXVIII). Et sonus jubilationis; unde : *Laudate eum in cymbalis bene sonantibus*, etc. (*Psal.* CL.) Hinc apostoli repleti Spiritu sancto prædicaverunt, alios ad pœnitentiam et confessionem invitarunt, et Dominum laudaverunt, contradicentes **134** etiam malis. *Repente autem factus est sonus*. Per hoc quod repente factus sit sonus, significatur repentinus Spiritus sancti illapsus; quia ita mentem visitat, quod nescitur unde veniat aut quo vadat, quomodo mentem peccatoris illustret, pœnitentem justificet, justificato gratiam accumulet. Sonus autem iste de cœlo factus est, non de terra. Est enim sonus de terra nascens, ex collisione solidorum corporum. Est sonus de aqua nascens, ex conflictu undarum. Est sonus descendens de cœlo ex collisione nubium. Per primum sonum intelligitur contradictio hominum ex amore terrenorum nascens; per secundum, contradictio ex carnalibus voluptatibus oriens; per tertium prædicatio ex nubibus, id est ex prædicatoribus procedens, qui nubibus sunt comparabiles, quia compluunt doctrinis, coruscant miraculis, intonant minis. Iste autem sonus factus *tanquam advenientis spiritus vehementis* (*Act.* II). Duplex est spiritus; est spiritus timoris et spiritus tumoris; spiritus soli et spiritus poli. Spiritus tumoris est diabolus, qui superbiæ tumorem spirat; spiritus timoris, est Spiritus sanctus, qui timorem et charitatem inspirat; spiritus soli, diabolus, qui ad amorem terreno-

A rum invitat, spiritus poli, Spiritus sanctus, per quem cœlestia appetimus et terrena devitamus. Spiritus sanctus aliquando nos prævenit, aliquando advenit, aliquando subvenit; prævenit per gratiæ infusionem, advenit per virtutum multiplicationem, subvenit muniendo contra tribulationem. In præveniendo est medicus, a peccato curando; in adveniendo est Dominus, servum ditando; in subveniendo patronus pugnantem muniendo. Unde et eleganter dicitur : Vehemens, quasi væ demens; aufert enim quadruplex væ, id est quadruplicem pœnam; est namque pœna probans, ut in Job; est purgans, ut in Paulo; est commaculans, ut in peccatore delictis irretito; est affligens, ut in inferno. Vel dicitur : Vehemens, quasi extra mentem ve-

B hens, quia extra mentem carnalem ad spiritualia vehit hominem. *Et replevit totam domum ubi erant sedentes* (*ibid.*). Per hoc quod sonus exterior implevit domum, significabatur, quod Spiritus sanctus intus perflabat mentis templum. Exterius, sonus aurem tangebat; interius, Spiritus sanctus mentem mulcebat. Nec vacat a mysterio, quod sedentes erant apostoli. Alii enim prostrati jacent; alii sedent, alii stant erecti. Prostrati jacent, qui tantum terrenis indulgent : sedent, qui quamvis mentem dirigant ad cœlestia, tamen aliquando mentem demittunt ad terrena. Tales erant apostoli quandiu nondum erant Spiritu sancto roborati; erecti stant, qui tantum cœlestia contemplantur;

C quales apostoli facti sunt, postquam Spiritu sancto roborati sunt. *Et apparuerunt eis dispertitæ linguæ tanquam ignis* (*ibid.*). Non est credendum, quod linguæ apparuerint super capita apostolorum, sed potius radioli ignis in similitudinem linguarum. Nec irrationabiliter Spiritus sanctus legitur apparuisse in ignearum linguarum specie, cum duas proprietates ignis retineat; mulcebrem, dum per gratiam mentem serenat; combustivam, dum peccata purgat; mulcebrem, dum lucem gratiæ infundit; peremptoriam, dum peccata consumit. Ignis etiam linguæ formam gerebat; lingua est instrumentum loquendi, lingua est instrumentum saporem discernendi, lingua pro cæteris membris loquitur, dum eis compatitur; dum enim læduntur

D membra, dicit lingua, Tu me lædis. Competenter ergo Spiritus sanctus apparuit in igneis linguis, qui variis linguis loqui dabat apostolis; qui etiam virtutem discernendi inter bonum et malum contulit eis; qui membra ecclesiastica in unum corpus unit, ut unum compatiens alii dicat : *Quis infirmatur, et ego non infirmor?* (*II Cor.* XI.) Conveniamus ergo, fratres charissimi, in triplicem unitatem fidei, spei et charitatis, ut sic mereamur Spiritus sancti adventum recipere, ut dignetur Spiritus sanctus domum mentis nostræ visitare, in qua tria debent esse : thalamus, consistorium et cœnaculum. Cœnaculum Dei, dilectio est, in quo anima convivatur; thalamus, divina contemplatio, in quo

anima cum sponso delectatur; consistorium, discretio, in quo rationis judicio bonum a malo separatur.

Oremus ergo Spiritum sanctum, ut charitatis cœnaculum, sensus nostros purget, thalamum divinæ contemplationis virtutibus ornet, thronum discretionis prudentiæ auro vestiat. Quod nobis præstare dignetur Jesus Christus d. n. q. v. et r. p. o. s. s. Amen.

135 SERMO IX.

(Fragmentum). — IN NATALI SANCTI AUGUSTINI.

Beatus vir qui suffert tentationem, quia cum probatus fuerit accipiet coronam vitæ, etc. (*Jac.* IV.)

Quam gloriosum, fratres charissimi, tentationes vincere, tentationum insultus sufferre, tentationibus obviare, cum per tentationum stadium perveniatur ad æternæ vitæ bravium! cum per meritum terrenæ tribulationis, perveniatur ad præmium

A æternæ beatitudinis! cum per tribulationis sustinentiam, veniatur ad æternitatis coronam. Est autem triplex tentatio: tentatio humana, quam carnis infirmitas parit; diabolica, quæ ex diaboli suggestione provenit; divina, quæ ex Dei auctoritate descendit. De prima dicitur: *Tentatio vos non apprehendat nisi humana* (*I Cor.* X). De secunda dicitur: *Et ne nos inducas in tentationem* (*Matth.* VI). De tertia adjungitur: *Tentavit Deus Abraham* (*Gen.* XXII). Prima est humanæ veritatis; secunda diabolicæ perversitatis; tertia divinæ auctoritatis. Prima fit ad refrenandam superbiam; secunda ad perimendam justitiam; tertia, ad probandam patientiam. Prima Paulus est colaphizatus (*II Cor.* XII); secunda, Vincentius impugnatus; tertia, Job examinatus.

B Est autem trina tentatio humana; aliquando enim caro tentat per luxuriam, aliquando..... *Cætera deerant in exemplari Alnensi.*

Sermones sequentes prodeunt ex pervetusto codice ms. monasterii B. Mariæ de Dunis.

SERMO I.

DE SPIRITU SANCTO.

Spiritus Domini replevit orbem terrarum, et hoc quod continet omnia, scientiam habet vocis (*Sap.* I).

Cum tota Trinitate orbis terrarum repleatur, tamen specialiter Spiritus sanctus replere dicitur, quia ei nomen benignitatis appropriatur, et de benignitate, res in suo esse conservatur; quia cum tota Trinitas creet, ordinet et conservet, Pater tamen specialiter dicitur creare; Filius ordinare vel disponere; Spiritus sanctus in suo esse conservare, et ideo specialiter dicitur orbem terrarum replere. Replet, inquam, Spiritus sanctus universas creaturas sua essentia; replet sufficientia; replet efficientia. Hic est *Spiritus Domini*, qui in mundi exordio, *ferebatur super aquas* (*Gen.* I). Hic est Spiritus Domini, qui descendit super apostolos tanquam ignis. Ipse eleganter, tanquam ignis vehemens nuncupatur, quasi æternum væ demens (*Act.* II). Aufert enim triplex væ, væ culpæ, væ pœnæ, væ gehennæ! Vehit etiam mentem ad cœlestium contemplationem. Unde dicitur vehemens, quasi mentem vehens. Iste Spiritus Domini dicitur, et quia Dominus est, et a Domino Patre egreditur. Iste, inquam, replet orbem terrarum. Replet inanimata in suo esse conservando; replet animata insensibilia, ut herbas, arbores, etc., vegetationem ministrando; replet sensibilia irrationalia **136**, virtutem sensibilem largiendo; replet rationalia, dotes varias conferendo. Natura quidem (ut ita loquar) universa facit, sed nulla perficit; procreat, sed non creat, nec replet: ad solum Spiritum sanctum pertinet perficere, creare, replere. *Replevit Spiritus sanctus orbem terrarum*, id est Ecclesiam in cœnaculo, in

C monte Sion congregatam, ipsius adventum exspectantem. Replevit, inquam, virtutum plenitudine; replevit diverso linguarum genere: loquebantur enim variis linguis apostoli. Replevit charitatis igne, complevit in eis inchoata, explevit incepta; exclusit timorem, auxit charitatem. Ecclesia eleganter dicitur orbis terrarum, quia et per universum orbem dispersa, et de diversis partibus mundi congregata. Unde dicitur: *Et hoc quod continet omnia; scientiam habet vocis* (*Sap.* I). Id est Ecclesia, quæ de omni gente continet aliquos, continet universa Spiritus sancti dona. *Scientiam habet vocis*, id est scit loqui variis linguis. Vel, *hoc quod continet omnia*, id est Spiritus sanctus, qui continet omnia in suo esse conservando, qui continet

D omnia gubernando, *scientiam habet vocis*, id est omnem habet scientiam quæ voce exprimitur. Vel orbis terrarum dicitur homo, qui cum omni creatura aliquam habet similitudinem; esse, cum lapidibus, vivere cum arboribus et herbis, sentire cum brutis; ratiocinari cum spiritibus. Hunc in die Pentecostes replevit Spiritus sanctus, quando ei multiplicem scientiam dedit, quando in omni genere linguarum instruxit, quando in fide roboravit, spe erexit, charitate accendit. Unde sequitur: *Et hoc quod continet omnia*, id est homo, qui habet convenientiam cum omni creatura (unde alibi omnis creatura dicitur homo, ubi dicitur: *Prædicate Evangelium omni creaturæ* (*Marc.* XVI), id est homini). *Scientiam habet vocis*, ut expositum est, id est scientiam loquendi variis linguis. Hæc repletio specialiter facta est super apostolos in die Pentecostes, in igneis linguis (*Act.* II). Forma ignis figuravit ardorem charitatis, splendorem scientiæ,

consumptionem Ignorantiæ. Forma linguæ significat diversitatem loquelæ. Lingua cæteris membris compatitur, pro omnibus loquitur, sapores discernit, loqui facit, pro omnibus membris loquitur. Si enim pes læditur, dicit lingua, Tu me lædis ; si manus læditur, in eumdem modum clamat; et sic de aliis membris. Forma enim linguæ quæ supra apostolos apparuit, in eis compassionem charitatis figuravit, ut scirent cæteris membris compati, dicentes : *Quis infirmatur, et ego non infirmor? quis scandalizatur, et ego non uror?* (*II Cor.* XI.) Figuravit in apostolis virtutem discretionis, qua scirent discernere inter sapientes ut insipientes, frigidos, calidos et tepidos. Figuravit in eis scientiam loquendi variis linguis. O homo, labora ut te repleat Spiritus Domini; ut qui te fecit creando, reficiat recreando; ut qui te (ut ita loquar) fecit per naturæ subsistentiam, te repleat per gratiæ efficientiam ; ut qui vacuus es a bono, repleat cœlesti dono, ut non sis vas vacuum, sed cœlesti liquore refertum, ut de te tanquam de civitate Dei dici possit : *Fluminis impetus lætificat civitatem Dei* (*Psal.* XLV). Ut contineat omnia, id est ad vitæ meritum sufficientia, et sic habeas scientiam vocis, non ut loquaris variis linguis, sed ut pro posse tuo intendas sacræ paginæ, quæ solet exprimi voce.

Scientia vocis complectitur lectionem, orationem, prædicationem, psalmodiam; ut cum tempus exegerit, lectioni intendas, psalmodiæ operam præstes, prædicationi indulgeas, rationem non negligas.

SERMO II.

DE SANCTA CRUCE.

Ascendam in palmam, et comprehendam fructus ejus (*Cant.* VII).

Verba Sponsi in Canticis, fratres charissimi, per palmam intelligimus crucem Dominicam triplici ratione: Ratione substantiæ, ratione circumstantiæ, ratione efficientiæ. Ratione substantiæ, **137** quia legitur in glossa super Cantica amoris, quod palma fuerit Dominicæ crucis materia. Ratione circumstantiæ, quia proprietates quæ inveniuntur in palma, resultant mystice in cruce Dominica. Palma horribilis est in radice, aspera in cortice, erecta proceritate, pulchra in culmine, dulcis in fructus suavitate. Sic crux Dominica horribilis fuit in radice, quia primo detestabilis propter tormenti ignominiam ; aspera in cortice, propter pœnam; firma in robore, propter patientiam ; erecta proceritate, ratione finis; pulchra in culmine, intuitu resurrectionis ; dulcis in fructu, intuitu nostræ redemptionis. Figuratur etiam per palmam, crux Dominica ratione efficientiæ, quia sicut palma est præmium victorum, sic Christus per crucem consecutus est triumphum. Hæc est scala Jacob, attingens in cœlum (*Gen.* XXVIII); draco Moysis, devorans dracones magorum (*Exod.* VII); tau, ab exterminatore angelo defendens Hebræos (*Exod.* XII); virga Moysis, dividens mare Rubrum (*Exod.* XIV), in deserto regens

A Israeliticum populum : lignum amaras aquas mutans in dulces (*Exod.* XV); de petra eliciens aquam abundantem (*Num.* XX). Hæc est lignum in quo suspenditur serpens æneus (*Num.* XXI); phalanga, in qua portatur cœlestis botrus. *Vidit*, inquam, *scalam Jacob a terra in cœlum attingentem, per quam ascendebant et descendebant angeli, et Dominum innixum scalæ* (*Gen.* XXVIII). Et de ipsa scala prædixit prophetice : *Quam terribilis est locus iste, vere hic est domus Dei, et porta cœli* (*ibid.*).

Vere crux Christi scala est a terra in cœlum attingens, quia per fidem crucis, per imitationem passionis, redit homo de exsilio ad patriam, de morte ad vitam, de terra ad cœlum, de deserto hujus mundi ad paradisum. Per hanc scalam ascen-
B dunt et descendunt angeli, id est prædicatores Christi, descendunt, cum prædicant infirmitatem crucis; ascendunt, cum prædicant Dei sapientiam et virtutem ; *quod* enim *stultum est* Christi, *sapientius est hominibus, et quod infirmum, fortius potestatibus* (*I Cor.* I). Huic scalæ fuit Christus innixus, quando cruci affixus est. Hic est locus terribilis quia scandalum offert Judæo, horrorem vero diabolo, et timorem Christiano. Hæc est porta Christi et janua paradisi. In hac scala fuerunt sex gradus, per quos Christus ascendit, primus misericordia, secundus humilitas, tertius obedientia, quartus pœna, quintus patientia, sextus mors durissima. In passione, inquam, fuit misericordia, quæ Filium
C Dei traxit de cœlis, clausit in angusto utero mulieris, involvit Christum pannis, signavit charactere circumcisionis, subjecit fami, supposuit siti et morti, exposuit passioni, punivit flagello, affixit patibulo. Hæc est misericordia, quæ regem coronavit spina, ut servum coronaret gloria. Hæc est quæ ligavit dominum, ut solveret servum; hæc est quæ vulneravit medicum, ut sanaret infirmum ; hæc est qua ægrotat medicus, ut curetur ægrotus. Secundus gradus fuit humilitas; quæ enim major humilitas, quam pati Deum, vitam mori, exsulare regem, mendicare divitem, operi obedire opificem, creaturæ subjici Creatorem? Tertius gradus fuit obedientia ; nec tantum primus gradus obedientiæ fuit in Christo, verum etiam extremus; non solum prima li-
D nea, sed extrema. Sunt namque tres obedientiæ gradus, primus est positivus, obedire superiori ; secundus comparativus, obedire pari; tertius superlativus, obedire inferiori. Christus fuit obediens Patri usque ad mortem (*Phil.* II); Matri secundum humanæ naturæ sortem; carni usque ad timorem ; sensualitati usque ad compatiendi voluntatem; rationi usque ad passionem; morti usque ad animæ et corporis dissolutionem; legi usque ad præceptorum impletionem. Quartus gradus fuit pœna. Quæ pœna? ignominiosa. Quæ pœna? maledicta; furum, latronum, culpæ, ignominiæ. Quintus gradus fuit patientia, omnem exsuperans patientiam.

Nam sicut multiplex illata est Christo injuria, sic multiplex contra injuriam fuit patientia. Susti-

nuit enim injurias animorum, injurias verborum, **138** injurias factorum. Fuit autem multiplex injuria animorum : quidam enim crucifixerunt Christum ex ignorantia, quidam ex invidia, quidam ex superbia, quidam ex avaritia. Ipse autem contra injurias rationem non reddidit, sed pro ipsis peccatoribus exoravit, dicens : *Pater ignosce eis; quia nesciunt quid faciunt* (*Luc.* XXIV). Fuit etiam patiens contra multiplicem injuriam verborum. in accusando, cum *dixerunt, Reus est mortis* (*Matth.* XXVI); in condemnando, cum dixerunt, *Crucifige eum* (*Luc.* XXIII); insultando, cum dixerunt : *Vah! qui destruis templum Dei!* (*Matth.* XXVII.) Contra has injurias patientissimus fuit, quia nec verbum respondit, unde : *Tanquam ovis ad occisionem ductus est* (*Act.* VIII). Patiens fuit contra injurias factorum, quia cum posset resistere ex Deitate, patiens fuit ex humanitate; cum enim venirent ad eum comprehendendum, venit eis obviam; cum ligaverunt, non restitit; cum flagellaverunt, dorsum supposuit : cum alapas impegerunt, faciem non avertit; cum ad crucifigendum duxerunt, crucem portavit; cum crucifixerunt, patienter sustinuit. O mirabiles injuriæ! Discipulus injuriatur ut prodat, Pilatus ut morti adjudicet, Judæus ut condemnet, Petrus ut neget, cognatus ut fugiat, gentilis ut crucifigat. E contra, Christus osculum dedit discipulo, humiliter locutus est Pilato, patienter respondit Judæis, respexit Petrum, consolatus est fugientem discipulum, sustinuit crucifixorum insultum. Ultimus gradus in passione fuit mors. Mors admiranda, mors quæ ipsam mortem enecat, vitam donat, mortis aculeum infirmat, diabolum superat, peccatum exstirpat. Per hos gradus scalæ ascendit in cœlum, Christus. Fuit autem triplex Christi ascensus. Primus quo ascendit ut pateretur; secundus quo ascendit ut resuscitaretur; tertius quo ascendit ut in dextera Patris glorificaretur. Primo ascensu ascendit ad mortem, secundo ad immortalitatem, tertio ad majestatem. Ascendit ergo in hanc palmam et comprehendit fructus ejus. Folia fuerunt verba Christi quæ dixit in passione; flores, exemplum patientiæ; fructus, gloria beatitudinis æternæ. Arbor istius palmæ plantata fuit ab origine mundi, quando lignum notavit, damna ligni ut solveret; radicata fuit tempore Incarnationis; virens in Christi contumeliis; frondens in ejus verbis, in exemplo patientiæ florens, in Judæis obstinatis efflorens, in gentibus conversis reflorens, in redemptis fructum faciens. Ascendamus ergo, fratres charissimi, in hanc palmam, ut comprehendamus ejus fructus. Palma quidem in radice amara est, sed dulcis in fructus suavitate. Compatiamur ergo, ut glorificemur. Non gustabit enim fructus ejus dulcedinem, qui radicis abhorret amaritudinem. Ascendamus ergo triplicem crucem : crucem pœnitentiæ, ut liberemur a peccato; crucem compassionis, ut regnemus cum proximo; crucem passionis, ut glorificemur cum Christo. Crux pœnitentiæ quatuor
A habet dimensiones, altitudinis, latitudinis, longitudinis, profunditatis. Dimensio altitudinis est, qua erigitur ad Deum; dimensio latitudinis est, qua pœna dilatatur usque ad proximum; dimensio longitudinis, est perseverantia qua dilatatur usque ad obitum; dimensio profunditatis est satisfactio quantum ad se ipsum. Crux compassionis, dimensionem habet altitudinis, dilectionem Dei; dilectionem latitudinis, dilectionem proximi; dimensionem longitudinis, continuationem charitatis; dimensionem profunditatis, qua se homo diligit. Crux patientiæ habet dimensionem altitudinis, altitudinem spei; dimensionem latitudinis, magnitudinem fortitudinis; dimensionem longitudinis, longanimitatem; dimensionem profunditatis, conscientiæ puB ritatem. In hac multiplici cruce fidelis extendit manus suas, pedes conculcat, satisfaciendo, compatiendo, patiendo. In cruce pœnitentiæ crucifixus fuit latro qui in cruce pœnituit : in cruce compassionis, B. Virgo quæ passioni Christi compassa fuit. Unde et de ipsa dicitur, *et tuam ipsius animam pertransibit gladius* (*Luc.* II) : in cruce patientiæ, Christus, qui usque **139** ad mortem patiens fuit. Ad similitudinem Christi, per prædictos gradus crucis ascendamus in cœlum. Sit in nobis misericordia, miseris compatiendo, infirmos sustinendo, eleemosynas largiendo, minus peritos instruendo, visitando incarceratos, vestiendo nudos. Sit in nobis humilitas in habitu, in gestu, in victu, in verbo, C in animo. Sit in nobis obedientia, ut obediamus prælatis nostris, in consilio, in præcepto, in sumptione pœnitentiæ, in ejusdem executione. Sit in nobis pœna per satisfactionem, sit patientia per animi constantiam. Sit in nobis mors per carnis castigationem, per concupiscentiæ extenuationem, ut sic resurgamus a vitiis ad virtutes, a culpa ad gloriam, a morte ad vitam, præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO III.

DE SANCTO NICOLAO EPISCOPO ET CONFESSORE.

Quoniam tu es qui extraxisti me de ventre, spes mea ab uberibus matris meæ, in te projectus sum ex D *utero* (*Psal.* XXI).

Triplex est mater fidelium : mater naturalis, mater carnalis, mater spiritualis. Mater naturalis, est mulier quæ generat; mater carnalis, concupiscentia per quam homo degenerat; mater spiritualis, quæ natum regenerat. Naturalis, de qua trahit carnem; carnalis, de qua trahit carnalitatem; spiritualis, de qua habet spiritum vivificantem. Fidelium autem quidam sine concupiscentia est conceptus, sine concupiscentia natus, sine concupiscentia vixit, sine concupiscentia vitæ curriculum consummavit : ut Christus. Quidam vero in concupiscentia conceptus, et sine concupiscentia natus, ut Jeremias propheta, Joannes Baptista et si forte aliquis alius in utero sanctificatus.

Gloriosus vero Nicolaus, etsi in concupiscentia conceptus, et in concupiscentia natus, tamen a nativitate eum mater gratia suscepit et usque ad vitæ suæ terminum, rivulos concupiscentiæ in eo clausit; nos vero miseri in concupiscentia concipimur, in concupiscentia nascimur, in concupiscentia vivimus et morimur. O quam dissimilis nostra nativitas a gloriosi confessoris nativitate! O quam dissimilis noster ortus ab ejus origine! A nativitate mater gratia Nicolaum suscepit ad vivificandum; a nativitate mater concupiscentia nostrum initium ad mortem deduxit. Hanc gratiam gloriosus confessor in se experiens, hanc misericordiam in libro experientiæ legens, clamare potuit: O fons misericordiarum! o plenitudo miserationum! o altitudo gratiæ! o magnitudo thesauri sapientiæ! In me expertus sum tuæ misericordiæ magnitudinem, tuæ gratiæ profundum, tuæ sapientiæ thesaurum. *Quoniam extraxisti me de ventre matris meæ.*

Sicut triplex est mater, sic triplex est venter; venter primæ matris, est sigillum conceptionis; venter secundæ matris, est abundantia concupiscibilitatis; venter tertiæ matris, profundum divinæ miserationis. De ventre primæ matris eduxisti me ut viverem; de ventre secundæ matris, ut non male viverem; de ventre tertiæ matris, ut bene viverem. De ventre primæ matris eduxisti me ad ortum naturæ, de ventre secundæ matris ad ortum gratiæ, de ventre tertiæ matris ad ortum gloriæ; et ideo spes mea es tu ab uberibus matris meæ. Sicut autem est diversitas matrum, ita diversitas est uberum; ubera primæ matris, sunt ubera lactis; ubera secundæ matris, sunt ubera fellis; ubera tertiæ matris, sunt ubera mellis. Ubera primæ matris educant pueros, ubera secundæ matris enecant parvulos, ubera tertiæ matris roborant adultos. De uberibus concupiscentiæ dicitur: *Lamiæ nudaverunt mammas, lactaverunt* parvulos *suos* (*Thren.* IV). Concupiscentiæ vero duo sunt ubera gula et luxuria, quibus lactantur, imo, inebriantur pueri sensu, parvuli **140** intellectu: qui enim inebriantur luxuria, lactantur incontinentia nisi fatui? qui submerguntur diluvio gulæ, qui enecantur veneno crapulæ, nisi stulti? Ubera vero tertiæ matris sunt gratia justificationis, et gloria, vel gratia glorificationis. De quibus Joannes dixit: *Accipientes gratiam pro gratia* (*Joan.* XVI). De his etiam uberibus in Cantico amoris dicitur: *Dulciora sunt ubera tua vino* (*Cant.* I). Vinum figurat terrenam delectationem, quæ quamvis in superficie præferat dulcedinem, tamen infert menti ebrietatem. Omni autem terrena delectatione dulcior est divina gratia, quæ sic inebriat justos, ut reddat sobrios.

Gloriosus ergo confessor Nicolaus, ab ubere materno, spem locavit in Christo; dum trahebat ubera parvulus, abstinebat ut adultus. Dum pendebat ab ubere matris, aspirabat ad mensam Patris. Prophetabat in cunis, qualis futurus esset in cœlis, prophetabat in cibo liquido quid acturus esset in solido. Abstinens ab infantili ubere, transcendebat metas infantiæ; puer in ævo, senex in facto; bene vivebat, antequam sciret vivere, qui jejunabat antequam sciret comedere. Nondum loquens, prophetabat facto! docet alios, non doctus ab alio. Erubescat ergo senex jejunia frangere, quæ observavit Nicolaus in ætatis teneritudine; erubescat lasciviis dissolvi grandiusculus, quas refrenabat iste infantulus. Per hoc autem quod abstinebat ab ubere carnis, figurabat se abstinere ab ubere carnalitatis. Per hoc quod aspernabatur ubera naturæ, figurabat se aspirare ad ubera gratiæ. Ab uberibus ergo concupiscentiæ abstinens spem in Christo locavit quia ab ineunte ætate aspernando luxuriam, et devitando gulam, in Deo spei anchoram fixit. Ab uberibus ergo matris gratiæ, totam mentem direxit in Christum, quia ex quo mater gratia suscepit eum, in Deo stabilivit suæ intentionis propositum, et sic in eum projectus est ex utero; quia ab ineunte ætate ne concupiscentiæ periret naufragio, tanquam in portu salutis firmatus est in Christo. Hic est Nicolaus, qui sua copia patris egeni levavit inopiam; qui sua misericordia, a puellis publicæ prostitutionis exclusit miseriam; qui fuit electus divinæ vocis præconio; qui defunctum suscitavit in bivio; hic est, quem farris probat augmentatio, qui a nautis amovit naufragium; qui patri reddidit filium; qui tres juvenes a mortis liberavit periculo; a cujus tumba olei manat unctio. Nos ergo ad hujus similitudinem, tres spiritus nostri filias, id est tres potentias, ab origine animæ datas, ne fornicentur cum mundi lenociniis, ditemus thesauro bonorum operum; erigamur ab admonitione sacræ Scripturæ, ad regnum nostrarum cogitationum. Suscitemus spiritum nostrum a morte peccati; grandescat in nobis per fidem panis qui descendit de cœlis, qui existens frumentum angelorum, factus est fenum hominum. Liberemus nautas spirituales, id est virtutes, quæ debent esse animi rectores, ne naufragentur voragine vitiorum. Reddamus Patri filium, id est Creatori spiritum. Servemus juvenes, id est lascivientes cogitationes, ne procedant usque ad mortem peccati. Provocemus a mente nostra sanctæ charitatis unctionem; præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

LIBER SENTENTIARUM

AC

DICTORUM MEMORABILIUM

MAGISTRI ALANI DE INSULIS

Concionatoribus ac in universum theophiliæ studiosis omnibus utilissimus,

Ex antiquo etiam Dunensis bibliothecæ ms. codice nunc primum in lucem productus.

---

141 1. In Christi Nativitate, duo soles apparuerunt Romæ, ex quibus duobus factus est unus sol: ad significandum, quod sol humanæ naturæ, et sol divinæ naturæ, convenirent in unitatem unius personæ.

2. Hieronymus, in Annalibus Hebræorum, dicit se reperisse signa XV dierum ante judicium. Sed utrum continui futuri sint, aut interpolati, non expressit. In prima die, eriget se mare XL cubitis supra altitudinem montium, stans in loco suo quasi murus. Secundo tantum descendet, ut vix videri possit. Tertio marinæ belluæ apparentes super mare, dabunt rugitus usque ad cœlum. Quarto ardebit mare. Quinto herbæ et arbores dabunt rorem sanguineum. Sexto ruent ædificia. Septimo petræ ad invicem collidentur. Octavo generalis fiet terræ motus. Nono æquabitur terra. Decimo exibunt homines de cavernis terræ, et incedent velut amentes, nec mutuo poterunt loqui. Undecimo surgent ossa mortuorum, et stabunt super sepulcra. Duodecimo cadent stellæ. Decimo tertio morientur viventes, ut cum mortuis resurgant. Decimo quarto ardebit cœlum et terra. Decimo quinto fiet novum cœlum, et terra nova, et resurgent omnes.

3. O homo, quis tibi erit animus, cum tremiscent angeli? Quid faciet virgula deserti, ubi movebitur cedrus paradisi? Omnia consurgent adversum te. Te judicabit Deus Trinitas auctoritate; te judicabit homo Christus judicii exsecutione; te judicabunt angeli sententiæ approbatione; te judicabunt sancti, operatione; te judicabit conscientia, peccatorum revelatione; te judicabit diabolus, accusatione. Te judicabit gehenna damnatione, nisi in præsenti te judices.

4. *Qui sedes super cherubim*, etc. (*IV Reg.* XIX). Cherubim dicitur, cœlicus ordo; dicitur et cherubim, *scientiæ plenitudo*, et charitatis consummatio; super primum cherubim, id est supra ordinem angelicum sedet Deus per subjectionem, quia ordo ille ei subjectus est ad serviendum, et obediendum, ad ministeria exsequendum. Super secundum cherubim, id est supra plenitudinem scientiæ, per incomprehensibilitatem, quia omnis scientiæ plenitudo deficit ad ejus comprehensionem. Supra tertium cherubim sedet per charitatem eminentem, quia charitas Dei exsuperat omnem charitatem. Primus cherubim duas habet alas, naturæ subtilitatem, et ingenii perspicacitatem: his enim quasi duabus alis volat ad comprehendendum mysteria. Secundus cherubim duas habet alas, id est duo Testamenta, quibus velat divina mysteria; ad quod significandum,
142 cherubim in tabernaculo duabus alis velabat propitiatorium; quia sub duobus Testamentis, quasi sub cherubim alis, latet divinæ majestatis secretum.

Tertius cherubim, id est charitas, duabus insignitur alis, dilectione Dei, et proximi: altera ascendit ad diligendum Deum, altera descendit ad diligendum proximum. His duabus alis velat cherubim propitiatorium, quia tota divinæ miserationis propitiatio in mandato charitatis completur. Hi duo cherubim versis vultibus in propitiatorium se respiciunt, quia plenitudo scientiæ et charitatis perfectio, ad divinæ majestatis propitiationem tendunt, et in se vultus proprios reflectunt, quia nec scientia sine charitate perficitur, nec charitas sine scientia consummatur. Unde dicitur: Quantum diligis, tantum scis.

5. *Excita potentiam tuam et veni* (*Psal.* LXXIX). Id est mitte Filium tuum in carnem, id est veni in mundum, per Filii incarnationem. Tripliciter dicitur Filius dormire, tripliciter excitari. Dormiebat Filius ante incarnationem in sinu Patris, ubi somnus erat, quies æterna. A somno hujus quietis Pater Filium excitavit, quando in carnem misit, ut hominum profectibus invigilaret. Videbatur etiam dormire ante incarnationem, in cordibus hominum, per fidei teporem.

Dormisse etiam dicitur Filius Dei in morte. Ibi mors fuit dormitio; resurrectio, excitatio. In statu

etiam præsentis vitæ ubi Deus permittit malos in A temporalibus florere, bonos efflorere, clamat fidelis populus ad Patrem dicens : O Pater, *excita potentiam tuam et veni*. Quasi dicat : Filius tuus modo videtur dormire, quando non reddit præmia justis, supplicia injustis; excita Filium tuum ad judicandum, et veni in Christo ad judicium.

6. *Qui regis Israel, intende* (*Psal.* LXXIX). Id est qui fidelem populum spiritualiter videntem Deum, regis ad conservandum in essentia, ad justificandum in gratia, ad glorificandum in gloria. *Intende*, id est Filium mitte.

Qui deducis velut ovem Joseph (*ibid.*), Joseph qui interpretatur, *auctus*, figuravit Christum; Joseph matri gaudium auxit nascendo; Ægyptus consulendo; fratribus, a fame liberando; Patri, se præ- B sentialiter exhibendo. Sic Christus auxit gaudium matri Virgini, generatione; Ecclesiæ, regeneratione; peccatoribus, dando consilia vitæ; Patri, exhibendo signa victoriæ. Unde et ipse fuit quasi cœlestis Augustus. Quia sicut terrestris Augustus auxit rempublicam mundi, ita et Christus auxit rempublicam cœli.

Hunc ergo Joseph, id est Christum, deduxit Dominus Pater velut ovem, quia velut ovis Patri est oblatus ad occisionem sine murmure ductus. Ovis parvula balatum matris in grege agnoscit ; Christus agnovit Patrem obedientia ; matrem cura, quia eam Joanni commendavit ; discipulos diligentia, quia pro ipsis oravit. Unde et Christus Agnus dicitur, C ab agnosco, agnoscis. Atque hinc in missa sermo ei dirigitur sub nomine cœlestis Agni, ut sit sensus : *Agnus Dei*, qui agnovisti Patrem obedientia, *miserere nobis* ; *Agnus Dei*, qui agnovisti tuos diligentia, *dona nobis pacem*.

7. *Dominus prope est* (*Philip.* IV) : ut a malo liberet, ut in bono conservet, prope est unicuique. Satis de propinquo mors imminet; prope est Dominus homini, quia appropinquat dies judicii, et ideo, *nihil solliciti sitis* (*ibid.*).

Est sollicitudo necessitatis, et est sollicitudo curiositatis. Non prohibet Dominus sollicitudinem quæ est ad necessitatem, sed quæ est ad superfluitatem, ut sollicitudo terrenorum non præponatur sollicitudini æternorum. Conceditur sollicitudo na- D turæ, sed inhibetur sollicitudo luxus et avaritiæ. Unde in Evangelio dicitur : *Nolite solliciti esse de crastino* (*Matth.* VI), id est de futuro. Maxime his inhibetur sollicitudo, qui habent redeuntem pecuniam, quia redditus debet excludere **143** sollicitudinem nimiam ; conceditur autem sollicitudo acquirendi victualia usque ad annum, sed non licet extendere usque ad anni terminum, quia in sequenti anno redeunt victualia providente natura.

Sequitur : *Sed in omni oratione et exspectatione* (*Philip.* IV). Hic insinuatur, quod si æterna petantur, terrena adjiciantur. Unde dictum est : *Primum quærite regnum Dei*, etc. (*Matth.* VI.) Insinuatur quod ideo cessare debet nimia sollicitudo temporalium, quia temporalia unit petitio æternorum. Potest tamen fidelis licite petere terrena, non ut ibi finis constituatur, sed ut ad supremum finem, id est Deum, petitio dirigatur. Ut ideo terrena petantur, ne ad curam terrenorum mens humana sollicitudine distrahatur, sed libere Domino famuletur.

Qualiter autem petitiones nostræ apud Deum innotescant, id est miserationi divinæ placeant ostendit, cum ait : *In oratione et exspectatione* (*Philip.* IV). Duo debent informare petitionem, oratio et exspectatio, quia oratio sine perseverantia non proficit ad effectum. Notitia orationis, nihil aliud est quam approbatio orationis. Unde Dominus ad malos loquens, ait : *Nescio vos* (*Matth.* XXV), id est non approbo.

8. Aliquando bonum oramus, sed ad illud animum non dirigimus, sed ad aliud bonum. Ut, si quis petat a Deo, ut in bonis conservetur, tamen interim cogitet ut eleemosynam largiatur pauperi; hæc oratio bona est, sed quodammodo inordinata, quia vox aliquando discordat a mente, et hic intermiscet se peccatum veniale, quando fit ex negligentia, contra quod dicitur a Domino : *Cum oras, intra in cubiculum, et clauso ostio, ora Patrem tuum in abscondito*, etc. (*Matth.* VI). Quasi dicat : Cum oras voce, ad illud quod oras mentem dirige. Aliquando bonum voce oramus, et tamen ad aliud malum mentem dirigimus; et sic orare, est mortale peccatum. Unde dicitur : *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me* (*Matth.* XV, *Marc.* VII). Aliquando aliquis orat malum, et animo malo; et illud est pessimum. Aliquando bonum orat, et bene, et quod loquitur, habet in corde; et istud est optimum.

DE NATIVITATE DOMINI.

9. *Propter Sion non tacebo, et propter Hierusalem non quiescam, donec egrediatur ut splendor justus ejus, et Salvator ejus lampas accendatur* (*Isa.* LXII).

Quasi dicat Isaias : *Propter Sion*, id est ut Ecclesia de Judæis Salvatoris adventum intelligat, *et propter Hierusalem non quiescam*, id est ut Ecclesia de gentibus sui Redemptoris adventum agnoscat, *non tacebo* a prædicatione Verbi Dei; *non quiescam* ab officio prædicationis, *donec egrediatur ut splendor justus ejus*, id est donec per meam prophetiam adventus Christi veniat in hominum notitiam. Christus antonomastice dicitur Ecclesiæ Justus, quia secundum divinam naturam, est ipsa justitia, et secundum humanam, refertus justitiæ plenitudine consummata, et ab ipso procedit totius Ecclesiæ justitia. Qui ut splendor dicitur egredi secundum utramque naturam; in divina natura egreditur a Patre velut splendor ab igne; nam, sicut splendor igni est coævus, sic Filius Patri coæternus; et sicut per splendorem de igne habetur notitia, sic per Filium de Patre operatur scientia. Sicut splendor procedit ab igne sine ignis aliqua permutatione; sic Filius procedit a Patre, sine Patris aliqua per-

mutatione. Egressus est etiam secundum humanam naturam, ut splendor in uterum Virginis, quia sicut splendor a sole procedens vitream fenestram intrat, illuminat, nec aliquo modo frangit vel violat; sic splendor cœlestis solis intravit in uterum Virginis, et eam Spiritus sancti gratia illuminavit, nec sigillum virginitatis aliquo modo fregit, vel violavit. Egreditur etiam a Patre velut splendor in mentem humanæ animæ, quando ab ea tenebras vitiorum eliminat, et eam splendore **144** gratiæ cœlestis illuminat. Sequitur : *Et Salvator ejus ut lampas accendatur.* Lampas figurat humanam naturam. Lampas ex se non emittit lumen, ita humana natura ex se non habet gratiæ splendorem. Ex concursu tamen olei et flammæ, lampas perfunditur luce. Ante adventum Christi, humana natura erat lampas sine lumine. Sed lampas ista est accensa, quando humanitas a Christo est assumpta, et tunc lampadi, id est humanæ naturæ infusum est oleum divinæ gratiæ, et sic in ea splenduit flamma divinæ naturæ. Salvator igitur ut lampas accensus est, quando humanam naturam in se oleo divinæ naturæ perfudit, et flamma Divinitatis accensa est, et sic in nocte hujus mundi præbuit lumen mentibus. *Et videbunt gentes justum tuum,* etc. (*Isa.* LXII.) Quidam visu materiali in carne, quidam visu mentali in Deitate. *Et cuncti reges inclytum tuum;* reges, inquam, illi *qui terram judicant,* id est in se terrenitatem damnant. *Inclytum tuum,* Christus inclytus dicitur, id est valde gloriosus. *Et vocabitur tibi nomen novum, quod os Domini nominavit* (*ibid.*). Per adventum Christi nomen Ecclesiæ mutatum est, quia quæ prius sterilis dicebatur, nec mater plurium nuncupabatur; et quæ prius dicebatur non misericordiam consecuta, jam dicitur misericordiam consecuta. Quod significatum est per mutationem nominis Saræ, quæ prius dicebatur Sarai, postea dicta est Sara (*Gen.* XVII).

Et eris corona gloriæ in manu Domini, et diadema regni in manu Dei tui (*Isa.* LXII). De multiplici diademate legimus. Diadema Christi dicitur humana ejus natura. Diadema caret principio et fine, quia circularis est formæ. Unde diadema dicitur, quasi duo demens, principium et finem. Diadema caput obumbrat, regnum significat. Diademati aurum materiam præstat. Cum autem concupiscentia sit principium nostræ humanæ naturæ; finis, mors sine reditu; humana Christi natura hoc principio, et hoc fine caruit, quia non eum concupiscentia concepit, sed charitas genuit; et licet ab humana Christi natura ad tempus, vita recesserit, tamen maturius ad ipsam redit. Hæc corona caput Christi coronavit; quia sol deitatis latuit sub umbra humanitatis.

Hoc signum regni fuit, quia in hoc quod hominem in excellentiori genere humanitatis assumpsit, in qua plenitudo gratiarum fuit, quod hominum rex futurus esset significavit. Hæc corona ex auri materia fuit, quia ex puriori statu humanæ naturæ

A processit. De hoc diademate dicitur ad filias Sion, id est ad fideles animas : *Egredimini, filiæ Sion,* mente, *et videte,* fide et devotione, *regem Salomonem,* id est Ecclesiasten pacificum, scilicet Christum, *in diademate,* id est in humana natura, *qua coronavit eum mater sua,* id est virgo Maria; *in die desponsationis ejus et in die lætitiæ cordis illius* (*Cant.* III). Quia qua die thalamum virginalis uteri intravit, sibi virginem desponsavit, et eam spirituali mentis lætitia insignivit. Secundum diadema Christi, est ordinata series fidelium, de qua dicitur : *Ut castrorum acies ordinata* (*Cant.* VI). In corona, quædam ex legitimo ordine disponuntur, corona lapidibus insignitur, corona cedit in gentis honorem. Sic in conventu fidelium, sancti legitimo ordine dispo-
B nuntur : conventus etiam fidelium sanctis, velut lapidibus pretiosis insignitur, et in Christi honorem cedit, quia quodammodo vita fidelium Christum insignit. Hoc diadema principio caret et fine, quia a se excludit principium miseriæ, id est culpam, et finem, id est gehennam. De hac corona dicitur : *Posuisti, Domine, super caput ejus coronam de lapide pretioso* (*Psal.* XX). Et hoc dicitur de Ecclesia. Et, « *eris corona gloriæ in manu* Dei tui. » Hoc diademate *coronavit eum mater sua,* id est Ecclesia. Tertia corona ex spinis fuit, *qua coronavit eum mater sua,* id est Judæa; de qua dicitur : *Et plectentes imposuerunt ei spineam coronam* (*Joan.* XIX). Quarta corona est gloriæ et immortalitatis, de qua dictum est :
C *Gloria et honore coronasti eum, Domine* (*Psal.* VIII).

145 DE NATIVITATE DOMINI ITERUM.

10. *Populus gentium qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam* (*Isa.* IX). Ante adventum Christi, Judæus ambulabat in tenebris ignorantiæ; gentilis, culpæ; fidelis, post mortem in tenebris pœnæ. Judæus ambulabat in incerto, gentilis in lubrico, fidelis post mortem sedebat in obscuro. Sed *populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam,* id est Christum, qui est lux vera, qui *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* (*Joan.* I). Hanc lucem vidit Judæus in carne, gentilis in fide, fidelis post mortem, in felici exspectatione. Hæc lux venit in mundum, ut gentilis crederet, ut fidelem a morte liberaret. Unde hujus lucis
D ortum, modicam lucem videbat Judæus, intelligentia legis; modicam videbat gentilis, investigatione rationis; modicam lucem videbat fidelis post mortem in sinu quietis; modicam lucem videbat Judæus in legis signaculo; gentilis in creaturæ speculo, fidelis post mortem in refrigerio.

Sed sedentibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis (*Isa.* IX). Triplex est mors, triplex umbra, triplex regio. Mors corporalis, sive naturalis, separatio est corporis et animæ; secunda mors, mors animæ, id est separatio ejus a Deo; tertia, gehennæ. Primæ mortis umbra est infirmitas, quia sicut in umbra apparet rei imago, sic infirmitas naturalis mortis est similitudo. Umbra secundæ mortis, peccatum est, quia in mortali peccato anima a Deo

separatur; et sicut ab imagine venitur ad rem, ab umbra venitur ad veritatem; sic per peccatum venitur ad mortem. Illæ autem tenebræ in quibus erant fideles post mortem, existentes in sinu Abrahæ, erant quasi umbræ mortis æternæ; quia per illas tenebras in quibus erant ibi, significantur illæ in quas demergentur damnati. Regio umbræ primæ mortis, mundus est; regio umbræ secundæ mortis, malorum conventus; regio umbræ tertiæ mortis, Abrahæ sinus. Tam Judæis ergo quam gentibus per torporem vitiorum jacentibus in regione umbræ primæ mortis, id est in mundo viventibus; et *in regione umbræ* secundæ *mortis*, id est in conventu malorum torpentibus, *lux orta est*, id est Christus per incarnationem, ut utrosque illuminaret ad intelligendum, utrosque irradiaret ad credendum. *Habitantibus in regione umbræ mortis*, id est sanctis in sinu Abrahæ requiescentibus, Sol justitiæ est ortus, ut et eos a tenebris inferni liberaret, et eos luce æterna perfunderet. Nec mirum : *Parvulus enim natus est nobis, et Filius datus est nobis* (*Isa.* IX). Parvulus ætate, maximus majestate. Nobis apparet in mundo, ut ei compareamus in cœlo.

Et ideo *principatus super humerum ejus* (*ibid.*). Crux quam Christus gessit in humeris, eleganter dicitur principatus, quia per ipsam triumphavit de diabolo, ne manus suæ potentiæ ad nos extenderet; triumphavit de mundo, ne per amorem ad nos accederet; de peccato, ne regnaret in nobis; de morte, ne permaneret; de veteri homine, ne insurgeret. *Et vocabitur nomen ejus, admirabilis* (*ibid.*). O quam elegans nominis impositio! Christus admirabilis in natura, quæ caret initio in genitura, quia genitus ab æterno; in matris conceptione, in nativitate, in morte, in resurrectione. Admirabilis etiam in consilio reperitur, unde et *consiliarius* (*ibid.*) dicitur; alto enim Dei consilio ordinavit, ut sicut per hominem intravit culpa, ita per hominem rediret gratia; et sicut in ligno præcessit transgressio, ita et in ligno celebraretur redemptio; et sicut passio Christi fuit Judæis *odor mortis in mortem*, ita gentibus esset *odor vitæ in vitam* (*II Cor.* II), multiplex etiam attulit salutis consilium; scripsit enim hominibus legem naturalem in corde, legem Mosaicam in codice, legem Evangelii, id est **146** legem patientiæ, in carne. Et quia tam admirabilis et tantus consiliarius, ergo *Deus*. Hic duæ Christi naturæ exprimuntur; humana, cum dicitur : *Parvulus natus est nobis*, divina vero, cum additur : *Deus*. Et quis Deus? *Pater futuri sæculi.*

11. Per hoc quod Christus octava die circumcisus est in carne, figuratum est quod octava die resurrectionis circumcidendum esset a carnis passibilitate; et corpus suum, id est fidelis populus octava ætate, a corporis et animæ pœnalitate. Nec solum in Christo fuit perfecta et plena circumcisio, id est circumcisio circumcisa, sed et circumcisio circumcidens. Circumcidit enim ~~conceptionem~~ matris a culpa; partum a pœna; aquas per baptismum A a sanctificandi impotentia; crucem ab ignominia; sepulcrum a corruptione cadaveris; carnem a vinculo mortis; non ut indigeret, sed ut indigentiam nostram tolleret.

12. Non vacat a mysterio quod puer Christus circumcisus est. Per hoc enim significatur quod nos pueri, non ætate, sed puritate, debemus nos circumcidere a puerilitate; vel, quod a prima ætate, nos a vitiis debemus circumcidere.

13. Quidam prophetæ fuerunt verbo, quidam facto; ut verbo angelus qui ait : *Et vocabis nomen ejus Jesum* (*Luc.* I). Facto, ut Joseph, quia per hoc quod factus est salvator Ægypti a fame salvando, significavit Christum futurum Salvatorem mundi, a spirituali inedia liberando.

B 14. Tres reges munera offerentes significant tres animæ potentiales vires, quæ eleganter dicuntur reges, quia animam regunt, hæ sunt; ratio, intellectus et intelligentia. Hæ ab oriente peregrinantur, quia a cœlesti oriente, id est a Deo, in animæ dotes transmigrant. Per myrrham, quæ cadaveribus mortuorum opponitur, historia figuratur, quia ipsa circa res caducas et transitorias vertitur. Hanc offert ratio, quia circa historialia ejus versatur consideratio. Per thus, figuratur tropologia, sive moralitas, hæc offert suavitatis odorem; hanc offert intellectus, quia circa formas ejus versatur intuitus.

Per aurum significatur anagoge, id est cœlestium consideratio, quia sicut aurum inter metalla prærogativam retinet; sic anagoge inter intelligentias monarchiam C retinet. Unde anagoge quasi sursum ductio. Hanc offert superior animæ potentia, id est intelligentia, quæ sola contemplatur divina.

15. *Ecce mitto angelum meum, qui præparabit viam ante faciem tuam* (*Malach.* III; *Matth.* XI). Filius Dei dicitur splendor et forma substantiæ Patris (*Hebr.* I), et ideo facies dicitur, quia sicut in facie hominis voluntas perpenditur; sic per Filium, Patris voluntas dignoscitur. Est autem multiplex Patris facies; facies, proles ejus unica ; unde dicitur : *Ecce mitto angelum meum ante faciem tuam.* Facies dicitur misericordia, unde dicitur : *Ne avertas faciem tuam a me* (*Psal.* LXVIII). Facies est præsentia, unde dicitur : *Infirmabuntur et peribunt ante faciem* D *tuam* (*Psal.* IX). Facies dicitur cognitio manifesta, unde dicitur : *Videbimus Deum facie ad faciem, sicuti est* (*I Cor.* XIII).

16. Quadruplex est templum Dei. In quolibet est oblatus Filius Deo Patri. Templum Dei humana natura, de qua dicitur : *Solvite templum hoc, et post triduum*, etc. (*Joan.* II). Templum Dei etiam dicitur, templum materiale, de quo dicitur : *Et venit in Spiritu in templum* (*Luc.* II). Templum etiam dicitur præsens Ecclesia, unde : *Templum Dei sanctum est, quod estis vos* (*I Cor.* III). Templum dicitur vita æterna; unde : *Adorabo ad templum sanctum tuum, in timore tuo* (*Psal.* V). Ad primum templum venit Christus per incarnationem; ad secundum, secundum legis consuetudinem; ad tertium, per humani

generis visitationem; ad quartum, per ascensionem.

17. Triplex legitur Christi adventus; primus, in carnem, per misericordiam; secundus, in mentem hominis, per gratiam; tertius ad judicium, per gloriam · *Quis poterit cogitare diem adventus ejus primi?* (*Malach.* III.) Quis poterit **147** comprehendere diem vel horam, veniendi modum vel formam? quomodo cœleste terreno, invisibile visibili, illocale locali, uniretur unione ineffabili? Quis etiam potest cogitare diem adventus alterius, ubi animæ per gratiam illabitur Spiritus sanctus?

Quid enim magis incomprehensibile, quam adventus sine motu; illapsus sine transitu, motus in tranquillitate, lapsus in quiete? Tertium etiam adventum quis poterit cogitare, quando veniet judicare vivos et mortuos, quando judicabit in majestate, qui judicatus fuit in humilitate; quando timebunt angeli *quis stabit ad videndum eum?* (*ibid.*) quasi dicat: Rarus ad cœlestia erectus, primum Christi videbit adventum; rarus stabit in virtutibus, ut intelligat spiritualem Christi ad se adventum. Quis stabit in virtute in die judicii, ut audeat eum videre in majestate? *Circumdederunt me gemitus mortis, et dolores inferni circumdederunt me* (*Psal.* XVII), id est peccata pro quibus dolendum, et quæ ducunt ad inferni tormentum, *circumdederunt me.* Sunt autem tres species dolorum inferni; dolores inferni possunt dici dæmones, culpæ mortales, pœnæ infernales. Sunt autem species pœnarum infernalium, quatuor; vermis conscientiæ, flamma gehennæ, revelatio culpæ, carentia visionis divinæ. Prima pœna secretior, secunda gravior, tertia erubescibilior, quarta damnosior. Illi ergo qui in pœnis inferni sunt, clamare possunt: *Circumdederunt me gemitus mortis* æternæ. A simili, per contrarium, quilibet fidelis in requie constitutus, dicere potest: Circumdederunt me gaudia vitæ, et deliciæ paradisi circumdederunt me. Considera, o homo, quot et quantis sis circumvallatus miseriis, et nihil invenis in humano statu, quod non sit plenum dolore et gemitu.

18. *Scindite corda vestra* (*Joel.* II). Cor humanum multipliciter scinditur. Scinditur, quando in diversa distrahitur, ut cor avari; scinditur, quando partim dividitur in Deum, partim in mundum, quale est cor hominis tepidi.

Cor scinditur per contritionem, quod prius clausum erat per obstinationem. Primum est cor hominis frigidi, secundum hominis tepidi, tertium hominis calidi. Primum cor scindit cupiditas, secundum duplicitas, tertium charitas. De primo dicitur: *Corde et corde locuti sunt* (*Psal.* XI). De secundo: *Nemo potest duobus dominis servire* (*Matth.* VI). De tertio: *Cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies* (*Psal.* L). Scindendum est cor nostrum ad diligendum Deum, scindendum est, ad intelligendum, ad pœnitendum.

19. *Rogamus vos et obsecramus*, etc. (*I Thess.*

A IV.) Rogamus, quando aliquid simpliciter petimus, obsecramus quando cum admiratione oramus.

Eleganter dictum est, *ambuletis* (*ibid.*). Ambulare enim notat profectum de gradu in gradum. Nec simpliciter dictum est, *ambuletis*, sed *quemadmodum accepistis a nobis.* Ille eo modo ambulat quomodo accepit a prædicatore, qui illud quod audit implet eo fine quo dictum est a docente; qui non solum implet rei substantiam, verum etiam circumstantiam. Sequitur: *Sic ambuletis ut abundetis magis* (*ibid.*). Ambulare non solum notat profectum virtutum, verum etiam perseverantiam boni operis; ut sic abundetis magis, non solum perseverando, verum etiam de virtute in virtutem proficiendo (*Psal.* LXXXIII); quia sicut justum est, ut

B *qui in sordibus est, sordescat adhuc* (*Apoc.* XXII); sic justum est, ut qui in virtutibus est, abundet adhuc; quia charitas data meretur augeri; aucta, meretur perfici. *Hæc ergo voluntas Dei sanctificatio vestra, ut abstineatis a fornicatione* (*I Thess.* IV). Duplex est fornicatio, carnalis et spiritualis. Carnalis, quæ fit in corpore; spiritualis, quæ fit in mente, per peccatum mortale; ubicunque fornicatio carnalis, ibi spiritualis, sed non e converso. Tota Scriptura Novi et Veteris Testamenti prohibet fornicationem, quia ad hoc peccatum videt hominem proniorem.

Homo enim proclivior est ad carnis lubricum;

C quia in luxuria conceptus, quodam hæreditario jure videtur caro concupiscere. **148** Non ergo credat homo se posse licite vacare libidini, quia ejus est addicta origini. Frequentius et manifestius prohibetur fornicatio, quam alia hominis exorbitatio; et sub nota fornicationis carnalis, prohibetur spiritualis. Tunc enim anima spiritualiter fornicatur, quando in mortale peccatum labitur; quia tunc recedit a Deo, et fornicatur cum diabolo. Abstinendum ergo a fornicatione: *Ut sciat unusquisque nostrum suum vas possidere in sanctificationem et honorem* (*ibid.*). Triplex est vas hominis, sacra Scriptura, caro humana, uxor propria.

Vas dicitur sacra Scriptura, quia in ea vinum spiritualis intelligentiæ continetur; vas, caro hu-

D mana, quia in ea anima recipitur; vas, uxor propria, quia in ea proles concipitur. Primum vas aureum, propter sapientiam, argenteum propter eloquentiam. Secundum vas luteum, propter carnis corruptelam. Tertium potest dici carneum, quia in eo celebratur carnale commercium. Primum *possidere* debemus *in sanctificationem et honorem*; ut non illud corrumpamus per hæreticam expositionem, sed sanctificemus per legitimam spiritualis intelligentiæ inquisitionem.

Vas etiam secundum, id est corpus nostrum debemus possidere, cohærendo in sanctificatione virtutum, et honore, ne inhonoretur aliqua turpitudine. Quia sicut homo studet officiorum suorum

vasa munda servare ; ita membrorum suorum officinas, debet per continentiam honorabiles exhibere. Conjugatus etiam quilibet tenetur vas suum, id est uxorem, possidere, in sanctificationem ; non turpiter ea abutendo, non in passione desiderii, ut nec saltem desiderium sit ibi, quod est læsio et animæ passio. O miser homo ! luxuriam putas esse delectationem, et Apostolus vocat eam, passionem. Si ibi delectatio, falsa est et momentanea, immunda, peremptoria.

20. *Oculi mei semper ad Dominum* (*Psal.* xxiv). Quidam dirigunt oculos materiales ad creaturas, ut in eis per concupiscentiam delectentur. Contra quam delectationem dictum est : *Averte oculos meos ne videant vanitatem* (*Psal.* cxviii). Vana scilicet, et vane. Potest enim aliquis videre vana, et non vane, qui ista visibilia videt ut in eis laudetur Deus. Videt vana vane, qui vana intuetur, ut delectetur sensus.

Nec solum oculus materialis avertendus est a vanitate, sed et oculus spiritualis, id est mens, ne vana intueatur vane, id est carnales delectationes concipiat delectandi intentione ; sed intueatur vana non vane, id est eas consideret fugiendi gratia.

Convertantur autem oculi interiores ad veritatem, ut vera intueantur, et vere, id est æterna, et ex charitate. Et hoc est quod dicit : *Oculi mei semper ad Dominum.* Sunt tamen quidam qui mores bestiales induentes, oculos declinant in terram, non nisi terrena cogitantes. Isti sunt quasi *sus in volutabro luti* (*II Petr.* ii), demersi in limo profundi. Isti sapientiam suam detinent in mundi phantasiis, de quibus Salomon : *Mulier pulchra et fatua, est annulus aureus in naribus suis* (*Prov.* ii). Sus enim maculat annulum in luto, et mulier pulchritudinem in fetore luxuriæ. Ista sapientia est quasi annulus oureus in naribus suis. Sus est animal gulosum et immundum, animal luto deditum : talis est homo mundanis deditus, cujus cupiditas omnia devorat, quem culpa maculat, qui fæci terrenorum inhiat. In cujus naribus est annulus aureus. Nares ejus sunt, timor mundi et amor, quibus mundi delicias quasi quemdam odorem ad se trahit. Timor cavet ne amittat, amor allicit ut acquirat. In his naribus quasi annulus aureus est hominis sapientia , quæ in timore et amore mundi expenditur, et dum hæ nares luto terrenorum applicantur, aureus annulus inficitur.

Sapientia vero justi est, aureus annulus in digito discreti. Per digitum intelligitur bona operatio ; digitis enim operamur. Unde, dives sepultus in inferno, loquens ad animam pauperis quiescentem in sinu Abrahæ ait : *Intingat extremum digiti sui in aquam, ut refrigeret linguam meam* (*Luc.* xvi), id est si minimum bonorum operum ipsius haberem, minorem pœnam sustinerem.

21. **149** *Exsultemus ab uberibus consolationis nostræ* (*Isa.* lxvi). Alia sunt ubera desolationis, alia consolationis, alia absolutionis. Ubera desolationis

A sunt, peccati delectatio, et ejusdem continuatio, quæ ubera propinat mater consuetudo. Unde Job in persona humani generis, dolet se lactatum uberibus pravæ consuetudinis. Ab his uberibus ablactatur, qui volens accedere ad mensam Dominicam, de peccato dolet, a peccato recedit, et pœnitet. Et hoc fieri solet, quando aliquid amarum uberibus pravæ consuetudinis apponitur ; quod fit, quando filius a patre temporali tribulatione flagellatur. Ubera consolationis sunt ubera matris Ecclesiæ, scilicet, doctrina et vita. Ab uno ubere, scilicet a doctrina, lac procedit ; ab altero ubere, id est vita, mel defluit ; quia doctrina fovet, vita demulcet. De his uberibus dicit Sponsa : *Inter ubera mea commorabitur* (*Cant.* i). Ubera absolutionis sunt ubera Jerusalem B cœlestis matris nostræ, quæ triumphat in cœlis. Hæc sunt, libertas a culpa, et libertas a pœna. Ab his uberibus exsultant, qui in cœlis triumphant. De his uberibus dicitur : *Dulciora sunt ubera tua vino* (*ibid.*). Exsultemus ergo ab uberibus consolationis, bibamus lac quod propinat doctrina ; satiemur melle, quod propinat fidelium vita. Unde de Ecclesia dicitur : *Mel et lac sub lingua tua* (*Cant.* iv).

Eleganter autem per lac figuratur sacra doctrina, vel sacra Scriptura ; quia sicut in lacte triplex est substantia, seri, casei, butyri, sic in sacra Scriptura, triplex est intelligentia, historica, allegorica, tropologica. Per serum, figuratur historia, quia sic ut serum substantiæ est vilioris, et saporis minoris, C sic historia vilioris et minoris delectationis. Per caseum qui solidioris est substantiæ, et nutritivæ, et separatur a sero, figuratur allegoria, quæ animæ intelligentiam nutrit, et solidius animam pascit. Per butyrum quod pinguius est et lenificativam habet substantiam, figuratur tropologia, quæ suavius sapit palato mentis. Per mel quod latet in cellulis, figuratur vita fidelium, quæ latet in humani corporis testa, velut favus in cellula. Exsultemus ergo ab uberibus nostræ consolationis, ut perveniamus ad ubera absolutionis.

22. Triplex est tabernaculum Christi. Tabernaculum humana natura, tabernaculum Ecclesia, tabernaculum vita æterna. De primo dicitur : *In sole posuit tabernaculum suum* (*Psal.* xviii). De secundo : *Quam* D *dilecta tabernacula tua, Domine!* (*Psal.* lxxxiii.) De tertio legitur : *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo ?* (*Psal.* xiv.) In primo fuit pugnans, in secundo regnans, in tertio triumphans. Primum tabernaculum fuit compositum ex cortinis cilicinis, secundum ex pellibus rubricatis, tertium ex pellibus hyacinthinis. Humana etenim Christi natura quodammodo fuit cilicina, quia propter defectus humanos aspera ; assumpsit enim Christus saccum meriti, non meritum sacci, id est pœnam, non culpam. Unde et Christus in Psalmo, se dicit indutum cilicio (*Psal.* xxxiv). Secundum tabernaculum, id est Ecclesia, compositum est *ex pellibus rubricatis* (*Exod.* xxxvi), id est ex sanctis, variarum tribulationum sanguine rubricatis. Tertium tabernaculum, id est

vita æterna, *ex pellibus hayciuthinis* (*ibid.*). Hyacinthus colorem præfert cœlestem; hyacinthinæ ergo pelles significant cœlestium præmiorum varietates, in quibus et ex quibus, vita consistit æterna. O homo, qui in tabernaculo corporis constitutus es, qui in tabernaculo Ecclesiæ positus, toto corde ad cœleste tabernaculum aspira, ut merearis in Sancta sanctorum intrare, id est in vitam æternam. In qua est cherubim, id est angelica natura, in qua est arca fœderis, id est humana Christi natura; in qua est urna plena manna, id est anima Christi, plena gratia cœlesti; in qua est aurea corona, id est cœlestis beatitudo; In qua aureola, id est beatitudinis quædam superadditio; in qua est propitiatorium, id est divina majestas.

23. *Pater, si fieri potest, transeat a me calix iste; non tamen sicut ego volo, sed sicut tu* vis (*Matth.* xxvi). Ecce quomodo in Christo duo loquantur, et de diversis loquantur! Loquitur sensualitas, loquitur ratio. Loquitur sensualitas ex nostra infirmitate; loquitur ratio ex divina firmitate; loquitur sensualitas ex humano **150** affectu, loquitur ratio ex divino effectu. Ait sensualitas: *Pater, si fieri potest, transeat a me calix iste.* Ait ratio: *Non tamen sicut ego volo, sed sicut tu* vis. Ecce voluntates istæ diversæ, non adversæ; volunt contra diversa, sed non tendunt in contraria. Proponit sensualitas, disponit ratio. In nobis frequenter sensualitas et ratio non solum sunt diversæ, sed etiam adversæ, quando sensualitas vult malum, ratio bonum.

Unde Apostolus in persona humani generis ait: Sentio *aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ* (*Rom.* vii). Hæc cogit hominem debacchari cum brutis; illa facit hominem ratiocinari cum angelis, hoc est perpetuum in mente humana duellum, quia etsi ratio aliquando sensualitatem refrenet, tamen sensualitas semper remurmurat; hæc est enim rota carri, quæ fenum portat, tamen murmurat. Sed in arca Noe omnes bestiæ fuerunt pacificæ, quia omnes motus sensuales in humana Christi natura fuerunt pacifici, id est obedientes rationi. Christus ergo secundum sensualitatem loquens, ait: *Pater, si fieri potest, transeat a me calix iste.* Multiplex est calix. Calix, passio; calix, corporis et sanguinis Dominici sumptio; calix, terrena delectatio. De primo dicitur: *Transeat a me calix iste.* De secundo dicitur: *Calix inebrians quam præclarus est* (*Psal.* xxii). De tertio dicitur, quod omnes gentes inebriatæ sunt calice aureo Babylonis (*Jer.* li). Primus calix inebriat ad mortis soporem, secundus, ad sobrietatem; tertius, ad æternam damnationem. Primus calix est myrrhatus, secundus melleus, tertius mellitus. Unde et de ipso dicitur: *Mel distillant labia meretricis* (*Prov.* v). O homo, si tibi immineat passio ad mortem, si titillet caro, constans sit ratio, clama: *Pater, si fieri potest, transeat a me calix iste, non tamen sicut ego volo, sed sicut tu.* Si instet timor præveniens passionem, non instet passio turbans rationem. Sis paratus ad sumendum secundum calicem, id est corpus et sanguinem Domini, clama: Pater, si fieri potest, permaneat in me calix iste. Si immineat tertius calix, id est, terrena delectatio, clama: *Pater, si fieri potest, transeat a me calix iste.*

24. *Expurgate vetus fermentum* (*I Cor.* v). Fermentum, est malitia, quæ totam massam operum corrumpit. Est autem duplex fermentum, charitatis et iniquitatis. De fermento charitatis dicitur, quod mulier miscuit modicum fermenti satis tribus (*Matth.* xiii). Fermentum misceri satis tribus, nihil aliud est, quam charitatem adjungi fidei Trinitatis. Sicut fermentum totam massam rei cui adjungitur in suam naturam convertit; sic charitas omnia quibus adjungitur, sibi similia facit.

Expurgetur a nobis fermentum, ut simus nova conspersio, sicut fuimus azymi.

Azymi fuimus per baptismum, id est a zyma originalis peccati, purgati. Permanentes ergo in innocentia, simus conspersio nova, conspersi cœlesti gratia. Conspersio nihil aliud est quam farina aqua conspersa. Fidelis ergo rore cœlestis gratiæ respersus, est conspersio nova. Nota quod fidelis ut fiat cibus Christi, et Christus cibus justi, primo debet inter duas molas moli et conteri. Inter timorem videlicet et spem; et sic in farinam spiritualem redigi, consequenter abundantiori aqua charitatis respergi, et sic in panem redigi, postea igne tribulationis decoqui, et sic in cibum Christi converti. *Etenim pascha nostrum immolatus est Christus* (*I Cor.* v).

Pascha dicitur et hora vespertina in qua agnus comedebatur. (Unde dictum est: *Ante diem festum Pascha* (*Matth.* xxvi) et agnus Paschalis qui comedebatur; unde dictum est: *Ubi vis paremus tibi comedere Pascha* (*ibid.*)? et solemnitas paschalis; unde dictum est, ne contaminarent Pascha (*Joan.* xviii), id est solemnitatem paschalem. Christus ergo Pascha dicitur, quasi agnus paschalis, qui pro nobis immolatus est. Pascha etiam dici potest, quasi *transitus*, quia transiit de morte ad vitam, de mundo ad Patrem.

25. *Ascendens Christus in altum, captivam duxit captivitatem* (*Ephes.* iv). **151** Multiplex legitur Christi descensus: primus descensus fuit de sinu Patris in uterum Virginis; secundo, descendit in præsepe; tertio, ad inferos. Primus, fuit ad visitandum, secundus ad significandum; tertius, ad liberandum. Similiter, multiplex fuit ejus ascensus, ascendit in crucis patibulum; ascendit ad resurrectionis triumphum; ascendit in cœlum. Primo ascensu ascendit ut mortem captivaret; secundo, ut eam perimeret; tertio, ut captivitatem captivam duceret. Genus humanum multipliciter, et a multis erat captivatum. A dæmonis potentia, a culpa, a pœna; sed quod diabolus captivarat captivitate erroris, Dominus captivavit captivitate salutis, ut jam non esset tributarium diabolo, sed obnoxium Deo; et quod captivavit culpa per diabolum, captivavit gratia per

Christum; et quod captivavit pœna, captivavit gloria. Sed illa captivitas erat servitutis, ista libertatis.

Nec solum Christus bona captivitate captivavit genus humanum, sed etiam captivavit infernum, diabolum, peccatum, supplicium. Captivavit genus humanum, ut liberum esset; infernum, ne suos perderet; diabolum, ne in suos desæviret; peccatum, ne nimis abundaret; supplicium, ut minus homo illud timeret. Ipse autem victor *ascendens, dedit dona hominibus* (*ibid.*), quia distribuit stipendia suis militibus. Ecce, vermis qui sine coitu nascitur, foliis virentibus pascitur, sericum emittit ab ore, consequenter clauditur morte; denuo suscitatur, postmodum ei ad volandum ala datur; hic est sine virili semine natus, foliis virentibus, id est orationibus sanctorum delectatus, sericum emittens ab ore, id est vestimenta virtutum nobis præbens sua prædicatione, consequenter mortuus, denuo a mortuis suscitatus, tandem assumptis alis immortalitatis et agilitatis, impassibilitatis et subtilitatis, ad dexteram Patris est collocatus.

DE SANCTO JOANNE BAPTISTA.

26. *Vox clamantis in deserto : Parate viam Domini*, etc. (*Matth.* III.)

Aliud est verbum, aliud vox verbi. Verbum dicitur proprie interior mentis conceptus, exteriore voce expressus. Unde et verbum dicitur, a verbere mentis, id est a passione quia quodammodo anima patitur, cum ab ea de re intellectus habetur. Unde Aristoteles in libro *Perihermeniarum*, ait : « Ea quæ sunt in voce, notæ sunt eorum quæ sunt in animo. » Eleganter ergo Filius Dei dicitur Verbum, quia sicut mentis conceptus de mente procedit, ita Pater Filium genuit : sicuti sine aliqua diminutione, mens gignit intellectum, sic Pater sine omni diminutione sui gignit Filium; sicut verbum exteriore voce exprimitur, sic Filius quasi lingua Dei verbum variis prophetis annuntiavit. Et sicut verbum Dei dicitur interior mentis conceptus, sic vox verbi dicitur exterior sonus. Unde, sicut Christus dicitur Verbum, sic vox verbi aliquis prædicans verbum. Sicut quilibet etiam propheta posset dici vox verbi, quasi verbum prædicans, tamen antonomastice Joannes Baptista dicitur vox verbi, quia non solum futurum prædixit, verum etiam præsentem demonstravit. Eleganter ergo de eo dictum est, quod sit *vox* verbi *clamantis in deserto*. Et nota, sicut apud logicum discernitur, alium esse sonum non vocem, alium esse sonum vocem; aliam vocem significativam, aliam non significativam; aliam significativam naturaliter, aliam ad placitum. Quædam autem res inanimatæ fuerunt signa verbi, sed nulla voce ipsum verbum prædicaverunt : tale signum potest dici, sonus verbi, sed non vox verbi. Ut manna quod de cœlo descendit, fuit signum Christi, quædam vox verbi fuit significativa, quædam non.

Vox significativa seu articulata, dicitur quæ profertur cum intellectu ejus qui loquitur, quando intelligit illud quod 152 voce dicit. Vox ergo significativa verbi fuerunt Isaias et Jeremias, quia quilibet eorum intelligebat quod dicebat; vox vero verbi non significativa fuit Balaam, Caiphas, etc., qui quamvis aliquid de Christo figurarent, non tamen intelligebant quod dicerent. Quædam autem vox verbi fuit significativa naturaliter, quædam ad placitum. Quidam namque philosophi naturaliter, ductu rationis comprehenderunt Patris sapientiam, et ita verbum et multa de eo prædixerunt. Ut verbi gratia unus eorum (14-16) de Filio Dei ait : « Deus summus secundum fecit Deum, et eum dilexit tanquam unigenitum filium suum, vocavitque eum filium benedictionis æternæ. » Talis vox verbi significativa fuit naturaliter, quia ductu naturalis rationis. Illa vox significativa fuit ad placitum imponentis, id est beneplacitum Dei inspirantis, ut sancti prophetæ.

Talis vox fuit Joannes Baptista, unde de ipso dicitur : *Vox clamantis in deserto*. Istum verbum, id est Christus, clamavit in multiplici deserto. In deserto mundi, creaturas Deum prædicantes, et sic in deserto mundi clamavit facto; in deserto Judææ, verbo, in deserto animi justi, nutu divino. Quid clamat? *Parate viam Domini*. Multiplex est via Domini. Via a qua viandum, ut pœnitentia, via juxta quam viandum, ut bonus prælatus, cujus sequi debemus exemplum; via in qua viandum, divinum præceptum; via ad quam viandum, Christus. De prima dicitur : *Parate viam Domini*; de secunda : *Viæ Sion lugent* (*Thren.* I); de tertia : *Beati immaculati in via* (*Psal.* CXVIII); de quarta : *Ego sum via, veritas et vita* (*Joan.* XIV). Via ergo paranda per pœnitentiam est, per contritionem, per confessionem, per satisfactionem. Via paranda est, ut ejiciatur lutum luxuriæ, ut ejiciatur pulvis vanæ gloriæ, lapis mentis induratæ. *Rectas facite semitas Dei nostri* (*Matth.* III).

Aliud est via, aliud semita. Via, est strata publica, per quam omnes communiter gradiuntur; semita, est arcta via et secreta, per quam pauci et arctius gradiuntur. Unde, semita, quasi semis iter. Via ergo est præceptum, semita consilium. Præceptum ab omnibus debet impleri, consilium implent pauci, quia arctius est.

Semita autem aliquando est recta, aliquando indirecta. Indirecta quando aliquis specietenus implet consilia, quodam instinctu naturali, non amore Dei, ut philosophi, qui omnia reliquerunt, sed Christum non sunt secuti. Recta est semita, quando solo Dei intuitu implentur consilia. Hujus verbi sic clamantis vox fuit Joannes Baptista.

DE SANCTO PETRO APOSTOLO.

27. *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam* (*Matth.* XVI.)

Petrus Ecclesiam figurat; sicut enim a petra Christo, Petrus dicitur, sic Ecclesia ab angulari lapide

(14-16) Mercurius Trismegistus.

Christo, nomen interius mutuatur. Sicut a petra Christo ipsi datum est nomen, sic a petra Christo Ecclesiæ datum est nomen. Sicut Petrus periclitatur in fluctibus, sic Ecclesia periclitatur in mundi tempestatibus. Ad similitudinem enim stellæ septentrionalis verritur, sed non mergitur; periclitatur, sed non naufragitur. Sicut Petrus dictus est Barjona, quasi *filius columbæ*, sic Ecclesia filia cœlestis columbæ, id est Spiritus sancti. Ad Petrum ergo Dominus loquens ait : *Tu es Petrus*, subaudi, a me petra sic dictus ; *et super hanc petram*, id est super me (17), *ædificabo Ecclesiam* **153** *meam. Et tibi dabo claves regni cœlorum* (*ibid.*). Quod est istud regnum, cujus claves collatæ sunt Petro et omni ejus successori ? Una clavis est potestas ligandi atque solvendi ; altera clavis est, discretio discernendi intra lepram et lepram, id est peccatum et peccatum. Eleganter potestas ligandi atque solvendi dicitur clavis, quia sicut clavis serat et reserat, sic potestas illa duos habet usus, unum in ligando, alterum in solvendo.

Dicitur autem sacerdos ligare, triplici de causa, quia vel relinquit ligatum, vel satisfactionem injungit, vel excommunicato imprecatur. Similiter, tripliciter dicitur solvere, quia sacramentaliter absolvit, et de pœna remittit, et pro salute orat : officium etiam discernendi inter peccatum et peccatum, clavis dicitur ; quia tali officio habet assignare differentiam inter peccatum et peccatum. Istæ sunt claves regni cœlorum. Quadruplex est regnum cœlorum ; regnum enim dicitur Christus, sacra Scriptura, Ecclesia, vita æterna. De primo dicitur : *Regnum Dei intra vos est* (*Luc.* XVII). De secundo dicitur : *Simile est regnum cœlorum homini qui exiit primo mane seminare semen suum* (*Matth.* XIII). De tertio : *Regnum meum non est de hoc mundo* (*Joan.* XVIII). De quarto : *Appropinquabit enim regnum cœlorum* (*Matth.* III). Primi regni clavis dicitur illa de qua facta est mentio ; quia per officium sacerdotis et potentiam a Christo datam, aperitur primum regnum fideli, et preparatur via ad Christum ; per hoc enim quod sacerdos inter peccatum et peccatum discernit, et pœnitentem absolvit, viam præparat fideli ad Christum. Similiter, per has claves reseratur introitus ad secundum regnum, id est ad sacram Scripturam. Nam per hoc quod sacerdos pœnitentem solvit, de pœna remittit, quantitatem peccati ostendit, convenientiam etiam et differentiam inter peccata, ad intelligentiam sacræ Scripturæ mittit. Per has etiam claves reseratur aditus ad tertium regnum, id est ad Ecclesiam. Simili modo ad quartum regnum, id est ad vitam æternam ; et ita, quantum ad quadruplex regnum, dicuntur claves regni cœlorum. Istæ claves ad sacerdotes pertinent, qui debent esse cœli janitores, et paradisi clavigeri. Sed jam istæ claves legitimæ, mutatæ sunt in adulterinas, quia non jam Dei intuitu et rationis ductu ligant aut solvunt, sed amore pecuniæ non ligandos ligant, ut de eis vere possit dici : *Quodcunque ligaveris super terram, erit solutum in cœlis ; et quodcunque solveris super terram, erit ligatum in cœlis* (*Matth.* XVI). Ecce isti clavigeri sunt non a clave, sed a clava ; claves mutant in clavas, quia non eis viam aperiunt, sed potius seducendo, ad mortem æternam percutiunt.

Isti potius videntur habere claves infernorum, quam regni cœlorum. Isti miseri non sunt vicarii Simonis Petri, sed Simonis magi.

DE SANCTA MARIA.

28. *Egredietur virga de radice Jesse* (*Isa.* XI).

Dominus Deus hominem quasi arborem vitæ plantavit in medio mundi, quasi in medio paradisi.

Lignum, inquam, fuit homo ante peccatum, propter naturæ suæ soliditatem, et vitæ ; quia spiritualem habebat vitam, sed per peccatum istud lignum versum est in *folium quod vento rapitur* (*Job* XIII), *et fugit velut umbra, et nunquam in eodem statu permanet* (*Job* XIV). De hoc ligno processerunt multi rami, quidam virentes, quidam aridi, id est Adæ posteritas, de qua, quidam fecerunt fructum boni operis, tanquam virentes rami ; quidam vero, rore cœlestis gratiæ caruerunt, et ideo a bonis operibus aruerunt. De hujus arboris radice, de qua processit Jesse, id est de antiquorum patrum genere, egressa est virga, id est Virgo Maria. Hæc virga sui fructus suavitate redemit amaritudinem radicis antiquæ. Hæc, vitium quod erat in trunco, redemit in surculo. Hæc eleganter dicitur virga, ratione nominis, ratione significationis, ratione proprietatis. **154** Ratione nominis, quoniam mutatione A in O, de virga fit virgo. Ratione significationis, quia per virgam Aaron figurata est Virgo Maria. Quia sicut virga illa sine omni exteriori beneficio, fronduit, floruit, fructum fecit ; sic Virgo Maria sine virili adminiculo floruit Christum concipiendo, fructum fecit pariendo. Ratione proprietatis, quia sicut Virga instrumentum est regis, instrumentum est corrigentis, instrumentum est mensurantis ; sic gloriosa virgo Maria instrumentum fuit cœlestis regis, quo scilicet usus est ad regendum populum suum ; instrumentum corrigentis, quia eo

(17) Alanus noster in expositione hujus loci secutus est opinionem sancti Augustini, qui lib. I *Retract.*, cap. 21 (et alibi sæpius), hunc locum sic exponendum censet (licet aliam expositionem etiam non rejiciat qua, per (Petram), intelligitur Petrus, quæ est communis omnium aliorum sanctorum Patrum, et expositorum catholicorum) verba Augustini, loco citato, hæc sunt : *Dixi in quodam loco de apostolo Petro, quod in eo, tanquam in petra, fundata sit Ecclesia, qui sensus etiam cantatur ore multorum in versibus beatissimi Ambrosii, ubi de gallo gallinaceo ait* : « Hoc, ipsa petra Ecclesiæ, canente, culpam diluit. » Sed scio me postea sæpissime sic exposuisse, ut per « *hanc petram* » intelligeretur, quem confessus est Petrus, non enim dictum est illi tu es petra, sed, « *tu es Petrus,* » *petra autem erat Christus* (*I Cor.* X). Harum autem duarum sententiarum quæ sit probabilior, eligat lector. Hæc Augustinus. Vide Bellarminum, lib. I *De Romano pontifice*, cap. 10, et alios.

usus est ad corrigendum genus humanum; instrumentum mensurantis, quo usus est ad claudendum se sub mensura humanitatis.

Et sicut virga dum in altum erigitur, recta linea dirigitur, sic Virgo Maria in altum beatitudinis fuit erecta, et tramite virtutum directa. Unde et de ipsa dicitur: *Quæ est ista quæ ascendit per desertum?* etc. (*Cant.* III.) De hac virga, flos est egressus, id est natus Christus; flos fructum facit, odorem reddit, campo pulchritudinem dat. Sic Christus fructum nostræ redemptionis fecit, odorem nominis sui ubique diffudit, spiritualem pulchritudinem mundo dedit.

29. Aliud est signaculum Dei, aliud sigillum; aliud imago, aliud signum. Sigillum Dei Patris est Filius, quasi in omnibus signans illum, quia Patri coæqualis, coæternus, consubstantialis. Angelus est Dei signaculum, quasi in aliquibus signans illum; quia in pluribus Deo similis, etsi non in omnibus. Unde de Lucifero dicitur secundum statum quem habuit ante casum: *Tu signaculum similitudinis Dei* (*Eccl.* XXVIII). Sed Filius est sigillum Patris secundum unitatem essentiæ, angelus vero signaculum imitationis per rationem. Homo dicitur imago Dei, quasi imitago, quia non est ita expresse similis Deo sicut Angelus. Quælibet vero creatura dicitur signum Dei, quia sua essentia, sui ordinatione, sua pulchritudine prædicat Deum.

30. Vita æterna non solum dicitur promissio, sed repromissio; quia non solum verbis promissa, sed etiam factis. Promissa per patriarchas, per prophetas, per Christum, per apostolorum senatum. Quis sanctus de vitæ æternæ dubitat adeptione, quæ probata est tot sanctorum præconiis, tot sanctorum exemplis?

Non rideret Vincentius in equuleo, nisi securus esset de præmio. Non gauderet Laurentius in craticula, si dubitaret de gloria. Hoc totum operatur fides; regna vincit, justitiam perficit, repromissionem acquirit.

31. Beata Virgo Maria est quasi *lilium inter spinas* (*Cant.* II), *quasi oliva speciosa in campis*, *quasi plantatio rosæ in Jericho* (*Eccl.* XXIV). Lilium inter spinas oriens, quanto magis a spinis pungitur, tanto major odor ab eo emittitur. Lilium spinis præcellit odore, præeminet colore. Et beata Virgo, quanto majorem a Judæis sustinuit persecutionem, tanto ipsius patientia majori bonæ opinionis fragravit redolentia. Hæc est quasi oliva in amplitudine hujus mundi, velut in medio campi, speciositatem virtutum retinens, sanctis cogitationibus virens, bonis operibus florens; nobis fructum æternæ beatitudinis pariens, cœlesti oleo fecunda, id est Spiritus sancti gratia. Hæc est *quasi plantatio rosæ in Jericho*. Rosa in Jericho plantata, oritur pulchrior, redolet fragrantior, majori rubore vestitur, diutius sua pulchritudine coloratur. Cum ergo Jericho interpretatur *defectus*, beata Virgo quasi quædam rosa in defectus humanæ naturæ plantata, fuit cæteris mulieribus virtute formosior, rubore terrenarum tribulationum per patientiam venustior, odore bonorum operum redolentior.

32. Hi sunt tres gradus, per quos homo ascendit in cœlum: paupertas, humilitas, charitas. Ad hoc enim ut homo justificetur, oportet primo ut pauper sit spiritu, id est humilis et cor non apponat divitiis ut post eas mentaliter non abeat, quamvis eas materialiter habeat. Oportet autem habere quadruplicem paupertatem, contra quadruplicem divitiarum speciem; sunt enim divitiæ fortunæ, **155** quæ consistunt in auro et argento, et lapidibus pretiosis, et honoribus terrenis quæ eadem levitate recedunt qua accedunt, et ideo dicuntur fortunæ. Quæ si affluant, non debet homo iis cor apponere. Sunt et divitiæ naturæ, quæ consistunt in dotibus corporis, ut in pulchritudine, robore, incolumitate, in dotibus animæ, ut in memoria, intellectu, ratione. De his non debet homo superbire, sed contra hæc, paupertatem semper retinere. Sunt divitiæ quæ consistunt in virtutibus, et donis Spiritus sancti. De his autem divitiis non debet etiam homo superbire, ne recedant ex hominis superbia, sicut accesserunt ex divina gratia. Divitiæ gloriæ, consistunt in æterna beatitudine. Nec etiam debet superbire de illa, in præsenti vita, propter meritorum suorum insignia, quia superbia non solum aufert insignia meriti, verum etiam insignitatem præmii. Secundus gradus per quem ascendit homo in cœlum, est humilitas; hujus tres sunt species, prima est sufficiens, quæ exhibetur majori; secunda abundans, quæ solvitur pari; tertia, consummans, quæ persolvitur minori. Hæc est consummatio omnis justitiæ, de qua dicit Dominus ad Joannem: *Oportet* me *implere omnem justitiam* (*Matth.* III), id est supremum gradum humilitatis. Est autem supremus gradus charitas, secundum quam homo tenetur Deum diligere supra se, infra Deum se, proximum intra se.

33. Tres pueri, Ananias, Azarias et Misael, ne legem Dei impleant, captivantur (*Daniel* I); quia in hoc mundo, tres animæ potentiæ ne se plene exerceant, captivantur; scilicet irascibilitas, concupiscibilitas, rationabilitas: irascibilitas, ne refrenet vitia; concupiscibilitas, ne appareat recta; rationabilitas, ne examinet singula. Sed quartus, Daniel contemplativus gaudet, visiones videt, quia superior portio rationis quæ exstingui non potest, veritatem videt in speculo. Ne ergo nos captivitas terræ aquilonis, ira ad lites invitet, ad contumelias inflammet, ad detractiones moveat, ad odia succendat; ne concupiscentia excitet gulam, evocet luxuriam, cupiditatem pascat, avaritiam nutriat; ne ratio fallatur, ne imaginationibus seducatur, ad nos clamat Dominus dicens: O, o, o, *fugite de terra aquilonis* (*Zach.* II). Terra aquilonis, civitas est Babylonis; quid est Babylon, nisi mundus iste, in quo spiritualis Nabuchodonosor, id est superbia, regnat? De hac terra fugite, ne irascibilitas erret; fugite, ne

concupiscibilitas deviet; fugite, ne rationabilitas exorbitet. Nobis in terra captivitatis aquilonis, imminet triplex væ. Væ, quia succensi ira; væ, quia inflammati concupiscentia; væ, quia ratio offuscata.

Hoc insinuans Jeremias ait : *A, A, A. Domine Deus, quia puer ego sum, et nescio loqui* (*Jer.* I). A, quia ira decoquit; A, quia concupiscentia succendit; A, quia ratio dormit; et ideo *puer ego sum, et nescio loqui.* Ab hac terra aquilonis panditur omne malum; malum in Deum, per blasphemiam; malum in proximum, per superbiam; malum in se ipsum, per luxuriam.

34. Igni luxuriæ tria materiam præstant, scilicet, sarmentum, sulphur, sterquilinium.

Exterior corporis pulchritudo eleganter comparatur sarmento; nam sicut sarmentum ad modicum viret in vere, marcescit in hieme, arescit in grandine, reservatur flammæ; sic exterior corporis pulchritudo nunc in facie vernat, nunc ab hieme senectutis fugatur, nunc per mortem exstirpatur, nunc flammæ luxuriæ materiam præstat. Quid est exterior pulchritudo, nisi superbiæ fomentum, lutum deauratum, sterquilinium dealbatum, sarmentum igni luxuriæ reservatum? Sulphur vero est gula, quia sicut sulphur fetet et ardet, sic gula fetet per infamiam, ardet per concupiscentiam. Quid est gula, nisi luxuriæ seminarium, rationis sepulcrum, acervus stercorum, prædo pudoris, hostis castitatis, origo immunditiæ, mater nauseæ? Sterquilinium vero quod impinguat terram, et pessimam **156** a se emittit redolentiam, est desidia, quæ carnem impinguat ad luxuriam, et solam in se gerit infamiam. Unde David desidiosus in palatio, laboravit adulterio. Et :

Quæritur Ægistus, quare sit factus adulter?
In promptu causa est : Desidiosus erat.

(OVID., l. I *De remed. amoris.*)

O miserabilis ignis luxuriæ, cui sulphur materia, scintilla desidia, fumus infamia, cinis immunditia!

35. Divitiæ materiam præstant avaritiæ, quia multi dejecti paupertate, avaritia non æstuant, qui postquam divites facti sunt, eadem laborant.

36. Terreni honores, et mundanæ potestates, eleganter feno et stipulæ sunt comparabiles, quia sicut fenum vel stipula, nunc viret, nunc in clibanum mittitur; nunc floret, nunc conteritur; sic mundana gloria nunc viret, nunc emoritur; nunc splendet, nunc teritur. Quid ergo sunt terreni honores, nisi bonorum imagines?

Quid mundanæ potestates, nisi potestatum histriones? Quid sæculares dignitates, nisi dignitatum larvæ et simiæ? Quid terrena bona, nisi bonorum phantasiæ? certe, bona terrena bona non sunt; si bona essent, nunquam deessent, non abessent justis, non adessent injustis.

Si bona essent, animum implerent, non mentem A exhaurirent, non essent talia per quæ mens fit quadam vacuitate plena et quadam plenitudine vacua. Si bona essent, tellus eis non gauderet, paradisus non careret. Hæc terrena bona avaritiæ sunt materia.

37. Si vis vitare luxuriam, gulam refrena, vigiliis insta, orationibus intende. Si vis vitare avaritiam, attende *quod avaritia est idolorum servitus,* (*Ephes.* V). Si vis vitare vanam gloriam, considera, quod *vanitas vanitatum, et omnia vanitas* (*Eccles.* I). Considera quod hoc solum gloriosum retinet secum vana gloria, quod appetitores sui contemnat, appetat contemptores, volentes aspernetur, fugientes insequatur.

38. Pœnæ infernales quas damnandi in inferno B patientur, sunt novem : prima est, ignis inexstinguibilis, qui scilicet ignis tanto excedit ignem nostrum, quanto noster excellit ignem imaginarium; de quo dictum est : *Ite, maledicti, in ignem æternum* (*Matth.* XXV). Et alibi : *Ignis eorum non exstinguitur* (*Marc.* IX; *Isa.* LXVI). Nota duplicem effectum istius ignis, quia nec consumet, nec consumetur. Secunda pœna damnatorum erit, frigus incomparabile. Unde Job : *Transibunt ab aquis nivium ad calorem nimium* (*Job* XXIV). Tertia, vermis immortalis, unde : *Vermis eorum non morietur* (*Isa.* LXVI). Quarta fetor intolerabilis. Vix enim damnati fetorem illum sustinebunt. Quinta, tenebræ palpabiles, quæ tantum erunt spissæ, quod fere scindi possent. Unde Dominus : *Projicite eum in tenebras* C *exteriores, ibi erit fletus et stridor dentium* (*Matth.* XXII). Et Job : *Si sustinuero, infernus domus mea est, et in tenebris stravi lectulum meum* (*Job* XVII). Et propheta : *Impii in tenebris conticescent* (*I Reg.* II). Sexta, flagella cædentium; impii enim gravissimis flagellis affligentur. Septima, visio dæmonum, serpentum, et quadrupedum. Octava, confusio peccatorum, quia omnia peccata mali coram oculis suis videbunt, et non tantum sibi, sed etiam omnibus cujuslibet opera mala erunt manifesta. Nona, et ultima pœna, erit, desperatio; nemo enim illorum de cætero requiem se sperabit habiturum.

39. Quatuor modis fugiet homo novem prædictas pœnas, scilicet; fuga, pudore, dolore, timore. D Fuga, ut quandiu vivit, fugiat peccata in quantum potest. Quædam enim peccata magis fugiendo, quam resistendo vincuntur, ut luxuria. Unde Paulus : *Fugite fornicationem* (*I Cor.* VI), quia non debet fieri conflictus cum ea, nisi terga vertendo. Pudore, ut de vita sua pessima in præsenti erubescat, et erubescendo pœnitentiam agat. Dolore, ut de peccatis præteritis, et quia Deum offendit, doleat. Timore, ut Creatorem suum, et etiam supplicium timeat, et ita in præsenti dignam pœnitentiam accipiat, ne in futuro sine fine novem prædictas pœnas sentiat.

157 40. *Exsultate Deo adjutori nostro* (*Psal.* LXXX). In spiritualibus gaudiis exsultandum est, non in terrenis, quæ delectationem promittunt, et

auferunt. Si vis ista terrena gaudia fugere, rationem consule; hanc si audire volueris, dicet tibi : Relinque ista, ad quæ indiscrete discurritur; relinque divitias ob pericula possidentium, et onus; relinque corporis voluptates, quia molliunt et enervant; relinque ambitum, tumida est res, vana et ventosa, nullum habens terminum. Vides, quam miserum sit terrenas delectationes appetere, quam miserum potentium liminibus insidere? Multum habes contumeliarum ut intres, plus cum intraveris. Præteri istos gradus divitum, et magno fastu suspensos honores.

Isti terreni, quamvis humillimi sint et dejecti, tamen per difficiles et arduos gradus adeuntur. Periculosa in fastigium dignitatis via est. Dirige ergo viam intentionis ad spirituales mentis divitias, res videlicet amplissimas et tranquillissimas; ad quam verticem rationis si ascenderis, tibi fortuna caput submittet.

Omnia quidem sub te quæ pro excellentissimis habentur, aspicies. In tuto pars tui melior est, scilicet ratio, huic fortuna nocere non potest. Hac via eundum est, et in isto vitæ habitu componendus est homo, placide quidem, non molliter. Longum gaudium et perenne manet rationis : accipe illud gaudium quod immortale est, et assiduum delectat. Qui enim rationi indulget sibi non alieno innixus est; nam qui alieno sustinetur auxilio, potest cadere.

Quis autem prudens confidit in fortuna? aut quis prudens se miratur ob aliena?

Quid est beata vita, nisi mentis securitas, et perpetua tranquillitas? hanc dabit animi magnitudo, dabit constantia bene vivendi tenax. Ad hæc pervenitur, si mentis puritas tota perfecta sit, si servetur in rebus agendis, ordo, modus, decor, innoxia voluntas ac benigna, intenta rationi, nec unquam ab illa recedens.

41. *Perdes omnes qui loquuntur mendacium* (*Psal.* v). O homo, quantum a summa veritate discordas, dum figmentis mendaciorum operam præstas! Quomodo te putas venire ad verum, si etiam in verbis dissentis a vero? Nescio qua conscientia ea lingua quis rogat Deum qua eructavit mendacium. Linguæ amputat officium, qui eam exercet ad mendacium; quo pacto, ita incauteriatur conscientia, sicut mendacii nota. Cum omne peccatum mortale hominem alienet a vero esse, nullum magis quam mendacium derogat veritatis naturæ; hoc est vitium quod falsa testimonia commentatur, fabricat adulationes, invenit fraudes, consummat detractiones. Per hoc vitium corde et ore loquitur, in semetipso diversificatur, negat ore quod tenet in corde. Per hoc vitium, cor contradicit ori, os obviat cordi. Hoc vitium hæresim parit, schismata facit, generat suspiciones, inauditos concinnat rumores; hoc colorat probra turpia, palpat denudanda, denudat velanda, assistit perjuriis, assidet actionibus inhonestis.

Cum omnis res lege naturæ ad utilitatem proximi tendat, hæc sola veritatem expugnat, hæc tantæ malitiæ rubiginem in se continet, quod nulla ratio eam excusare possit. Non hanc solvit a reatu in obstetricibus naturalis pietas (*Exod.* I), non in Gabaonitis rationalis timiditas (*Josue.* IX), non in Petro terror mentis (*Matth.* VI), nec in Anania providentia necessitatis (*Act.* V). O homo, si in tuo mendacio fit falsitas, in culpa erit veritas? O miserabilem mendacii effectum, qui intentionis proponit falsum, et consequenter assumit verum supplicium! Quantum deviat ab officio linguæ, qui os commaculat mendacii sorde! Mendacium fermentum est, quod totam locutionis massam corrumpit, et si quid boni in locutione est, in sui amaritudinem convertit.

Est triplex mendacium, vanitatis, falsitatis, intentionis. Primum miserabile, secundum culpabile, tertium abominabile. Primum est pœnæ, secundum culpæ, tertium malitiæ.

158 Primum innatum, secundum excogitatum, tertium elaboratum.

42. Per hoc quod Christus in nuptiis mutavit aquam in vinum (*Joan.* II), figuratur quod in illis nuptiis quas celebravit in thalamo uteri virginalis, uniendo humanam naturam divinæ, mutavit insipiditatem antiquæ legis in saporem novæ legis. In hac domo virginalis uteri, quasi triclinium erat, ordo trium virtutum, humilitatis, virginitatis, charitatis; architriclinus erat Christus, quasi princeps triclinii. Ibi triplex aqua fuit in triplex vinum mutata, pœna in pœnitentiam, austeritas in gratiam, miseria in misericordiam.

DICTA ALIA
MAGISTRI ALANI DE INSULIS

Quæ communiter *Mirabilia* nuncupantur, sed forte melius, *Memorabilia*.

Ex eodem ms. codice monasterii Dunensis eruta.

159 Omnes animæ motiones universitatis conditor Deus creavit ad bonum, sed usu nostro sæpe fit, ut res quæ bonæ sunt per naturam, dum male iis utimur, nos ad peccata deducant. Unus ex animæ motibus amor est, quo bene utimur, si sapientiam et veritatem amemus, male autem, si carnem aut sanguinem. Tu igitur, ut spiritualis, audi spiritualiter amatoria verba cantari, et disce motum animæ tuæ, et carnalis amoris incendium ad meliora transferre.

Amicus amoris consors, cui sic animum tuum applica, ut ex duobus unum fiat; cui te tanquam tibi committas, a quo nihil timeas, et nihil inhonestum petas; non est enim amicitia vectigalis, sed plena decoris. Unde Dominus: *Vos amici mei estis si feceritis quæ ego præcipio vobis* (*Joan.* xv). Dedit nobis Dominus formam amicitiæ quam sequamur, ut faciamus amici voluntatem, aperiamus ei secreta, et ipse nobis. Hinc etiam Ecclesiasticus: *Amicus fidelis, fortis protectio, qui invenit illum, invenit thesaurum* (*Cap.* vi). Amicus fidelis, secundum Deum scilicet, qui ad medicamentum vitæ æternæ et immortalitatis necessaria cum amico tractat, nam ut bene dicit Cicero, amicitia nisi inter bonos esse non potest. Debet etiam amicitia esse libera, et ad omnem felicitatem proclivis. Qui timet Deum, æque habebit amicitiam bonam.

Plena etiam et perfecta amicitiæ gratia inter perfectos viros, ejusdemque virtutis perseverare potest. Ad hanc quibusdam gradibus pervenitur. Primus gradus est mundanorum contemptus; secundus, ne quis sese sapientem et consultum judicans, sibi potius quam amico credere malit. Tertius, ut omnia quæ utilia et necessaria æstimat, bono charitatis postponat. Quartus, ut omnino desinat ab ira. Quintus, ut iram fratris etiam irrationabilem curare cupiat, quia alterius tristitia perniciosa sicut propria, nisi eam quantum in te est, etiam de fratris mente depellas. Postremus gradus, et omnium vitiorum peremptorius est, ut de hoc mundo credas te quotidie migraturum.

Noli quærere fieri judex, etc., (*Eccle.* vii). Debet quisque proprias virtutes perpendere et pro quantitate virium, curam aliorum suscipere, ne dum delectatur loco gloriæ, fiat subditis auctor ruinæ; et qui gravatur pondere suarum culparum, velit fieri judex alienarum. Ille protrahi debet in exemplum vivendi, qui nulla adversa pertimescit.

A Deus creavit de terra hominem, et secundum imaginem suam fecit illum (*Gen.* i). Ut scilicet vivat, sapiat, et memoriam, intellectum et voluntatem habeat. Unde: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, etc. (*Matth.* xxii; *Marc.* xii). Id est ex toto intellectu, voluntate et memoria. Sicut autem ex Patre **160** Filius, ex utroque Spiritus, ita ex intellectu voluntas, et ex utroque memoria, nec sine his tribus potest anima esse perfecta, nec unum, quantum ad beatitudinem pertinet, sine aliis integrum constat. Et, sicut Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus, non tres dii, sed unus Deus tres habens personas, ita et anima intellectus, anima voluntas, anima memoria, non tamen tres animæ, sed una anima; tres habens potentias, in quibus
B imaginem Dei mirabiliter gerit. Quibus quasi excellentioribus viribus jubemur diligere Conditorem, ut quantum intelligatur et diligatur, semper in memoria habeatur.

Nec sufficit Deo intellectus, nisi voluntas sit in amore ejus; nec ista duo, nisi memoria addatur, qua semper in mente diligentis et intelligentis maneat Deus.

Quia sicut nullum momentum est quo non utatur homo vel fruatur Dei bonitate, ita semper in memoria debet præsens esse.

Ad similitudinem quoque Dei factus est homo, ut sicut Deus charitas est, bonus, justus, mitis, misericors, ita homo charitatem habeat, sit bonus,
C justus, etc.

Qui vivit in æternum, creavit omnia simul (*Eccli.* xviii). Rerum substantia simul creata est, sed non simul per species formata est. Et simul exstitit per substantiam materiæ, non simul apparuit per speciem formæ. Cum enim factum cœlum terraque describitur, simul spiritualia et corporalia, et quidquid de cœlo vel de terra producitur, factum indicatur.

Noli esse humilis in sapientia tua (*Eccli.* xiii). Non virtutem humilitatis abhorret, sed auctoritatem firmam contra expugnatores veritatis docet tenere, quibus fortiter resistendum.

Fornicatio mulieris in extollentia oculorum, et in palpebris illius agnoscetur (*Eccli.* xxvi). Per hæc tria, curiositatem humanæ mentis ostendit, quæ semper prona est in malum. Unde: *Omne quod in mundo est, concupiscentia carnis est, et concupiscen-*

tia oculorum, et superbia vitæ (*I Joan.* II). In his tribus, omnia vitia concluduntur.

Concupiscentia enim carnis est, quidquid ad voluptatem corporis pertinet ut cibus, potus, concubitus; concupiscentia oculorum, omnis curiositas, sicut in turpi spectaculo, in acquirendis superfluis, in agnoscendis et carpendis proximorum vitiis; superbia vitæ est, cum quis honores jactat, et per elationem vanæ gloriæ, et per arrogantiam deseruit. Per concupiscentiam carnis tentatus est Adam, cum ei hostis de ligno vetito comedere suasit; per concupiscentiam oculorum, cum diceret : Scietis bonum et malum ; per superbiam, cum adderet : *Eritis sicut dii* (*Gen.* III).

Initium vitæ hominis, aqua et panis, et vestimentum et domus (*Eccli.* XXIX). Frugalitatem docet et hospitalitatem, et ut temperantes simus in victu et vestitu, honestioribus largiri suscipiendis fratribus. In principio non fuit tanta luxuria cibi et potus, nec tanta ambitio vestium, et turrium et palatiorum; sed pomis arborum et oleribus herbarum vivebant antiqui, et Dominus primis parentibus tunicas pelliceas post peccatum fecit.

Minimum pro magno placeat tibi (*ibid.*). Sufficiat tibi quod habes, ne superflue quæras, quod adipisci non vales. Unde quidam ait : Melius est tibi non habere quod tribuas, quam impudenter petere quod non habes.

Zelus et iracundia minuunt dies (*Eccli.* XXX). Perversus animi affectus debilitat corpus. Unde : *Spiritus tristis exsiccat ossa* (*Prov.* XVII). *Viri sanguinum non dimidiabunt, dies suos* (*Psal.* LIV). Id est prosperitatem quam **161** sibi promittunt, non possunt habere in perpetuum.

Supra mensam magnam sedisti? non aperias super illam faucem tuam prior (*Eccli.* XXXI). Ad litteram, continentiam et temperantiam docet. Mystice, ut in lege Dei simus cauti et providi ; mensa enim magna, est copia Scripturarum, in qua non debemus esse procaces, ut aliquid inde sine doctore rapiamus, sed sanctorum doctorum viam teneamus.

Diligentes in vino, noli provocare, ebriosos fuge, facile enim irascuntur, *multos enim exterminavit vinum* (*ibid.*), id est ebrietas multos subvertit. Hæc sensum minuit, iram excitat, libidinem inflammat, animi secreta revelat. *Ignis probat ferrum durum, sic vinum corda superborum arguet, in ebrietate potatum* (*ibid.*), id est sicut ignis ferri duritiam mollit, sic vinum superborum corda inflammans, ad facinus impellit.

Æqua vita hominibus vinum in sobrietate (*ibid.*). Vinum sobrie potatum vitam æquitatis non tollit, sed sobrietatem et cætera virtutum ornamenta adducit.

Equus emissarius, sic et amicus subsannator, sub omni supra sedente hinnit (*Eccli.* XXXIII). Sicut jumento nulla est ratio, ita in falso amico nullus æquitatis ordo. Sicut enim equus lascivus hinnitu

A suo dominum suum non discernit vel alienum, sic stultus et derisor non discernit hypocritam et fidelem amicum, sed per oris officia æqualiter utrique pandet secreta.

Filio et mulieri, fratri et amico, non des potestatem super te, in vita tua (*ibid.*) Ad litteram, patres docet ut filios suos regant, et cum disciplina nutriant, donec veniant ad ætatem perfectam, ut digni possint esse hæredes patrum suorum ; spiritualiter vero instruit rectores ecclesiarum, ut dignitatem suam usque ad finem teneant, et discipulos suos bene nutritos, hæredes sui laboris relinquant. Tenere enim debent rectores Ecclesiæ exterius, quod pro aliorum utilitate suscipiunt.

Cibaria et virga et onus asino, panis et disciplina, et opus servo (*ibid.*). Necesse est ut
B iniqui servi severitate dominorum suorum comprimantur ne illicita fruantur libertate ; in quibus tamen non est despicienda natura, sed improbitas coercenda, ut sciant se subditos esse. Recte autem servi sunt, qui vitiis serviunt ; qui vero justitiæ obediunt vere liberi sunt. Unde : *Si vos Filius liberaverit, vere liberi eritis* (*Joan.* VIII), nulla enim melior majorve potestas, quam servire Deo, cui bene servit amor. Describitur ergo, qualis debeat esse servulis nutritura et disciplina, ut habeant scilicet victum et vestitum, non vagandi otium. Servi si benevoli et obedientes sint, ut fratres habendi sunt ; si autem duri et superbi, sub disciplina coercendi.
C
Si est tibi servus fidelis, sit tibi quasi anima tua (*Eccli.* XXXIII). Quia in eo communem naturam debemus diligere, et si necesse fuerit, pro eo animam ponere; non est enim persequendus homo, sed vitia.

Qui apprehendit umbram, et persequitur ventum, sic et qui attendit ad visa mendacia (*Eccli.* XXXIV). Significat, somnia fallacia homines sæpe ludere, et in errores trahere ; nisi caute discernantur. Inde in lege præcipitur : *Non observabitis somnia neque divinationes* (*Lev.* XIX ; *Num.* XXIII), aliquando autem revelationes per somnia fiunt, unde in dialogo Gregorius : Sciendum, Petre, quia modis sex tangunt animum imaginationes somniorum, ali-
D quando, ventris plenitudine aut inanitate, aliquando illusione, aliquando cogitatione simul et illusione, aliquando revelatione ; aliquando cogitatione simul et revelatione.

Qui non est tentatus, quid scit? (*Eccli.* XXXIV) tribulatione scilicet probatus. Unde : *Vasa figuli probat fornax, et homines justos tentatio tribulationis* (*Eccli.* XXXVII). Qui enim inter tribulationes patientiam servat, fortior redditur.

Qui offert sacrificium ex substantia pauperum, quasi qui victimat filium in conspectu patris sui (*Eccli.* XXXIV). Valde detestabile est sacrificium, quod orbati patris dolori comparatur. **162** Quidam pensant quantum tribuunt, non quanta rapiunt, et congregant mercedes, et mittunt eas in saccum

pertusum (*Agg.* I), in sacco pertuso videtur pecunia quando mittitur, sed non quando amittitur. Qui ergo quanta largiuntur aspiciunt, sed non quanta rapiunt, in saccum pertusum mercedes mittunt, quia eas in spe fiduciæ intuentes congregant, sed non se intuentes perdunt. A

Qui baptizatur a mortuo, et iterum tangit eum, quid proficit lavatio ejus? (*Eccli.* XXXIV) Post lavacrum mundus esse negligit, qui post lacrymas vitæ innocentiam non custodit. Lavantur quidam et mundi non sunt, quia commissa flere non desinunt, et rursus flenda committunt.

Retribuens Dominus septies tantum reddet tibi (*Eccli.* XXXV). Perfectam scilicet remunerationem. Septenarius enim, quia septem dona Spiritus sancti demonstrat, perfectus est; et quia interiorem et exteriorem hominis substantiam comprehendit, in ternario animam (Unde : *Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo*, etc. *Matth.* XXII; *Marc.* XII) in quaternario corpus significat, quia corpus de quatuor elementis constat. B

Noli offerre munera prava, non enim suscipiet illa (*Eccli.* XXXV). Apud Deum non est quantitas muneris, nec persona potentis appetitur, sed dilectio et humilitas cordis, ideo nemo debet offerre sacrificium de iniquitate, sed de justo labore.

Noli avidus esse in omni epulatione, et non te effundas super omnem escam (*Eccli.* XXXVII). Juxta historiam, parcimoniam laudat, crapulam vituperat, quæ ad infirmitatem perducit devorantem. Mystice vero admonet, ut in temporalibus simus temperantes. Unde : *Mel invenisti, comede quod sufficit tibi* (*Prov.* XXV). Et alibi : *Noli plus sapere quam oportet sapere* (*Rom.* XII). C

Honora medicum propter necessitatem : etenim creavit illum Altissimus (*Eccli.* XXXVIII). Discretos vult nos esse in omnibus, quia omnia opera Dei bona valde (*Gen.* I). Unde, non debemus eos spernere, quos constat Creatorem ad utilitatem nostram fecisse. Sunt corporales medici, sunt et spirituales. Corporales medici corpora ; spirituales, curant animas. Utrique ergo honorandi sunt, sed spirituales præferendi.

Non est dicere, quid est hoc aut quid est illud (*Eccli.* XXXIX). Prohibet nos esse curiosos, et perscrutari quæ scire non convenit. *Omnia enim in tempore suo manifestabuntur*, cum *illuminabit Dominus abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium* (*I Cor.* IV). D

Ignis, grando, fames et mors, omnia hæc ad vindictam creata sunt (*Eccl.* XXXIX). Omnia homini ante peccatum obediebant, post peccatum vero, pugnat contra eum orbis terrarum ; fames et mors et mille pericula mortis. Bestiæ quoque contra eum sæviunt, et rhomphæa cœlestis vindictæ.

Ideo mali cruciabuntur in pœna, quia in tempore sibi dato ad pœnitentiam, peccare non desinunt ; æstimant enim (prosperitate quasi somno delusi) tempus esse pacis, non belli, cum homini præsens vita concedatur, ut per bonum certamen perveniat ad beatitudinem.

In tempore ergo salutis suæ, dum est ei tempus acceptabile, exsurrexit in superbia et cupiditate terrenarum rerum æstuans sine omni timore Dei.

Ad hæc, mors, sanguis, contentio et rhomphæa, oppressiones, fames, etc. (*Eccli.* XL). Peccanti homini multiplex pœna deputata est, ut correctus pœniteat, et deinceps caveat ; sed quia negligit et in pejus deficit, ideo induxit Dominus diluvium orbi, ut hominem deleret quem creavit. Ad comparationem vero futuræ pœnæ, nihil est quod homo patitur in præsenti. Nam tunc plena et profunda vindicta veniet, ut qui in præsenti vita peccare non cessant, sine fine crucientur.

Vir respiciens in mensam alienam non est vita ejus in cogitatione victus (*ibid.*). Stultum est otiari, et de alieno labore mercedem quærere. Recipiet unusquisque secundum opera sua (*Rom.* II). Cui placet otiose torpere, nec proximis docendo 163 prodesse, tandem doloribus inferni et sera pœnitentia æstuabit.

O mors, quam amara est memoria tua homini pacem habenti in substantiis suis, viro quieto, et cujus viæ directæ sunt in omnibus et adhuc valenti accipere cibum! (*Eccli.* XLI.) Qui prosperitatem mundi et divitias amat, amara est illi mors corporalis, quia futuræ vitæ gaudia negligit.

O mors, bonum est judicium tuum homini indigenti, et qui minoratur viribus; defecto ætate, etc. (*ibid.*). Bonum est christianis judicium mortis, quia per ipsam transeunt ad æternam vitam. Noli metuere judicium mortis temporalis, sed potius : *Eum timete qui potest animam et corpus perdere in gehennam* (*Matth.* X).

Quo ad æqualitatem stateræ et ponderum, ubique servanda est æquitas et observanda regula stateræ et ponderum, ne circumveniamus fratrem in emptione. Quantum hypocrisis, et dolus Domino displiceant, ostendit his verbis : *Statera dolosa abominatio est apud Deum, et pondus æquum voluntas ejus* (*Prov.* XI). Qui aliter causam pauperis et potentis librat, vel sua errata leviora quam aliorum putat, vel qui imponit in humeros hominum onera importabilia, vel qui bona in publico, mala in occulto, abominabilis est Domino.

Omni homini noli intendere in specie, et in medio mulierum noli commorari (*Eccli.* XLII). Docet nos puritatem cordis et corporis servare. Unde : Periculose tibi ministrat, cujus vultum frequenter attendis ; nam impudici oculi non norunt animæ pulchritudinem considerare, sed corporum.

De vestimentis procedit tinea, et a muliere iniquitas viri : melior est enim iniquitas viri, quam mulier benefaciens; et mulier confundens in opprobrium (*ibid.*). Mulier aut sexum significat, sicut ibi : *Misit Deus Filium suum, natum ex muliere* (*Gal.* IV). Aut infirmitatem, sicut hic : *Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis* (*Job* XIV).

Vir ergo in hoc loco, fortis et discretus vocatur: mulier mens infirma et indiscreta; et sæpe contingit, ut discretus labatur in culpam, infirmus exhibeat operationem bonam; sed indiscretus de bonis suis superbiens, gravius cadit; discretus autem pœnitens ad discretionis regulam redit; et de cætero, fortius et cautius agit. Sæpe enim culpa fortium fit occasio virtutis, et virtus infirmorum, occasio peccati: hæc mulier confundit in opprobrium, quia res dignas confusione gerit.

Quam desiderabilia sunt omnia opera ejus et tanquam scintillam, quæ est, considerare! (*Eccli.* XLI). Tanquam scintillam opera Dei consideramus, quia vix parvam notitiam inde percipimus.

Ita ordinavit Deus omnia, ut quæ sibi videntur esse contraria, conveniant, ut elementa, vel quatuor tempora.

Altitudinis firmamentum, pulchritudo ejus est, species cœli in visione gloriæ (*Eccli.* XLIII). Pulchritudo firmamenti per claritatem siderum, potentiam ostendit Creatoris, sed magis decor Ecclesiæ, in virtutibus et miraculis sanctorum, excellentiam manifestat Redemptoris, qui splendore suo illustrat credentes et ardore judicii puniet peccatores. Unde subjungit:

Sol in aspectu annuntians in exitu, vas admirabile, etc. *Fornacem custodiens in operibus ardoris* (*ibid.*). Quia supplicia gehennæ præparat peccatoribus.

Tripliciter sol exurens montes (*ibid.*). Quia superbos pro cogitatione, **164** locutione et operatione mala, excruciat æterna flamma.

Et refulgens radiis suis obcæcat oculos (*ibid.*). Quia mysticis verbis, superborum ludit intellectum. Unde: *Vobis datum est nosse mysterium regni Dei* (*Marc.* IV; *Luc.* VIII).

Magnus Dominus qui fecit illum (*Eccli.* XLIII). Dispensationem scilicet incarnationis, ut superbi confunderentur, humiles scientia Dei exaltarentur.

Et luna in omnibus in tempore suo; ostensio temporis, et signum ævi (*ibid.*). Postquam de sole disputavit, disputat de luna, quia Christum sequitur Ecclesia, et ab ipso illuminatur, sicut a sole luna. Luna enim non habet nativum splendorem, sed a sole accipit; sic et Ecclesia a Christo, quæ in persecutione videtur minui, sed in pace clarescit, crescet autem mirabiliter in consummatione.

Vas castrorum in excelsis, in firmamento cœli resplendens gloriose (*ibid.*). Quia in ipsa consistit multitudo fidelium, quæ in firmamento veritatis et divinæ prædicationis, per totum orbem gloriose resplendet.

Species cœli gloria stellarum, mundum illuminans in excelsis Dominus (*ibid.*). Ornatus Ecclesiæ sanctorum plenitudo, quos Deus excelsus ordinavit ut prædicatione Evangelii illustrarentur. *Hi in verbis sancti*, id est in doctrina veræ fidei permanentes exspectant judicium Dei.

Vide arcum, et benedic eum qui fecit illum (*ibid.*). Scriptum scilicet Novi et Veteris Testamenti, unde: A *Arcum suum tetendit, et paravit illum* (*Psal.* VII). Hic fidelibus suave jugum ostenditur, contumacibus arma terribilia.

Valde speciosus est in splendore suo (*Eccli.* XLIII). Quia Scriptura valde præclara est in sensu suo.

Giravit cœlum in circuitu gloriæ suæ (*ibid.*). Quia de supernis et de infimis narrat.

Manus Excelsi aperuerunt illum (*ibid.*). Quando per virtutem et sapientiam Dei in Christum, Vetus et Novum Testamentum conditum est. *Imperio suo acceleravit nivem* (*ibid.*), id est perduxit frigidos ad justitiæ nitorem.

Et accelerat coruscationes emittere judicii sui (*ibid.*), id est terrores judicii, et virtutum miracula.

B *Et confracti sunt lapides grandinis* (*ibid.*). Doctores qui terram humani cordis irrigant, tempestatem increpationis in se gerunt, et in tempore fundunt, et confringunt lapides grandinis, increpando scilicet duritiam pravi cordis, ne lapident vitale germen.

Laudemus viros gloriosos, et parentes nostros in generatione sua (*Eccli.* XLIV). Quia plurima moraliter disputando, allegoriamque et anagogem in plerisque tangendo, mysteria divini sacramenti addidit; nunc de sanctis Patribus narrare incipit.

Homines magni virtute, et prudentia sua præditi (*ibid.*). Quia plures eorum reges scientiæ, divitiis abundantes, sed majori parte se ipsos regentes.

Omnes isti in generationibus gentis suæ, gloriam adepti sunt, etc. (*ibid.*). C Hæc juxta historiam, de patriarchis et prophetis accipiuntur, quorum semen, id est Israelitæ, propter eorum merita et promissiones, sæpe de angustiis liberatum est. Unde Moyses pro peccatis populi orans, Abraham, Isaac et Jacob reducit ad memoriam, ut eorum meritis Deus placatus, filiis peccantibus daret indulgentiam. Patris David meritum filiis multo tempore servavit regnum. Sed sacratiore sensu, viri misericordiæ sunt apostoli et prædicatores Novi Testamenti, qui verbo Evangelii et ministerio baptismi, quotidie gignunt filios Dei, qui imitatores parentum suorum, exempla eorum sectantur, quorum corpora in spe resurrectionis quiescunt, quando semen bonorum operum cœlesti mercede compensabitur.

D *Henoch placuit Deo, et translatus est in paradisum, ut det gentibus pœnitentiam* (*ibid.*). Non ab Adam qui transgressus est, et de paradiso ejectus, cœpit enumerare patres, sed ab **165** Henoch, qui translatus est in paradisum; quia in hoc patet electio sanctorum, qui de ærumna sæculi transierunt ad quietem regni. Hic creditur venturus in fine mundi, ut det omnibus consilium pœnitendi.

Noe inventus est perfectus, justus, etc. (*ibid.*). Quando, pereunte mundo, reservatus est, ut pœnitentiam gentibus prædicaret, et exemplo demonstraret, quod, qui Deo devote serviunt, ab interitu æterno liberantur. Cum eo Deus pactum statuit, ne ultra perderet aquis diluvii omnem carnem. Significant autem rectores qui inter fluctus sæculi,

arcam, id est Ecclesiam Dei regunt, et prædicant baptismum pœnitentiæ, orationibus et sacrificiis Deum placantes humano generi.

Abraham magnus pater multarum gentium, etc. (*ibid.*). Multarum gentium, scilicet in Christum credentium; quia filii carnis non æstimantur in semine. Duplex est promissio Abrahæ: in arena maris exprimuntur steriles mundi, in similitudine stellarum, fideles christiani, qui resurrectionis lumine coruscabunt sicut astra cœli.

Phinees filius Eleazari tertius in gloria est (*Eccli.* XLV). Phinees filius Eleazari, sicut scriptum est in libro Numerorum (*Cap.* XXV), accepit a Domino testamentum pacis, quia zelo Dei Israelitam et Madianitidam mulierem fornicantes interfecit.

In quo mystice significatur, quia qui zelo Dei, carnis suæ luxuriam et subditorum interficit, meretur a Domino dignitatem etiam sacerdotii, et ad illum sacerdotem pertinet de quo scriptum est: *Tu es sacerdos in æternum*, etc. (*Psal.* CIX).

Ideo statuit illi testamentum pacis, etc. (*Eccli.* XLV). Significat, quod David in distributione ministrorum Dei (*I Par.* XXIV), quos in XXIV sortes divisit, ut per vices Domino ministrarent, gloriam Phinees non minoravit, sed auxit.

Unde in Paralipomenis: Phinees filius Eleazari erat dux eorum coram Domino.

Unde Hebræi tradunt, quod adhuc corpore vixerit, et tabernaculo ministrorum vices ordinaverit.

Sapientia ædificavit sibi domum, excidit columnas septem (*Prov.* IX). Unde: *Sapientia ubi invenitur, et quis est locus intelligentiæ? nescit homo pretium ejus, nec invenitur in terra suaviter viventium* (*Job* XXVIII). Ecce, timere Deum ipsa est sapientia, et abstinere a malo, prudentia. Ut evidenter appareat quæ sit illa sapientia quæ domum ædificavit, distinguendum est inter sapientias; est enim sapientia mundi, sapientia carnis, sapientia desursum, et sapientia sursum. De sapientia mundi dicit Apostolus: *Sapientia hujus mundi, stultitia est apud Deum* (*I Cor.* V).

De sapientia carnis, idem ait: *Quia prudentia carnis mors est* (*Rom.* VIII). De sapientia quæ *desursum est*, dicitur, quia *pudica et pacifica est*, etc. (*Jac.* III). De sapientia sursum, dictum est, quia *attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter* (*Sap.* VIII).

Sapientia mundi in vanitate, sapientia carnis in voluptate, sapientia desursum in veritate, sapientia sursum veritas est, æternitas est.

Sapientia ergo quæ sursum est, et quæ Deus est, ipsa *ædificavit sibi domum*, corpus videlicet Domini, in quo habitavit corporaliter. Ibi *excidit columnas septem*, id est septem charismata Spiritus sancti. Christus enim secundum quod homo, accepit Spiritum septiformem, non ad mensuram, sed ~~ad plenitudinem. Unde Isaias~~: *Requiescet super eum Spiritus Domini, spiritus sapientiæ et intellectus*, etc. (*Isa.* XI). Rursum: *Sapientia ædificavit sibi do-* A *mum*, etc. (*Prov.* IX), sanctam scilicet Ecclesiam, ubi etiam excidit columnas septem, quia ipsa Ecclesia accipit **166** Spiritum septiformem. Unde Joannes: *Et nos de plenitudine ejus accepimus* (*Joan.* I). Possumus etiam dicere, quia *sapientia ædificavit sibi domum*, beatam scilicet Virginem, in qua *excidit columnas septem*, id est quatuor cardinales virtutes, prudentiam, temperantiam, fortitudinem, justitiam; et tres deificas, id est fidem, spem, charitatem. Sed quoniam legimus: Sedes sapientiæ anima justi, in hac domo, id est in anima justi, possumus etiam invenire columnas septem, id est septem morales virtutes, quæ ibi exciduntur, et cum multo labore mirabiliter expoliuntur. Septem columnæ, id est septem virtutes, istæ sunt cha- B ritas, humilitas, sobrietas, castitas, obedientia, disciplina, patientia. Et quia omnis, id est perfecta laus in fine canitur, jungamus his perseverantiam. Istæ octo virtutes et singulæ diversorum, omnes simul propriæ sunt monachorum. Charitas est forma virtutum, humilitas sedes vel cathedra virtutum, sobrietas mensura, castitas ornamentum, obedientia auriga, disciplina schola, patientia clypeus, perseverantia corona.

Charitas regina virtutum, humilitas custos, sobrietas ministra, castitas pulchritudo, obedientia directio, disciplina correctio, patientia probatio, perseverantia conclusio. Charitatem commendat nobis Dominus, dicens: *Majorem charitatem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis* C (*Joan.* XV). Humilitatem docet, dicens: *Discite a me quia mitis sum, et humilis corde* (*Matth.* XI). De sobrietate: *Sobrii estote et vigilate*, etc. (*I Petr.* V). De castitate: *Sint lumbi vestri præcincti* (*Luc.* XII). De obedientia: *Melior est obedientia quam victimæ* (*I Reg.* XI). De disciplina: *Apprehendite disciplinam* (*Psal.* II). Et: *Qui abjicit disciplinam*, infelix est (*Prov.* XV). De patientia: *In patientia vestra possidebitis animas vestras* (*Luc.* XXI). De perseverantia: *Qui perseveraverit usque ad finem, hic salvus erit* (*Matth.* X et XXIV). Charitatem commendat nobis locus et victus; humilitatem, vilitas habitus; sobrietatem, mensura cibi et potus; castitatem indicit nobis identitas sexus; obedien- D tiam nostram insinuat, quod invicem inclinamus; disciplinam, quod magistros habemus; patientiam demonstrat nobis, quod per silentium quasi muti sumus; perseverantiam, quod claustris includimur. Hæc de virtutibus breviter dicta sunt pro eo quod *Regnum Dei non in sermone, sed in virtute est* (*I Cor.* IV), adeoque juncta sunt virtus et regnum Dei, ut virtus ipsa dicatur regnum Dei. Unde Apostolus: *Regnum Dei non est esca et potus, sed justitia, et pax, et gaudium in Spiritu sancto* (*Rom.* XIV). Et Dominus ait: *Regnum Dei intra vos est* (*Luc.* XVII). Virtus via est, regnum Dei patria nostra est. Teneamus viam, ut perveniamus ad patriam. Aggrediamur alacriter arcem virtutum; curramus velociter viam mandatorum, ut perve-

niamus feliciter ad Creatorem nostrum, cui est A honor in sæcula sæculorum. Amen.

Quam pulchra es, et quam decora, charissima, in deliciis? (*Cant.* VII) Vox Christi est, fidelis animæ pulchritudinem laudantis et admirantis. Unde non ait pulchra es, sed admirative: *Quam pulchra es!* Est autem gemina pulchritudo, naturalis et artificialis; naturalis a conditione, artificialis a compositione. Anima namque a Deo pulchra est condita, sed ipsa superjectis sibi stercoribus vitiorum, sponte fœdata est. Ut ergo naturalem recuperet pulchritudinem, oportet eam dignis pœnitentiæ fletibus et fructibus, conjectas sordes abluere. Primo quidem operis, secundo sermonis, tertio cordis. Puritas actionis in tribus consistit, ut sit scilicet sine iniquitate, sine mollitie, sine levitate; B innocens, munda, gravis.

Puritas quoque sermonis triplex est, ut sit sine mendacio, sine jactantia, sine multiloquio: verus, humilis, parcus.

167 Et puritas cordis in tribus est, in intentione recta, quæ nihil moliatur iniquum; in affectione rigida, quæ nil recipiat otiosum; in cogitatione munda, quæ nil recipiat sordidum. Ex gemina puritate, operis scilicet et sermonis, potest vocari pulchra ab hominibus, habet enim gloriam apud homines, sed non apud Deum; at ubi puritas cordis adfuerit, non ab hominibus solum, sed ab eo qui cordis inspector est, quam pulchra vocabitur. Sed nativæ puritatis reparata specie, oportet alium C omni arti et studio exhibere decorem, id est comparatis coloribus virtutum, exornare animam, eique vestem facere nuptialem, ut sic placens Sponso specie sua ac pulchritudine sua, mereatur audire, geminato laudis suæ præconio: *Quam pulchra es, et quam decora!* Hunc decorem maxime operatur charitas, quæ est amor in Deum et proximum. In Deum, tripliciter, quia Trinitas est; *ex toto corde*, ut solus placeat rationi; *ex tota anima*, ut solus sapiat voluntati; *ex tota virtute*, ut solus trahat in concupiscentiam sui. In proximum dupliciter, cum duplex superbia sit: primo, secundum animam; deinde, secundum carnem; nam qui solam carnem vel solam animam diligunt, neutrum diligunt.

Ad utramque sufficiunt illa duo præcepta: *Quod* D *tibi non vis fieri, alii ne feceris*, et: *Quæ vultis ut faciant vobis homines, et vos facite illis* (*Matth.* VII, *Luc.* VI). In altero innocentia, in altero beneficentia. Innocentia est, ut nec lædas, nec lædere velis, beneficentia est, ut si possis, prosis, si non possis doleas.

Sic audire mereberis: *Quam pulchra es, et decora!* Ut autem et charissima nomineris, adhibe aliquid quod ipsis virtutibus majus est, hoc est: *Noli altum sapere, sed time* (*Rom.* XI). Hæc est humilitas, virtutum nutrix, virtutum gloria, virtutum vita, nomen et meritum.

Hac sine, virtutes non virtutes dici, nec virtutes numerari dignæ sunt. Hanc ergo quæcunque es, devota anima, applica tibi, applica te illi, habe sociam, habe charissimam, et si fueris puritate chara, charitate charior, eris humilitate charissima. Vel certe, quia humilitatis tria genera sunt, subesse videlicet superiori, pari, inferiori, merito quæ nullum prætermittit gradum, in primo chara, in secundo charior, in tertio charissima nominatur

Jam ad delicias veniamus: *Charissima*, inquit, *in deliciis*. Si beata est anima quæ labores manuum suarum manducabit (*Psal.* CVII); quæ paupertatem, quæ luctum, quæ persecutionem patitur propter justitiam (*Matth.* V); quid illa quæ in deliciis habitat, quæ deliciis affluit, innixa super dilectum suum?

Et hic gradus aliquot advertere est. Est anima quæ in sudore vultus sui vescitur pane suo, quæ cum operata fuerit terram suam, non dat fructus suos, sed spinas et tribulos germinat ei (*Gen.* III). Est item quæ lætatur cum bene fecerit, et exsultat in rebus optimis, dicens: *Bonum mihi, Domine, quia humiliasti me, ut discam justificationes tuas* (*Psal.* CXVIII). Est et invenire (raro quidem fateor) cui vivere Christus sit, et mori lucrum (*Philip.* I), quæ glorietur in tribulationibus, quæ gaudeat quod digna sit *pro nomine Jesu contumeliam pati;* quidni eam in deliciis esse, imo et affluere dicam? Prima quippe in spinis est, quæ laborat in gemitu suo, lamentans et dicens: *Miser factus sum et curvatus sum usque in finem, tota die contristatus ingrediebar* (*Psal.* XXXVII). Secunda **168** in cibis est, quæ non sine delectatione vescitur pane illo, de quo pane testatur ipse qui dicit: *Meus cibus est, ut faciam voluntatem Patris mei* (*Joan.* IV). Magna quæ spinas patitur, major quæ vescitur cibis Patris sui; at omnium maxima, quæ deliciis affluit, et de deliciis ad delicias transfertur, cooperante gratia sponsi Jesu Christi Domini nostri, qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

MAGISTRI

ALANI DE INSULIS

DOCTORIS UNIVERSALIS

OPUSCULUM

DE SEX ALIS CHERUBIM

In quo succincta et sana continetur doctrina de Compunctione, Confessione, Satisfactione, Dilectione Dei et proximi, etc.

Nunc primum integre in lucem editum ex antiquo ms. codice bibliothecæ S. Vedasti, Atrebati.

AD LECTOREM.

169 Non mireris, Lector, si forte opusculum hoc (pro majori sui parte) aliquoties inter Opera S. Bonaventuræ impressum conspexeris, et nunc Alano attributum videas; hunc enim verum illius auctorem esse, præter clarissimos viros, Antonium Possevinum, in Apparatu sacro; Valerium Andream, in bibliotheca Belgica; Antonium Sanderum, de Scriptoribus Flandriæ; aliosque recentiores plurimos (18), asserit etiam Joannes Trithemius, auctor in veterum scriptorum cognitione versatissimus: imo suadet stylus et clare convincunt plura antiquissima mss. exemplaria, quæ expresse Alani nomen 170 præferunt (quorum unum ex illustri bibliotheca nobilis viri P. M. Toussani Desbarbieuz, Insulensis, toparchæ Despretz, etc. mihi procuravit vir doctissimus veterum præsertim auctorum lectione, Claudius Doresmieulx, Atrebatius) cum e contra, nullum huc usque, antiquum exemplar prodierit, quod Sancti Bonaventuræ nomen præferret. Adeo, ut quicunque hactenus opusculum illud curarunt imprimi una cum operibus ejusdem Sancti Bonaventuræ, semper adnotaverint, incertum esse, utrum revera genuinus esset fetus Seraphici doctoris, an Alani. Testes hujus sunt, duæ exactissimæ editiones operum ipsius Seraphici doctoris; scilicet, Romana Vaticana, anno 1587, jussu Sixti V adornata, et Moguntina anni 1619. In quibus ad calcem tomi VII, reperies opusculum hoc (licet tertia, fere, sui parte truncatum) ad seriem operum incertorum rejectum, cum inscriptione sequenti: *De sex alis cherubim tractatus. Qui tamen ab aliquibus Alano adscriptus fuit. Hoc modo prænotatur opusculum istud in omnibus impressis. Alanum autem de Insulis Joannes Trithemius in suo de scriptoribus ecclesiasticis catalogo, ejus auctorem agnoscit, et De sex alis cherubim inscribit. Cujuscunque vero auctoris sit, brevem et sanam continet doctrinam de compunctione, confessione, satisfactione, carnis munditia, mentis puritate, Dei et proximi dilectione.* Hæc ibi.

Ad hæc, scias etiam velim, opusculum hoc nunquam adhuc fuisse impressum integre, sed semper mutilum, nam auctor initio ipsius opusculi, expressa seraphini imagine, eam dilucide explanat, juxta visionem Isaiæ VI: *Vidi Dominum sedentem*, etc. quam docte et eleganter exponit. Quia expositione præmissa, dictæ imagini concinne totum 171 subsequens opusculum appropriat. Hæc expositio (quæ facile tertiam opusculi partem complectitur) in omnibus impressis exemplaribus desideratur; quam nos hic restituimus, ex ms. codice pervetusto (ut prætactum est) bibliothecæ Vedastinæ.

Porro, licet attentis, imagine seraphini, ejusdemque explanatione juxta visionem Isaiæ (in qua non nisi seraphinorum fit mentio, et non cherubinorum) Libellus hic convenientius forte inscriberetur: *De sex alis seraphim*. Nihilominus, quia non solum exemplaria omnia impressa, verum etiam Trithemius, et antiquum ms. nobis communicatum, illum inscripserunt *De sex alis Cherubim*, eumdem hic titulum reservavimus; præsertim, quia auctor in fine jam sæpius memoratæ expositionis, asserit se quoque in opusculi concinuatione reflexisse ad visionem Ezechielis prophetæ, qui non nisi de cherubinis loquitur, nulla facta mentione seraphinorum. Interim libellus bonus et utilis est, adeoque repetito prælo dignus.

D. Carolus de Visch
prior Dunensis.

(18) Thomas Demster. in *Hist. Scotiæ*. Claudius Doresmieulx, in epistola ad me, hac de re data.


Ala quinta.
Ala sexta.
Nulli nocere verbo vel opere.
Visus pudicitia.
Auditus castimonia
Gustus temperantia.
Ala tertia
Mentis in domino delectatio
Munda et ordinata cogitatio
Ala quarta.
Ala secunda
Ala prima
CHERVBIM. MYSTICVS

DE SEX ALIS CHERUBIM.

172-173 Ad explanationem hujus figuræ, necessaria videtur esse discussio hujus auctoritatis : *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum* (*Isa.* VI). *Excelsum* est quod situm est in sublimi; *elevatum*, quod de inferioribus ad superiora translatum est. *Solium* ergo *excelsum*, sunt angelici spiritus; *solium elevatum*, sunt animæ sanctorum, de hujus mundi voragine translatæ ad gaudia supernæ pacis. Et quia utrisque præsidet Deus, ideo sedere dicitur super solium excelsum et elevatum.

Quod vero in sequentibus dicitur : *Plena est omnis terra majestate ejus* (*ibid.*); per terram, omnis corporea creatura significatur, quæ plena est majestate Dei, quia divina essentia sicut spirituali creaturæ per cogitationem præsidet, ita corpoream creaturam regendo atque disponendo, implet. Quod ergo alibi dicitur : *Cœlum et terram ego impleo* (*Jer.* XXIII); et rursus : *Cœlum mihi sedes est, et terra scabellum pedum meorum* (*Isa.* LXVI), hoc ibi dicitur : *Vidi Dominum sedentem*, etc. *Quæ sub ipso erant replebant templum* (*Isa.* VI). Templum est capacitas intellectus spiritus angelici, et hominum; quod templum impletur ab iis qui sub ipso Deo sunt, quia tanta est operum divinorum immensitas ut ad ea perfecte comprehendenda, nullius intelligentia sufficiat. Implet cor meum consideratio eorum, non comprehenditur a corde meo immensitas eorum. Quomodo ergo factorem operis comprehendere valebimus, qui ipsum factoris opus ad plenum capere non valemus. Possumus etiam dicere, quod *solium* hoc *excelsum et elevatum*, in quo sedet Dominus, æternitas est deitatis, quod de ipso solo dicitur : *Qui habitat æternitatem* (*Isa.* LVII). Non quod aliud sit Deus, aliud æternitas ejus, sed quod solium regnantium est, et ideo, recte in solio æternitatis sedere dicitur : quod sicut essentiæ ejus, ita etiam omnipotentiæ ejus nec principium nec finis invenitur. Semper fuit, et semper omnipotens, semper in se, et semper a se plenus et perfectus fuit, nec redundavit. Dicit ergo : *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum.* Virtute divinitatis omnem creaturam et æternitate præcedit, et dignitate transcendit, potestate disponit. Sequitur : *Ea quæ sub ipso erant replebant templum.* In hoc loco potest intelligi circuitus temporum, et ambitus sæculorum : tempora namque dum in cursu suo in se ipsa revertuntur, quemdam templi ambitum generando circumscribunt. Quod ergo dicitur : *Quæ sub ipso erant*, recte sic intelligendum est, quod omnia sæculorum tempora plena sunt operibus Dei et omnis generatio horreat mirabilia Dei. Vel sic

A legi potes : *Ea quæ sub ipso erant, templum replebant*, hoc est ea quæ templum replebant sub ipso erant, quia quidquid temporaliter volvitur, invenitur infra æternitatem. Immensitas enim æternitatis, temporales angustias infra se claudit; quia et prior tempore est qui nunquam cœpit, et posterior tempore qui finem nescit; et supra tempus est, qui mutabilitatem non recipit. *Seraphim stabant super illud* (*Isa.* VI). Duo seraphin, duo testamenta sunt. Et pulchre seraphim (quod interpretatur *ardens*) divinam Scripturam significat, quæ eos quos per cognitionem prius illuminat, per amorem postmodum fortiter ardere facit; etenim, qui non ardet, non incendit. Dum enim menti nostræ quod debeat desiderare ostendit, prius eam illuminat, ac deinde ar-
B dentem reddit.

Ardet ergo quia ardentes facit, sicut alibi lucere dicitur, qui illuminat. De hac Scriptura, Petrus dicit apostolus : *Habemus firmiorem propheticum sermonem, cui bene facitis attendentes tanquam lucernæ lucenti in caliginoso loco, donec dies illucescat et lucifer lux oriatur in cordibus vestris* (*II Petr.* I). Et fortassis, secundum similitudinem quæ ibi Scripturæ attribuitur ad significandum effectum quem ipsa in cordibus audientium efficit, dictum est : *Seraphim stabant super illud;* surgit enim cum nos erigit; ambulat, cum nos proficere facit; stat, cum nos in beato proposito figit. Sed inquirendum est, quare Deus super solium sedere dicitur; et super
C solium non sedere, sed stare seraphin perhibetur? Et quia superius, hoc solium tribus modis interpretati **174** sumus; secundum utrumque modum expositionem adaptare debemus. Si ergo solium Dei, spirituales creaturas accipimus, recte super solium sedens Deus describitur, quia divinitas deitatis cum sit super omnia, nec virtute proficit, nec sapientia crescit; cum nec plenitudo augeri possit, nec æternitas variari. Mens vero humana, quoties per cognitionem Scripturæ fuerit illuminata, ad cœlestia contemplanda sublevatur; si ipsos quoque angelorum choros transcendens, usque ad præsentiam sui Conditoris profecerit, super solium quidem ascendit, sed stat et non sedet : quia illuc proficiendo per laborem venit, ubi per naturam manere non
D habuit; stare namque laborantis est, sedere animi quiescentis.

Super solium autem æternitatis, non nisi Deus sedet, nos vero stamus, quia incipimus esse per gratiam, ubi ipse est per naturam; nec ad illud solium, nisi per mortis laborem, pervenire possumus. Attamen, licet ex conditione, servi obnoxii simus; ex adoptione, æternitatis hæredes efficimur. Sed

alæ uni, et sex alæ alteri (*Isa.* VI). Id est uterque A sex alas habebat. Uterque duabus alis corpus suum tegebat, non Domini ; hoc est primum : par uterque duas alas extendebat : alteram ad tegendum caput, non suum sed Domini ; alteram ad tegendum pedes, non suos sed Domini ; hoc est secundum par : uterque duabus volabat alis, alter ad alterum ; hoc est tertium par. Si ergo seraphim sacram Scripturam significat, tria paria alarum, tres sunt intellectus ejusdem Scripturæ, historia, allegoria, tropologia, quæ singula idcirco bina sunt, quia singula ad dilectionem Dei et proximi, legentium animos accendunt. Duæ alæ quæ corpus seraphin tegunt, historia est quæ per velamen litteræ mysticos tegit intellectus. Duæ alæ quæ a capite B Domini usque ad pedes extenduntur, allegoria est, quia cum mysteria divinæ Scripturæ discimus, usque ad ipsius divinitatis cognitionem, quæ ante omnia est, per illuminationem mentis penetramus. Sed sciendum est quod alæ extensæ usque ad caput, etiam pedes attingunt, et utrumque tangentes tegunt ; quia quoties ad ejus æternitatem cogitandam, per excessum mentis rapimur, nullum in eo principium aut finem invenimus. Alas ad corpus extendimus, dum eum ante omnia fuisse cogitamus ; sed his eisdem alis nobis caput ejus velamus, in quantum in eo finem non invenimus. Tangimus etiam caput ejus, dum eum post omnia esse, non tempore sed æternitate, consideramus ; sed pedes ejus tangimus, quia quanto magis æternitatem C mens humana investigare nititur, tanto magis incomprehensibilem eum esse miramur.

Thuribula hinc inde dependentia, orationes contemplativorum et aliorum activorum, conspectui divino oblatæ, officio sanctorum angelorum, habent significare. Quod autem in Isaia scriptum est : *Velabant faciem ejus* (*ibid.*), et non caput, eodem modo intelligendum est, quod dictum est ad Moysem : *Non poteris faciem meam videre, non enim videbit me homo et vivet* (*Exod.* XXXI), quia plena hæc est cognitio divinitatis, quæ sanctis in æterna promittitur vita, de qua Apostolus : *Videbimus eum facie ad faciem* (*I Cor.* XIII). Et rursum : *Tunc cognoscam sicut cognitus sum* (*ibid.*). In hac enim mortalitate adhuc degentibus velata est et abscondita ; in illa au- D tem æternitate non velata, sed revelata et manifesta, sicut in Evangelio Dominus ait de bonis angelis : *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est* (*Matth.* XVIII). Quia ergo ad præsentem tractatum pertinet, ut facies nuda remaneat, verba prophetiæ non immutantes, sed prætermittentes, ut cum verum sit, quod in Deo nullum principium comprehendetur, ut stare possit quod dicitur : *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei*, faciem apertam relinquimus. Cætera quoque quæ haberi aliter dicuntur, non ad prophetiam, sed ad picturam referenda sunt. *Duabus alis volabant* (*Isa.* VI). Istæ duæ alæ quibus volabant seraphim, tropologiam significant ; quia dum lectione divinæ Scripturæ ad bona opera instruimur, quasi quibusdam alis ad alta sublevamur, quibus etiam volamus, *Alter ad alterum* (*ibid.*), dum ad studium bonæ operationis nos invicem exhortamur : volantes autem, *Sanctus*, **175** *sanctus*, clamamus, si per bona opera nostra, non nostram sed Patris nostri qui in cœlis est, gloriam amplificare satagimus. Quid enim est, *Sanctus, sanctus* clamare, nisi creationis nostræ gloriam quam agnovimus intus, in aperto prædicare? Restat nunc, ut postquam ostendimus quid sibi velit, quod caput Domini et pedes ejus absconditi esse leguntur, etiam quid de reliquo corpore cogitandum sit demonstremus. Si ergo caput Dei esse dicimus quod fuit ante mundi constitutionem, et pedes ejus, quod futurum est post constitutionem hujus sæculi ; recte per longitudinem corporis ejus accipimus, quod inter principium et finem medium est spatium temporis. Caput ergo et pedes teguntur, quia prima et novissima investigare non possumus ; corpus apparet, quia ea quæ medio in hoc præsenti sæculo geruntur, videmus. Hoc corpus est Ecclesia, quæ incepit a primordio mundi, et usque ad finem sæculi durabit. Hæc est arca quæ a capite usque ad pedes pertingit, quia a principio usque ad finem, per successionem generationis sancta Ecclesia se extendit, ut corpus Dominicum perfectum, non diminutum generet : etenim si jam perfectum esset, ut ait Apostolus, jam finis mundi adesset. Sed sciendum est, quod sicut in persona hominis, alia sunt circa pedes ejus, et nec in corpore, neque de corpore sunt ; alia sunt in corpore, nec tamen sunt de corpore ; ita etiam est in corpore Christi, id est Ecclesia, quæ habitat in medio pravæ nationis, et dum assultus infidelium excipit, quasi quibusdam fluctibus procellarum a foris arca contunditur ; dum vero a falsis fratribus tribulationem sustinet, quasi quibusdam noxiis humoribus intus corpus torquetur. Quæcunque ergo corpori contraria sunt, sive intus sive foris sint, non de corpore sunt. Quod autem brachia Domini hinc inde complectuntur omnia, hoc significat, quod sub ejus potestate sunt universa, et quia nemo manum ejus, vel dexteram ad præmium, vel sinistram ad damnationem effugere potest. Cur ergo amplius membra de salute corporis sunt sollicita, quæ talem capitis potestatem agnoverunt ! Ipse novit quid corpori suo expediat, qui per compassionem sentit periculum, et per potestatem parat remedium. Ipse qui in mari viam ponit, et corpus suum, id est Ecclesiam, quasi arcam in diluvio multis modis novit regere. Hic est Christus gubernator et idem portus, inter procellas hujus vitæ regens arcam, seu Ecclesiam, quæ est corpus suum, medium per se ducit ad se.

Ut autem exemplar hoc evidentius tibi fiat, totam personam Christi, id est caput cum membris, in forma visibili depinxi, ut cum totum videris, quæ de invisibili parte dicuntur, facilius intelligere possis ; talem vero personam hic tibi exprimere cupio, qualem se Isaias vidisse testabatur (*Ibid.*) ut per-

sona præ oculis supposita, cum expositione auctoritatis concordet. Et ne tantæ materiæ metam excedamus, hæc de pedibus sedentis super solium excelsum, quos seraphim duabus velabant alis, scriptori, et si non auditori, commemorasse sufficit; qui a facie exorsus sedentis, per medium usque ad pedes, via duce, secundum Isaiæ et Ezechielis visionem perveni.

Alæ primæ penna prima.

Prima ala est confessio, non laudis, unde: *Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus* (*Psal.* CXVII), sed criminis, unde: *Confitemini alterutrum peccata vestra* (*Jac.* V). Hæc confessio, peccati accusatoria manifestatio est. Hæc propriæ infirmitatis, et ignorantiæ, et malitiæ, compungente conscientia, lugubris enarratio est. Hujus alæ penna prima est veritas, quæ omnem excludit simulationem; vera namque non ficta, non simulata debet esse confessio.

Secunda penna primæ alæ.

Secunda penna, integritas est, quæ decurtationem excludit, et divisionem. Integra enim debet esse confessio, non decurtata, non divisa. Decurtatio aliquid occultat; reservat **176** enim sibi, quod pœnitet peccasse, sed non omnino; aliud retinet, in quo delectetur. Sed infidelitatis impietas est, ab illo qui justus et justitia est, diminutam sperare veniam. Sed et vulnus unum sufficit ad mortem. Divisio autem omnia, sed non uni revelat. Quidam enim sunt, ut ait B. Augustinus (19), quos omnino pœnitet peccasse, sed verecundia ducti, dividunt apud se confessionem ut diversa diversis sacerdotibus velint confiteri, et quæ uni celant, alii manifestanda conservant; quod est, quodammodo se laudare, et ad hypocrisim tendere, et semper venia carere, quam per frusta putant invenire. Omnia igitur, et uni, præsertim criminalia, confessione revelanda sunt, nec solum actiones pravæ, sed et circumstantiæ earum, id est locus, tempus, modus, numerus, persona, et si quæ sunt similia, non negligenter reticenda, sed diligenter confessione explicanda sunt. Multa namque inter locum et locum, tempus et tempus, modum et modum, personam et personam, distantia est.

Consuetudinis quoque perseverantia, quæ ad tempus respicit, numerique multiplicatio Dei patientiam (quæ ad pœnitentiam vocat) exacerbat, divinamque in se provocat ultionem. In persona autem, sexus, ætas, scientia, conditio, necessitudo, et ordo, studiose pensanda et expresse manifestanda sunt. Qui ergo confitetur, in singulis his immoretur.

Tertia penna alæ primæ.

Tertia penna est firmitas, quia fortis et firma debet esse confessio. Hæc firmitas, decem quæ confessionem impediunt, expellit. Quæ sunt illa? Pudor, timor, contemptus presbyteri, desperatio, A præsumptio, perversitas, ignorantia, oblivio, negligentia et necessitas, quæ sola excusabilis est. Pudori autem fortitudinis virtus, periculi quod imminet nisi revelentur peccata, necessitatem pensans, viriliter resistat. Timorem vero quem pœna injungenda incutit, patientiæ fructus expellat. Contemptum quoque presbyteri, reverentia, veneratio et dilectio Christi vicario debita, penitus evacuet. Desperationem etiam, divinæ misericordiæ benignitas excludat. Præsumptionem autem divinæ justitiæ districta severitas exstirpet.

Perversitatem vero fidei ratio exterminet. Sed et ignorantiam providentia devitet. Oblivionis tenebras, morum et operum studiosa perscrutatio, et in memoriam revocatio illustret. Torporem autem B et negligentiæ teporem, fervor spiritus evellat et destruat. Necessitatem vero nulla omnino præveniat negligentia.

Quarta penna primæ alæ.

Quarta penna est humilitas, quæ typum superbiæ excludit (*Prov.* III). Mens humilis, lingua humilis, vultus humilis, debet esse confitentis. *Superbis enim Dominus resistit, humilibus autem dat gratiam* (*Jac.* IV).

Quinta penna primæ alæ.

Quinta penna est simplicitas. Hæc propriam infirmitatem, propriam ignorantiam, propriam accusat malitiam, nihil defendens, nihil excusans, nihil attenuans. Vera igitur, integra, firma, humilis et C simplex, debet esse confessio. Vera, sine simulatione; integra, sine diminutione; firma, sine titubatione, hæsitatione et desperatione; humilis, sine jactantia, sine præsumptione; sine alterius comparatione simplex, sine excusatione et defensione. Hæc est prima ala cum pennis suis.

Ala secunda.

Confessionem sequitur satisfactio. Has duas primas alas creat et format compunctio. In omni enim actione pœnitentiæ, hæc tria necessaria esse comprobantur, compunctio, **177** confessio, satisfactio. Compunctio autem turbat, confessio accusat, satisfactio confortat; compunctio morbi occasionem investigat, confessio manifestat, satisfactio curat. Compunctio mala enumerat, confessio condemnat, D satisfactio emendat. Compunctio apostema pungit, confessio saniem exprimit, satisfactio cataplasma apponit. Compunctio vulnus invenit, confessio aperit, satisfactio sanitatem restituit.

Compunctio autem est cordis contritio, seu, qui alligat contrita, animi dolor; quæ recolligit divisa, animæ amaritudo: et quæ miræ dulcedinis suavitatem generat. Scriptum est: *Scindite corda vestra, et non vestimenta vestra* (*Joel* II). Et alibi: *In cubilibus vestris compungimini* (*Psal.* IV).

Compunctionem duplex causa creat, timor scilicet, et spes. Timor causa inchoativa est, spes consummativa. Timor, quia quam mire homo a

(19) Lib. *De vera et falsa pœnitentia*, cap. 15, tom. IV).

Creatore suo sit conditus, quam gratuito nutritus, quam in substantia rectus, et ratione in sui conditione ditatus, cæteraque bona quæ Conditor ei contulerit, et quæ ipse mala bonis ipsius rependerit, subtiliter enumerat. Sed et districtum judicem, et suppliciorum minas ostendit, pœnarum horrore animum ferit, pudore confundit, motus illicitos increpat, et quietem noxiæ securitatis turbat. Timor igitur culparum modum et numerum examinans, justitiæ quoque divinæ rigorem, et judicii futuri districtionem attendens, animum pungit, et pungendo peccatum expellit. Unde hæc timori virtus expulsiva? hanc præstat et corroborat spes confortativa.

Vanus enim timor est quem non fiducia firmat.

Timentibus Deum nihil deest; si spes defuerit, nihil boni adest. Scriptum est : *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te!* (*Psal.* XXX). Nulla tamen erit, nisi a spe fuerit propinata. Est igitur contritio cordis ex timore, fructus autem laboris ex spe. Sed unde spei virtus confortativa? Ex promissione divina. Audi Scripturam : *Spera in Domino, et pasceris in divitiis ejus* (*Psal.* XXXVI). Item : *Spera in eo, et ipse faciet* (*ibid.*). Item : *Non deserit Dominus sperantes in se* (*Judith.* XIII). Item : *Beati omnes qui confidunt in eo.* (*Psal.* II). Si ergo times ut compungaris, spera in Domino ut ei reconcilieris. Si times Deum quia potest perdere in gehennam, spera in eo, *quoniam non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat* (*Ezech.* XXVIII). Si times quia sapiens *novit abscondita cordis* (*Psal.* XLIII); spera, quia *illuminabit abscondita tenebrarum* (*I Cor.* IV). Si times quia nihil impunitum relinquit; spera, quia *redimet Israel ex omnibus iniquitatibus ejus* (*Psal.* CXXIX). Quemadmodum igitur timor compunctionis prævenit et comitatur virtutem; ita spes provehit, et ad fructum reconciliationis perducit. Per timorem ergo compunctio suscitatur; per spem optatæ reconciliationis gratia promeretur. *Quacunque enim hora ingemuerit, salvus erit* (*Ezech.* XXXIII). Gemitum tamen timor importat, salutem promeretur spes. Quid sit ergo, et unde sit, et ad quid sit compunctio cordis breviter declaratum est; nunc de satisfactione, quæ ala secunda est, breviter disseramus.

De satisfactione. Ala secunda.

Satisfactio est, injunctæ pœnitentiæ expletiva exsecutio, vel, peccatorum condigna correptio et correctio.

Secundum namque qualitatem vel quantitatem delicti, mensura correptionis vel correctionis pensanda est; *Agite*, inquit, *fructus dignos pœnitentiæ* (*Matth.* III; *Luc.* III). Aliud est enim pœnitentia, aliud fructus pœnitentiæ; sicut, aliud est arbor, et aliud fructus ejus, pœnitentia est dolor præteriti, quando doles te fecisse quod malum est.

Quando ergo improbas et damnas mala tua, pœnitentiam habes; quando autem satisfactione sub-
A sequente, punis et corrigis mala tua, fructus pœnitentiæ habes. Si displicet tibi quod fecisti, pœnitentiam agis, sed si persequeris et punis quod fecisti, fructus pœnitentiæ agis. Pœnitentia est facti improbatio, fructus pœnitentiæ est delicti correctio. Sed quia pro mensura delicti, correctionis mensura pensanda est, ideo fructus pœnitentiæ dignos facere oportet. Si in correctione minor est afflictio quam in culpa delectatio fuerit, non est dignus fructus pœnitentiæ tuæ. Sed dicis mihi : quomodo scire possum quando **178** condigna sit pœnitentia mea? Quia hoc scire non potes, ideo, necesse habes semper pœnitere. Satisfacere potes, nimis facere non potes, melius est ut plus facias quam minus. Idcirco sollicitus esto, satage, da operam, studium
B impende, ut culpa sit cum fine, devotio sine fine. Tamen ut aliquando peccatrix conscientia consoletur, positus est modus et mensura pœnitentiæ exterioris, ut illa expleta vel perfecta fiduciam habere incipias, et sana quadam præsumptione, in spe misericordiæ divinæ, de indulgentia et remissione peccatorum confidere; et tanto verius, quanto utique sincerius injunctam pœnitentiam expleveris.

Alæ secundæ penna prima.

Prima penna hujus alæ est peccati abrenuntiatio, quæ januam claudit diabolo. Peccatis abrenuntiare, est a malo declinare. *Declina*, inquit, *a malo* (*Psal.* XXXVI), a quo malo? a malo vanitatis, a malo iniquitatis, a malo malignitatis, a malo im-
C pietatis. *Non sedi*, inquit Psalmista *cum consilio vanitatis, et cum iniqua gerentibus non introibo: odivi ecclesiam malignantium, et cum impiis non sedebo* (*Psal.* XXV). Hæc quatuor vitia, quatuor generant affectiones, scilicet amorem sui, amorem mundi, fraternum odium, et remissum amorem Dei. Prima affectio vanitatem, secunda iniquitatem, tertia malignitatem, quarta generat impietatem. Vanitas in se reciprocatur, iniquitas reflectitur in proximum, malignitas in fratrem retorquetur, impietas in Deum extenditur. Vanus et vecors est, qui quærit quæ sua sunt; iniquus, qui, ut in multitudine divitiarum suarum glorietur, et avaritiæ saccum impleat, quæ proximorum sunt, qui et dolo sibi acquirit; malignus, qui etiam cum non possit
D nocere, cupit; impius, qui Deum vel non credit, vel si credit, contemnit.

Secunda penna est lacrymarum effusio. Hæc peccatorum vulnera lavat et mundificat.

Tertia penna est carnis maceratio. Hæc vulnera lota tergit et siccat.

Quarta penna est eleemosynarum largitio. Hæc alligat contrita, fracta consolidat, omnia sanat.

Quinta penna est orationis devotio. Hæc sanata conservat.

Ala tertia.

Tertia ala est carnis munditia. Caro munda est, quam nulla coinquinat luxuria : luxuria omnium virtutum eradicat germina.

Hujus alæ penna prima est, visus pudicitia. Hæc

petulantiam excludit. Hæc circumcidit oculum, ne A concupiscat alienum, ne videat ad concupiscendam mulierem. Cujus enim erga feminarum formas lascivus et curiosus oberrat aspectus, iste et mente est impudicus.

Secunda penna est auditus castimonia. Castæ sunt aures quæ vocem non recipiunt obtrectantis, maledici et blasphemi verba non audiunt, falsis criminationibus, mendacio, irritationi, impudicis cantilenis, et theatralibus non opitulantur, et clausæ sunt, ne judicium sanguinis audiant, nil obscenum recipiunt, sed ab omni cœno corruptionis aversæ sunt.

Tertia penna est olfactus modestia. Si quis odorem capit bonum, et operibus misericordiæ odorem suavitatis requirit, hujus modesta est odoratio. B Qui vero primis unguentis delibutus incedit, hujus odoratus non virtutis, sed fetoris spirat odorem; hujus enim suavitatis odor, immanissimi vitii fetor est.

Quarta penna est gustus temperantia. Hæc gulæ et ebrietatis subruit immoderantiam. *Væ illis, quorum deus venter est, et gloria in confusione eorum qui terrena sapiunt* (*Philip.* III). Unde Gregorius: « Dum venter a satietate non restringitur, per concupiscentiam carnis simul omnes virtutes obruuntur. » Unde legitur (*IV Reg.* XXV), quia princeps cocorum destruxit muros Jerusalem: muros Jerusalem princeps cocorum destruxit, quia virtutes **179** animæ. dum ventri indulgetur, periclitantur. C De crapula et ebrietate Dominus ait: *Videte ne forte graventur corda vestra in crapula et ebrietate, et superveniat in vos dies repentina* (*Luc.* XXI). Ebrietas est parens litium, furoris mater, et petulantiæ deformis est magistra. Hanc qui habet, se non habet; hanc qui habet, homo non est; hanc qui habet, peccatum non facit, sed ipse peccatum est. Ebrietas est dæmon blandus, venenum dulce, rabies voluntaria, illecebrosa honestatis et pudoris injuria. Hanc nullus noverit Christianus.

Quinta penna est tactus sanctimonia. Peccati sordes ne contrectet manus Christiani, nihil immundum tangat caro ejus, si tetigerit, immunda erit. Si singula membra in officiis mandatorum Dei deserviant, munda dicenda sunt, si vero ultra præ- D scriptas sive divinitus datas leges luxuriant, immunda dicenda sunt, vel reputanda; et hæc pudenda sunt. Et hoc puto esse, quod Apostolus dicit: *Sicut enim exhibuistis membra vestra servire iniquitati ad iniquitatem; ita nunc exhibete membra vestra servire justitiæ in sanctificationem* (*Rom.* VI). Sit ergo oculus pudicus, auris casta, odor modestus, gustus sobrius et tactus sanctus.

Ala quarta.

Ala quarta est puritas mentis. Hujus alæ penna prima est affectus sinceri rectitudo. Affectus desiderii tui sit rectus et sincerus. Rectus erit, si id appetas quod appetere debes; sincerus vero, si eo modo quo honestatis virtus suadet. Amnon sororem suam dilexit (*II Reg.* XIII); affectus amoris rectus fuit, sed quia non eo modo quo debuit sororem dilexit, ideo affectus iste sincerus non fuit.

Secunda penna est mentis in Domino delectatio. Scriptum est: *Delectare in Domino, et dabit tibi petitiones cordis tui* (*Psal.* XXXVI). Hanc pennam creat et format virtus contemplationis. De hac, Dominus dicit: *Maria optimam partem elegit quæ non auferetur ab ea* (*Luc.* X).

Tertia penna est, munda et ordinata cogitatio. Nihil immundum mens concipiat, sed et mundam conceptionem loco et tempori accommodet discretio.

Quarta penna est voluntatis sanctitudo. Angeli pacem de cœlo detulerunt hominibus bonæ voluntatis. *Non est pax impiis, dicit Dominus* (*Isa.* XLVIII). *Pax multa diligentibus legem tuam, et non est illis scandalum* (*Psal.* XI). O quam desiderabile est nomen pacis! Quam firmat religionis Christianæ stabile fundamentum: bene autem cum diceretur: *Gloria in excelsis Deo*, adjunctum est: *Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis* (*Luc.* II). Quia cum illis angeli societatem habere festinant, quorum mentibus puritatem bonæ voluntatis inesse considerant. Illos secum post absolutionem carnis, ad contemplationem veræ pacis subvehere lætantur, quos in carne commorantes, omnia quæ agunt aut loquuntur, de radice bonæ voluntatis proferre conspiciunt. Tales namque, etsi infirmitas forte aliquando vel ignorantia a perficienda bona operatione quam cupiunt, retardat, tamen ante summi arbitri oculos, integritas quam corde tenent bonæ voluntatis, eos excusat.

Quinta penna est simplex et pura intentio. De hac Dominus dicit: *Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit* (*Matth.* VI). Per oculum, intentionem, per corpus significat actionem; locus enim iste Evangelii sic intelligendus est, ut noverimus omnia opera nostra tunc esse munda, et placere in conspectu Dei, si fiant simplici corde, id est intentione superna, sive oculo charitatis; quia *plenitudo legis dilectio charitas* (*Rom.* XIII). Oculum igitur debemus hic accipere, ipsam intentionem, qua facimus quidquid facimus, quæ si simplex et pura fuerit, et illud aspiciens quod aspiciendum est, omnia opera nostra, quæ secundum eam operamur, necesse est ut bona sint. Quæ opera omnia, totum corpus appellavit; quomodo et Apostolus vocat membra, quædam opera quæ improbat, et mortificanda præcipit: *Mortificate ergo membra vestra quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, avaritiam* (*Col.* III), et cætera talia mala. Non ergo quid quisque faciat, sed quo animo faciat considerandum est; fructus **180** enim operis totus consistit in simplicitate intentionis. Quidquid igitur gerendum esse cogitatio nostra suggerit, omni scrupulo retractantes, atque in nostri pectoris trutina collocantes, æqua et justissima

libratione perpendamus, an plenum sit honestate A communi, an Dei timore sit grave, an integrum sensu, an humana ostentatione, aut aliqua voluntatis præsumptione sit leve, an meriti ejus pondus inanis cenodoxia non imminuerit, vel arriserit gloria? et sic ad examen publicum trutinantes, id est ad prophetarum et apostolorum actus et testimonia conferentes, vel tanquam integra et perfecta, compensatione digna teneamus; vel tanquam imperfecta et damnosa, nec illorum ponderi consonantia, omni cautione atque diligentia refutemus.

Ala quinta.

Quinta ala est dilectio proximi. Hujus penna prima est, nulli nocere verbo vel opere. De hac scriptum est : *Quod tibi non vis fieri, alteri ne facias* (*Matth.* VII). Hanc pennam format virtus in- B nocentiæ. Innocens est, qui etiam cum possit, nulli vult nocere. *Quis ascendet*, inquit, *in montem Domini? Innocens manibus*, etc. (*Psal.* XXIII.) Quis innocens manibus? *Qui non fecit proximo suo malum. Ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus* (*Ibid.*) Quis est iste malignus, nisi diabolus? Qui nulli vult nocere, tempore excluso, motum primum jam sentit amoris.

Secunda penna est, omnibus prodesse, verbo et opere. *Frater fratrem adjuvans, civitas munita et fortis* (*Prov.* XVIII). Hanc pennam suscitat, et provehit in culmen perfectionis, virtus misericordiæ. *Beati*, inquit, *misericordes* (*Matth.* V). Qui omnibus studet prodesse, vivum calorem veri spirat C amoris.

Tertia penna est, rerum propter amicum consumptarum detrimenta non tantum non deflere, sed veræ liberalitatis fortitudine, non sentire; de beneficiorum in usus fratrum collatorum magnitudine semper gaudere in corde. Qui sentit, computator est, non largitor; qui non gaudet, dolet. De hac penna scriptum est : *Qui negligit damnum propter amicum, justus est; iter autem avari decipiet eum* (*Prov.* XII).

In hoc intellige amicum amoris.

Quarta penna est, animam pro fratre ponere. Quid est, animam pro fratre ponere? Pro temporali etiam proximi salute, propriam voluntatem deserere, et in articulo necessitatis, pro æterna salute fratris, mortis discrimina libenter subire. De hac scriptum est : *Majorem hac dilectionem nemo habet, quam ut animam suam ponat pro amicis suis* (*Joan.* XV). Major non ebulliet fervor amoris.

Quinta penna est, in his perseverare. Hanc perficit virtus perseverantiæ. Finis, non pugna coronat. Qui perseverat, cessare nescit.

Ala sexta.

Ala sexta est dilectio Dei. Hæc, ut aliæ, quinque pennas habet.

Primam harum habet, qui aliud quam Deum non concupiscit. Hoc est mobile hujus amoris.

Secundam pennam habet, qui propter Deum sua distribuit, qui partem retinet, partem vero tribuit. Hoc est calidum hujus amoris.

Tertiam pennam habet, qui propter Deum nihil sibi reservat, sed omnia relinquit. Hoc est acutum hujus amoris.

Quartam pennam habet, qui propter Deum se ipsum abnegat. Se ipsum abnegat, qui suam deserit, ut Domini solam faciat voluntatem. Hoc est fervidum hujus amoris.

Quintam pennam habet, qui in his perseverat. Quia, *qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* (*Matth.* X). Hoc est incessabile hujus amoris.

Hæ sunt alæ de quibus Psalmista ait : *Sub umbra alarum tuarum protege me, a facie impiorum qui me afflixerunt* (*Psal.* XVI). Item : *In umbra alarum tuarum sperabo, donec transeat iniquitas* (*Psal.* LVI). Hæ sunt pennæ de quibus idem Psalmista ait : *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, et volabo, et requiescam!* (*Psal.* LIV). Volabo, inquit, terrena deserens, cœlestia appetens, et requiescam vera libertate, æterna fruens beatitudine. Amen.

MAGISTRI ALANI
AB INSULIS
LIBER PŒNITENTIALIS

SIVE

METHODUS DIGNE ADMINISTRANDI ET SUSCIPIENDI SACRAMENTUM PŒNITENTIÆ.

AD LECTOREM PRÆFATIO.

181 Joannes Trithemius, *Lib. De Scriptoribus*, Antonius Possevinus in *Apparatu sacro*, aliique plures, opera recensentes Magistri Alani de Insulis, inter ea referunt *Libros quatuor de Pœnitentia, ad Bituricenses*

quorum initium sit: *Dei gratia Bituricensi*, etc. Hujus vero libri non meminerunt. At, prius quidem opus per celebriores quasque totius Belgii bibliothecas, insuper et aliquot externarum provinciarum, studiose quæsitum, reperire nequivi; hoc autem præsens (auctoris etiam nomine insignitum) pluribus in locis offendi: nam in primis, bibliothecam eximii domini Georgii Colvenerii, in alma universitate Duacensi S. Theolog. (nuper) primarii professoris, idem illum continere, testatur ejusdem bibliothecæ catalogus, quem nuper mihi transmissum, brevi impressum exhibebit tertia pars bibliothecæ Ms. Belgicæ, Antonii Sanderi, Iprensis canonici (20).

Aliud exemplar reperi in domestica nostra Dunensi bibliotheca ms. perantiquum, in pergameno exaratum. Tertium ex bibliotheca Sancti Gisleni, ordinis Sancti Benedicti in Hannonia mihi (de licentia Abbatis sui) perhumaniter submisit reverendus dominus Simon Guillemot, ejusdem cœnobii bibliothecarius, plane vetustissimum, et nihilominus, cum Dunensi nostro per omnia conveniens, exceptis paucis hinc inde verbis quæ in marginibus adnotavi.

182 Porro, utrum Alanus hoc opusculum a se primo conscriptum, postea auxerit, vel aliud ab hoc omnino diversum composuerit, quod Bituricensi archiepiscopo dedicaverit, me latet. Interim, operæ pretium duxi, pro confessariorum et pœnitentium instructione, opusculum hoc publici juris facere ascriptis in margine locis sententiarum sacræ Scripturæ, quæ in eodem citantur; quippe, quod bonam et succinctam continet methodum, digne administrandi et suscipiendi pœnitentiæ sacramentum; ideoque doctissimorum virorum judicio luce dignum. Circa quod tamen præmonitum volui lectorem, Magistrum Alanum dum agit de circumstantiis peccatorum in confessione explicandis, illam sequi sententiam, quæ asserit, confitendas esse circumstantias aggravantes intra eamdem speciem, etiam subinde non valde notabiliter aggravantes; cujus contrariam licet jam fere communiter moderna sequatur praxis, Alani tamen sententiam plurimi olim docuerunt auctores antiqui, et etiamnum defendunt recentiores non pauci, viri doctrina clarissimi, quos magno satis numero citat Diana, parte prima, tract. sexto, res. prima. Quinimo doctissimus Franciscus Sylvius, in Comment. ad quæst. 9. Supplementi divi Thomæ, articulo secundo quæst. 1. materiam hanc pertractans bene demonstrat, utiliter etiam subinde in confessione exprimi non solum circumstantias aggravantes, verum etiam minuentes. Lege illum, et non miraberis si in Alano nostro similia reperias.

F. Carolus de Visch.
P. Dunensis.

—

ANAGRAMMA.

ALANUS: — *Lavans.*

Qui docet effusis lacrymis peccata LAVARE
Hic merito nomen jure LAVANTIS habet.

—

INCIPIT LIBER PŒNITENTIALIS.

183 *A, a, a, Domine Deus, quoniam puer ego sum, et nescio loqui* (*Jer.* I). Si Jeremias ab utero sanctificatus, a Domino propheta electus, a criminali macula alienus, divina inspiratione edoctus, timens officium prædicationis assumere, et verba Dei resonare, se confessus [1] est puerum, se confessus est blæsum; quomodo nostri temporis homines ab utero immundi, a Domino reprobati, criminalibus nodis impliciti, a divina visitatione deserti, audent sacerdotii culmen ascendere, arcana cœlestia balbutire, cum non tantum sint infantes sapientia, et pueri sapiendo, sed senes desipiendo? cum non sint tantum blæsi ad prædicandum, sed muti ad loquendum? [2]. Si Jeremias qui eloquens erat, ad prædicandum Deum, se mutum confitetur, quomodo sacerdos mutus, ad loquendum de Deo se eloquentem B fatetur [3]?

Sacerdotes nostri temporis senes sunt et pueri, A de quibus dicitur: « Maledictus elementarius senex [4]. »

Et alibi: *Maledictus [5] puer centum annorum* (*Isa.* LXV). Senes quidem, morum desipientia, pueri lascivia; senes animi imbecillitate, pueri animi instabilitate; senes divini caloris defectu, pueri adulterini caloris effectu. Si tales ad ordines paupertas impellit, Ecclesiæ necessitas astringit, superiorum auctoritas cogit, clament *A*, quia impellit paupertas; clament, *A*, quia Ecclesiæ necessitas astringit; clament, *A*, quia superiorum auctoritas cogit. Ante sustineant paupertatis insultum, quam periculose aggrediantur sacerdotii onus. Si tamen necessitas ingruit, si rationabiliter superioris auctoritas injungit, se ad ordines dignos præparent, et dignis moribus se decenter adornent [6], ut sic sacerdotii onus suscipiant, ut honorem honori impendant; seque reputantes indignos, clament cum Je-

VARIÆ LECTIONES.

[1] Professus. [2] *Aliud exemplar hic interserit sequentia:* Si Jeremias puer malitia, onus prædicationis abhorruit, quomodo sacerdos puer scientia, sacerdotii honorem invadit? [3] Confitetur. [4] Seneca, lib. V epis. [5] *Textus Scripturæ habet*: morietur *loco* maledictus. [6] Exornent.

NOTÆ.

(20) Joannes Bunderius in indicibus librorum Mss. Belgii, etc., testatur se hunc libellum reperisse in multis bibliothecis, in diversis exemplaribus, intitulatum, *Correctorem* et *Medicum*.

remia: *A, a, a, Domine Deus*, quia sumus pueri, et nescimus loqui; quia ad sapiendum infantes, blæsi ad loquendum, claudi ad operandum.

Sacerdotum quidam sunt blæsi, alii taciturni, alii muti.—Et vere, quidam sacerdotum nostrorum sunt blæsi, quidam taciturni, quidam muti. Blæsi sunt, qui male verba formant; hi sunt, sacerdotes qui divina prædicant, sed vim prædicationis suæ in terrenorum emolumentum inclinant. Taciturni sunt, qui raro loquuntur; hi sunt, sacerdotes a quibus rarius arcana cœlestia prædicantur; quos aut negligentia retrahit, aut amor avertit, aut timor repellit. Hos negligentia facit torpentes, amor desipientes, timor pusillanimes. Muti vero sunt, qui aut prædicare nesciunt, aut scire contemnunt. De quibus dicitur: Væ vobis, *canes muti non valentes latrare* (*Isa.* LVI). Non valentes, quia nescitis; non volentes, quia contemnitis. Omnes isti clament: *A, a, a*, quia infirmi ad operandum, quia fragiles ad sciendum, quia tepidi ad diligendum. Istæ enim tres miseriæ sacerdotibus congruunt; hæ tres imbecillitates sacerdotes istos invadunt; scilicet impotentia in bene operando, ignorantia in sciendo, negligentia in Deum diligendo.

Muri inter Deum et sacerdotes, sunt, impotentia, ignorantia, negligentia.— Impotentiæ murus perfoditur quatuor modis. — Idem de muro ignorantiæ. — Murus quoque negligentiæ quatuor modis perforatur. — Muri prædicti totaliter subinde destruuntur. — Isti tres muri sunt inter sacerdotes et Deum positi, ne Deum videre possint per cognitionem; ne ad Deum possint gradi per bonam operationem: et ne ad Deum pervenire queant per charitatem. His tribus muris quidam inclusi clauduntur, a quibus iidem muri perforantur; quidam plenarie muros destruunt; quidam cœlesti scala transcendunt. His muris impediuntur, qui ad bene operandum, tardantur impotentia; ad Deum cognoscendum, impediuntur ignorantia; ad Deum diligendum, offenduntur negligentia; **184** hi, *ligatis manibus et pedibus, projicientur in tenebras exteriores, ubi erit fletus, et stridor dentium* (*Matth.* XXII). Quidam muros perforant, quia conantur infirmitatem infirmare, ignorantiæ tenebras expellere, negligentiæ torporem excutere. Isti quadruplici machina murum impotentiæ perfodiunt, et in eo quatuor fenestras constituunt, dum per eleemosynarum largitionem, per jejuniorum austeritatem, per vigiliarum continuationem, per orationis devotionem, quasi per quatuor fenestras sic Deum respiciunt, ut eos respiciat, sic ad Deum orant, ut eos Deus exaudiat; sic ad eum veniunt, ut ipse adveniat. De his fenestris legitur in Cantico amoris: *Ecce, sponsus stat post parietem, aspiciens per fenestras, respiciens per cancellos* (*Cant.* II). Istæ tamen fenestræ aliquando ab allophilis obturantur, id est prædictæ operationes per quas respicimus Deum, a vitiis impediuntur; dum eleemosynam exstirpat avaritia, jejunium crapula, vigiliam somnolentia, orationem acedia. In secundo muro, scilicet ignorantiæ, quatuor sunt fenestræ, dum per creaturas Deus agnoscitur: *per ea* enim *quæ facta sunt, invisibilia Dei comprehenduntur* (*Rom.* I). Dum ratio ad Deum intelligendum [7] movetur; dum homo inspiratur [8] divina inspiratione, dum divina Scriptura disquiritur: dum sic quadruplici investigatione homines Deum inquirunt, quasi per quatuor fenestras eum aspiciunt. Sed hæ fenestræ frequenter obturantur, dum in creaturis Creator non legitur, dum homo a divina illustratione [9] deseritur, dum ratio sensualitati ancillatur, dum sacra Scriptura contemnitur. Tertius vero murus scilicet, negligentiæ, quadruplici fenestratur foramine; dum Deum diligimus supra nos, proximum juxta nos, corpus infra nos, animam intra nos. Sed has fenestras obturamus, dum Deum postponimus, nosque ipsos negligimus, proximos contemnimus, dum corpora nostra nimis delicate nutrimus. Prædictos vero muros plenarie destruunt, qui jam in æterna tabernacula recepti, æternaliter vivunt, qui nec impotentia curvantur, nec ignorantia turbantur [10], nec charitatis negligentia laxantur.

Muros hos quidam transcendunt.— Illi vero hos muros cœlesti scala transcendunt, qui quamvis in carne positi, tamen septiformi gratia præditi, ad divinam contemplationem evadunt, ubi potentia in interna operatione, scientia in contemplatione, charitas in devotione. Hi muri sacerdotes nostros impediunt, iter concludunt, visum impediunt, intentionem offendunt.

Sacerdotes comparantur pueris. — Clament igitur sacerdotes nostri; *A, a, a, Domine Deus*, nescimus loqui, quia pueri sumus, et nescimus solidioribus cibis uti. Hæ enim tres imbecillitates humanæ, imminent pueritiæ, pueri namque gradi nequeunt, loquendo balbutiunt, solido cibo uti non possunt. In hoc ergo sacerdotes nostri sunt pueri, quia in gradiendo, id est in bene operando aut retrogradi fiunt, dum ad posteriora, id est ad terrena respiciunt, vel ad scandalum criminalium peccatorum offendunt, vel in abyssum obstinationis ruunt. Loqui vero nesciunt, quia aut fatua eructant, aut terrena plusquam cœlestia commendant, aut vera tacent [11], aut plenarie silent.

Corpus Dominicum cibus est quibusdam salubris, aliis insalubris.— Solidiori vero cibo uti non possunt, quia ad deglutiendum vel masticandum infirmi sunt. Cibus solidus et grandium, est corpus Dominicum, quod parvulos sensibus enecat, provectos vivificat, graviter ægrotantibus est ad ruinam, sanis ad sanitatis tutelam. Cibus tamen iste, ægrotantibus est medicina, si sumatur cum debitæ considerationis cautela, ut ægrotus culpa, ducatur [12] pœnitentia

VARIÆ LECTIONES.

[7] *Exemplar Dunense habet*: Ad divina intelligenda. [8] Illustratur. [9] Visitatione. [10] Tenebrantur. [11] Dissimulant. [12] Angatur.

ut cœlesti medico promittat obedientiam, morbi vitare causa. Idem cibus, sanis est refectio, id est justis provectio. In hoc ergo sacerdotes nostri pueris sunt comparabiles, quia sicut pueri cibo solido non valent uti, quia manus habent invalidas ad tenendum, os ad manducandum, stomachum ad recipiendum; sic, sacerdotes manus habent invalidas ad tractandum cœlestes escas, quia manus **185** quas injuste porrigunt ad pecuniam, consequenter extendunt ad eucharistiam; manus quibus illicita palpant, divina mysteria pertractant.

Os etiam habent invalidum et immundum ad capiendum cœlestem cibum. Indignum enim est, ut os cœlesti pane saginetur, quod multorum ciborum crapula suffocatur. Indignum certe est, ut in os illud introeat veritas, per quod eructatur falsitas. Stomachus etiam mentis terrenorum appetitu refectus, cœlestes respuit apparatus, et mens amplectens terrenorum cibum, cœleste respuit [13] viaticum. Malo ergo sacerdoti ingruit prædicta vox lamentationis, *A, a, a*, etc.; bono vero sacerdoti congaudet illa vox exsultationis. *Euge serve bone, et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis*, sapientiam dispensando, *supra multa te constituam* (*Matth.* xxv), Deum diligendo. In die vero judicii, imminebit malis sacerdotibus vox illa timenda et tremenda. Væ, væ, væ, quia pueri fuimus, et loqui nescivimus. Et vere nescierunt loqui in prædicando, prædicationem retorquentes in terrena. Nescierunt loqui in orando, orantes indebita; nescierunt loqui subditis consulendo, loquentes incongrua [14]. Quos enim debent mundare a vitiis, male consulendo, magis deturpant; quos debent ad superna erigere, magis in terrena incurvant: quos debent sanare, profundius vulnerant.

Sacerdotes sunt spirituales medici.—Peccator spiritualis ægrotus est. — Quomodo ad confessionem inducendus. — Sacerdos etenim debet vicem gerere spiritualis medici, subditus debet vicem gerere spiritualis ægroti; sicut enim materialis physicus accedens ad ægrotum, primo verbis mulcet ægrum, compatiens ægroto, se conformat infirmo, verbis blanditur, salutem pollicetur, ut æger confitenter morbi detegat quantitatem, doloris acredinem; percepta vero morbi quantitate, doloris acredine, consequenter inquirit tempus, quando morbus inceperit, locum ubi morbus eum arripuerit; ætatem cujus ætatis sit. Disquirit quoque causam morbi, et originem, morbi diuturnitatem, minuendi consuetudinem [15], personæ statum, pulsus impetum, corporis gestum, faciei habitum. Bene cognitis morbi circumstantiis, accidentibus infirmitatis, medicus secundum quantitatem morbi, diætam magis aut minus attenuat, quosdam cibos vetat, alios impe-

A rat; ægro vero pejora promittit, nisi injuncta custodiat; consequenter, contraria contrariis curat. Sic sacerdos quasi spiritualis medicus, dum ad eum accedit peccator spiritualis ægrotus, primo debet peccatorem verbis allicere, blandimentis mulcere, ut facilius detegat morbum, detegat peccatum ut melius post peccati detectionem, cum prius præposuerit blandimenti verba, concludat satisfactionis verba: monens ne erubescentia ductus, suos diffiteatur reatus; ne coram homine fateri crimina vereatur, quia non homini sed Deo confitens loquitur. Nec apud judicem poli confessus pro condemnato tenebitur, sed pro absoluto habebitur: hoc ostendens auctoritate multiplici, quod

B reatus deletur confessione peccati. Ait enim Auctoritas: *Confitemini alterutrum peccata vestra* (*Jac.* v). Et alibi *Dixi confitebor*, etc., *et tu remisisti impietatem peccati mei* (*Psal.* xxxi). Item Christus decem leprosis sanatis præcepit ut se ostenderent sacerdotibus (*Luc.* xvii). Per quod significatur, quod ille qui laborat lepra spirituali debet se ostendere sacerdoti per confessionem delicti. Præterea, docens, quod peccatum illud quod in præsenti detegitur, in die judicii tegetur; quod vero in præsenti velatur, in futuro revelabitur. Consequenter, ut reus minus vereatur confiteri peccata, si sacerdos videt eum duci erubescentia, inquirat ab eo in generali utrum hac vel illa laboraverit culpa? ut reus inquisitus, confiteatur quod primum di-

C cere verebatur, verbi gratia: Quærit utrum illicito coitu laboraverit, vel furto, vel rapina? et sic de aliis.

In peccatis carnis non debent inquiri nimis minuta. — Si vero confessus fuerit, se coitu illicito laborasse, quærat de specie, utrum fuerit fornicatus, vel adulteratus, vel incestu laboraverit, vel in peccato contra naturam exorbitaverit? Sed non debet ad minutias descendere, quia descendentem ad individua peccatorum, jubet Christus **186** quiescere, ne peccati incogniti inquisitio, det peccandi occasionem, quia *qui nimis emungit, elicit sanguinem* (*Pro.* xxxix). Et cum jam in omnem terram exierit sonus prædicatorum, hujusmodi minutias investigare, dicimus otiosum; cum hujusmodi inquisitio soleat esse erroris occasio; quia,

D *Nitimur in vetitum semper, cupimusque negata.*

Unde et de lege veteri dicitur: *Lex subintravit ut abundaret delictum* (*Rom.* v). Cui per legis traditionem quædam esse peccato innotuerunt, et tunc magis homines in ea exarserunt. Cesset ergo nimis subtilis inquisitio. Exempli causa: Si quis confiteatur se aliquam cognovisse, non quæram utrum eam cognoverit ante vel retro vel hujusmodi. Similiter de aliis inquirendum est.

(21) Bene cognito morbo, detecto peccato, inves-

VARIÆ LECTIONES.

[13] Fastidit. [14] Indebita. [15] Vivendi consuetudine.

NOTÆ.

(21) De hac, et sequentibus pluribus circumstantiis, vide quæ supra ad finem præfationis adnotavimus.

tigare debet tempus, utrum scilicet sit perpetratum peccatum in die festo quando specialiter feriandum est a servili opere, id est peccato. Gravius enim est quod fit diebus festivis.

Præterea utrum hora deputata orationi peccaverit, vel alia? gravius enim errat, qui vacat amplexibus tempore orationi deputato, quam alio.

Similiter, circumstantiæ temporis considerandæ sunt circa alia peccata, per quas aggravantur vel minorantur culpæ (22).

Status quoque loci considerandus est, utrum subditus peccaverit in loco sacro, an profano? in loco publico, an secreto: gravius enim errat, qui in oratorio peccat, quam in loco profano, similiter, qui in loco publico, quam secreto.

Inquirenda est quoque ætas, utrum reus sit senex an puer? gravius enim peccat senex, qui rerum habet experientiam, quam puer qui nullam. Considerandus est et sexus, utrum scilicet sit vir vel mulier; quia secundum hoc quod sexus est magis firmus, vel imbecillior, est culpa minor vel gravior.

Præterea, confitenda est origo peccati, et causa, ut si forte fornicatus fuerit reus, inquirendum erit, utrum deceptus fuerit pecunia, vel peccati dulcedine, vel ebrietate; gravius enim peccat si odore lucri, vel dulcedine blandimenti, quam si ebrietate decipitur. Simili modo, de causa et origine alterius peccati inquirendum est.

Peccati quoque diuturnitas consideranda est, quia secundum hoc quod peccatum magis duravit vel minus grave est vel gravius.

Debet quoque considerari consuetudo vivendi, utrum reus sit detentus vitio pravæ consuetudinis.

Considerandus etiam quandoque est personæ status, utrum peccator dives fuerit vel non; nam magis peccat dives, si furetur, quam pauper, quia majorem causam habet impulsivam pauper ad furtum, quam dives.

Debet quoque considerari conditio, utrum laicus sit, vel clericus, utrum majoris ordinis sit, vel minoris; quia secundum quod gradus est altior tanto casus gravior.

Complexio etiam consideranda est, secundum quod signis exterioribus perpendi potest; quia secundum diversas complexiones, unus magis impellitur ad aliquod peccatum, quam alius, quia si cholericus est, magis impellitur ad iram, si melancholicus, magis ad odium; si sanguineus, vel phlegmaticus, ad luxuriam.

Considerandum quoque est, utrum reus passus sit recidivum in aliquo peccato; quia si quis contritus fuerit de aliquo peccato, et iterum incidat in illud, gravius tenetur quam prius.

Vultus animi figura.— Considerandus est etiam corporis gestus, vel faciei habitus, ut per exteriora comprehendantur interiora, utrum nimirum intensus sit motus mentis ad continendum, vel remissus; quia cum vultus sit quasi animi signaculum, et figura, per vultum, utcunque, potest perpendi quæ sit voluntas interna; quia si vultus est in terram demissus, fletibus irriguus, internas contritionis signat cruciatus: si vero facies fuerit erecta, et nulla vestigia gerens tristitiæ minor videtur esse pœnitentia.

Peccata corporalia et spiritualia.—Spiritualia graviora sunt corporalibus.—Non solum peccantis considerandus est status, verum quoque peccati. Considerandum enim est utrum peccatum sit corporale, an spirituale, utrum scilicet sit natum ex infirmitate carnis an ex vitio animæ. **187** Corporalia autem dicuntur peccata, quæ ex infirmitate carnis nascuntur, ut, luxuria, crapula, etc. Spiritualia vero, quæ ex vitio animæ nascuntur, ut, invidia, avaritia, superbia. Cæteris autem circumstantiis relegatis, gravius est peccatum spirituale, quam corporale. Ut etenim testatur Gregorius: « Peccatum carnale est majoris infamiæ, et minoris culpæ; peccatum Spirituale majoris est culpæ, et minoris infamiæ. »

Considerandum est quoque, utrum peccatum sit de genere venialium, vel mortalium, quia secundum hoc, major vel minor satisfactio injungenda est.

Præterea, inquirendum est, utrum scienter factum sit, vel ignoranter; quia scientia culpam aggravat, ignorantia alleviat; et, cui datum est donum majoris scientiæ, transgressor majori subjacebit culpæ.

Investigari quoque oportet, utrum peccatum sit tantum voluntatis, an voluntatis et operis? gravius est enim peccatum voluntatis et operis, quam voluntas tantum. Item, utrum peccatum sit tantum in delectando, an etiam in volendo.

Præterea, attendendus est diversus status rei in quam reus peccavit, verbi gratia: si cognovit aliquam, utrum fuerit soluta vel non, aut ille qui cognovit, conjugatus, vel non: Si conjugatus non est, minus peccatum est; si conjugatus, majus. Si vero conjugatus aliam alii copulatam cognoscat, gravissime peccat; si vero solutus solutam cognoverit, inquirendum est, utrum eam defloraverit, an non, quia gravius peccavit, si eam defloraverit, quam si eam cognoverit corruptam. Inquirendum etiam est, quoties eam cognoverit. Præterea, utrum vi oppresserit eam, vel non, quia magis delinquit qui vi opprimit, quam qui spontaneam cognoscit.

Oportet quoque investigare, utrum ejus sit consanguinea, vel affinis. Item, utrum sit simplex, vel astuta; gravius enim peccat qui decipit simplicem, quam qui astutam,

Similiter observandum est, utrum peccaverit peccato contra naturam, vel non; quia simplici

NOTÆ.

(22) Legi etiam utiliter poterit, Cominck, *De pœnitentia*, q. 7, dub. 3, et Sayrus lib. xxi, c. 3.

fornicatione gravius peccatum est adulterium, adulterio incestus, incestu peccatum contra naturam

Peccata contra temperantiam. — Eodem modo, si in cibo vel potu peccaverit, inquirendum est, utrum in abstinentia ductus, tempus comedendi præoccupaverit? vel immoderantia seductus, in appetendo cibum vel potum, mensuram excesserit; vel inhonestate deceptus, nimis delicata fercula exquisierit, et eis operam dederit.

De mendacio.— Utrum etiam inverecundia fractus, in turpia verba proruperit? Utrum mentitus sit, et si mendacium locutus est, utrum joco mentitus sit, vel naturali pietate ductus, ut obstetrices quæ mentitæ sunt Pharaoni (*Exod.* I), ad conservandam vitam filiorum Israel; vel ita, ut nulli profuerit, et alicui obfuerit, vel decipiendi libidine, vel placendi cupiditate, quia secundum hos status, majora vel minora sunt mendacia.

De homicidio.— Similiter, si quem interfecerit, utrum ex subitaneo iræ motu, vel rancore animi inveterato, vel vindicta, vel spe pecuniæ, vel vim vi repellendo, vel injurias sibi illatas vindicando, vel repellendo, vel timore vel alterius prece, aut amore? hæ et aliæ circumstantiæ, circa res in quibus, vel in quas peccavimus, sunt considerandæ.

Et hæc de circumstantiis dicta sufficiant. Prudentis enim lectoris erit, ex his alias conjectare.

Confessarii prudentia in satisfactionibus injungendis. — Hoc modo a peccatore detectis morbis, spiritualis medicus pro diversis peccatis, diversas debet injungere satisfactiones, quasi diversas medicinas, et diversas diætas, primo ostendens comminando et terrendo, in quantis peccatis reus jacebat; quantæque pœnæ debeantur iis, si cum eis decederet; a quantis liberabitur, si per pœnitentiam doleat: afferens in exemplum, David, qui per contritionem cordis a peccato est liberatus homicidii et adulterii (*II Reg.* II). Mariam Magdalenam per pœnitentiœ lamenta, a septem dæmoniis liberatam (*Luc.* VII-VIII). Latronem, cui in cruci pendenti dictum **188** est: *Hodie mecum eris in paradiso* (*Luc.* XXIII). *Deus enim non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat* (*Ezech.* XVIII). Et alibi: *Quacunque hora ingemuerit peccator, omnium iniquitatum ejus non recordabor amplius* (*Ezech.* XXXIII).

Contritio excitanda. — *Praxis excitandæ contritionis.*—Moneat quoque, ut vera sit contritio, et non sophistica, nec sophisticæ sint lacrymæ, sed a fonte cordis manantes, docens quod tria debeant esse in cordis contritione, cordis contritio, oris confessio, operis satisfactio. Moneat quoque ut peccator scrutetur angulos conscientiæ, ut nullum peccatum quod non confiteatur, prætermittat, quod in memoria habeat; quia non valet particularis confessio, sicut nec contritio. Si vero confiteatur reus peccata, sed se nolle pœnitere dicat, nec posse a peccato abstinere, multipliciter eum admoneat,

A multipliciter absterreat, ostendens, quomodo peccatores Deus non solum in futuro, sed etiam in præsenti puniat; ostendens quomodo humanum sit peccare, sed diabolicum perseverare. Pœnæ acredinem ante oculos ejus proponat, quæ ipsos impœnitentes exspectat, ut sic saltem servili timore compunctus, ducatur ad pœnitentiam; et tunc, servilis hic timor introducat charitatem, quasi seta filum.

Peccatum peccato punitur. — Doceat quoque quomodo viscus pravæ consuetudinis, hominem in pejus trahat, quia crimina criminibus vindicantur. Justum enim est, ut *qui in sordibus est, sordescat adhuc* (*Apoc.* XXII): et peccatum quod per pœnitentiam non diluitur, suo pondere ad aliud trahit. In

B exemplum ponendo Saul, qui per peccatum inobedientiæ, de quo non pœnituit, in idololatriam et avaritiam incidit (*I Reg.* XV, XXVIII). Judas, quia de proditione non pœnituit, laqueo se suspendit (*Matth.* XXVII). Debet quoque sacerdos vultum compatientis reo exhibere, ut sic reus saltem verecundia ductus, ad pœnitentiam invitetur. Lacrymæ admonentis, lacrymas excitent pœnitentis.

Reus impenitens quomodo tractandus. — Instruere quoque debet reum nimis de misericordia Dei confidentem, ne peccet in spe; quia hoc est peccare in Spiritum sanctum, et *maledictus homo qui peccat in spe.* Si vero reus nullo modo pœnitentia duci velit, eum sacerdos suo consilio omnino privare non

C debet, imo admonere debet, ne a piis precibus, eleemosynis, et jejuniis desistat, ut sic Deus cor illius ad pœnitentiam convertat. In hoc tamen quodammodo sine consilio debet eum relinquere, ut nec admoneat eum in tali proposito corpus Christi sumere, nec injungat abstinere; sed in hoc eum instruat, quod si in hoc statu manens, sumpserit, judicium sibi manducabit (*I Cor.* XI). Si vero in tali statu permanens reus ad sacerdotem accedat ut Eucharistiam sumat, exactorem admonere debet, prohibere non potest.

Satisfactio ordinarie semper injungenda.—Si vero reus, prout sacerdoti videbitur, sufficienter pœniteat, juxta peccati statum satisfactionem injungat. Posset tamen perpendi tanta contritio, quod nulla

D deberet sequi satisfactio; sicut Christus videns in Maria Magdalena contritionis quantitatem, et in latrone pœnitentiæ virtutem, illi dixit: *Vade, et amplius noli peccare* (*Luc.* XII). Huic vero: *Hodie mecum eris in paradiso* (*Luc.* XXIII).

Contritio autem aliquando est sufficiens, quando sufficit ad deletionem culpæ, et non pœnæ.

Contritio subinde per se sufficiens est ad culpæ deletionem, imo et pœnæ. — *Satisfactio commensuranda est culpæ.* — Aliquando plena, ut quando delet et pœnam et culpam; aliquando vero abundans, quando non solum deletur pœna et culpa, sed augetur quoque corona. Raro tamen relaxanda est pœna, nisi immensæ contritionis manifesta sint exterius signa, ne peccator facilius relabatur in culpam, cum nul-

tam sentiat satisfactionis vindictam; quia in augmenta facinorum, impunita solet redundare iniquitas. Ideo etiam maxime contrito injungenda est satisfactio, ad cautelam, et humilitatem conservandam; quia sicut juxta quantitatem morbi, dispensanda est diæta, et juxta vires ægri, adhibenda est medicina; ita secundum quantitatem peccati, mensuranda est satisfactio, juxta infirmitatem et facultatem rei, minuenda vel augmentanda pœna, eaque juxta quantitatem contritionis commensuranda. **189** Quanto enim gravius fuerit peccatum, tanto magis debet excedere[16] satisfactionis augmentum; quanto culpa levior, tanto satisfactio minor. Quando autem necessarium erit satisfactionem injungere majorem, moneat reum ne pœnitentiæ gravitatem abhorreat, ostendendo quod gravitas peccati majorem exigat pœnitentiam, sed commensurare velit eam juxta humanæ fragilitatis impotentiam. Verbi causa: Si satisfactionem vult injungere pro peccato luxuriæ, quamvis magnam infligat satisfactionem, ne scandalizetur peccator, debet ei significare quod major debeatur satisfactio tali culpæ, sed remittendum sit de pœna, considerata humanæ fragilitatis impotentia. Unde consequenter significare debet, quod maximum sit peccatum luxuria, et quammaxime vitandum; quia corpus enervat, inficit, et exanimat[17], nominem infamat, animam vitiat, et æternaliter damnat. Sic etiam pro aliis peccatis pœnitentias injungendo, significare debet, quæ pœnæ talibus peccatis debeantur; ne peccator scandalizetur pro quantitate satisfactionis.

In satisfactionibus injungendis, considerari subinde debet status personæ. — Juxta vires quoque ipsius rei, debet pœna[18] compensari, ut si reus potens est ad sustinendum, austeritates jejuniorum, et labores vigiliarum; si vero imbecillis est ad hos labores sustinendos, redimat hoc remedio orationum; ut, si jejunare non potest, saltem oret, orationes quoque condiat eleemosynis. Si vero pauper est, ad orationes confugiat, limina sanctorum, si potest, visitet peregrinando, sicque vicaria necessitudine substituantur sibi operationes bonæ. Ut, si deest eleemosyna, succedant jejunia; si deest jejunium, oratio suppleat defectum. Quanquam ne aliquis ab eleemosyna se per paupertatem excuset, Deus non attendit quantum, sed, ex quanto. Tantum immisit[19] vidua ponens duo minuta in gazophylacium (*Marc.* XII), quantum divites, qui ex abundantia multa offerebant. Unde Dominus ait: *Qui potum dederit vobis calicem aquæ in nomine meo (quia Christi estis) amen, amen dico vobis, non perdet mercedem suam* (*Matth.* IX). Unde Apostolus ait, ne quis se paupertate excuset: *Nolite errare, Deus non irridetur, quod enim seminaverit homo, hoc et metet* (*Gal.* VI); nec solum juxta quantitatem morbi conformanda est pœna, sed etiam juxta qualitatem,

A ut sicut medicina vel materialis medicus, contrariis contraria curat; sic spiritualis medicus, contrariis contraria excludat. Ut, si reus peccato crapulæ irretitus fuerit, injungantur ei jejunia, ut per jejunium[20] deleatur reatus peccati. Si seductus ebrietate per vinum, invitetur ad aquæ potum.

Quia vero consanguineæ sunt, crapula et luxuria (nam venter mero æstuans facile despumat in libidinem) sicut jejunium facit contra crapulam, ita militat contra luxuriam. Unde pro luxuriæ peccato, reus affligendus est jejunio, quia jejunium corpus castigat, et in servitutem redigit (*I Cor.* IX).

Juxta ergo quantitatem contritionis, injungatur pœna satisfactionis; ut quod minus est in contritione, plus sit in satisfactione; vel quod plus est in
B contritione, minus sit in satisfactione.

Reus quomodo excitandus ad pœnitentiæ admissionem. — Sed caveat sacerdos, ne vel odio ductus satisfactionem augeat, vel amore tractus, debitam minuat; vel pecunia illectus, pœnitentiam remittat. Moneat quoque peccatorem, ut si digne de peccatis aliquando pœnituerit, et satisfactionem fecerit, et postmodum in aliquod eorum inciderit, confiteatur non solum illud, sed etiam præterita de quibus contritus est, quia clamare videtur sacra Scriptura (*Matth.* V), quod peccata ratione contemptus redeunt; securius est ergo confiteri, quam non confiteri. Si confiteatur illa, sacerdos non debet ei injungere tantam pœnitentiam, quantam, si in actu
C eorum esset, injungeret.

Usurariis et furibus quid injungendum. — Si vero reus confessus fuerit peccatum usuræ, consulat ei sacerdos, ut ea quæ per usuram rapuit, restituat, **190** si restituendi facultas adsit; aliter enim non esset ei salus. Auctoritas: « Quia non datur venia, nisi restituantur ablata. » Si vero facultatem restituendi non habeat, voluntatem offerat, quia sufficit affectus, ubi deest effectus, iis autem spiritualiter reddat quibus rapuit; si desunt, eorum proximis, si nec proximi inveniantur, erogetur pauperibus. Eleemosyna tamen de rapina facta, si supersint ii quibus rapuit, et reddere noluerit, non valet. *Qui enim de rapina pauperis sacrificium Deo offert* (*Eccli.* XXXIV), ut ait auctoritas, *idem facit, ac si*
D *victimet filium in conspectu Patris. Abominabilis est nempe Deo, impiorum oblatio* (*Prov.* XXI).

Similiter si per falsum patrocinium in causa, vel per falsum judicium, si per violentiam, vel qualemcunque exactionem violentam, vel qualemcunque negotiationem fraudulentam, aliqua extorserit, ea reddat, quia sine eorum solutione non est salus

Simoniaci de quibus admonendi. — Similiter, si Simoniace aliqua acquisierit, ordinans vel ordinatus, ea reddere tenetur. Sed prælatus, si aliqua Simoniace a subditis extorserit, solvere tenetur; at non

VARIÆ LECTIONES.

[16] *Exemplar Dunense habet*: Excrescere. [17] Contaminat. [18] Pœnitentia. [19] Meruit. [20] Pœnam jejunii.

lis a quibus habuit, sed potius ecclesiæ relinquantur, vel pauperibus erogentur; subditus vero qui Simoniace præbendam acquisivit canonicam, eam relinquat, et de Simonia pœnitentiam agat, et usus fructus, si potest, Ecclesiæ reddat. Si vero infra annos discretionis de canonica investitus fuerit Simoniace, interventu pecuniæ amicorum, cum ad annos discretionis venerit, et hanc Simoniam intellexerit, canonicæ abrenuntiet, et usum fructum reddat, si potest, Ecclesiæ.

Sed quia de pœna [31] fecimus mentionem, videamus quare antiqui Patres tam onerosas satisfactiones pro peccatis injunxerint, et utrum temporibus nostris de rigore illo antiquo aliquid remittendum sit, juxta statum peccatorum, et diversitates peccantium; an idem rigor sit retinendus, qui ab antiquis patribus est ordinatus.

Pœnitentiæ olim multo rigidiores injungebantur quam modo. — *Districtionis ratio.* — In primitiva Ecclesia, cum majori charitate fideles quodammodo astringerentur, si quis incidebat in mortale peccatum, ad majorem cautelam, in pœnitentiæ injunctione districtus rigor tenebatur, ut peccatores districtione pœnæ arctati, cautius sibi providerent in evitatione peccati. Sicut imperator, cum primum legem promulgat, ut populus in observatione cautior sit, transgressoribus legis districtiorem pœnam infligit; sic imperator cœli et terræ, in prima legis suæ promulgatione, voluit transgressores dictæ legis gravius puniri, ut sic sollicitiores [32] essent ad cavendas transgressiones præcepti.

Unde, et in præsentia Petri, Ananias cum Saphira morte percussus fuit (*Act.* v), quia partem possessionis suæ retinuit, ut sic alii magis timerent, et a simili peccato caverent. Sed multiplicata Ecclesia Dei, invaluerunt peccatorum morbi, et quia numerus defendit eos, oportuit remitti de pœnæ districtione, ne pœnæ districtio potius esset in offensam, quam medicinam.

Pœnitentiæ modo temperandæ. — Remittendum ergo fuit de pœna, ut vocarentur per indulgentiæ pietatem, qui revocari non poterant per rigorem. Unde, cum quidam modernorum, jejunia et vigilias ferre non possent, injunctæ sunt oblationes, orationes, peregrinationes. Ideo quoque remittendum est de rigore pœnitentiarum antiquitus injunctarum, quia olim natura humana robustior erat ad ferendum pœnitentiæ onera, quam modo, et ideo temperanda est pœnitentia. Sicut materialis physicus, potiones antiquitus excogitatas, cum homines robustiores erant, modo naturæ temperant, propter imbecillitatem infirmitatis humanæ.

Pœnitenti acquiescendum in pœnitentiæ injunctione. — Temperandæ ergo sunt pœnitentiæ, ut si pœnitens majora ferre non possit, vel de injunctis nulla

A ferre velit vel implere possit, quæratur **191** ab eo, quid ferre valebit, et secundum ejus responsionem sacerdos pœnitentiam injungat, nec illum omnino sine pœnitentiæ consilio relinquat; quia ex tanta charitate poterit adimplere minora, nec succumbet minori sarcinæ, qui premeretur majori onere. Sacerdos ergo tanquam bonus dispensator, cibaria discrete distribuat, ut juxta verbum Apostoli, *qui infirmus est, olus manducet* (*Rom.* XIV).

Videndum ergo, quæ fuerint satisfactiones antiquæ, et quomodo secundum tempus modernorum, et status peccantium, videatur de rigore remittendum aliquid.

« *Canon pœnitentialis, de homicidio voluntario.* — Legitur in *pœnitentialibus* quod si quis, homicidium B fecerit voluntate, et non ex necessitate, non in hostem, sed per suam cupiditatem, quadraginta dies pœniteat continuos, quod vulgus carenam vocat, ita, ut consuetudo est, in pane et aqua jejunans, et septem annos sequentes sic observans; primum annum post illos XL dies, totum deducens sine potu qui inebriare possit, a carne abstinens et sanguine et caseo, et ab omni pingui pisce, nisi illis festis diebus qui in illo episcopatu [33] a cuncto populo celebrantur; et nisi sit in magno itinere, vel in tali comitatu, ut abstinere non possit, vel aliqua infirmitate detentus, tunc liceat ei, uno denario, vel pretio unius denarii, aut tres pauperes pascendo, tertiam feriam [34], et quintam, et Sabbatum re- C dimere, ut vino vel medone, aut cerevisia utatur; ita tamen, ut postquam domum venerit, et sanitati fuerit restitutus, nullam habeat licentiam redimendi.

« Completo anni circulo, in ecclesiam introducatur, et pacis ei osculum concedatur. In secundo autem anno, et tertio similiter jejunet, nisi quod tertia feria, et quinta, et Sabbato, potestatem redimendi prænominato pretio, ubicunque sit, habeat. Cætera omnia diligenter observet ut in primo anno.

« *Canon alius rigidior.* — Per singulos quatuor annos qui remanent, tres quadragesimas per legitimas ferias debet jejunare, primam ante Pascha, cum cæteris Christianis. Aliam, ante festum Sancti Joan- D nis Baptistæ, et si aliquid remanet, post festum impleatur. Tertiam ante nativitatem Domini. Quibus temporibus a vino et ab omni alio potu qui inebriare possit, et a carne, et caseo, et pinguibus piscibus abstineat. Et ut non sit sine pœnitentia quandiu vivat, in omni vita sua, omnes sextas ferias in pane et aqua pœniteat, et si redimere voluerit, potestatem habeat uno denario redimendi, vel pascat tres pauperes. Hoc secundum misericordiam videtur concedi, non secundum canonicam censuram; quia canones sic præcipiunt. Si quis per industriam et

VARIÆ LECTIONES.

[31] Pœnitentia. [32] Solertiores. [33] *In exemplari Dunensi habetur* episcopio. [34] *Ibidem deest*, feriam tertiam, *solumque habetur* feriam quintam et Sabbatum.

cupiditatem, homicidium fecerit, sæculum relinquat, et ingrediatur monasterium, et ibi Deo jugiter serviat. »

Ecce, una istarum pœnitentiarum videtur injungi ex rigore, alia ex mansuetudine : Utraque tamen temporibus nostris, nimium videtur afferre rigorem.

Ut ergo magis elucescat, quomodo pœnitentiæ aut remittendæ sint, aut augendæ [25], videndum est primo, quot modis dicatur pœnitentia ? secundo, in qua acceptione hic teneatur ? tertio quot sint modi pœnitentiarum ? [26] quarto, quare sub septenario numero frequentius pœnitentiæ injungantur ? quinto, quomodo secundum diversos status exaggerandæ vel remittendæ sint pœnitentiæ ?

Pœnitentiæ variæ acceptiones. — Pœnitentia interior. Pœnitentia exterior. — Pœnitentia aliquando dicitur, cordis contritio, qua quis deflet delicta, nolens amplius iterare commissa. Secundum hoc, dicit auctoritas, quod pœnitere est peccata deflere, et nolle amplius deflenda committere. Pœnitentia etiam dicitur, satisfactio pœnitentiam comitans ; quæ dicitur pœnitentia, quasi pœna tenens hominem. Hæc dicitur exterior, prædicta vero interior. De interiori dicit **192** Petrus in Actibus apostolorum (*cap.* II) : *Pœnitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum.* De exteriori vero pœnitentia Ambrosius ait, super Epistolam ad Romanos : *Gratia Dei in baptismate non requirit gemitum vel planctum.*

Pœnitentiæ civiles, solemnes, privatæ, ecclesiasticæ. — De carena. Casuum reservationem approbat. — Carena non est infligenda clericis. — Pœnitentiarum aliæ sunt civiles, aliæ ecclesiasticæ ; civiles sunt, quæ hominibus infliguntur juxta civilium legum decreta, quarum aliæ sunt solemnes, aliæ privatæ. Solemnes sunt, quæ pro majoribus flagitiis publice infliguntur ; privatæ vero sunt, quæ secreto infliguntur. Hæ autem pœnitentiæ civiles, diversis de causis vel emolliuntur, vel exasperantur, et potius dicendæ sunt pœnæ, quam pœnitentiæ. Satisfactiones ecclesiasticæ, proprie pœnitentiæ dicuntur, quia ex interiori pœnitentia frequenter procedere solent. Ecclesiasticarum autem, alia solemnis, alia privata. Solemnis est, quæ pro majoribus criminibus, vel notoriis, vel pro his criminibus quæ quis confessus est, vel de quibus quis convictus est, infligitur, quæ carena solet appellari : et sicut est de majoribus criminibus, sic ad majores prælatos Ecclesiæ pertinet hanc infligere. Quamvis enim minores sacerdotes habeant potestatem ligandi atque solvendi, tamen specialiter ad eos pertinet pro minoribus ligare vel solvere, sed majoribus prælatis tanquam peritioribus et dignioribus, majora reservantur. Et, nota quod illa solemnis pœnitentia quæ carena dicitur, et laicis infligitur, clericis non est infligenda, A propter clericalis status dignitatem, et quia maxime peccata clericorum sunt velanda, ne promulgata laicis sint in exemplum, et in scandalum, ne propter eos, nomen Dei [27] blasphemetur inter gentes. Quædam tamen publica pœnitentia clericis pro majoribus et publicis peccatis infligenda est, sed non talis qualis laicis, sed, ut non sint in choro cum aliis psallentibus, nec in mensa cum prandentibus. Illa vero solemnis pœnitentia quæ laicis infligitur, iterari non debet, propter ipsius pœnitentiæ solemnitatem ; ne ex iteratione vilipendatur. Unde, Augustinus ad Macedonium, dicit : « Caute et subtiliter [28] provisus est [29] locus illius humillimæ pœnitentiæ, ut semel in tantum ecclesia concedatur, ne medicina vilis minus utilis esset ægrotis, quia B tanto magis salutaris est, quanto minus contemptibilis fuerit, » etc.,

Absolvendus est qui solis nutibus absolutionem petiit. — Etiamsi tempore absolutionis usu sensuum careat. — Hi autem qui solemni pœnitentia pœnitent, solent a sacramento altaris tempore pœnitentiæ arceri, et a quibusdam aliis. Si tamen articulus mortis ingruit, nulla iis negari debent, imo, circa eos solemniter omnia celebrari. Quin etiam, si quis in criminali peccato existens, si instante necessitate præsidium pœnitentiæ postulaverit, impetrare debet quod petit, nec ei denegetur pœnitentia, nec communionis gratia, etiamsi amisso vocis officio, certis nutibus quærere probetur [30]. Unde Leo episcopus ait : « His qui tempore necessitatis, et periculi urC gentis instantia, præsidium pœnitentiæ, et mox reconciliationem implorant, nec satisfactio interdicenda est, nec reconciliatio deneganda, quia misericordiæ Dei mensuram non possumus ponere, nec tempora diffinire, apud quem nullas patitur moras veniæ concessio. » Ita ergo necessitati auxiliandum est, ut nec illi actio pœnitentiæ, nec communionis gratia denegetur, si quis eam, amisso vocis officio, per indicium integri sensus quærere comprobetur. Quod si ita aliqua ægritudine fuerit aggravatus, ut quod paulo ante poscebat, sub præsenti signare non valeat, testimonium illi fidelium circumstantium prodesse debet, similiterque beneficium pœnitentiæ et reconciliationis consequetur.

D *Quales pœnitentiæ infirmis injungendæ.* — Ecce, habemus quod in periculo constituto, non debet pœnitentia denegari, non tamen simpliciter et præcise **193** ei pœnitentia injungenda est, sed hoc modo ei pœnitentia est prætaxanda, ut eam adimpleat, si Deus vitæ spatium ei concesserit. Ipsi etiam ægrotanti, quasi pro pœnitentia injungendum est, ut cum patientia et animi devotione sustineat flagellum Dei Patris. Unde et illis qui ad pœnam trahuntur pro delictis, pro pœnitentia injungendum est, devote sustinere supplicium. His tamen communionis gra-

VARIÆ LECTIONES.

[25] *In alio exemplari legitur* exaggerandæ. [26] Species pœnitentiarum. [27] Verbum Dei. [28] Salubriter.
[29] *In alio exemplari sic :* Provisum sit, ut locus illi humillimæ pœnitentiæ semel in ecclesia concedatur.
[30] *Exemplar Dunense*, videatur.

tia, vel Eucharistia solet denegari; non propter reatum peccati, sed propter dignitatem sacramenti.

Quod autem in solemni pœnitentia constituto, si necessitas ingruit, Eucharistia denegari non possit, ostendit Nicolaus papa, de matricida loquens: « Latorem præsentium matricidam esse cognovimus, cui præcipimus, ut sub jugo pœnitentiæ permaneat, ita ut per annum integrum ecclesiam non ingrediatur, sed ante fores basilicæ stans, orans et deprecans Deum, perseveret. Completis autem trium annorum circulis, sacræ communionis gratia illi concedatur. Si autem ante annum tertium finis vitæ illius appropinquaverit, corporis et sanguinis Domini particeps fiat. »

Ex præmissis patet etiam quibus de causis detur solemnis pœnitentia, et quibus; et, quæ sit pœnitentia solemnis, et quæ publica, non tamen pœnitentia solemnis est, quæ et clericis et laicis infligi potest.

Pœnitentiarum diversitas pro eodem peccato. Ex his etiam liquet, quæ sit pœnitentia privata, quæ pro minoribus et occultis peccatis infligitur. Cum ergo in pœnalibus reperiatur pœnarum pro simili peccato diversitas, intelligimus illam diversitatem, secundum quod uni solemnis, alii privata, alii publica injungitur pœnitentia; vel hanc intelligamus datam ex rigore, illam ex mansuetudine; vel secundum diversum statum Ecclesiæ, vel peccati, vel personæ.

Quæritur autem, quomodo intelligendum sit, quod dicitur de injunctione solemnis [21] pœnitentiæ; fac tres annos in pane et aqua, et [22] fac tres quadragenas in singulis annis; an intelligendum sit, quod jejunare debeat omnem diem, vel inter diem et diem?

Ad hoc, sic respondemus, non altiori intellectui præjudicantes, quod canonicæ censuræ rigor ostenditur, quando in pane et aqua jejunare per tres annos præcipitur, quod a quibusdam sic intelligitur [23], ut per tres annos non tota hebdomada comedatur panis et aqua, sed tantum per tria illa jejunia supra dicta. Quod dicitur, fac tres quadragenas in singulis annis, id est in tribus illis jejuniis; non sic dicitur, quod pariter abstinendum sit in illis tribus jejuniis (nisi forte solemniter pœnitentibus) sed quod in illis tribus jejuniis, et sua scelera confiteri debeat sacerdoti, et juxta arbitrium sacerdotis, secundum quantitatem culpæ, quantitatem satisfactionis recipere.

Pœnitentiæ arbitrariæ sunt sacerdoti, confessiones audienti. Est enim semper, ut diximus in arbitrio sacerdotis, pœnitentiæ modus rationabilis statuendus. Unde Hieronymus: « Mensuram temporis in agenda pœnitentia idcirco non satis aperte præfigunt canones pro unoquoque crimine, ut de singulis dicant quomodo emendandum sit, sed magis in arbitrio sacerdotis intelligentis relinquendum statuunt; quia apud Deum non tantum valet mensura temporis, quantum doloris, nec tantum abstinentia ciborum, quantum mortificatio vitiorum. » Quidam tempora pœnitentiæ pro fide et conversatione pœnitentium abbrevianda præcipiunt, et pro negligentia protelanda existimant. Tamen pro quibusdam culpis, modi pœnitentiæ sunt positi.

Ecce, habes quod pœnitentiæ arbitrariæ sunt. Sed nota, quod ait: « Sacerdotis intelligentis. » Si enim sacerdos minus discretus fuerit, ut nesciat discernere inter lepram et lepram, id est inter peccatum et peccatum, nec inter medicinam et medicinam, id est pœnitentiam et pœnitentiam, sacerdos debet ad peritiorem recurrere, eumque consulere, vel confitentem ad peritiorem mittere.

Septennis pœnitentia cur olim communis? Notandum vero quod frequenter septennis injungitur pœnitentia; non **194** statuerunt sancti Patres ex proprii arbitrii electione, sed potius ex sententia divini judicii [24]. Nam legitur quod Maria soror Aaron, prophetissa, dum dissensionis [25] adversus Moysen incurrisset delictum, illico lepra percussa est (*Num.* XII); cumque peteret Moyses ut emundaretur, præcepit eam Deus extra castra egredi septem diebus, et post emundationem rursus intra castra admitti.

Ad imitationem quoque illius Dominicæ sententiæ, David de homicidio et adulterio reprehensus (*II Reg.* XII), unius hebdomadæ jejunium in satisfactionem commissi, Deo legitur obtulisse. Hinc quoque ecclesiasticæ consuetudinis jura statuunt, ut majorum criminum pœnitentia, annorum septem spatio concludatur. Nisi vel officii excellentia, vel criminum magnitudo vulgarem consuetudinem excellens [26] (veluti dum contra naturam humanæ societatis, parentibus vel liberis, vel aliis hujusmodi personis, impudice adhæremus; vel relicto naturali usu, dum contra naturam fornicamur) præmissum spatium transcendere cogat.

Septem modis fit remissio peccatorum. Ideo quoque septennis pœnitentia injungitur, quia septem modis fit peccatorum remissio: scilicet baptismo, eleemosyna, martyrio, conversione fratris, remissione injuriæ peccantis in nos, fletu, satisfactione pro peccato, et communione corporis et sanguinis Domini. Vel, quia per septiformem gratiam deletur quidquid in septenario hujus vitæ committitur.

Confessarius suam complicem audire non debet. Pœnitentiæ pars est erubescentia. Sed quamvis hoc ita sit, pœnitentia tamen augeri vel minui debet secundum prædictas circumstantias, ne vel infirmum gravior deprimat, vel nimis laxa ad contemptum moveat contumacem. Summopere autem sa-

VARIÆ LECTIONES.

[21] *Exemplar Dunense:* septennis. [22] *Pro* et *habet* vel. [23] *Hic interseruntur sequentia, et bene:* Ut per tres annos in qualibet hebdomada ter abstineat. A quibusdam vero aliis, sic, ut per, etc. [24] *Aliud exemplar*, Dominici. [25] Detractionis. [26] Excedens.

cerdoti cavendum est, ne si ipse parochianam suam A vel aliam cognoverit, et illa ei confiteri velit, eam audiat, sed moneat eam ut ad alium sacerdotem accedat, ut ei confitendo peccatum suum magis erubescat.

Pars enim pœnitentiæ est erubescentia de confessione. Cum enim aliis de causis instituta sit peccati confessio, propter hoc quoque est instituta, ut cedat in pœnam erubescentia pro peccato.

Religiosi sæculares audire non possunt. Si vero alterius sacerdotis parochianus ad alium accedat, ille ad quem accedit, si hoc sciat, ad proprium sacerdotem remittat; si vero cognoscat eum proprio sacerdoti confessum fuisse, ejus confessionem non respuat. Claustralibus autem non licet parochianorum audire confessiones, nec pœnitentias injungere, nisi alicui per parochiæ ministrum, aut a majori prælato specialiter fuerit injunctum.

Post injunctam pœnitentiam, pro pœnitente sacerdos tenetur orare. In his tribus consistit spiritualis potestas solvendi quam habet sacerdos : quod absolutionem impendat a peccato, quod teneatur pro pœnitente orare, et quod potest remittere de pœna.

Conscientia quomodo examinanda. Huc usque dictum de officio sacerdotis, quomodo se gerere debet consulendo peccatori; restat agere, de statu pœnitentis, quomodo scilicet debeat confiteri peccata sua. Sicut materialis ægrotus causas doloris sui, et locum pro posse suo disquirere debet, ut accedenti medico, de statu suo sciat respondere; sic peccator tanquam spiritualis ægrotus, antequam accedat ad medicum suum, id est sacerdotem proprium, scrutari debet angulos conscientiæ suæ, quæ peccata in angulis eisdem lateant, inquirens quomodo se habuerit in singulis ætatibus suis, in pueritia, ad adolescentiam, et aliis ætatibus suis; in uno loco et in alio; in hac societate, et in alia : quid a convictu illorum vel aliorum contraxerit, et sic, in quo secundum diversos status, Deum offenderit, disquirere debet.

Si autem in nullo conscius sibi fuerit, ut cum Apostolo dicere possit : *Nihil mihi conscius sum* (*I Cor.* IV), oret Deum, dicens : Domine Deus, nihil mihi conscius sum, sed tamen, *delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me, Domine* (*Psal.* XVIII).

Nullius peccati conscius, ad confessarium accedere debet in Paschate. Et quamvis in generali confessione occulta peccata remittantur, tamen **195** consilium est, ut ad sacerdotem accedat, ne regulam ecclesiasticæ institutionis prætermittere videatur, dicens sacerdoti se nullius peccati conscium sibi esse, sed quia *in multis offendimus omnes* (*Jacob.* III), et *justus septies cadit in die* (*Prov.* XXIV), se miserum et peccatorem dicat, poscens a sacerdote alicujus satisfactionis injunctionem, qua purgentur peccata, etsi non aperta, tamen occulta si quæ sint. Si autem ea nulla purgentur peccata, cum nulla sint, tamen satisfactio ad majoris coronæ meritum valebit.

Confiteri nemo debet quæ non fecit. Sed caveat ne ex falsa humilitate se dicat esse reum hujus peccati quod non est, quia ex hoc ipso se reum ejusdem peccati constituit, quod eo se irretitum dicit.

Venialia disponunt ad mortale. Ad confessionem tria requiruntur. Si item quis se peccatis venialibus tantum impeditum cognoverit, non nimium de venia confidat, quia aliquando venialium multitudo proxime disponit ad criminale; quare sacerdotem super his consulat. Attamen frequenter in generali confessione delentur, quia sæpe a memoria elabuntur. Peccator ergo peccata sua memorando colli- B gens, et de singulis pœnitendi et non relabendi animum habens, ad sacerdotem accedat, et cum multo dolore et lacrymis et gemitu confiteatur suos excessus; quia si manet in voluntate peccandi, fatur quidem, sed non confitetur. Ad hoc enim ut sit confessio, tria concurrunt; cordis contritio, oris confessio, non relabendi intentio. Si autem aliquod istorum defuerit, si adesse potuerit, non erit vera confessio. Quod enim oporteat de peccato dolere, et atteri, probatur auctoritate multiplici. Ait enim *Augustinus, in libro* De pœnitentia : « Pœnitentia est quædam dolentis vindicta, puniens in se quod dolet commisisse. » *Idem Augustinus :* « Pœnitentiam agis : genua flectis [37], et rides? subsannas C patientiam Dei : si pœnitentiam agis, pœnites; si non pœnites, pœnitens non es. »

Contritio interior necessaria. Ecce habes quod ad hoc ut sit vera pœnitentia concurrit mentis contritio, nec sufficit exterior contritio, vel crebra lacrymarum perfusio, nisi ex fonte procedat. Unde Isidorus : « Quosdam accipere lacrymas ad pœnitentiam cernimus, sed affectum pœnitentiæ non habere quia inconstantia mentis, non recordatione peccati lacrymas fundunt. »

Confessionis necessitas. Confessio præfigurata (*Gen.* III). Oportet quoque confiteri peccatum, quia non sufficit cordis attritio, nisi sequatur confessio, si tempus habeat confitendi. Ad ostendendum enim quod de plenitudine pœnitentiæ est confessio, in- D sinuat Dominus qui præcepit leproso sanato ostendere se sacerdoti (*Matth.* VIII), per quod significatur quod spiritualis leprosus, id est peccator, debeat peccata [38] sacerdoti per confessionem declarare. Quod confessio ad deletionem culpæ [39] concurrat, a principio humani generis argumentum sumere licet. Primi enim parentes post culpam a Domino sunt requisiti de culpa ut peccatum quod transgrediendo commiserant, confitendo delerent (*Gen.* III). Serpens autem requisitus de culpa non est, quia per confessionem non revocatur ad vitam. Cain autem cum primæ prævaricationi addidisset fratricidium, similiter a Domino requisitus est de culpa,

VARIÆ LECTIONES.

[37] Figis. [38] Ulcera peccatorum. [39] Peccati.

dum dicitur : *Ubi est frater tuus?* (*Gen.* IV) sed quia superbus noluit peccatum suum confiteri, sed potius negando Dominum fallere conatus est, dicens : *Nunquid custos fratris mei sum ego?* (*ibid.*) indignus venia judicatus est. Augustinus etiam ait super illum locum : *Non absorbeat me profundum :* « Puteus, profunditas humanæ iniquitatis est, in quem si cecideris non claudet super te os suum, si tu non claudas os tuum [40]; ergo, confitere et dic : *De profundis clamavi ad te, Domine* (*Psal.* CXXIX). » Unde Propheta : *Introite portas ejus in confessione* (*Psal.* XCIX).

Satisfactio contritionem firmat. Quod etiam exterior satisfactio ad contritionem valeat, multiplex auctoritas insinuat. Quamvis enim sacerdos confitenti pœnitentiam non injungeret, vel quia indiscretus, vel naturali pietate ductus, vel quia superabundantem in confitente conjectavit contritionem, deberet tamen adhuc pœnitens redimere peccata sua eleemosynis, jejuniis, vigiliis, **196** orationibus. Et si parochianus sacerdotem suum scit esse indiscretum, licentia ab eo accepta, peritiorem consulat, vel prius sacerdoti suo confitens, consequenter peritiorem consulat. Satisfactionem autem exteriorem valere, ostendit Joannes in Evangelio, ubi ait : *Facite fructus dignos pœnitentiæ* (*Matth.* III). *Ninivitæ* quoque quos Dominus in Evangelio commendat, *pœnitentiam egerunt in prædicatione Jonæ* (*Matth.* XII; *Luc.* XI), et ex misericordia Domini indulgentiam consecuti subversionis interitum evadere [41] meruerunt. Evidentius autem nobis testimonium dat rex ille (scilicet Achab) qui sui sceleris immanitate perturbatus, pœnituit, et cilicio circumdatus, facinus suum flevit, atque ita erga se misericordiam Dei provocavit, ut a cunctis eum absolveret peccatis. Sic enim ait Dominus ad Eliam : *Vidisti quomodo compunctus est Achab a facie mea? et quia flerit in conspectu meo, non inducam mala in diebus ejus* (*III Reg.* XXI). Pro minoribus ergo peccatis, minor requiritur satisfactio, pro majoribus major.

Per orationem dimittuntur venialia peccata. Quod autem pro venialibus satisfaciat oratio, insinuat Augustinus, ita inquiens *in Enchiridio :* « De quotidianis et levibus peccatis, sine quibus hæc vita non ducitur, quotidiana fidelium oratio satisfacit; eorum enim est dicere : *Pater noster qui es in cœlis.* Delet hæc oratio minuta et quotidiana peccata. Delet etiam illa quibus vita fidelium est scelerate gesta, sed pœnitendo in melius commutata descendit [42]. »

Eleemosyna est, ignoscere iis qui nos læserunt. Ut autem veraciter dicatur : *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris* (*Matth.* VI), fiat quod dicitur; quia hoc ipsum eleemosyna est, scilicet pœnitentibus veniam concedere.

Contritio requiritur etiam pro venialibus. Ex his jam facile est intelligere, quæ pro venialibus exhibenda sit satisfactio; sufficit enim Dominica oratio cum jejunio aliquo, et eleemosynis; sic tamen ut præcedat contritio aliquantula, et addatur confessio si adsit facultas. Pro gravioribus vero peccatis, hæc etiam in satisfactione adhibenda sunt, sed multo vehementius, atque districtius; quia ut ait Augustinus : « Ad agendum pœnitentiam, non sufficit mores in melius commutare, et a malis factis recedere, nisi et de his quæ facta sunt, satisfaciat Deo per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contritionem cordis [43]. »

Ex præmissis liquet, quomodo tria concurrunt ad veram pœnitentiam, scilicet, contritio, confessio et satisfactio, ac propositum non relabendi; quia pœnitentia est, peccata deflere, et nolle amplius committere. Unde Pius papa : « Nihil prodest homini jejunare et orare, et alia opera religionis facere, nisi mens ab iniquitate revocetur. » Item Isidorus : « Irrisor est et non pœnitens, qui adhuc agit quod pœnitet; nec videtur Deum poscere subditus, sed subsannare superbus. »

Igitur, cum pœnitens teneatur peccatum confiteri, studeat peccatum revelare sacerdoti, et ita per sacerdotem Deo; quia sacerdotibus concessit Deus potestatem ligandi atque solvendi, et ideo, quibus ipsi dimittunt, et Deus dimittit [44]. Si tamen desit sacerdos, proximo vel socio facienda est confessio, studiose tamen requirendus est sacerdos. Unde Augustinus [45] : « Tanta vis confessionis est, ut si desit sacerdos, confiteatur laico. » Etsi enim ille cui confitebitur, potestatem absolvendi non habeat, sit tamen pœnitens dignus venia ex sacerdotis desiderio. Mundati enim sunt leprosi, dum irent ostendere se sacerdotibus (*Luc.* XVII). Caveat autem confitens, ne ita confiteatur de uno, quod non de alio; ne ita unum confiteatur, quod aliud abscondatur, quia hujusmodi pœnitentia sophistica est, et non vera.

Sicut enim a Deo non potest fieri semiplena **197** remissio, ita non valet semiplena contritio. Unde Gregorius : « Pœnitere, est anteacta peccata deflere, et deflenda non committere; nam qui sic alia deplorat, ut alia iterum committat, adhuc pœnitentiam agere aut ignorat, aut dissimulat. » Quid enim prodest, si peccata luxuriæ defleat, et adhuc avaritiæ æstibus anhelat? Ait enim Augustinus : « Sunt plures quos pœnitet peccasse, sed tamen omnino reservantes sibi quædam in quibus delectantur, non animadvertentes Dominum simililer mutum et sur-

VARIÆ LECTIONES.

[40] *Aliud exemplar legit :* Claudet super te os suum, si tu non confitendo, claudas os tuum. [41] Subterfugere. [42] Discedit. [43] *Aliud exemplar habebat :* Contriti cordis sacrificium cooperantibus eleemosynis. [44] *Hoc olim in usu erat, ad majorem humilitatem, nunquam tamen fuit in præcepto; mos iste dudum exsolevit, olim autem in usu erat, vid. D. Thomam, in Supplem. q. 8, art. 2.* [45] *Liber de vera et falsa pœnitentia* (*c.* 10) *qui hic citatur, non est Augustini, quia cap.* 17, *citatur ibidem ipse Augustinus. Vid. Sylvium, ad quæst.* 8, *suppl. A.* 2 *conc.* 3.

cum a dæmonio liberasse; per quod docet nos nunquam nisi de omnibus sanari. » Item : « Quædam impietas est infidelitatis, ab illo qui justus et justitia est, dimidiam sperare veniam. » Præterea cavendum est peccatori, ne diu in peccato jaceat, sed cito de peccato pœniteat, ne quasi quatriduanus jacens in prava consuetudine, feteat; ne visco pravæ consuetudinis detentus, difficilius resurgat. Quia ut dicit auctoritas : « Peccatum quod non statim abluitur pœnitentia, suo pondere ad graviora trahit; crimina enim criminibus vindicantur; justum namque est, ut *qui in sordibus est, sordescat adhuc* (*Apoc.* XXII). » Quod autem repentina post peccatum debeat esse contritio, nobis pœnitentia David in exemplo sit, qui repentine, postquam peccatum adulterii et homicidii recognovit, ad pœnitentiæ remedium se contulit, et de solio descendens, in cinere et cilicio sedit (*II Reg.* XII).

Eleemosynæ sine pœnitentia peccata non remittunt. Eleemosynarum varia genera. Nec blandiantur sibi peccatores in crimine manentes, volendo peccata sua redimere per eleemosynas, quia non valent eleemosynæ ad consecutionem veniæ, nisi interventu pœnitentiæ. Non diffiteor tamen, quin eleemosynæ peccantibus valeant, ut cætera bona opera, ut citius convertat Deus cor eorum ad bonum, vel ut tolerabilius sit damnatorum supplicium, non tamen per eas fit peccati remissio, nisi adsit cordis contritio. Unde Augustinus : « Sunt quidam qui scelerate vivunt, nec curant talem vitam moresque corrigere, et inter ipsa facinora, eleemosynam frequentare non cessant; sed frustra sibi ideo blandiuntur, quia Deus ait : *Date eleemosynam et ecce omnia munda sunt vobis* (*Luc.* XI), hoc enim cum late pateat, non intelligunt. » Multa enim genera sunt eleemosynarum, quæ cum facimus, adjuvamur. Non enim solum qui dat esurienti cibum, potum sitienti, et hujusmodi, sed etiam qui dat veniam petenti, eleemosynam dat; et qui emendat verbere, in quem potestas datur, vel coercet aliqua disciplina, aut orat ut ei aliquod peccatum dimittatur, eleemosynam dat, quia misericordiam præstat. Multa enim bona invitis præstantur, quando eorum consulitur utilitati, et non voluntati. Sed hæc major est, qua ex corde dimittimus, quando in nos quisquam peccavit : maxima autem, erga eum etiam esse benevolum, qui multum mali tibi fecit.

Peccata dimissa per contemptum redeunt. Dubia confitenda tanquam dubia. Cogitet etiam peccator, utrum passus sit recidivum in aliquo peccato, quia ut multiplex ait auctoritas, peccata dimissa per contemptum redeunt; dum autem quis frequenter in idem relabitur, videtur pro præteritis ratione contemptus teneri. Tutius est ergo peccata ante acta confiteri, quam non confiteri. Unde Ambrosius ait : « Donate invicem si alter in alterum peccat, alioquin Deus repetet dimissa. » Si enim in his contemptus fuerit, sine dubio, sententiam revocabit; sicut in Evangelio de servo nequam legitur (*Matth.* XVIII), qui conservi sui misertus non fuerat. In quod Rabanus : « Nequam servum tradidit dominus tortoribus, quoad universum redderet debitum, quia non solum peccata quæ post baptismum homo egit, verum etiam peccata originalia quæ in baptismo sunt dimissa, repetit. » Si quis vero incertus sit, utrum hoc vel illud peccatum alias adhuc fecerit, disquirat apud se diligenter, utrum fecerit vel non; si vero certificari non possit, in dubitatione permanens, non dicat sacerdoti se hoc fecisse, sed se dubitare utrum fecerit vel non. Secundum hoc autem sacerdos dispensat de pœnitentia, ut aliquantulam injungat satisfactionem.

Cautum quoque sit apud peccatorem, ne peccata sua revelet sacerdoti, cujus notorium est crimen, confitentium sibi peccata revelare; sed si suus sacerdos sit, cum ejus licentia accedat **198** ad alium. Si vero crimen occultum sit, sufficit uni soli revelare; si autem notorium est, ut publica laboret infamia, potest pluribus revelare, ut majori puniatur verecundia.

Innocentem accusatum quomodo juvare debeat is qui culpabilis est. Si peccator videat aliquem infamia criminis laborare, quo ipse irretitus sit, non ille; omnibus modis debet illum ab infamia liberare, non tamen se accusare. Si vero quis irretitus sit aliquo flagitio, pro quo accusetur ante judicem, et cogatur ad judicium monomachiæ, consilium est, ut peccatum prius confiteatur, quam judicium ingrediatur, quia in omni confessione non est periculum animæ, sed salus ; in judicio vero, et animæ damnatio, et vitæ temporalis est periculum. Si autem sacerdos parochianum accuset de aliquo crimine quo ipse parochianus irretitus est, consilium est ei non confiteri, sed alteri. Si vero parochianam suus sacerdos cognoverit, consilium est, ut alium consulat. Si fur, vel fœnerator fuerit, vel hujusmodi raptor, consilium est, ut ea quæ rapuit, reddat, si potest, quia sine hoc vera pœnitentia esse non potest. Si vero Simoniacus sit, vel in dando, vel in accipiendo, datum reddat, acceptum relinquat. Et hæc de officio spiritualis medici, et modo spiritualiter curandi ægrotum, dicta sufficiant.

AD LECTOREM BENEVOLUM

DE SUBSEQUENTI LIBRO.

—

199 Statueram, primo hoc operum B. Alani nostri tomo, non nisi moralia et parænetica proferre; verum, cum nuper ad manus meas devolutum esset sequens opus, *De fide catholica*, Parisiis anno 1612 impressum, sed omnino incorrectum et mutilum, punctis sæpius, loco verborum, aut aliis verbis, et non nunquam integris sententiis substitutis, quibus etiam, pluribus in locis, genuinus auctoris sensus totaliter depravatur, et in contrarium detorquetur, non sine insigni auctoris injuria: ut sileam, innumeros, prope modum, typographicos errores, qui vel soli Lectoribus quibuscunque nauseam movere possent, operæ pretium fore judicavi, si et hoc etiam opus recognoscerem, emendarem, ac perfectioni suæ restitutum, una cum aliis ejusdem auctoris operibus, publico rei litterariæ bono, luci darem. Hinc ad diversa mox cœnobia litteras misi, quæ illustrioribus manuscriptorum codicum bibliothecis instructa cognovi; in quibus unicum reperi exemplar, vetustate sua satis commendabile, et correctum; in celeberrima nimirum abbatia Parcensi juxta Lovanium, quod, cum ejusdem loci venerabilis abbas perhumaniter mihi transmisisset, sedula ipsius collatione, exemplar impressum correxi, operique perfectionem illam restitui, quam hic (Lector Benevole) percipere **200** poteris. Porro, quanquam auctor in Prologo suo, dicat opus hoc distinctum esse quatuor libris, quorum primus sit scriptus, contra hæreticos; secundus contra Waldenses, tertius contra Judæos, quartus contra paganos; nihilominus, quartum nusquam reperire potui, quantumvis studiose quæsitum; tertium vero reperi in codice ms. Parcensi, sed ita succinctum, ut vix libri nomen mereatur, meritoque dubitare liceat, utrum revera integer sit liber, prout ab auctore scriptus est, an solummodo fragmentum. Interim, quia in dicto exemplari Parcensi, titulo Libri honoratur, sub eodem etiam hic, illum adjunxi. Quoad primum librum, contra hæreticos, scriptus quidem ab auctore est, contra diversos sui temporis hæreticos (prout ex memorato prologo satis colligitur), specialiter tamen contra Albigenses, quorum secta tunc temporis mire invaluerat, in tantum, ut (teste Cæsario Heisterbacensi, illius temporis scriptore sincerissimo) brevi temporis spatio, plus quam mille civitates infecerit, et nisi gladiis catholicorum fuisset repressa, timendum erat, ne totam Europam pervaderet, cum tamen errores doceret absurdissimos; utpote ex Manichæi, Novati, Tertulliani, Origenis, aliorum veterum hæresiarcharum antiquatis laciniis consarcinata, ut docet etiam citatus Cæsarius, l. v Dial., c. 21, ubi præcipuos omnes ipsorum Albigensium errores recenset (23), qui idem sunt, quos Alanus noster toto suo libro primo refutat. Librum autem secundum, scripsit idem Alanus contra Waldenses (24), quia ex Waldensibus prodierant ipsi Albigenses, cum quibus in multis adhuc conveniebant. Cæterum, opus est doctrina refertum solida, et auctore suo dignum. Quod tu quoque, Lector, mecum fateberis, ubi illud studiose evolveris. Vale.

F. Carolus DE VISCH,
P. Dunensis.

NOTÆ.

(23) Albigensium errores etiam recenset Petrus de Vallibus Sarnay, lib. *De bello contra Albigenses*, c. 2 per totum.

(24) De Waldensibus, vide etiam Cæsarium supra.

ALANI DE INSULIS

DE FIDE CATHOLICA

CONTRA HÆRETICOS SUI TEMPORIS, PRÆSERTIM ALBIGENSES,

LIBER QUATUOR.

—

PROLOGUS.

AD PRINCIPEM MONTISPESSULANI.

201 Amantissimo [14] domino suo Willelmo, Dei gratia Montispessulani principi, quem non solum generosi generis titulus insignit, verum etiam genero- A sior mentis generositas præinsignit, Magister Alanus in omnibus et per omnia suus, opus suum. Cum inter universos hujus mundi principes te

VARIÆ LECTIONES.

[14] *Exemplaria mss. Bonæ Spei et Parcense, pro* Amantissimo, *habent* Reverendissimo.

videam specialiter indutum armis fidei Christianæ, nec naviculam Petri inter tot tumultuantes hujus sæculi procellas deserere; hoc *De fide catholica* scriptum, tuæ discretioni devoveo consummatum.

Quamvis fides catholica non solum divinarum rationum, verum etiam humanarum fundamentis innixa præfulgeat, et auctoritatibus theologicis velut irrefragabilibus maximis invicta consistat [47], tamen propter novos hæreticos novis, imo veteribus et novissimis hæresibus debacchantes, philosophicis [48] speculationibus deditos, sed sensuum speculis destinatos; cogor disertis rationibus de fide rationabili reddere rationem [49], qui in hoc ab antiquis hæreticis differunt, quod illi humanis rationibus fidem nostram expugnare conati sunt; isti vero nulla ratione humana vel divina freti, ad voluntatem et voluptatem suam, monstruosa confingunt. Olim vero diversi hæretici diversis temporibus, diversa dogmata et adversa somniasse leguntur, quæ generalis Ecclesiæ publicis edictis damnata noscuntur: nostris vero temporibus, novi hæretici, imo veteres et inveterati, veterantes dogmata, ex diversis hære- A sibus, unam generalem hæresim **202** compingunt, et quasi ex diversis idolis unum idolum, ex diversis monstris unum monstrum; et quasi ex diversis venenatis herbis unum toxicum commune conficiunt.

Sed quia antiqua sunt dogmata, non novis elaborandum est inventis, sed rationibus obviandum authenticis, quæ impia dogmata a præclari ingenii viris, et in omni disciplina exercitatis, deleta fuisse traduntur, ut ab Augustino, Hilario, Hieronymo, et cæteris Patribus orthodoxis. Sed quia eadem hæresum semina pullulant rediviva, eisdem antiquorum Patrum sunt objicienda munimenta, et si nova aliqua emerserit hæresis, infirmanda orationibus firmis [50]. Et quia te, princeps strenuissime, specialem fidei filium et defensorem intueor, tibi hoc opus B devoveo, et a te hujus operis examen exspecto. Hoc autem opus quatuor voluminum distinctionibus separatur [51]; quorum primum contra hæreticos; secundum, contra Waldenses; tertium, contra Judæos; quartum, contra paganos editum esse cognoscitur.

LIBER PRIMUS.

203 CAPUT PRIMUM.

De collatione gentilium et Christianorum, in materiali et spirituali strenuitate.

Sicut in antiquorum tractatibus legitur, quod proci et proceres gentium, humanam venantes gloriam, generose diversa monstrorum genera deleverunt; ut Hercules Antheum, Theseus Minotaurum, Jason Taurum ignivorum, Meleagre inæstimabilem Aprum, Chorebus stygiale monstrum, Perseus Marinum portentum [52]; sic generosi sanctæ Ecclesiæ proceres diversorum hæreticorum et hæresum monstra leguntur armis spiritualibus expugnasse. Et sicut Antheus resumptis a terra viribus, fortior factus est; hydra damno capitum facta locupletior [53]; sic exstirpatis antiquis et antiquatis hæresibus, eædem in novitate repullulant. Sed in hoc magna est differentia; quod Anthei fortitudo deleta, hydra funditus exstirpata; sed non sunt inter modernos, qui innovatis hæresibus obvient, repullulantes exstirpent. Ego tamen inter filios Jesse minimus de post fetantes assumptus, tentabo Goliam proprio gladio trucidare, et Ægyptium Hebræis insultantem occidere.

C CAPUT II.

Quibus auctoritatibus muniti hæretici, dicunt esse duo rerum principia.

Aiunt hæretici temporis nostri quod duo sunt principia rerum, et principium lucis, et principium tenebrarum.

Principium lucis dicunt esse Deum, a quo sunt spiritualia, videlicet animæ et angeli; principium tenebrarum, Luciferum, a quo sunt temporalia. Hoc autem nituntur probare auctoritatibus et rationibus; auctoritatibus sic: *Arbor bona non potest facere fructum malum, nec arbor mala fructum bonum* (*Matth.* VII). Ergo cum Deus summe bonus sit, mala ab ipso non sunt; sed cum mala sint, et ab ipso Deo non sint; ergo ab alio sunt quam ab ipso D Deo. Ergo cum Deus sit principium bonorum, aliud est principium malorum. Item in principio Geneseos legitur quod *tenebræ erant super faciem abyssi* (*Gen.* I), et sic mundus habuit initium a tenebris. Mundi itaque creator fuit principium tenebrarum, et sic malus fuit auctor mundi, qui [54] suæ creationis initium cœpit a tenebris. Item: Christus ait in

VARIÆ LECTIONES.

[47] *Exemplar impressum præcedentia sic legit:* Auctoritatibus theologicis valde irrefragabilibus maximo munita præmineat. [48] *Impress. habet*, propheticis. [49] *Impress. omittit verbum* fide. [50] *Ms. Exemplar habet* infringenda. [51] *Impress. sic habet*: Hoc opus duorum voluminum distinctionibus separatur. *Quia nimirum in codice Papirii Massoni, unde exemplar impressum desumptum est, non nisi duo priores libri continebantur, cum tamen revera auctor scripserit 4, ut passim testantur alia ms.* [52] *Impress. habet*, mammum portentum, *sed male.* [53] *In ms. sic:* Ex sui resecatione fecundior. [54] *In codice impresso, præcedentia omnino confuse leguntur ita*; mundus habuit initium a tenebris mundi, Creator itaque fuit principium terræ, et sic malus fuit auctor mundi, quia, etc. *Sed correctius ut jam ex ms. reposuimus.*

Evangelio : *Venit princeps mundi hujus, et in me non habet quidquam* (*Joan.* XIV). Ibi Luciferum vocat principem mundi potius quam se, et ita potius erat auctor mundi quam Christus. Et alibi dicitur : *Nemo potest duobus dominis servire* (*Matth.* VI), scilicet *Deo et mammonæ*. Ibi Christus vocat se et mammonam, id est diabolum, dominos; sed Christus non dicitur Dominus, nisi ratione creationis; ergo et diabolus **204** dicitur dominus a simili ratione creationis. Item ait : *Vos ex patre diabolo estis* (*Joan.* VIII). Item Apostolus : *Non ego operor illud, sed qui habitat in me*, id est in carne mea, *peccatum* (*Rom.* VII). Si peccatum habitat in carne, et a carne est, et caro sine peccato esse non potest, caro malum est, et ita a Deo non est. Item : Sentio *aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, et captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis* (*ibid.*).

Si lex carnis lex peccati est et mortis videtur caro mala esse, et ideo a Deo non esse. Item idem ait : *Caro pugnat adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem* (*Gal.* V). Si caro semper rationi contradicit, caro mala est, et sic a malo est.

CAPUT III.

Quibus rationibus muniti hæretici dicunt esse duo rerum principia.

His etiam rationibus opinionem suam probant hæretici : Si Deus ista visibilia fecit, aut ea incorruptibilia facere potuit, aut non; si non potuit, impotens fuit; si potuit et noluit, invidus fuit. Item : Si causa immutabilis, effectus immutabilis; sed constat ista corporalia mutabilia esse, ergo causa eorum mutabilis. Item : Cum multa in mundo agantur casu, non videntur agi divina ordinatione. Item: Cum caro hominis in peccato et per peccatum generatur, a bono principio esse non videtur. Item : Quædam creaturæ sunt, quæ in nullam utilitatem cedunt [85] ut serpentes, muscæ, araneæ, sed in multiplicem perniciem : ergo cum ad malum sint parata, et non ad bonum, a malo sunt, et non a bono.

CAPUT IV.

Solutio catholicorum ad prædictas auctoritates hæreticorum de duobus principiis.

His auctoritatibus respondentes, dicimus, quod illa auctoritas : *Arbor bona*, etc. (*Matth.* VII) intelligenda est de intentione bona vel mala, ex bona enim intentione non procedit nisi opus bonum, ex mala intentione non nisi malum. Dicimus etiam, quod hoc nomen, malum, aliquando supponat actionem malam, aliquando ipsius actionis deformitatem; ut cum dicitur : *Non est malum in civitate quod Deus non faciat;* id est non est actio mala, quam fieri non sinat, ipsam vero malitiam, id est actionis deformitatem, secundum quod dicitur ma-

A lum, nihil est, nec ipse facit. Ipsa enim deformatis actionis, quæ actio dicitur mala, nihil est. Prout ergo hoc nomen supponit actionem malam, malum dicitur esse aliquid, et esse a Deo, non in eo quod est malum, sed in eo quod est. Prout vero supponit malitiam, nec esse aliquid, nec esse a Deo dicetur; potius enim notat privationem esse, quam rei positionem [86]. Dicimus etiam quod hoc nomen, *tenebræ*, potius notat lucis carentiam, quam rei existentiam, et ideo mundus initium non habuit a tenebris. Sed est sensus : *Tenebræ erant super faciem abyssi* (*Gen.* I), id est non erat lux. Diabolus etiam non dicitur princeps mundi, quia mundum **205** creavit, sed princeps mundi, id est mundanorum hominum, quia in cordibus eorum principa-

B tur, et regnat per appetitum terrenorum. Eadem ratione dicitur dominus mundi. Quod autem mundus dicantur mundi amatores, in Joanne legitur, ubi dicitur : *Et mundus eum non cognovit* (*Joan.* I), id est mundi amatores. Et alibi in Evangelio : *Regnum meum non est de hoc mundo* (*Joan.* XVIII), id est amatores hujus mundi non sunt regnum meum; id est in eis non regno, diabolus autem dicitur pater hominum, non ratione creationis, sed ratione imitationis, quia per prava opera eum imitantur [87]. Peccatum autem dicitur habitare in carne hominis, id est fomes peccati, seu concupiscentia, quæ in carne habitat non ratione substantiæ, sed ratione circumstantiæ. Ex quo enim

C Adam peccavit, facta est caro prona ad concupiscendum, id est homo ex infirmitate carnis. Quamvis ergo concupiscentia maneat in carne occasionaliter, non tamen caro est mala, id est vitiosa, sed vitiata, seu infirma, nec ideo minus est a Deo. Sicut homo, quamvis infirmus sit, tamen a Deo existentiam habet.

Simili modo sequens exponitur auctoritas; quamvis enim lex peccati et mortis, id est concupiscentia in membris et a membris fit occasionaliter, id est ex infirmitate membrorum, tamen ipsa membra quamvis vitiata, id quod sunt, a Deo sunt, sed vitiata, id est infirma, a Deo non sunt.

Quod autem caro dicatur pugnare adversus spiritum, non est intelligendum de ipsa carne sed de

D carnis carnalitate : caro enim, id est carnalitas, semper contradicit spiritui, id est rationi.

CAPUT V.

Refelluntur rationes hæreticorum, de duobus principiis.

Ad rationes sic respondetur : Quamvis Deus mundum potuerit facere immutabilem actu et non fecit, invidus non fuit; bonitatis enim summæ fuit quod mundum fecit, sapientiæ vero, quod mutabilem esse permisit, ut per mutabilem in immuta-

VARIÆ LECTIONES.

[85] *Impress. habet* . ad nullam utilitatem tendunt. [86] *Præcedentia in codice impresso omnia habentur confusa, hoc modo :* prout supponit malitiam, non esse a Deo, nec esse a Deo dicitur, potius cum notat, etc. *At recte hic ex ms.* [87] *Impress. legit :* Perpetua opera eum imitantur.

bilem mutaremur. Omne enim mutabile insinuat aliquid esse immutabile; omne mobile insinuat aliquid esse quietum[58]. Ideo dico, immutabile actu, quia non potuit facere aliquid quod esset immutabile natura; quia omnis res creata, ex eo quod creata est, habet principium suæ existentiæ : eadem ratione finem habet actu vel natura, omnis enim res duobus clauditur terminis. Præterea non sequitur, quod si causa sit immutabilis, effectus sit immutabilis. Alia est causa efficiens, alia formalis. Efficiens causa est, quæ movet et operatur ad hoc ut res sit; ut artifex est causa efficiens operis sui, illudque movet, et operatur ad hoc ut sit; nec tamen sequitur, quod si aliquid prædicatur de artifice, quod etiam de ejus opere vel contra. Contingit enim opus esse diuturnum, et non artificem. A simili, cum Deus sit summus artifex omnium rerum, et efficiens causa, ipse immutabilis est, non tamen res ab eo creatæ immutabiles sunt; imo impossibile est res ab eo creatas non esse mutabiles; quia quidquid habet principium, naturaliter habet finem.

Omne quod est genitum, tendit ad interitum.

De formali autem causa, verum est, ut si ipsa sit immutabilis, effectus sit **206** etiam immutabilis, et contra, ut si albedo sit mutabile, album etiam sit mutabile. Sic quia humanitas quæ est natura substantialis hominis, et causa formalis, mutabilis est, mutabilis est et effectus ejus, id est facere hominem. Cum ergo Deus non sit causa formalis, sed efficiens, quamvis ipse sit immutabilis, non ideo res immutabiles[59].

Et quamvis multa in hoc sæculo casu agi videantur, tamen contra Dei ordinationem non fiunt[60], qui novit quomodo et qualiter singula fiant. « Nulla » namque « res est, » ut dicit philosophus, « cujus ortum legitima causa et ratio non præcedat. » Unde Christus in Evangelio ait, quod *nec unus passer cadit in terram sine Deo* (*Matth.* x).

Sequenti rationi hæc datur responsio : Multa sunt quæ in peccato fiunt, et mediante peccato, et tamen peccata non sunt, et a Deo sunt; ut scientia quam iste acquirit mala intentione, scilicet intuitu favoris humani, vel terreni emolumenti, mediante peccato habetur ab isto, et tamen est a Deo. Similiter, potestas quam iste acquirit Simoniace, in peccato et per peccatum acquiritur, et tamen a Deo est. Similiter pecunia quæ per usuram acquiritur, in peccato et per peccatum habetur.

A simili quamvis caro humana occasionaliter originem habeat ex peccato, id quod est a Deo est.

A Præterea, nulla creatura est quæ ad aliquam utilitatem creata non sit; quædam namque creata sunt a Deo in usus hominum, quædam in alios usus, ut jumenta. Quædam ad humiliandum, ut animalia venenosa, ut homo considerans quod hæc muta animalia usque ad mortem sibi nocere possunt, humilietur sub manu creatoris Dei et quid et a quo sit recognoscat. Quædam ad intelligendum Creatorem, ut per ea quæ facta sunt invisibilia Dei intellecta conspiciantur; quædam ad puniendum, ut pœnæ gehennales, et aliæ puniendi causæ instrumentales, quædam ad exercitium, ut quædam nociva per quæ homo excitatur ad bonum per patientiam, quædam ad delectandum. Nihil ergo in hoc mundo creatum est, quod ad aliquem
B bonum usum creatum non sit.

CAPUT VI.

Quibus auctoritatibus probatur, quod Deus bonus creavit mundum.

Post auctoritatum determinationem[61] et rationum infirmationem, quibus hæretici suum videntur confirmare errorem, ad auctoritates et rationes quæ eis objiciantur[62] stylum vertamus. Ait enim de Christo Joannes : *Omnia per ipsum facta sunt* (*Joan.* I). Hæc universitas, aut colligit simul visibilia et invisibilia, aut non[63]; si non omnia, aut visibilia tantum, aut invisibilia, aut quædam visibilia, et quædam invisibilia; quod ipsi non concedunt. Si invisibilia tantum, quare potius invisibilia quam
C visibilia, cum major sit multitudo visibilium quam invisibilium, quæ potius spectant ad universitatem. Unde sequitur : *Et sine ipso factum est nihil* (*Ibid.*) Id est nulla res facta est sine ipso.

Fortasse dicent hæretici, quod hoc nomine, *nihil*, designatur res corporalis quæ corrumpitur, et ad nihilum tendit; sed multa corporalia sunt quæ nec corrumpuntur, nec ad nihilum tendunt, ut sol, et aliæ stellæ; de terra autem dicitur, quod *in æternum stat.* Si dicant, quod stellæ variantur secundum ortum et occasum, secundum augmentum et **207** detrimentum luminis; eadem ratione animæ variantur, et ad nihilum tendunt; mutantur enim secundum dolorem et gaudium, secundum ignorantiam et scientiam, secundum peccatum et
D justitiam.

Qua ergo ratione hoc nomine, *nihil*, designatur omne corporale quia variabile, eadem designabitur omnis spiritus, quia variabilis[64]. Item in eodem Evangelio : *In propria venit, et sui eum non receperunt* (*ibid.*). Quæ per *propria* designantur, nisi ista visibilia et mundana, in quæ venit Christus, per assumptam humanitatem? quæ dicuntur propria

VARIÆ LECTIONES.

[58] *Impresso his mira est confusio, quam non opus hic referre.* [59] *Impressus codex in præcedentibus rursus totaliter est confusus, ultima verba sic legit :* non tamen res immutatur. [60] *In impresso sic :* omnia fiunt Dei ordinatione, id est fiunt quia, etc. [61] *Impress. male legit :* auctoritates determinationum. [62] *Impress.* obviant. [63] *In impresso, præcedentia rursus omnia confusa.* [64] *In impresso habentur hæc ita :* Ergo et omnes species, quia omnis species carnis variabilis.

Christi, non tam ratione possessionis, quam ratione creationis et auctoritatis. Si dicunt, propria esse Christi ratione possessionis, ergo possessio diaboli possessio etiam est Dei; quia si sint creata a diabolo, potius possidentur ab ipso quam a Deo, et tamen *nulla est conjunctio Christi ad Belial* (*II Cor.* VI). Item in eodem Evangelio · *In mundo erat, et mundus per ipsum factus est* (*Joan.* I). Item in apostolico Symbolo, legitur : *Creatorem cœli et terræ.* Item Christus in Evangelio : *Nonne duo passeres asse væneunt, et unus ex illis non cadit in terram sine Patre vestro?* (*Matth.* X.) Quid est, passerem non cadere super terram sine Patre vestro, nisi passerem esse sub Dei potestate? Item in Evangelio ait, quod *Deus vestit lilia agri* (*Matth.* VI); quid est Deum vestire lilia agri, nisi eis dare elegantem naturam, et ita naturam lilii a Deo esse? Item Apostolus in Epistola ad Colossenses (*cap.* I), ait de Christo loquens : *In quo universa condita sunt, visibilia et invisibilia.* Item in Epistola ad Hebræos (*cap.* I) : *Multifarie, multisque modis, olim Deus loquens patribus in prophetis, novissime diebus istis locutus est nobis in Filio, quem constituit hæredem universorum, per quem fecit et sæcula.* Item in eadem Epistola, auctoritate David, probat Deum creasse cœlum et terram, in hunc modum : *Initio tu, Domine, terram fundasti, et opera manuum tuarum sunt cœli* (*Psal.* CI). Item in Actibus apostolorum (*cap.* XVII), Paulus ait Atheniensibus : *Hunc Deum ignotum cui hanc aram fecistis, nuntio vobis : Hic est Deus qui fecit hunc mundum, et omnia quæ in eo sunt, in quo vivimus, movemur et sumus.* In Luca (*cap.* III) etiam ubi texitur Christi genealogia, legitur : *Qui fuit Seth, qui fuit Adam, qui fuit Dei.* Adam autem dicitur fuisse filius Dei ratione creationis, et ita fuit a Deo, et non a diabolo. Item Christus in Evangelio ait ad Judæos : *Vos inhonorastis me, Pater autem meus glorificat me* [65], *de quo dicitis, quia Deus vester est* (*Joan.* VIII). Si ergo Judæi dicebant Deum Patrem esse Deum suum, diabolum non credebant esse Deum suum. De iis hæreticis contra quos loquimur, ait Apostolus ad Timotheum : *Spiritus dixit, in extremis temporibus recedent quidam a fide, intendentes spiritibus erroris, et doctrinis dæmoniorum, in hypocrisi loquentium mendacium; prohibentium nubere, et abstinere a cibis quos Deus creavit* (*I Tim.* IV). Nonne præfati hæretici in ultimis temporibus recedunt a fide; a fide, inquam, quam tenet generalis Ecclesia? Non enim a fide Judæorum recedunt, quia fidem non habent, nec a fide Saracenorum, quia fide carent; a fide ergo Christianorum recedunt. Ili sunt qui intendunt doctrinis dæmoniorum, et fingentes se justos esse, in hypocrisi A loquuntur mendacium. Ipsi prohibent nubere, quia nuptias damnant; ipsi jubent abstinere a cibis quos Deus creavit. Item in Matthæo introducitur Dominus loquens in hunc modum : *Qui fecit hominem ab initio, masculum et feminam fecit eos* (*Matth.* XIX); et alibi : *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret* (*Joan.* III). Paulus etiam in Epistola ad Corinth. ait : *Posuit Deus membra, unumquodque eorum in corpore sicut voluit* (*I Cor.* XII). Item Petrus : *Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob, suscitavit Filium suum Jesum* (*Act.* XXXVI).

208 CAPUT VII.

Quibus auctoritatibus probatur quod Deus omnipotens mundum creavit.

Auctoritatibus etiam gentilium philosophorum, B errores prædicti confunduntur [66]; dixit enim Apostolus, quod *per ea quæ facta sunt, invisibilia Dei conspiciuntur* (*Rom.* I), a philosophis; quia per rerum magnitudinem intellexerunt philosophi Dei potentiam, per rerum pulchritudinem ejusdem sapientiam, per earumdem ordinem, divinam bonitatem. Unde Plato de Deo loquens ait : *Genitorem universitatis tam invenire difficile est, quam inventum digne profari* [67]. Boetius etiam in libro *Consolationis* ait :

O, qui perpetua mundum ratione gubernas,
Terrarum cœlique sator.

CAPUT VIII.

Quibus rationibus probatur, quod Deus omnipotens C *fuerit creator tam visibilium quam invisibilium.*

Idem variis rationibus asseritur : Si diabolus est auctor visibilium, quæritur an initium habuerit an non? Quod initium habuerit, Christus insinuat dicens, «Hic ab initio homicida fuit [68],» ergo initium habuit (*Joan.* VIII). Si ab æterno fuerit [69], duo fuerunt auctores rerum coæterni; et ita duo coæterni rerum creatores; et per consequens, duo dii, cum omnis scriptura Veteris et Novi Testamenti clamet, unum solum Deum esse. Item cum diabolus mutabilis sit et variabilis, aliqua est in eo [70] compositio, saltem proprietatis ad subjectum; cum mutatio nihil aliud sit, quam accessus unius proprietatis ad subjectum alterius, et recessus alterius; omne autem compositum habet suæ existentiæ principium.

D Item, si duo sint rerum principia, aut unum fuit imperfectum, aut alterum superfluum.

Item diabolus aut malitia ductus mundum creavit, aut bonitate; sed bonitate non, quia auctor mali et summe malus, non potest facere aliquid nisi ex malitia; sed si ex malitia mundum creavit, quomodo ita singula ordinavit, ut ipsa sic eleganter succederent [71], luna et stellæ deservirent nocti, sol diei, cum potius elucescat in istis [72] summa boni-

VARIÆ LECTIONES.

[65] *Præcedens periodus in impresso omittitur, unde sensus ibidem relinquitur mutilus.* [66] *Impress. habet,* confundunt, *sed perperam.* [67] *Impress.* proferri. [68] *Impresso habetur* hominum, *sed melius in ms. sic :* Hic ab initio homicida fuit, ergo initium habuit. [69] *Hoc in impresso male omittitur.* [70] *Impressum male habet;* aliquando est in eo, etc. [71] *Impressum ita :* Ut tempora sic eleganter succedant. [72] *Impressum habet;* Justis *pro* in istis.

tas quam malitia? Item, si diabolus ab æterno fuit, A scilicet Lucifer, quæritur, utrum alii dæmones fuerint coæterni vel non? Si dicant quod non fuerit nisi unus solus dæmon [73] scilicet Lucifer, convincuntur auctoritate evangelica testante, quod diabolus respondens Christo quærenti, quod esset nomen ejus, dixit : *Legio est nomen mihi* (*Marc.* v), quasi dicat : Non est hic unus solus dæmon, sed plures. Et alibi legitur de Christo dixisse Judæos : *In Beelsebub, principe dæmoniorum, ejicit dæmonia* (*Luc.* xi). Quæritur ergo, utrum alii dæmones fuerint Lucifero coæterni, si coæterni fuerint, ergo multa fuerunt Deo coæterna. Item, cum boni spiritus et mali sint ejusdem naturæ; sicut boni spiritus habuerunt initium, ita et mali [74]. Item, si alii dæmones fuerint Lucifero coæterni, quæritur, B utrum potuerint creare mundum sicut Lucifer, cum essent ejusdem naturæ cum eo. Si vero alii dæmones initium habuerunt, quæritur, a quo? manifestum est enim quod neque 209 se composuerunt, neque casu esse potuerunt [75]. Sed si a Lucifero initium habuerunt, Lucifer non solum auctor fuit corporalium, sed etiam spiritualium. Sed si a Deo, Deus fuit auctor eorum. Item, cum omnes creaturæ sint mutabiles, oportet unam causam esse immutabilem, a qua omnia mutabilia procedant; cum ergo Lucifer mutabilis sit, ab immutabili, scilicet Deo, est. Si a Deo est, aut malus fuit a Deo creatus, aut bonus; sed absit quod malus, quia mala natura a Deo non est; C quia nulla creatura in eo quod est, mala est. Et ita Lucifer a Deo creatus est bonus, et si postea fuit malus, per peccatum malus esse incepit. Sed si a Deo creatus est, et post creationem, visibilia ab eo facta sunt; aut existens malus ea creavit, aut existens bonus. Sed si existens bonus ea creavit, creatura creaturam creavit; sed quomodo genitum a genito creari potuit, vel creatum a creato? necessarium etenim est, quod illud quod creat, increatum sit : si enim ab alio crearetur, aut illud esset creatum aut non ; si creatum esset, creaturarum occurreret infinitas. Oportet ergo Creatorem increatum esse; nec est ratio quare una potius creatura creet aliam, quam alia aliam. Si vero D malus existens, ex malitia mundum creavit, sicut dictum est, inordinate potius omnia essent facta, quam ordinate. Liquet ergo omnia esse facta a Deo, et non a Lucifero; quia si duo essent rerum principia, et alterum esset principium bonorum, alterum malorum. Sicut principium bonorum esset summe et summum bonum ; ita principium malorum esset summe et summum malum. Sicut ergo in summo bono nulla malitia est, ita in summo malo, nulla bonitas. Item, si diabolus creavit corpus hominis, Deus vero animam, quæritur, qua auctoritate anima sit conjuncta corpori, et corpus animæ? Si dicunt diabolum et Deum ad hoc convenisse, aliqua fuit conventio Christi ad Belial. Absit etiam ut dicamus Deum animam ad hoc creasse, ut uniret eam malæ naturæ, quia secundum hoc, posset anima causam peccati sui ad Deum retorquere.

CAPUT IX.

Opinio quorumdam hæreticorum, qui dicunt quod non sunt in corporibus humanis aliæ animæ, nisi angeli apostatæ, qui de cœlo ceciderunt [76].

Quidam autem prædictorum hæreticorum suæ ignorantiæ quærentes auxilium, negant singulis diebus animas creari, et corporibus infundi; asserentes solos angelos apostatas qui de cœlo ceciderunt [77] corporibus humanis infundi Dei permissione, ut ibi valeant pœnitentiam agere. De quibus etiam dicunt, quod unus spiritus potest successive octo corporibus infundi, ut si pœnitentiam non egit in uno, agat in alio. Præterea dicunt, quod nullus alius est spiritus hominis, nisi angelus apostata, et quod in cœlo non sunt spiritus, quia omnes spiritus qui in cœlo erant, cum Lucifero ceciderunt. Hoc conantur illi probare hac auctoritate : *Non sum missus nisi ad oves quæ perierunt domus Israel* (*Matth.* xv). Domum Israel vocant conventum angelorum, qui in cœlo creati sunt, ad hoc ut viderent Deum, sed per peccatum lapsi sunt. Alia etiam auctoritate dicunt, quod *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui de cœlo descendit, Filius hominis qui est in cœlo* (*Joan.* iii).

210 CAPUT X.

Quibus rationibus et auctoritatibus probatur, quod anima est in corpore humano, et non dæmones.

Juxta hanc opinionem, cum Christus ejiciebat spiritum malignum a corpore humano, cum nullus alius spiritus esset in eo corpus remanebat exanime. Item, si corpus hominis a diabolo, et spiritus hominis diabolus, homo totus quasi essentialiter malus est, et ita bonum agere non potest, nec mereri vitam æternam.

Item, variæ clamant auctoritates, animam esse in homine non angelum. Ait enim Christus : *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere ; sed potius eum timete, qui potest corpus et animam mittere in gehennam* (*Matth.* x). Et alibi ait : *Quid prodest homini si lucretur universum mundum, animæ vero suæ detrimentum patiatur?* (*Matth.* xvi ; *Marc.* viii.) Item idem ait : *Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam* (*Joan.* xii).

Forsitan objiciet hæreticus, quod in Actibus apostolorum, angelus spiritus hominis dicitur, ubi fideles in uno loco congregati, Petro pulsante, dixerunt : *Angelus ejus est* (*Act.* xii), id est angelus

VARIÆ LECTIONES.

[73] *Impress. male* Deus. [74] *In impresso sic :* Sicut boni spiritus habent bonum initium, etc. [75] *In impresso,* causa esse potuerunt. [76] *Titulus codicis impressi habet :* Et quod omnes angeli ceciderunt de cœlo. [77] *Impress.* descenderunt, *sed male.*

qui spiritus ejus est; quasi dicant : Spiritus Petri est et non Petrus.

Ad quod dicimus, quod ibi vocatur angelus Petri, angelus deputatus Petro ad custodiam; frequenter namque angeli deputati hominibus ad custodiam, in eorum specie apparuisse leguntur, vel animam Petri vocaverunt angelum Petri, putantes Petrum esse occisum, et animam ejus apparere, et aliquid de Petro velle nuntiare, ergo quia nuntiantis gerebat officium, angelum vocaverunt; angelus enim interpretatur *nuntius*.

CAPUT XI.

Qua ratione dicunt hæretici, dæmones in corporibus humanis puniri.

Dicunt etiam prædicti hæretici, quia angeli peccaverunt in spirituali natura, voluit eos Deus punire in corporali substantia, et ibi pœnitentiam agere; non enim est eis ablata, ut dicunt, libertas arbitrii, nec potentia pœnitendi; aliter, injuste ageretur cum eis.

Ad hoc dicendum quia ex superbia peccaverunt, et ut dicit auctoritas, ita indurati sunt, ut pœnitere non possint et hoc est ex eorum indurata malitia, non ex Dei injustitia; sicut boni angeli per gratiam confirmati peccare non possunt. Item, si dæmones diversa intrant hominum corpora ut pœnitentiam agant, cur usque ad VIII et XVI corpora conceditur illius introitus, et non amplius? Præterea, qui hoc asserunt in errorem Pythagoricum cadunt, qui asseruit animam hominis merito peccati post mortem intrare in corpus alterius hominis vel bruti animalis.

Item, si dæmones volunt salvari, unus vult salutem alterius, aliter bonam voluntatem non haberet, nec salvari vellet [78]. Sed diabolus non vult salutem proximi sui; quia suggerit malum spiritui hominis, et ita inter se dæmones diversi sunt, et sic desolabuntur : *Omne enim regnum*, ut ait Christus, *in se ipsum divisum, desolabitur* (*Luc.* XI).

211 CAPUT XII.

Quibus auctoritatibus et rationibus probatur, quod dæmones non salvabuntur [79].

Quod autem dæmones [80] damnabuntur, videtur Dominus insinuare in Evangelio ubi ait : *Ite, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus* (*Matth.* XXV). Item qua ratione aut auctoritate dicunt hæretici dæmones esse spiritus hominum, vel intrare corpora diversa ubi agatur ab eis pœnitentia? Ubi autem nec adest auctoritas, nec ratio, non est probabilis opinio. Item qua ratione dicunt alios dæmones [81] humanis corporibus infundi, coguntur asserere ipsum Luciferum, ut pœniteat, alicui corpori debere uniri.

Fortasse dicent infundendum corpori Antichristi, A juxta illam auctoritatem quæ ait, quod Lucifer corporaliter habitabit in Antichristo. Sed hoc non ad essentiam, sed ad potestatis plenitudinem refundendum est, ut sit sensus : habitabit in eo corporaliter [82], id est plenarie possidebit eum, ad omnem voluntatem suam explendam. Item si veritas humanæ naturæ in hoc consistit, scilicet in corpore et spiritu maligno [83], Christus verus homo non fuit, quia nec spiritum malignum habuit, nec sibi univit; sed verus homo fuit ex eo quod corpus et animam habuit, ergo vel alii homines veri homines non sunt, vel corpus et animam habent [84].

CAPUT XIII.

Quibus auctoritatibus probatur, quod aliqui spiritus angelici remanserint in cœlo.

B Quod autem aliqui spiritus angelici remanserint in cœlo, insinuat Joannes in Apocalypsi dicens, quod *draco* traxit secum *tertiam partem stellarum* (*Apoc.* XII). Draconem vocat Luciferum; stellas, angelos in empyreo cœlo creatos. Non autem omnes traxit, sed tertiam partem. Fuerunt enim inter angelos quidam superbientes, ut Lucifer et alii quidam majores; alii, pravæ eorum voluntati consentientes; alii non contradicentes, et omnes istos Lucifer traxit ad se ipsum, per pravum consensum.

Dominus etiam in Evangelio de parvulis loquens, ait quod : *Angeli eorum in cœlis, semper vident faciem Patris vestri qui in cœlis est* (*Matth.* XVIII). Hoc de C malis angelis intelligi non potest, videre enim faciem Patris, est divina visione perfrui, quod malis angelis convenire non potest; de bonis ergo intelligendum est. Sed ubi sunt qui vident faciem Patris nisi [85] in cœlo? ergo aliqui spiritus sunt in cœlo. Item : *Angelus Domini descendit de cœlo, et accedens revolvit lapidem, et sedebat super eum* (*Matth.* XXVIII). Item Apostolus ait : *Si angelus de cœlo vobis aliter dixerit, vel prædicaverit, anathema sit* (*Gal.* I).

212 CAPUT XIV.

Quibus rationibus probatur quod non omnes angeli ceciderint de cœlo.

Eadem ratione sic probatur : Angeli omnes a D Deo creati fuerunt in cœlo; si ergo omnes per peccatum lapsi essent de cœlo [86] injustitiæ posset redargui Dominus vel impietatis, si sciens omnes angelos esse lapsuros, eos creasset. Opportunum fuit, ut sicut in aversis [87] apparuit Dei justitia, ita appareret in conversis Dei misericordia.

Sed forte objicient adversarii : Si plures angeli remanserunt in cœlo, non videtur homo esse factus ad supplendum numerum angelorum.

Ad quod dicimus : Etiamsi angelus non cecidisset, tamen homo creatus fuisset, quia plures sal-

VARIÆ LECTIONES.

[78] *Codex ms. habet* : potest. [79] *Codex ms. habet*, damnabuntur. [80] *In impresso male habetur*, homines. [81] *In codice impresso pro verbo* dæmones, *male legitur* homines. [82] *In impresso* : in eo corpore. [83] *In impresso omittitur verbum* maligno, *sed debere addi patet ex contextu.* [84] *In impresso textus hic omnino confusus est.* [85] *Codex impressus hic omittit verbum*, nisi. [86] *Impress. habet*, a Deo. [87] *Impress.* adversis, *sed male.*

vabuntur homines, quam sint angeli qui ceciderunt; et ita, non propter supplendam ruinam tantum, sed potius ad cœlestem Hierusalem exornandam, et ex diversorum graduum civibus, quasi ex diversis parietibus, componendam, homo creatus est. Decens enim fuit, ut tam corporea quam incorporea natura divinæ bonitatis particeps fieret, et ea frueretur, et feliciter viveret [88]. Forsitan dicent, quod quidam angeli boni sunt, sed de cœlo cum aliis lapsi sunt; sed quomodo passi sunt lapsum, qui non sunt lapsi in peccatum?

CAPUT XV.

Opinio hæreticorum, qui dicunt quod animæ sanctorum, cum Christo non ascenderunt in cœlum, et quod Christus non descendit ad infernum.

Eadem ratione dicunt, quod animæ sanctorum cum Christo ascendente, in cœlum non ascenderunt, quia manifeste hoc ex Evangelio non habent. Dicunt etiam Christum ad inferos non descendisse, nec animas ab inferno liberasse; quia asserunt animas omnium illorum qui ante adventum Christi decesserunt, æternaliter damnatas esse. Sed in hac contrarii sibi esse videntur, quia dicunt Joannem Baptistam in eo damnatum, quia dubitavit de adventu Christi ad infernum. Unde mittens duos discipulos ad Christum ait: *Tu es qui venturus es, an alium exspectamus* (*Luc.* VII)? quasi diceret: Descendes tu ad inferos? ut sim præco tui in inferno, sicut fui in mundo? Forsitan dicent, Joannem non super [89] hoc dubitasse, sed utrum Christus esset ille mittendus in mundum ad redimendam genus humanum.

CAPUT XVI.

Quibus auctoritatibus et rationibus probatur, quod Christus descendit ad inferos, et quod animas sanctorum ab inferis liberavit.

Contra hanc opinionem ait Joannes: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi* (Joan. VII). Et alibi: *Qui post me venit, ante me factus est* (*Joan.* I). Sed [90] qui dicunt Joannem damnatum esse, **213** obviant verbis Christi qui de Joanne ait: *Inter natos mulierum non surrexit major Joanne Baptista* (*Luc.* VII). Et alibi: *Quid existis in desertum videre? Arundinem vento agitatam? Sed quid existis videre? Prophetam? imo plus quam prophetam* (*ibid.*). Sed et ipse pro defensione justitiæ, capitalem subiit sententiam. Ipse etiam in utero matris exsultavit in adventu Virginis. Ipse etiam in utero sanctificatus, prius propheta quam natus fuit. Merito cujus, et mater prophetavit, et loquela patri restituta fuit. Nec dubitavit de Christo, quia Dei Filius esset, vel utrum ad inferos descensurus esset, cum hoc in prophetis legisset. Sed discipuli ejus dubitaverunt, quos

A ad Christum misit, ut certificarentur de Christi adventu.

Vel Joannes sub forma dubitationis, expressit affectum pietatis et compassionis, cum ait: *Tu es qui venturus es?* (*ibid.*), quasi dicat: Tu qui talis ac tantus es, jam te humiliasti, ut nostram infirmitatem [91] assumeres, et ad inferos descensurus es. Manifestum est ergo Christum ad inferos descendisse et animas sanctorum ab inferis liberasse. Unde Christus in Evangelio ait: *Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea quæ possidet, cum autem fortior supervenerit, et vicerit eum, universa arma illius auferet* [92] *et distribuet* (*Luc.* XI). Item in Symbolo apostolorum legitur: *Descendit ad inferos.* Item Apostolus ad ostendendum Christum B animas ab inferis liberasse, utitur auctoritate David dicentis: *Captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus* (*Ephes.* IV). Et alibi dicit Christum *descendisse ad inferiores partes terræ* (*ibid.*).

Item alibi dicit, quod ille qui dubitando ait descendit, revocat Christum ab inferis.

Sed si descendit ad inferos, ad quid descendit, nisi ut captivos liberaret? non enim gratia sui meriti descendit, sed ad liberandum eos quos diabolus in inferno injuste detinebat. Item auctoritas dicit, quod *multa corpora sanctorum qui dormierant, surrexerunt* (*Matth.* XXVII). Nonne et illi cum Christo ascenderunt? quia si postea iterum incinerati sunt, veri testes resurrectionis esse non viden- C tur [93]. Item, animæ illæ quæ ab inferis liberatæ sunt, si cum Christo ascenderunt, ubi remanserunt? In terrestri paradiso? non, quia ille locus est corporalium, non spiritualium.

CAPUT XVII.

Qualiter intelligenda sit hæc auctoritas: « Non sum missus nisi ad oves quæ perierunt domus Israel (Matth. XV). »

Quod autem dicunt de angelis malis esse intelligendum quod dicitur: *Non sum missus nisi*, etc., stare non potest. In sacra enim Scriptura, per domum Israel, non solet intelligi nisi Synagoga, per generationem descendens a Jacob, qui dictus est Israel; vel Ecclesia nunc videns Deum per speculum [94] in futuro visura per speciem. Item, quo- D modo [95] Christus vocare potest domum Israel, conventum malignorum spirituum, cum maligni spiritus longe relegati sunt a visione Dei? Item, si mali angeli salvandi sunt, quomodo homo creatus est ad supplendam ruinam angelorum, si lapsus angelorum in ipsis est reparandus? Item ex ipso sensu verborum potest intelligi, quod Christus per domum Israel intellexerit Judæos, non angelos. Mulier enim Chananæa, quæ gentilis erat, clamabat post ipsum; ipse autem respondit: *Non sum*

VARIÆ LECTIONES.

[88] *Impressum habet:* felix fieret. [89] *Impressus codex vitiose habet*, semper. [90] *In impresso perperam legitur*, sunt. [91] *Impress.* humilitatem. [92] *Impress.* conferet. [93] *Procedentia in codice impresso omnia confusa.* [94] *In impresso legitur*, speciem. [95] *In impresso*, quod.

missus nisi ad oves quæ perierunt domus Israel (*Matth.* xv); quasi dicat : Principaliter missus sum, ut primo prædicem Judæis, et eos ad fidem convertam, inter eos miracula faciam, infirmos eorum sanem.

214 CAPUT XVIII.

Qualiter intelligatur hæc auctoritas : « Nemo ascendit in cœlum, nisi qui, etc. (Joan. III.) »

Quod autem Christus de se ait : *Nemo ascendit in cœlum*, etc., sic intelligendum est, quod terminus exclusionis adjunctus nomini totius, non excludit partem ; ut si dicam : Solus Socrates vester, non excluditur corpus Socratis. Unde, si dicam : Socrates est rationalis, non excluditur anima ejus. A simili, si dicitur : *Nemo ascendit*, etc., quod de solo Christo dicitur, quod ascendit in cœlum, non excluditur ejus corpus spirituale [96], id est ejus Ecclesia ; est enim sensus : Ego solus qui descendi per assumptam humanitatem, ascendam in cœlum, per humanæ naturæ glorificationem, qui sum in cœlo per divinitatem, et fit suppositio pro persona, non pro natura. In qua suppositione, non excluditur Ecclesia, quæ unum cum Christo est [97]. Item si corpus est opus diaboli, homo bene facere non potest, *quia arbor bona non potest facere fructum malum, nec arbor mala fructum bonum* (*Matth.* VII). Item, si quodlibet corpus est opus diaboli, Filius Dei corpus non assumpsit, quia opus diaboli sibi non univit ; et ita verum corpus non habuit, nec verus homo fuit. Quod quidam hæretici concedunt.

CAPUT XIX.

Opinio hæreticorum qui dicunt Christum non assumpsisse verum corpus, nec comedisse aut bibisse.

Dicunt etiam quidam hæretici, Filium Dei præsentasse hominibus umbram humanæ naturæ, non veritatem, sicut legitur in Evangelio, discipulis suis apparuisse in alia effigie, et se in monte Thabor transfigurasse (*Matth.* XVII), repræsentando glorificatam naturam, quam non habebat. Item, si corpus habuit, quomodo clauso utero de Virgine exivit ? quomodo siccis pedibus super mare ambulavit? (*Matth.* XIV.) Dicemus etiam, Filium Dei vere mortuum esse, et dolorem sustinuisse in cruce [98], cum tamen Hilarius dicat, quod nulla passio, nullus dolor fuit in Christo. Apostolus etiam de Christo ait : *Habitu inventus ut homo* (*Phil.* II); non ait : Habitu inventus est homo. Quem dixit esse Deum, non ut Deum, eumdem dixit esse ut hominem ; non, esse hominem. Ut ibi veritatem divinitatis, hic umbram humanitatis insinuaret [99]. Item, cum Christus legatur corpus suum dedisse discipulis, si

A verum corpus fuit, quomodo eis ad comedendum dedit? Eadem ratione nec vere comedit, nec vere bibit, nec vere crucifixus fuit, nec vere a mortuis resurrexit. Dicunt etiam quidam hæretici, nec vere ipsum natum de Virgine, nec conceptum.

215 CAPUT XX.

Solutio præmissorum, et quod Christus verus homo fuerit.

Ad has objectiones respondentes, dicimus quod Christus non apparuit in alia effigie, sed videbatur discipulis quod appareret in alia effigie [100] forte percussi erant aurisia [1], id est quadam specie cæcitatis, qua ab eis non videbatur quod oculis præsentabatur.

B Naturam autem humanam vere glorificatam ostendit discipulis Christus in monte Thabor, non ejus similitudinem. Potuit enim Deus miraculose glorificationem corporis ostendere in corpore suo. A simili miraculose factum est, quod verum corpus Christi de utero Virginis clauso, et quod siccis pedibus super mare ambulavit.

Ipse etiam vere dolores nostros tulit, unde Apostolus ait : *Christus pro nobis passus est, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus* (*I Petr.* II). Et alibi : *Si tamen compatimur, ut et conglorificemur* (*Rom.* VIII). Nisi ergo vere Christus passus esset, non recte diceremur compati. Et alibi : *Christus factus est pro nobis obediens* Patri *usque ad mortem, mortem autem crucis* (*Phil.* II). Et C ipse Christus demonstrans suum sanguinem, ait : *Hic est sanguis qui pro multis effundetur* (*Matth.* XXVI). Quomodo autem in medium afferunt auctoritatem Hilarii, cum auctoritatibus sanctorum Patrum fidem non habeant? Possumus tamen dicere, quod Hilarius hoc retulit non ad pœnam, sed ad pœnæ causam, id est culpam [2]. Christus enim non habuit in se causam passionis, vel mortis, id est culpam. Tamen Claudianus, in libro *De anima*, de Hilario ait : Pictavensis Hilarius inter nobilissima disputationum [3] suarum genera in duobus errasse dicitur [4] : in uno, quod dixit animam esse, ex aliquo [5]; et in hoc quod asseruit Christum nullum dolorem sensisse in patibulo; qui quamvis in vita sustinuerit reprehensionis stylum, in morte ta- D men pœnitentia ductus, non sensit detrimenta meritorum.

Sequenti objectioni hæc datur responsio quod hæc conjunctio, *ut*, non semper est nota improprietatis, vel similitudinis, sed aliquando est expressivum veritatis, ut ibi, *ut putabatur filius Joseph* (*Luc.* III). Et hoc adverbium, *quasi*, aliquando est nota proprietatis aliquando similitudinis, aliquando

VARIÆ LECTIONES.

[96] *In impresso habetur*, spiritualiter. [97] *In impresso omittitur tota præcedens periodus.* [98] *In impresso pro* cruce *habetur* compositione. [99] *Tota periodus præcedens confusa et sine sensu est in exemplari impresso.* [100] *Præcedentia non habentur in impresso.* [1] *Verbum* aurilia *habetur in impresso.* [2] *In impresso, per errorem positum est contrarium hoc modo*, ad pœnam, non ad pœnæ causam. [3] *In impresso habetur*, dispositionum. [4] *In impresso*, legitur. [5] *In impresso deest*, ex aliquo, *relictus est* autem locus vacuus.

expressivum veritatis, ut ubi : *Et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre* (*Joan.* I). Similiter, hæc conjunctio, *ut*, hic expressiva est veritatis, ut sit sensus : *Habitu inventus ut homo* (*Phil.* II), id est verus homo. Christus etiam corpus suum mortale dedit discipulis suis, hoc autem miraculosum fuit, quod per angustiam oris, corpus spatio diffusum intravit. Hac autem ratione asserunt Christum [5*] non bibisse, nec comedisse, quia non decebat Filium Dei ad consueta naturæ secedere, quoniam ipse ait : *Omne quod in os intrat, in secessum emittitur* (*Matth.* XV). Sed nos malumus esse cum Hieronymo agrestes catholici, quam cum Manichæo, curiales hæretici. Fides autem catholica astruit, Christum omnes defectus humanæ naturæ assumpsisse, præter ignorantiam et peccatum ; decuit enim illum assumere nostros defectus, qui nos a defectibus erat liberaturus.

216 CAPUT XXI.

Quibus auctoritatibus et rationibus probatur, quod Christus veram carnem assumpsit.

Quod autem [6] veram carnem Filius Dei assumpsit, multiplex ostendit auctoritas et ratio. Ait enim Apostolus in Epistola ad Romanos, de Christo : *Qui factus est ex semine David secundum carnem* (*Rom.* I). Item in Matthæo legitur, de conceptione gloriosæ Virginis : *Antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto* (*Matth.* I). Et angelus ad Joseph ait : *Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est* (*ibid.*). Et in Luca legitur (*cap.* I), quod angelus ad Mariam ait : *Ecce concipies in utero.* Et Joannes (*cap.* I) ait : *Verbum caro factum est.* Si ergo in Virgine aliquid conceptum est, quid conceptum est, nisi corpus humanum?

Rationibus probatur idem in hunc modum : Christus in hoc quod in humana natura apparuit, humanam naturam redemit : ergo, si vere naturam humanam redemit, vere naturam humanam assumpsit. Oportuit enim ut sicut per hominem facta est humani generis perditio, ita per hominem fieret ejusdem redemptio. Ergo per hominem facta est hominis liberatio ; purus autem homo redimere non potuit ; si enim purus homo esset, tabe humanæ naturæ infectus esset. Oportuit ergo ut Deus esset et ratione divinitatis purus esset, et peccare non posset.

Sic ergo oportuit ut Deus homo fieret, hoc ut modo hominem redimeret. Si autem Christus corpus non habuit, eadem ratione et anima caruit. Sed ipse in Evangelio ait : *Potestatem habeo ponendi animam meam, et iterum sumendi eam* (*Joan.* X). Et alibi in Evangelio legitur : *Tristis est anima mea usque ad mortem* (*Matth.* XXVI). Item : Si Christus verus homo non fuit, nec vere resurrexit ; et si

A vere non resurrexit, nec nos vere resurgemus. Sed auctoritas dicit, quod Christus fuit *primitiæ dormientium* (*I Cor.* XV). Et Paulus ait : *Christus resurgens ex mortuis, jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur* (*Rom.* VI).

CAPUT XXII.

Quod Christus vere comederit et biberit.

Quod autem Christus comederit et biberit, multiplex probat auctoritas. In Matthæo legitur : *Venit Joannes neque comedens neque bibens, et dicunt : Dæmonium habet : venit Filius hominis comedens et bibens, et dicunt : Ecce homo vorax et potator vini* (*Matth.* XI). Et alibi : *Vespere autem facto, discumbebat Jesus cum discipulis suis, et edentibus illis dixit :* B *Amen dico vobis, quod unus vestrum me traditurus est : et contristati cœperunt singuli dicere : Nunquid ego sum, Domine? At ille respondens ait : Qui intingit mecum manum in paropside, hic me tradet* [7] (*Matth.* XXVI). Et Lucas (*cap.* XI) : Extollens vocem quædam mulier de turba dixit illi : *Beatus venter qui te portavit, et ubera quæ suxisti.*

Item alibi : *Factum est autem cum intraret in domum cujusdam principis Pharisæorum, Sabbato manducare panem, et ipsi observabant eum* [8] (*Luc.* XIV). Et alibi : *Cum facta esset hora, discubuit, et duodecim apostoli cum eo* [9], *et ait illis : Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum antequam patiar* (*Luc.* XXII).

C Et post resurrectionem : *Habetis hic aliquid quod manducetur? at illi obtulerunt ei partem piscis assi, et favum mellis. Et cum manducasset coram eis sumens reliquias dedit eis* (*Luc.* XXIV).

217 CAPUT XXIII.

A quo glorificabuntur corpora sanctorum in die judicii.

Præterea quæritur a prædictis hæreticis, si omne corpus humanum a diabolo est, a quo glorificabuntur corpora sanctorum in die judicii? a diabolo non, nec etiam, ut apparet, a Deo, Deus enim malam naturam non glorificabit ; et ita videtur quod sancti non resurgent in corporibus glorificatis [10]. Si dicant quod in corporibus alterius generis resurgent, D quæ a Deo benigno noviter creabuntur, aliis corruptibilibus incineratis ; Christus in Evangelio obviat, dicens : *Capillus de capite vestro non peribit* (*Luc.* XXI) ; quasi dicat : Etiam capillus resurget [11]. Et Paulus ait : *Corruptibile hoc induet incorruptionem* (*I Cor.* XV).

CAPUT XXIV.

Quibus rationibus probatur quod corpora nostra resurgent.

Rationibus idem probatur : Anima quæ mortali-

VARIÆ LECTIONES.

[5*] *In impresso vitiose legitur*, Christiani. [6] *In impresso vitiose legitur*, ideo. [7] *Impress. variat hunc textum Scripturæ, substituens textum S. Marci.* [8] *Præcedentia omnia in impresso omissa sunt, estque hic textus omnino confusus.* [9] *Hic iterum in impresso quædam omissa sunt.* [10] *Præcedentia in exemplari impresso, omnia sunt confusa.* [11] *In impresso iterum omnia confusa hoc modo :* quod dicit, capillus resurget.

ter peccaverit, æternaliter punietur; eadem ratione A et illa caro in qua, et per quam ipsa peccaverit: injustum namque esset, ut nova caro crearetur, quæ puniretur, et in qua anima puniretur, et non illa [12] resurgeret, in qua et secundum quam anima peccavit, ut in illa puniretur. Eadem enim ratione qua nova caro, creabitur et novus spiritus. Apostolus enim probans resurrectionem, hac utitur similitudine: *Stulte, non vivificabitur quod seminatur, nisi prius moriatur* (*I Cor.* XIII); a simili, corpus hominis nisi prius moriatur, per resurrectionem non vivificabitur. Item, cum corpus et anima sint principales partes hominis, quare, si homo non resurgat in illis principalibus partibus ex quibus constat, videtur quod nullus homo resurget. Quod fortasse quidam concedent, consentientes hæresi B Sadducæorum. Contra hanc hæresim multæ clamant auctoritates. Ait enim Christus in Evangelio: *Nolite mirari hoc, quia venit hora in qua omnes qui in monumentis sunt audient vocem Filii Dei, et qui audierint vivent* (*Joan.* V). Item Paulus in Epistola ad Corinthios: *Si autem Christus prædicatur quod resurrexit a mortuis, quomodo dicunt quidam in vobis, quod resurrectio mortuorum non est? Si autem resurrectio mortuorum* [13] *non est, nec Christus resurrexit. Si autem Christus non resurrexit, inanis est prædicatio nostra, inanis est et fides nostra* (*I Cor.* XV). Item Apostolus: *Omnes quidem resurgemus* (*ibid.*). Item: *Et mortui resurgent incorrupti* (*ibid.*). Et si omnes mortui resurgent, ergo et Petrus et C alii apostoli in carne resurgent, quia scilicet spiritu non obierunt. Item Christus in Evangelio ait: *De resurrectione autem mortuorum, non legistis quod dictum est a Deo dicente vobis: Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob? et non est Deus mortuorum, sed vivorum* (*Matth.* XXII). Item: *Nisi breviati fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro; sed propter electos breviabuntur dies illi* (*Matth.* XXIV). Item in Symbolo apostolorum legitur: *Carnis resurrectionem.*

Huic articulo fidei de resurrectione mortuorum, et carnis propriæ resurrectione, alia possumus afferre argumenta. Legitur Christus in Evangelio [14] corpora suscitasse et illa quæ prius animata fuerant, postea [15] privata sunt anima. Qua ergo ra- D tione illa suscitata sunt, et nostra corpora a quibus separabuntur animæ, in die judicii **218** suscitabuntur. Particulares enim suscitationes, generalis resurrectionis sunt testes.

Legitur etiam, quod *multa corpora sanctorum quæ dormierant, surrexerunt* (*Matth.* XXVII). Christus etiam, cujus resurrectio nostræ resurrectionis est testis, in proprio corpore resurrexit [16]. A simili, sancti in proprio corpore resurgent.

CAPUT XXV.

Quibus auctoritatibus et rationibus probent hæretici, quod caro illa quæ redigitur in cinerem, non resurget.

Hunc fidei articulum hæretici variis auctoritatibus et rationibus expugnare conantur: Sic ait Apostolus: *Caro et sanguis regnum Dei non possidebunt* (*I Cor.* XV), ergo caro nostra non glorificabitur. Item, dicit Joannes: *Ecce nova facio omnia* (*Apoc.* XXI). Si omnia fient nova in die judicii, ergo et caro humana. Item legitur: *Cœlum et terra transibunt* (*Matth.* XXIV). Eadem ratione et corpus humanum. Si enim firmiora desinent esse, quod iterum non incipient esse, multo magis et corpora humana, quæ omni corruptioni sunt obnoxia. Et alia auctoritas ait: *Vidi cœlum novum, et terram novam* (*Apoc.* XXI). Item Christus in Evangelio: *In resurrectione neque nubent neque nubentur, sed erunt sicut angeli in cœlo* (*Matth.* XXII). Et ita non erunt corporales, sed spirituales.

Præterea, cum caro semper appetat mala, et non bona, quomodo ergo glorificabitur? Et illud quod incineratum est, quomodo in effigie corporis humani iterum formabitur? Item: Corpus hominis post dissolutionem omnino desinit esse, et si remaneat, manet in cinere. Ergo cum in die judicii corpus humanum formabitur, in multis dissimile erit ab isto, et omne quod in singulari numero desinit esse, non potest iterum incipere [17]. Videtur quod illa corpora quæ erunt in die judicii, non erunt illa quæ sunt incinerata. Quod possumus probare per simile: Ecce albedo desit esse in Socrate, et post decem annos quædam albedo incipiet esse in Socrate, dicemus quod ita sit vel possit esse illa quæ a decem annis desiit esse in Socrate? absit! Præterea, per similitudinem quam affert Apostolus (*I Cor.* XV) ad probandum resurrectionem, de grano mortificato, possumus dicere, aliud esse corpus quod incineratur, aliud quod in die judicii animabitur. Sicut enim granum quod in terra mortificatur, non est idem cum eo quod ex illo egreditur, seu nascitur, sic corpus quod incineratur non erit illud quod in die judicii suscitabitur.

CAPUT XXVI.

Responsio ad prædictas auctoritates et rationes. Et quod vere caro illa resurget.

Ad prædicta hæc datur responsio: Dicimus quod Apostolus cum ait: *Caro et sanguis regnum Dei non possidebunt* (*I Cor.* XV), non intellexerit de substantia carnis et sanguinis, sed de circumstantia, id est de corruptione, ut sit sensus: *Caro et sanguis regnum Dei non possidebunt*, id est corruptio carnis et sanguinis. Unde in consequentibus ait: *Neque corruptio incorruptionem* [18] *possidebit* (*ibid.*).

VARIÆ LECTIONES.

[12] *Impress. habet*, in illa, *sed male.* [13] *Impress.* mortis. [14] *In impresso vitiose habetur*, Christum in Evangelia. [15] *In impresso*, præterea, *sed male.* [16] *Impressum hic iterum absurdissime habet* resurget. [17] *Quædam hic omissa in impresso.* [18] *In impresso habetur*, incorruptibilia.

Quod autem legitur, quod Deus in die judicii omnia faciet nova, sic intelligendum est : omnia innovabit, quia et tempora innovabuntur, et terra innovabitur, quantum scilicet ad exteriores qualitates, quia terra erit marmore planior et crystallo clarior. **219** Sic cætera elementa erunt nova, id est innovata ; sicut pannus dicitur novus, quando per reparationem est innovatus. Et homo dicitur filius novus per pœnitentiam innovatus [19]. A simili, caro nostra erit nova, id est per glorificationem innovata.

Eodem modo intelligendum est quod dicit Joannes in Apocalypsi : *Vidi cœlum novum et terram novam* (*Apoc.* XXI), id est terram innovatam, et aerem innovatum. Hic enim nomine cœli intelligitur aer, juxta illud : *Aves cœli comedent illud* (*Marc.* IV, *Luc.* VIII). In die autem resurrectionis, aer non alterabitur amplius secundum diversas qualitates, sicut modo alteratur. Quod autem dicitur : *Cœlum et terra transibunt* (*Matth.* XXIV), intelligendum est de transitu accidentali, non de substantiali : non enim intelligendum est, cœlum et terram ita transitura, quod desinant esse, vel [20] mutentur in aliud ; qui transitus substantialis est ; sed transibunt secundum exteriores qualitates, ut jam dictum est.

Quod autem Christus ait : *In resurrectione non nubent neque nubentur* (*Matth.* XXII), non est sic intelligendum, quod sancti futuri non sint corporales, sed solum spirituales, sed ratione incorruptionis hoc intelligendum est, [21] omni relegata corruptione ; non enim in corporibus sanctorum poterit esse aliqua corruptio, vel veneris [22] vel vulneris vel alterius passionis.

Rationibus etiam ita respondemus : Dicimus quod caro ex sui natura non sit prona ad malum, sed potius ex sui infirmitate, quam contraxit ex peccato Adæ. Ante peccatum enim Adæ, caro non pugnabat adversus spiritum, nec spiritus contra carnem. Ergo in die judicii caro resurget in sui substantia, non in sui circumstantia ; ipsa enim corruptio quæ impellit ad peccandum, non resurget.

Ad sequentem objectionem, dicimus, quod ille qui omnia creavit ex nihilo, et, corpus humanum plasmavit de limo, corpus incineratum in pristinum, imo in meliorem statum potest reformare ; sicut figulus ollam male formatam et fractam, reducit in terram, et eamdem ex eadem materia reformat in statum meliorem. Argentarius etiam ex terra immunda et fœda, multiplici decoctione elicit argentum, non mutata tamen terræ materia. Sic generalis ignis purgabit terram et aera. Summus vero artifex sua auctoritate in meliorem statum refor- A mabit humana corpora. Dicimus etiam quod illud singulare corpus quod est incineratum, resuscitabitur, quia et materia corporis remanet, et substantia ipsius. Quamvis enim corpus humanum exuat humanam effigiem, tamen non desit esse substantiale corpus [23] nec aliud substantialium quæ ad corpus pertinent amittit [24]. Et ita, illud singulare corpus in die judicii glorificabitur, et humanam recipiet effigiem, quod modo redactum est in cinerem ; cum nec materia pereat nec substantia. Similitudo autem quæ affertur de albedine, non valet, albedo enim omnino desinit esse, quia ipsa nec materiam habet nec formam, nec in materia remanet nec in forma. De grano autem mortificato in terra, dicimus, quod ex illo diversa producuntur B grana, non unum quod sit illud ; nec substantia grani tota transit in substantiam alterius grani, sed partim in substantiam aristæ, partim in substantiam stipulæ, partim in substantiam folliculorum et radicum, sed totum illud corpus humanum quod incineratum est, erit illud totale corpus quod in die judicii resurget. Totum dico, secundum veritatem humanæ naturæ.

220 CAPUT XXVII.

Responsio hæreticorum, qui dicunt quod anima perit cum corpore.

Hi autem volunt dicere, ideo resurrectionem non futuram, quia anima perit cum corpore, sicut nostri temporis multi falsi Christiani, imo hæretici dicunt. C Multæ rationes et auctoritates eis contradicunt ; quamvis errorem suum auctoritatibus et rationibus conentur asserere. Ait enim, ut inquiunt, Salomon : *Unus est interitus hominis et jumentorum, et æqua utriusque conditio* (*Eccle.* III). Sicut homo moritur, ita et ipsa moriuntur.

Hic videtur velle Salomon, quod totaliter perit homo sicut jumentum : unde sicut in bruto anima perit cum corpore, ita in homine pereat. Moyses etiam dicit animam esse in sanguine ; et sic videtur, quod pereunte sanguine, pereat anima ; et quod existentia sanguinis sit existentia animæ. Alia etiam auctoritas dicit, quod : *Spiritus hominis est vadens, et non rediens* (*Psal.* LXXVII), vadens in morte, et non rediens ad vitam [25].

D Rationibus idem probatur hoc modo : Spiritus bruti animalis, aut corporalis est aut incorporalis [26]. Si incorporalis est, sicut spiritus humanus, qua ratione perit cum corpore, et non spiritus hominis? Qua enim ratione aut vi conservabitur potius anima humana in corpore, quam anima bruti [27] ? Quod autem spiritus bruti incorporeus [28] sit, multipliciter probatur ; hoc genus substantia dividitur in hæc duo

VARIÆ LECTIONES.

[19] *Hæc periodus in impresso deest.* [20] *In impresso erronee legitur*, licet. [21] *In impresso hic nonnulla desunt, quæ sensum imperfectum relinquunt.* [22] *In impresso omissa sunt.* [23] *Impressum habet*, corpus vel substantia. [24] *Impress.* admittit. [25] *Omnia præcedentia ab initio capitis deerant in exemplari ms.* [26] *In impresso habetur*, corpus, aut incorpus. [27] *In impresso, sensus hic etiam confusus.* [28] *Pro* incorporeus *in impresso iterum habetur* incorpus, *uti etiam in aliis pluribus locis.*

genera, corpus et spiritus; hæc autem differentia, corporeum, adjuncta huic generi, substantia, faciet hoc genus, corpus : similiter, hæc differentia, incorporeum, adjuncta huic generi, substantia, faciet hoc genus, spiritus [29]. Igitur, cum hæc differentia, incorporea, sit constitutiva hujus generis, spiritus, omnis spiritus incorporeus est. Ergo spiritus bruti non est spiritus aut incorporeus est. Quod autem spiritus sit, sic probatur; habet omnes vires spiritus, ut potentiam percipiendi sensibilia, potentiam imaginandi; quæ potentiæ et a spiritu sunt, et in spiritu sunt.

Boetius etiam hanc ponit divisionem spirituum, alius rationalis, et alius irrationalis; et sic spiritus bruti est species generis, spiritus [30]. Quis enim spiritus est irrationalis nisi spiritus bruti? Igitur incorporeus est. Item, omne corpus habet qualitates perceptibiles aliquo sensu, sed qualitates animæ non sunt tales; ergo anima non est corpus. Item, corpus subjacet sensui vel sensibus, non autem sic anima. Item, omne corpus animatum vel inanimatum est; si autem est animatum, tunc ab aliqua alia anima est, sic est anima habens animam, et ita in infinitum. Si autem corpus est inanimatum, ergo non vivificat, nam quod non vivit, vivificare non potest. Item si brutum animal constat ex spiritu qui sit corpus in suo proprio corpore, illa duo corpora ad quem communem tertium copulantur [31]? Item, spiritus bruti totus est in singulis partibus corporis, sicut spiritus hominis, ergo incorporeus est; hoc enim incorporei est, et non corporei. Alio etiam modo probatur animam hominis perire cum corpore : sicut post mortem bruti nullum apparet vestigium animæ, ita post mortem hominis, nullum vestigium animæ remanet.

221 CAPUT XXVIII.

Solutio ad prædictas auctoritates et rationes, ostenditur quod anima non perit cum corpore.

Contra prædictas auctoritates, hanc damus solutionem : Quod Salomon ait : *Unum esse interitum hominis et jumenti* (*Eccle.* III), referendum est ad spiritum physicum, non ad spiritum rationalem.

Est namque in homine duplex spiritus, spiritus rationalis et incorporeus, qui non perit cum corpore; et alius qui dicitur physicus sive naturalis, quo mediante anima rationalis unitur corpori, et hic spiritus est subtilior aere, et etiam igne [32], quo mediante fit sensus et imaginatio : et ille perit cum corpore. Talis spiritus naturalis est in corpore bruti animantis, et illud vegetat, et perit per-

A eunte corpore. Et secundum hoc ait Salomon, quod *unus est interitus hominis et jumentorum*, quantum ad corpus et spiritum physicum [33]. Quod autem anima dicitur esse in sanguine, non ad animam referendum est, sed ad vitam animalem [34], hic enim sumitur hoc nomen, *anima*, in designatione vitæ temporalis, quæ penes sanguinem consistit. Unde et in Evangelio legitur : *Majorem charitatem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis* (*Joan.* XV) [35]. Quod autem dicitur : *Spiritus hominis vadens et non rediens* (*Psal.* LXXVII), sic intelligendum est, vadens in peccatum per se, et non rediens ad bonum per se.

Rationibus ita respondemus : Dicimus quod spiritus bruti animalis corporeus est et penes

B corporalitatem corruptio; spiritus vero rationalis qui est in homine, incorporeus est, et ideo incorruptibilis, quia penes incorporeitatem incorruptio, sicut in sequentibus ostendetur. Quod autem spiritus bruti animalis sit corporeus, multipliciter probatur; ut naturalis testatur ratio, spiritus bruti animalis originem habet ex secunda digestione quæ sit in hepate, et nihil aliud est quam tenuis fumus qui ex illa digestione nascitur, qui dicitur naturalis in hepate, vitalis in corde, animalis in capite. Præterea, eo [36] mediante, anima rationalis unitur corpori hominis. Oportet ergo quod spiritus ille habeat aliquam affinitatem cum anima rationali, quoad subtilitatem scilicet et agilitatem, cum cor-

C pore, corporeitatem [37]. Præterea, ad spiritum incorporeum propter subtilitatem et perspicacitatem, pertinent quinque potentiæ, ut, sensus, imaginatio, ratio, intellectus et intelligentia. In spiritu vero bruti [38], non habent locum nisi duæ potentiæ, quæ circa corporalia versantur [39]. Videtur ergo quod et ipse spiritus sit corporalis, cum in eo non vigeant nisi potentiæ percipiendi corporalia. Item, si duo spiritus incorporei sint in corpore hominis [40], videtur quod corpus sit animatum duabus animabus, vel quod alter superfluat spiritus.

Dicimus etiam quod alia significatione illud quod vegetat corpus bruti dicitur spiritus, scilicet a spiratione, in corporea subjecta; in incorporea autem substantia dicitur spiritus a spiritualitate, quia

D spiritualis naturæ est. Spiritus vero bruti dicitur spiritus, quia est spirantis naturæ, quia brutum animal facit spirare. Vegetabile etiam, quo corpus bruti vegetatur, sub hoc genere spiritus continetur, quia spiritualis naturæ non est; et quamvis quædam potentiæ spiritus conveniant illi vegetabili, non tamen sequitur **222** quod idem sit spiritus. Sic multæ

VARIÆ LECTIONES.

[29] *Præcedentia hic etiam mire confusa in impresso, uti etiam et immediate sequentia.* [30] *Hic etiam in impresso, quædam omissa sunt et reliqua sine sensu.* [31] *In impresso hic rursus quædam omissa sunt.* [32] *In impresso hæc omnia confusa sunt.* [33] *Hic rursus omnia confusa in impresso.* [34] *Impressum habet,* spiritualem. [35] *Præcedens periodus deest in ms., optime tamen hic quadrat.* [36] *Duo hæc verba desunt in impresso.* [37] *In impresso hic habetur* corpore corporatur, *sine ullo prorsus sensu.* [38] *In impresso omissum est verbum,* bruti. [39] *In impresso sic :* quia contra corporalia verterentur. [40] *In impresso sic .* spiritus in corpos, sunt in corpos homines.

proprietates bruti animalis conveniunt homini, ut A grossibilitas, mortalitas, etc., non tamen ideo brutum animal est homo, vel humanæ naturæ est.

Cum autem Boetius hanc ponit divisionem spirituum, ut alius sit rationalis, alius irrationalis, non sumit hoc nomen, *spiritus*, in designatione spiritualis naturæ, sed potius, vegetabilis, quæ facit spirare, ut sit sensus : Spirituum, id est vegetabilium spirare facientium ; alius rationalis, alius irrationalis est. Potest etiam illud vegetabile quod vegetat corpus bruti, dici spiritus, comparative, respectu grossiorum [61] corporum, quia subtilius corpus est quam quædam alia animata corpora. Unde aer solet dici spiritus, et quædam consonantes dicuntur mutæ, non quia nullum faciant sonum, sed quia minorem quam vocales et semi- B vocales.

Ad sequentem objectionem, dicimus quod spiritus bruti habet qualitates sensu perceptibiles in sui natura, sed tantæ est subtilitatis quod sensus perceptionem subterfugit, sicut aer.

Cum ergo aere subtilior sit, non est mirum si ipse non ostenditur [62], etsi ipse sensibus non subjacet actualiter, tamen natura sensibilis est [63]. Et sicut sensus deficit circa maxima et minima, ita circa minus subtilia [64]. Quod autem omne corpus dicitur animatum vel inanimatum, falsum est ; lapis enim nec est animatus, nec inanimatus. Illa namque corpora dicuntur inanimata quæ naturaliter possunt animari, et quibus debetur animatio, etsi non animantur. Dicimus ergo quod spiritus C bruti, etsi corpus sit, nec animatus est nec inanimatus. Vel dicere possumus quod omne corpus est animatum vel inanimatum, et quod spiritus bruti est corpus inanimatum, animans tamen aliud corpus, nimirum corpus bruti. Quamvis autem duo corpora conveniant in constitutione bruti, non est tamen necesse ut copulentur ad communem terminum [65] ; hoc enim convenit partibus continuis. Spiritus autem bruti physicus venit in constitutionem bruti animalis per infusionem, vel per unionem, et non per continuationem. Spiritus etiam bruti non est totus in singulis partibus, sed secundum diversas sui partes in diversis.

Dicimus etiam quod multa vestigia remaneant D animæ rationalis. Legitur enim in sacris Scripturis animas post mortem apparuisse multis (*Matth.* XXVII). Et Christus in Evangelio ait quod anima Lazari post mortem delata est ab angelis in sinum Abrahæ ; dives vero, id est anima divitis sepulta est in inferno (*Luc.* XVI).

CAPUT XXIX.

Quibus auctoritatibus theologorum probatur quod anima humana sit immortalis.

Quod autem humana anima sit immortalis, tam auctoritatibus theologorum et philosophorum, quam etiam rationibus probatur, ut supra diximus. Christus in Evangelio contra Sadducæos probans animam non perire cum corpore, ait : *Non legistis : Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac et Deus Jacob, Deus vivorum et non mortuorum* (*Marc.* XII). Malis etiam in die judicii, ut idem protestatur, dicetur : *Ite, maledicti, in ignem æternum* (*Matth.* XXV). Illi quibus hoc dicetur, punientur in anima et corpore, et æternaliter. Ergo anima est superstes post mortem. Paulus etiam ait, quod sancti rapientur *obviam Christo in aera, et sic semper cum Domino* erunt (*I Thess.* IV). Et Joannes in Evangelio ait : *Et procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ; qui vero mala egerunt, in resurrectionem judicii* (*Joan.* V)

223 CAPUT XXX.

Quibus auctoritatibus gentilium philosophorum probatur quod anima humana sit immortalis.

Et quia fere quælibet summula [66] Novi Testamenti hoc clamat, ad auctoritates gentilium philosophorum stylum vertamus, ut erubescant Christiani illam veritatem diffiteri [67], quam confessi sunt philosophi gentiles.

Ait Mercurius in *Asclepia : Omnis enim immortalis est anima* [68]. In *Aphorismis* etiam [69] de essentia summæ bonitatis legitur quod anima est in horizonte æternitatis, et ante tempus nomine æternitatis. Hic designatur perpetuitas. Est ergo sensus . Nomine æternitatis, et ante tempus æternitatis, anima est in horizonte [70], etiam et in termino perpetuitatis, qui est perpetuitas in anima, id est quod finitur in anima, id est non protenditur ultra animam, et est supra tempus, vocatur hic memoria [71] habens principium et finem. Ergo anima, etsi habuerit principium, non habebit finem. Virgilius etiam de anima tantum loquens ait :

Vitaque cum gemitu fugit indignata sub umbras.

Id est anima tantum recedens a corpore, cum indignatione descendit ad inferos. Hic insinuavit Virgilius animam esse superstitem post mortem. Et Tullius in *Rhetorica*, ait quod probabile videtur sapientibus pœnas esse paratas animabus malorum apud infernum. Si animabus malorum pœnæ paratæ sunt apud inferos, ergo animæ sunt superstites post mortem. Item Mercurius in *Asclepia* ait quod animæ

VARIÆ LECTIONES.

[61] *In impresso pro* grossiorum *absurde habetur* religiosorum. [62] *In impresso,* si sensus non offendit. [63] *In impresso iterum vitiose* tamen non sensibilis est. [64] *Ultimum hoc verbum iterum omissum est in impresso.* [65] *In impresso hic rursus omnia confusa, et quædam etiam omissa.* [66] *In impresso habetur* syllaba. [67] *In impresso,* diffinire. [68] *Ms. hic addebat :* Sed non uniformiter cuncti. [69] *Ms. sequentia omnia tribuebat Tullio.* [70] *In impresso hæc clarius sic :* Anima est in horizonte æternitatis, id est in tempore perpetuitatis. [71] *Impress.* mors.

post dissolutionem coguntur credere pœnis [52] quæ in vita noluerunt credere verbis. Plato etiam in *Timæo* ait animas post dissolutionem variis affligi pœnis. Immortalitatem etiam animæ in *Phædone* multipliciter probat. Sed quia auctoritas cereum habet nasum, id est in diversum potest flecti sensum, rationibus roborandum est.

CAPUT XXXI.

Quibus rationibus probatur quod anima humana sit immortalis.

Quidquid corrumpitur, aut corrumpitur ex dissonantia partium, ut corpus, aut fluxu materiei, ut proprietas. Omnis enim proprietas in se immutabilis est, quod autem desinat, ex fluxu materiei in qua est, habetur. Unde Boetius in prologo super *Arithmeticam* [53] ait : Sapientia est speculatio [54] earum rerum qui sui immutabilem sortiuntur substantiam, id est proprietatem : anima autem non est substantia corporea. Ergo ex substantia partium corrumpi non potest, quia simplex est, proprietas autem sine forma non est, quia substantia est, et ex fluxu materiei corrumpi non potest, quia in materia non est. Ergo incorruptibilis est. Quod autem incorporea sit, multiplici ratione probatur, verbi gratia, hoc genus, spiritus, continet sub se has species, animam et angelum. Ergo angelus incorporeus non est, vel anima est etiam incorporea. Item, anima non suscipit dimensiones corporis ; ergo corporea non est. Item anima vel a se, vel ab alio habet, comprehendere spiritualia et incorporea, sed non ab alio ; ergo a se, et ex propria vi ; ergo spiritualis est et incorporea, quod enim homo incorporea percipit, non habet ex se, sed ex anima.

Præterea quæ corporea voluntate moventur et sensitiva, non habent ex **224** hoc quod sunt corpora, quia si hoc esset, omnia corpora convenirent in hoc. Item, si ipsa corpora habent sentire et movere ex seipsis, tunc sunt ipsa causa sui, motus et sensus. Et si hoc esset, nunquam quiescerent a voluntario motu ; *quandiu enim causa est secundum quod est causa, nunquam cessat effectus?* ergo corpus non habet moveri a voluntario motu et sensu, sed movetur ab anima, ergo anima est incorporea [55]. Item nullum corpus aliquid agit ex hoc quod est corpus, alioquin ageret illud. Sed multæ sunt actiones corporis, nullam igitur earum agit corpus ex hoc quod est corpus, sed omnis actio eget agente, quia non est res per se existens. Ergo aliud præter corpus, est causa actionum corporis. Item, corpora sunt continua et composita ex partibus, continuatio autem non fit nisi per motum partium compositi, et per retractionem aliarum ab aliis, et per uniuscujusque earum in suo loco retentionem. Sed non est ex partibus, se conjungi [56], cum earum potius sit A natura, ire in diversas partes. Necesse est igitur ut sit ibi in essentia, præter corpus, quæ id faciat. Item, possumus intelligere, id quod vegetat corpus [57], non intellecta corporeitate. Ergo non est corpus, si enim substantialiter esset corpus, sine corporeitate intelligi non posset. Ex prædictis patet animam esse incorpoream et ita incorruptibilem, quia si anima est incorporea, est sicut angelus, qua ratione anima est immortalis, et anima. Item, ad idem probandum possumus uti ea insinuatione qua usus est quidam religiosus contra philosophum [58] qui negabat animam esse immortalem. Ait enim : Aut anima est mortalis, aut immortalis : Si mortalis est anima, et credis eam esse immortalem, nullum tibi inde provenit incommodum ; si autem est B immortalis, et credis eam esse mortalem, aliquod potest tibi inde provenire incommodum. Ergo melius est ut credatur immortalis quam mortalis. Quia, ut ait Aristoteles, in libro *De eligendis duobus propositis*, si istius est consecutivum malum, et illius est consecutivum bonum, magis est illud eligendum cujus est consecutivum bonum, quam aliud cujus est consecutivum malum. Item in *Aphorismis* de essentia summæ bonitatis, legitur, quod res destructibiles [59] sunt ex corporeitate, non ex incorporeitate. Item, exsufflabimus omnia merita sanctorum tam Veteris quam Novi Testamenti, si dicamus meritis eorum post mortem nulla esse reddenda præmia. Quia si hoc esset, testante Apostolo, C sancti miserabiliores essent omni creatura (*I Cor.* XV).

CAPUT XXXII.

Quibus auctoritatibus et rationibus probatur quod Christus vere fuerit Filius Dei.

Patet ex præmissis Christum veram carnem assumpsisse, et verum hominem fuisse, vere passum resurrexisse a mortuis, veram futuram mortuorum resurrectionem, et in propria carne. Propter prædictas rationes dicunt quidam hæretici Christum veram quidem carnem habuisse, sed Filium Dei non fuisse : absurdum enim judicant asserere Filium Dei assumpsisse carnem. Sed, quod Christus vere Filius Dei fuerit, et auctoritas clamat, et ratio. Ait enim Christus : *Ego et Pater unum sumus* (*Joan.* X). D Sed absit Christum mentitum fuisse ! Ergo vel Pater non erat Deus, vel Christus erat Deus. Sed Deum vocat Patrem suum, ergo ipse erat Filius Dei. Erubescant ergo hæretici hoc diffiteri [60] quod dæmones etiam coacti sunt confiteri dicentes : *Jesu Fili Dei vivi, utquid venisti ante tempus torquere nos?* (*Matth.* VIII.) Et Joannes evangelista clamat eum esse Deum dicens : *Et Deus erat Verbum* (*Joan.* I). Et Paulus in Epistola ad Hebræos, ait de Christo : *Qui cum sit splendor gloriæ, et figura substantiæ*

VARIÆ LECTIONES.

[52] *Impressum habet* cedere pœnis. [53] *Impressum habet*, Aristotelem. [54] *Impress.* speculum. [55] *Impressum vitiose habet*, in corpore. [56] *In impresso habetur*, per se conjungi. [57] *In impresso omittitur* corpus, *sed male.* [58] *Impressum habet*, Philippum. [59] *Impress.* deflectibiles. [60] *In impresso male*, diffinire.

ejus (*Hebr.* I). Item Joannes in Epistola canonica : *Tres sunt qui testimonium* **225** *dant in cœlo, Pater, Verbum, et Spiritus Sanctus, et hi tres unum sunt. Et tres sunt qui testimonium dant in terra, spiritus, aqua, et sanguis* (*Joan.* v). Hic insinuat Joannes Christum verum fuisse hominem, et verum Deum et verum Dei Filium. Item per opera miraculosa quæ ipse fecit, quæ nemo alius facere potuit, probari potest, ipsum necessario fuisse Deum. Unde et ipse ad Judæos ait : *Si verbis non creditis, operibus credite* (*Joan.* x). Item ipse ait : *Satanam* se vidisse *de cœlo cadentem tanquam fulgur* (*Luc.* x). Sed hoc factum est in mundi initio. Ergo Christus fuit in initio mundi : sed tunc non fuit homo, vel alia creatura, ergo Creator. Item ipse ait : *Antequam Abraham fieret, ego sum* (*Joan.* VIII). Item Joannes ait per ipsum esse factam omnem creaturam, ergo non est pura creatura, per quem facta est omnis creatura.

CAPUT XXXIII.

Opinio quorumdam hæreticorum, qui dicunt quod Christus assumpsit corpus cœleste, et quod beata Maria in cœlo fuit creata, et quod nec patrem nec matrem habuit.

Alii vero hæretici dogmatizant Christum corpus cœleste assumpsisse, et beatam Virginem in cœlo creatam fuisse, et de cœlesti natura ; et ita Christum de beata Virgine carnem cœlestem assumpsisse : quod variis modis probare conantur. Ait Apostolus : *Qui de terra, terrenus est, qui de cœlo cœlestis* (*I Cor.* xv). Hic videtur insinuare Apostolus quod sicut corpus Adæ de terra plasmatum, ita corpus Christi de cœlo formatum sit. Unde dicunt illum cœlestem hanc substantiam in monte Thabor discipulis ostendisse, quando transfiguratus est (*Matth.* XVII). Hoc etiam affirmant, quod in nulla canonica Scriptura invenitur, beatam Virginem patrem vel matrem habuisse.

Et quia Christus tam subtilem naturam assumpsit, de clauso utero exire potuit, et etiam super mare siccis pedibus ambulare potuit. Propter hoc, dicunt Christum non comedisse : non enim cœlestis natura alimonia indigebat : potius enim natura spiritualis erat quam animalis.

CAPUT XXXIV.

Solutio præmissorum, quod Christus vere carnem humanam assumpserit, et quod B. Maria patrem et matrem habuerit.

Prædictis respondentes, dicimus quod Christus vere fuit cœlestis, quia cœlestem vitam ducens ; cœlestis, quia cœlitus natus : cœlestis, quia Deus. Nec ideo [61] fuisse dicitur de cœlo, quia de cœlesti substantia corpus acceperit ; sed quia de cœlo descendit, id est de immensitate Patris, et cœlesti ejus natura egrediens, in mundum venit.

Adam vero de terra vere plasmatus, et vere terrenus, quia terrenis intentus [62]. Quod autem immensitas Patris vel ipsius natura dicatur cœlum frequenter in sacra Scriptura reperitur. Ut ibi : *Qui de terra est, de terra loquitur; qui de cœlo venit, super omnes est* (*Joan.* III). Et Joannes : *Tres sunt qui testimonium dant in cœlo* (*Joan.* v), id est cœlesti naturæ Christi, id est divinæ. Et alibi : *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo* (*Joan.* III). Et, ut supra dictum est, ostendit illam humanæ carnis glorificationem [63], quam sancti cum Christo sunt habituri. Si cœlestem naturam assumpsit, quomodo in illa passus ? quomodo crucifixus ? Præterea, si in monte Thabor cœlestem naturam ostendit quam in se habebat, quomodo antea velaverat, vel velaturus erat ? **226** carne nostra, vel non ? Si carne nostra, ergo duplicem naturam habuit, cœlestem et humanam. Si non carne nostra, qua alia substantia ? Si nulla alia, quare non apparebat cœlestis natura ?

Quod autem B. Virgo patrem et matrem habuit, et ita nostræ naturæ fuerit, ex sacra Scriptura manifestum est. Ait enim angelus ad Mariam : *Ecce Elizabeth cognata tua, et ipsa concepit filium in senectute sua* (*Luc.* I). Ergo si beata Maria cognatam habuit, vel ex parte patris, vel ex parte matris cognata [64] ejus fuit. Item in Joanne legitur : *Erat autem juxta crucem mater Jesu, et Maria soror matris ejus, et Maria Cleophæ* (*Joan.* XIX). Eadem ratione qua sororem habuit, verum est patrem et matrem habuisse. Alibi etiam in Evangelio fit mentio de sororibus Mariæ matris Jesu (*Matth.* xv). Præterea, Jacobus filius Alphæi, dicitur frater Domini, id est, cognatus, quia mater ejus et Mater Jesu erant sorores. In Epistola etiam Pauli ad Romanos, habetur : *Qui factus est ei ex semine David secundum carnem* (*Rom.* I). Si Christus descendit e semine secundum carnem, et non descendit nisi mediante beata Virgine ; ergo gloriosa Virgo fuit de semine David ; et fuit nostræ naturæ, non cœlestis.

Si dicant David habuisse duos filios, unum bonum, et alium malum, et de bono per Mariam Christum descendisse, non minus erit evidens Mariam de Davide descendisse, et ita aut beata Maria nostræ naturæ fuit, aut David, sicut ipsa, cœlestem naturam habuit, et similiter illi qui de David descenderunt.

Quod autem de David qui fuit homicida et adulter, Christus secundum carnem descendit, manifeste ostendit Paulus in Epistola ad Romanos, dicens : *Solus Deus verax, omnis homo mendax, sicut scriptum est : Tibi soli peccavi, et malum coram te feci*, etc. (*Rom.* III.)

In his verbis ostendit Apostolus Deum veracem esse in promissis, quia quamvis David peccaverit in homicidio et adulterio, tamen voluit Deus implere quod ipsi promisit, quod de semine ejus nasceretur Christus, quod et factum est, quia peccatum

VARIÆ LECTIONES.

[61] *In impresso habetur* omnino ; *nostra tamen lectio convenientior.* [62] *In impresso,* terrenus interitus. [63] *In impresso male,* illam habere carnis glorificationem. [64] *Impressum* cognatio.

David dimisit, et de semine ejus descendit Christus.

Quod autem de clauso utero Christus exivit, non fuit ex subtilitate naturæ, sed potius factum est miraculose, sicut et supra dictum est. Similiter, quod siccis pedibus supra mare ambulavit. Quia qui omnia fecit ex nihilo, exire potuit clauso utero et super mare ambulare sicco pede.

Quod autem Christus comederit, superius satis diligenter probatum est.

Præterea, cum Christus legatur multos suscitasse, probabile est quod ejus fuit creare, cujus fuit suscitare. Hæc omnia inconvenientia sequuntur illos, qui dicunt esse duo rerum principia. Præterea, si quis hoc confitetur, tenetur concedere quod ipse sit servus diaboli, et quod teneatur obedire diabolo, et facere voluntatem ejus, et non voluntatem Dei.

CAPUT XXXV.

Quibus auctoritatibus et rationibus conentur probare hæretici quod lex Mosaica data sit a diabolo.

Nunc ad secundum hæreseos articulum transeamus. Præfati religionis Christianæ hostes asserunt a principe tenebrarum, id est a deo maligno legem Mosaicam esse datam; a principe vero lucis, id est a Deo benigno, legem evangelicam, ut sicut duo principia rerum, ita ab eis duo sint tradita Testamenta. Quod autem dator Veteris Testamenti malignus fuit, multipliciter volunt asserere, ut hoc modo : Malignus fuit qui colligentem ligna in Sabbato, sine omni misericordia lapidari præcepit (*Num.* xv). Item, quomodo bonus esse potuit, qui in multis homicidium exercuit [65]? Item, quæ justitia fuit, quod David homicidæ, **227** perjuro, adultero, superbo pepercit (*II Reg.* xii), et Saul quia regem Amalechitarum ad vitam servaverat, reprobavit (*I Reg.* xv)? Item, lex Mosaica, lex mortis, lex peccati dicitur; ergo mala fuit [66]. Item Apostolus ait : *Lex subintravit ut abundaret delictum* (*Rom.* v). Et alibi ait quod *lex neminem ducit ad perfectionem* (*Hebr.* vii) [67]. Item, si lex Mosaica bona, quare deleta? Item, si aliquis legem Mosaicam observaret, mortaliter peccaret, ergo lex Mosaica modo mala est. Ergo et malo fuit, vel ea quæ fuit bona, incepit esse mala.

CAPUT XXXVI.

Prædictarum auctoritatum et rationum infirmatio; et quod lex Mosaica a Deo benigno data sit.

Ad hæc dicimus quod quamvis Deus omnipotens veteris legis fuerit institutor, non ideo injustus fuit, quod colligentem ligna in Sabbato lapidari præceperit : sed hoc ideo jussit, ut refrenaret superbiam filiorum Israel, qui dicebant; Non deest qui impleat, sed deest qui jubeat : et ut cognoscentes infirmitatem suam in honore legis, non de
A se præsumerent, ad gratiam Dei consurgerent. Dicimus etiam quod Dei justitia multos occidit, qui ita erant duræ cervicis, quod nullo modo corrigi poterant. Rationaliter ergo puniti sunt, ut pœna quorumdam esset metus aliorum. Et etiam ad nostram instructionem, ut sciamus [68] nos gravius esse puniendos, qui gratiam Christi accepimus, si erraverimus, quam illos. Attestante namque Apostolo : *Omnia quæ* in Veteri Testamento scripta sunt, *ad nostram doctrinam scripta sunt* (*Rom.* xv). Multi etiam illorum qui puniti sunt temporaliter, ad hoc temporali pœna puniti sunt, ut æternaliter non punirentur.

In hoc misericorditer etiam Deus egit cum eis, quod citius de medio rapti sunt, quia, si diutius
B viverent, magis peccarent, et sic gravius punirentur. Dicimus etiam, insanum esse de Dei judiciis disputare.

Præterea, David de peccatis suis pœnituit, et ideo Deus ei pepercit : in hoc ergo misericors fuit. Saul vero, quanto magis peccabat, tanto magis contra Deum superbiebat, et de die in diem in majus peccatum descendebat.

Lex Mosaica non dicitur lex peccati, vel mortis, quod esset efficiens causa peccati, vel efficiens causa mortis temporalis vel æternæ, sed quia fuit occasio peccati, vel mortis, quia

Nitimur in vetitum semper, cupimusque negata [69].
(Ovid. *Amor.*, III, iv, 17.)

C Concupiscentia enim aliquantulum sopita erat, per legis traditionem magis excitata fuit, et contra [70] legis traditionem incanduit, et ita lex peccati occasio fuit, non tamen ideo vituperanda est, sed potius hominis concupiscentia. Lex enim data est a bono, et non a malo. Sicut medicina, quæ datur isti ægroto ad bonum, et non ad malum, si ægrotus inobediens fuerit, erit in perniciem, non in salutem : non tamen ideo medicina vituperanda est, sed hominis inobedientia.

Similiter dicebatur lex mortis, quia præcipiebat transgressorem temporaliter puniri, et juste; vel si non puniebatur pro transgressione legis, puniebatur æternaliter. Eadem ratione dicit Apostolus : *Lex subintravit, ut abundaret delictum* (*Rom.*
D v). Ipsa enim lex manifestavit peccatum, quia ante legis traditionem, quædam peccata putabantur non esse peccata, vel non putabantur tanta esse **228** quanta erant. Ideo dicitur quod lex neminem duxerit ad perfectum, quia bonum opus quod erat in homine ex legis observatione, in morte hominis non perficiebatur, quia præmium non consequebatur; meritum enim perfici [71], nihil aliud est quam præmium consequi. Tempore enim veteris legis qui decedebat, propter legis observationem

VARIÆ LECTIONES.

[65] *Impressum :* perpetravit. [66] *Impress.* a malo fuit. [67] *Ms., et bene,* ad perfectum. [68] *In impresso,* sentiamus. [69] *In impresso vitiose,* eaque negant. [70] *In impresso male prætermissum est verbum,* contra. [71] *In impresso, hic omnia confusa, et sine sensu.*

non consequebatur æternam remunerationem, quia clausa erat janua paradisi, et ante eam rhomphæa posita. Dicimus etiam quod lex non est deleta quia mala, sed minus bona; minus enim bona, magis bonis cedere debent. Præterea, lex vetus erat promissionis, lex evangelica solutionis. Soluto ergo promisso, debet cessare promissio; et veniente veritate, debet umbra cessare. Dicimus etiam quod lex ad tempus data est, non ad permanendum; ergo, quia venit veritas, cessat umbra. Non ideo tamen aliquis peccaret, qui legem observaret, quia lex mala esset, sed quia lex vetus modo locum non habet.

Quod autem lex Mosaica bona fuit, et a Deo data, cum auctoritatibus clamant rationes. Ait namque Apostolus: *Lex quidem bona, justa, et sancta* (*Rom.* VII). Idem in principio Epistolæ ad Romanos: *Paulus servus Jesu Christi, vocatus apostolus, segregatus in Evangelium Dei, quod ante promiserat per prophetas suos in Scripturis sanctis de Filio suo, qui factus est ei ex semine David secundum carnem* (*Rom.* I). Ecce Scripturas Veteris Testamenti vocat sanctas; et sic Scripturæ Veteris Testamenti bonæ sunt, et a bono Deo editæ. Item, idem ait in Epistola ad Hebræos: *Multifarie multisque modis olim Deus loquens patribus in prophetis, novissime diebus istis locutus est nobis in Filio, quem constituit hæredem universorum, per quem fecit et sæcula* (*Hebr.* I). Hic insinuat Apostolus Deum Patrem locutum fuisse in prophetis a simili in Moyse: et sic innuit Scripturas Veteris Testamenti a Deo Patre esse editas. Item in Matthæo legitur: *Non veni legem solvere, sed adimplere. Amen dico vobis, donec transeat cœlum et terra, iota unum, aut unus apex non præteribit a lege, donec omnia fiant* (*Matth.* V). Et alibi: *Omnia quæ vultis ut faciant vobis homines, et vos facite illis, hæc est enim lex et prophetæ* (*Marc.* VII). Et alibi: *Ecce unus accedens ait illi: Magister bone, quid faciam ut habeam vitam æternam? Et ait illi: Quid me interrogas de bono? Unus est enim bonus, Deus. Si autem vis ad vitam ingredi, serva mandata. Dicit illi: Quæ? Jesus autem dixit: Non homicidium facies: Non adulterabis: Non furtum facies: Non falsum testimonium dices: Honora patrem et matrem tuum: Dilige proximum tuum sicut teipsum* (*Matth.* XIX). Item in Actibus apostolorum, introducitur Paulus loquens in hunc modum: *Viri Israelitæ, et qui timetis Deum, audite: Deus plebis Israel, elegit patres nostros, et plebem exaltavit ut essent incolæ Ægypti, et in brachio excelso eduxit eos ex ea* (*Act.* XIII).

Item Stephanus in Actibus apostolorum: *Facta est ad Moysen vox Domini dicens: Ego sum Deus patrum tuorum, Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob* (*Act.* VII). Item Petrus ait: *Hoc primum intelligentes* A *quod omnis Scripturæ prophetia propria interpretatione non fit* [72]: *non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines* (*II Petr.* I). Item Petrus: *Habemus firmiorem propheticum sermonem, cui bene facitis attendentes quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco* (*ibid.*). Item: *Omnis Scriptura divinitus inspirata, utilis est ad docendum, ad corripiendum, ad erudiendum, ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus* (*II Tim.* III). Et Petrus de Joele inducit testimonium dicens: *Erit in novissimis diebus, effundam de spiritu meo super omnem carnem, prophetabunt filii vestri et filiæ vestræ* (*Act.* II). Et Dominus in Evangelio ait: *Non in solo pane vivit homo, sed in* B *omni verbo quod procedit de ore Dei* (*Matth.* IV). Item: *Si crederetis Moysi, crederetis forsitan et mihi, de me enim scripsit: quod si litteris illius non creditis, quomodo verbis meis* **229** *credetis?* (*Joan.* V.) Item: *Habent Moysen et prophetas, audiant illos. Si Moysen et prophetas non audierint, neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent* (*Luc.* XVI). Sed Christus resurrexit a mortuis; ergo qui non audit Moysen et prophetas, non credit Christo, si verum sit illud evangelicum, quod impossibile est, non est verum. Item: *Incipiens a Moyse et omnibus prophetis* (*Luc.* XXIV). Item: *O stulti et tardi corde ad credendum in omnibus quæ locuti sunt prophetæ* (*ibid.*). Item: *Oportet impleri omnia quæ* C *scripta sunt de me in lege, et prophetis, et psalmis* (*ibid.*). Item in Evangelio: *Quem scripsit Moyses et prophetæ, invenimus Jesum a Nazareth* (*Joan.* I). Item Lucas: *Postquam impleti sunt dies purgationis Mariæ secundum legem Moysi, tulerunt puerum Jesum in Jerusalem, ut sisterent eum Domino, sicut scriptum est in lege Domini* (*Luc.* II).

Ecce habes legem Moysi legem Domini: ergo qui contradicit legi Moysi, contradicit Domino. Item Paulus: *Maledictus omnis qui non permanserit in omnibus quæ scripta sunt in libro legis, ut faciat ea* (*Gal.* III). Item Paulus: *Spiritum nolite exstinguere, prophetiam nolite spernere* (*I Thessal.* V). Et Petrus in Actibus apostolorum: *Huic omnes prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum* D *accipere per nomen ejus, omnes qui credunt in eum* (*Act.* X). Item Petrus: *Deus autem qui prænuntiavit per os omnium prophetarum pati Christum suum, implevit sic* (*Act.* III). Item Jacobus: *Qui autem totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus* (*Jac.* II). Item Paulus in Epistola ad Hebræos, inducit auctoritatem de Gedeone, Barac, Samsone, Jephte, David, Samuele, et aliis prophetis (*Hebr.* XI) [73]. Item Paulus: *Sic deservio Deo Patri meo, credens omnibus quæ in lege et prophetis scripta sunt* (*Act.* XXIV). Et quatuor evangelistæ interponunt prophetas, Isaiam, Jeremiam

VARIÆ LECTIONES.

[72] *In impresso hæc aliter habentur, verum lectio nostra textui conformis est.* [73] *Impressum, pro* Gedeone, *habet*, Hedora, *forte dicere volens*, Debora.

et cæteros prophetas. Et Dominus in Evangelio David inducit et alios prophetas in testimonium.

Præterea, quomodo negabitur lex esse bona, cum præcepta quæ in ipsa continentur, sint bona et sancta, ut præcepta Decalogi : Honora patrem tuum et matrem tuam : Non occides : Non mœchaberis : Non furtum facies, et similia ? Item, si diabolus præcepta dedisset, non dedisset præcepta ad vitandum malum, sed potius ad faciendum malum quam bonum. Præterea, lex Mosaica prohibet malum, et præcipit bonum : ergo bona est. Item, ex trangressione legis peccabat quis mortaliter : ergo ex observatione ejus merebatur. Item, Christus etiam suscepit sacramenta legis : ergo ipsa erant bona : et sic, lex bona erat.

CAPUT XXXVII.

Quibus auctoritatibus et rationibus probant hæretici Patres Veteris Testamenti malos fuisse, et esse damnatos.

Dicunt similiter Patres Veteris Testamenti fuisse malos, quod multipliciter probare conantur. Dicunt enim Moysen propter peccatum a terra promissionis alienatum, quia scilicet de potentia Dei dubitavit, quia homicida fuit, quia Æthiopissam duxit (*Exod.* II), quia exercitum in humani generis necem duxit. Aaron etiam afferunt damnatum, quia vitulum conflatilem fecit (*Exod.* XXXII), quia ad aquas contradictionis cum Moyse dubitavit (*Num.* XX) [74], et ideo terram promissionis non intravit. Abraham damnant, quia proprium filium suum immolare voluit (*Gen.* XXII), in quo legi naturæ obviavit, hoc enim benignus Deus non imperavit, sed malignus. Similiter Isaac damnant, quia uxorem suam mentitus est sororem suam esse (*Gen.* XXVI) ; sicut et Abraham pater ejus fecerat (*Gen.* XXI). Jacob etiam damnant, quia primogenita fratri subripuit, patrem per mendacium **230** decepit, dicens : *Ego sum primogenitus tuus Esau* (*Gen.* XXVII). Noe quoque reprobatur, quia inebriatus est, et femora sua turpiter denudavit (*Gen.* IX). Similiter Enos filium Seth damnant, quia primus idola invenit (*Gen.* IV). Nec ab hac damnatione Enoch excipiunt : dicunt enim eum propter enormitatem culpæ de medio raptum esse, et damnatum (*Gen.* V). Josue quoque damnant, quia sine ordine judiciario innumerabiles morti addixit (*Josue* II, VII, etc.). Similiter et Samson, quia alienigenam duxit, fornicator fuit, et seipsum occidit (*Judic.* XIV). Jephte quoque condemnant, quia propriam filiam immolavit (*Judic.* XI). Similiter et Gedeon, qui contra Dei præceptum, proprium sibi tabernaculum fecit, et se sacerdotem instituit (*Judic.* VI). Ob eamdem causam reprobant Lot, quia inebriatus proprias filias cognovit (*Gen.* XIX). Similiter et David, quia fuit adulter et homicida (*II Reg.* XI). Job etiam, quia se injuste punitum asseruit (*Job* III). Et quid opus narrare per singula ? Omnes Patres Veteris Testamenti æternæ subjiciunt damnationi [75], quia propter enormitatem peccati ad inferos descendisse credunt, qui præter alia peccata, legem a diabolo traditam observabant [76]. Idem suis rationibus probant, dicentes : Ad quid Patres Veteris Testamenti descendebant ad infernum, nisi propter enorme peccatum ? *In inferno* autem *nulla est redemptio* (*Offic. Eccles.*). Ipsi ergo redempti non sunt, ergo damnati. Scriptum est etiam in lege : *Maledictus qui non impleverit universa quæ scripta sunt in libro hoc* (*Deut.* XXVII). Petrus etiam ait : *Hoc est onus quod neque nos, neque patres nostri portare potuerunt* (*Act.* XV) [77]. Et Paulus ait Patres Veteris Testamenti subjectos fuisse maledicto legis (*Gal.* III) ; et ita maledicti fuerunt, quia transgressores, et ita damnati.

CAPUT XXXVIII.

Objectorum infirmatio : et quod Patres Veteris Testamenti non sunt damnati.

Prædicta hoc modo infirmamus, dicentes, quod sicut lex Mosaica a Deo data fuit, et bona, ita illi qui eam ex charitate impleverunt, vitam æternam meruerunt : nam omne opus quod ex charitate fit, vitæ æternæ meritorium est. Unde Augustinus [78] : « Habe charitatem, et fac quidquid vis. » De Moyse dicimus quod ideo punitus est temporaliter, ut non æternaliter puniretur. Et si de potentia Dei dubitavit, videns tamen Deum ipsum pro peccato punivisse, de eodem peccato pœnituit. Quod hominem interfecerit, hoc divina inspiratione factum fuit, quia ille qui interfectus est mortem meruit. Quod vero Æthiopissam duxerit, divina voluntate factum est, vel de hoc pœnituit. Quod autem exercitum duxit in necem humani generis, non sua factum est auctoritate, sed divina. Patet autem quod ipse Moyses Deo placuerit. Legitur namque in Evangelio quod, Christo transfigurato, *apparuerunt Moyses et Elias loquentes cum eo* (*Matth.* XVII ; *Marc.* IX ; *Luc.* IX). Si Moyses reprobatus fuisset, cum Christo loquens post mortem non appareret. Præterea, si reprobatus fuisset Moyses, Christus non dixisset in Evangelio : *Si crederetis Moysi, forsitan et mihi crederetis* (*Joan.* V).

Paulus etiam in Epistola ad Hebræos multipliciter eum commendat, dicens quod magis elegerit affligi cum populo Dei, quam in aula regis jucunditatem habere (*Hebr.* XI) [79]. Legitur etiam in Epistola Judæ quod Michael altercatus est **231** cum diabolo de corpore Moysi, sed ipse auctoritate divina diabolum repulit (*Jud.* IX). Si Moyses reprobatus esset, Michael nunquam de ipsius corpore altercatus fuisset. Hæc autem altercatio sic est intelligenda : Diabolus

VARIÆ LECTIONES.

[74] *In impresso omnia hic confusa hoc modo :* ad aquas contradixit, mox dubitavit. [75] *Impressum habet,* addicunt. [76] *In impresso sic :* qui decepti aliis peccatis, legem a Deo traditam observabant. [77] *Ms.* potuimus. [78] *Impressum habet,* Apostolus. [79] *In impresso sic :* quam regis dignitate florere.

volebat corpus Moysis sepeliri in terra promissionis, ut illud Israelitæ adorarent, et sic idololatræ fierent, sicut serpentem æneum adoraverunt, et ideo perierunt : Michael vero qui præerat Israelitis, volebat corpus Moysis sepeliri in monte extra terram promissionis, ut sic Moyses temporaliter puniretur in corpore pro peccato, et ne Judæis daretur errandi occasio. De Aaron quoque dicimus, quod non habuit animum faciendi vitulum conflatilem, sed credens quod Israelitæ ob suam avaritiam inaures et alia ornamenta sibi negarent, ab eis exegit [80] et tradita, cum indignatione in ignem projecit (*Exod.* XXXII), et sicut cum Moyse dubitavit, cum eodem pœnituit, et pro peccato temporaliter cum eo punitus fuit.

De Abraham vero dicimus quod ad præceptum Dei filium immolare voluit, sed idem Deus revocavit, cui revocationi Abraham consensit. Nec hoc præcepit Deus ut Abraham filium immolaret, sed ut ejus voluntatem probaret. Neque in hoc malignus fuit Deus, sed benignus. Unde et in textu legitur : *Tentavit Deus Abraham*, etc. (*Gen.* XXII.) Apostolus quoque commendans eum dicit : *Credidit Abraham Deo et reputatum est ei ad justitiam* (*Rom.* IV). Et alibi etiam ait Deum ei promisisse, quod in semine ejus benedicerentur omnes gentes (*Gen.* XXII). Et de eodem Christus ait : *Abraham vidit diem meum et gavisus est* (*Joan.* VIII). Si Abraham per inspirationem Christi adventum prævidit, potius justus quam malus fuit. Legitur etiam in Evangelio quod anima Lazari delata est in sinum Abrahæ (*Luc.* XVI), sed per sinum Abrahæ intelligitur requies. Isaac vero non intentione fallendi, sed incolarum timens malignitatem, uxorem suam dixit esse sororem, ne propter eam mortem incurreret. Et hoc forsitan inspiratione divina factum est. De Isaac autem ait Christus quod : *Multi ab Oriente et Occidente venient, et recumbent cum Abraham, Isaac, et Jacob in regno cœlorum* (*Matth.* VIII). Item de Isaac ait Apostolus quod Dominus ait Abrahæ (*Exod.* XXI) : *In Isaac vocabitur tibi semen* (*Rom.* IX).

Si Jacob, patre nolente, sed fratre volente, primogenita ejus emit, in quo peccavit? nec patrem sine causa decepit, quia cum ipse Jacob justus esset, Esau vero reprobus, potius ei debebatur extrema benedictio quam Esau. Si Noe vini virtutem ignorans, inebriatus est, quæ culpa in eo? De Enos [81] vero dicimus, quod imagines non invenit, sed quasdam spirituales orationes ad invocandum Deum. Enoch vero non dicitur fuisse raptus de medio, id est mortuus, sed potius in paradisum terrestrem aut alium locum nobis occultum, a Deo ductus est. De Josue vero idem judicium dandum est, quod de Moyse datum est, scilicet quod usus fuerit divina inspiratione, et illi quos occidit, morte digni erant, A et ad justum judicem pertinebat, ut per ministros eos occideret, quos morte temporali dignos esse noscebat. De Samsone dicimus, quod divina inspiratione se interfecit, et peccatum quod antea forte fecerat, per mortem expiavit. Jephte quoque quoniam eum Apostolus commendat, similiter per pœnitentiam se a peccato liberavit.

Gedeon quadam naturali pietate excusari potest, et si peccavit, punitus est in filiis, et se peccasse recognovit. Lot peccasse dicimus per ebrietatem et incestum, sed ei per pœnitentiam remissum est peccatum : quod si reprobus fuisset, non ei angeli apparuissent, nec a Sodomis liberassent, nec propter hospitalitatem Deo placuisse legeretur.

De David, superius data est solutio. Job Deum B non redarguit, quamvis prima verborum facies hoc insinuare videatur. Sed hæc ad Christum referenda sunt, ut Gregorius testatur. Hos omnes de quibus facta est mentio, **232** Evangelia et cæteri Novi Testamenti libri justos fuisse asserunt, sicut superius variis auctoritatibus probatum est. Nec Patres Veteris Testamenti ideo descenderunt ad infernum, quod æternæ damnationi propter peccata deputati essent, imo vitam meruerunt æternam, sed propter peccatum primi parentis, imo propter quædam accidentia peccati originalis, et ejusdem effectum [82], juxta dictum divinæ sapientiæ [83], paradisi janua erat eis clausa. Ad horam quoque in infernum descendebant [84], ubi non puniebantur materiali pœ- C na, sed carentia visionis Dei, felici spe consolati; nec ad profundum inferni descendebant, de quo dicitur : *In inferno quis confitebitur tibi?* (*Psal.* VI.) Et alibi : *In inferno nulla est redemptio* (*Offic. Eccles.*). Unde et Apostolus ait quod *Christus mortuus est propter peccata nostra, et resurrexit propter justificationem nostram* (*Rom.* IV). Mortuus enim est ut eos qui detinebantur in tenebris pro effectu peccati originalis, liberaret; et resurrexit ut nobis justitiam conferret. Superius etiam probatum est Christum ad hoc ad infernum descendisse, ut sanctos Veteris Testamenti ab inferni tenebris liberaret. Quod autem in lege dictum est : *Maledictus qui non implevit omnia quæ sunt in libro hoc* (*Deut.* XXVII), sic est intelligendum : maledictus, id est speciali opprobrio D subjectus. Improperabatur autem apud Judæos alicui, si de præceptis legis aliquod transgrederetur. Vel sic : *Maledictus qui non implevit omnia*, ad quæ scilicet implenda tenetur. Quod autem dixit Petrus, verum est, quia nullus omnia implevit, nec tamen transgressor aliquis fuit, si ea ad quæ tenebatur implevit. In hoc omnes, secundum Apostolum, maledicto legis fuerunt subjecti (*Gal.* III), quia nullus omnia implevit, et ita, quilibet spirituali legis opprobrio subjectus fuit.

VARIÆ LECTIONES.

[80] *Præcedentia omnia, in impresso, totaliter sunt confusa, et sine sensu.* [81] *Impressum*, Enoch. [82] *In impresso habetur*, propter quædam originalia, effectum. [83] *In impresso, pro* sapientiæ, *habetur* sententiæ. [84] *In impresso sic*, et ad ora inferni descendebant.

CAPUT XXXIX.

Opinio quorumdam, qui dicunt baptismum parvulis non prodesse, et quod parvuli non habent peccatum.

Prædicti hæretici sacramentis ecclesiasticis obviant: dicunt enim baptismum non valere homini ante annos discretionis. Sed super hunc hæreseos articulum, diversi hæreticorum diversa sentiunt. Dicunt enim quidam parvulos non habere peccatum, et ideo parvulis baptismum non esse necessarium. Alii dicunt parvulos habere peccatum, sed remissionem peccati, vel virtutem baptismi non habere locum sine fide. Primi, suam sententiam his rationibus astruere conantur. Primo, ponatur quod parentes sine peccato sint, dum carnaliter coeunt; nec peccat qui generat, nec peccat qui creat, nec peccat qui generatur; per quas ergo rimulas ingreditur peccatum in parvulos? Item, penes velle et nolle consistit omne meritum; sed in parvulis non est velle vel nolle, ergo in parvulis non est meritum boni vel mali. Item, ubi est necessitas, ibi deest libertas: sed ubi non est libertas, ibi non est peccatum. Sed parvuli necessitate concipiuntur in concupiscentia; ergo non tenentur peccato ex eo quod concupiscentialiter generantur [85]. Item, anima ex creatione vel ex seipsa non est immunda, ergo non est immunda [86], vel aliunde est immunda, ex eo scilicet quod infunditur corpori, contrahit maculam, et ita videtur injuste puniri pro macula quam non contrahit ex se, sed aliunde. Item, anima contrahit originale peccatum a se, vel a corpore; sed in corpore non est peccatum; ergo non videtur contrahi peccatum a corpore. Si vero contrahit peccatum **233** ab anima, videtur anima esse ex anima, et ita ex traduce.

CAPUT XL.

Responsio ad præmissas objectiones, et quod parvuli habeant originale peccatum.

Contra primam objectionem dicimus quod alto Dei decreto statutum est ut, post primam primi hominis prævaricationem, omnes qui descenderent ab ipso Adam lege concupiscentiæ, tenerentur obnoxii peccato originali. Deus a prima mundi creatione naturam creavit [87], secundum quam, similia ex similibus produxit. Cum ergo Deus, mediante natura, res procreaturus esset, propter peccatum Adæ noluit mutare legem naturæ. Hæc enim fuit lex naturæ ab origine, ut ex similibus similia procrearentur, ut de homine homo, de rationali rationalis. Oportuit ergo ut post peccatum Adæ, quia Adam infirmitati fuit subjectus, omnes qui ab eo descenderent, infirmi essent, et sicut ipse reus erat, omnes qui ab eo descenderent lege concupiscentiæ, rei tenerentur. Quia ergo quilibet A homo concipitur in fetore libidinis, quod peccatum est, reus nascitur.

Ad secundam objectionem, dicimus quod omne peccatum actuale penes velle et nolle est, sed non peccatum contractum, id est originis. Dicit tamen Augustinus quod originale voluntarium est, non voluntate originis, seu quod originalem voluntatem comitem habeat, sed ab origine voluntatis, quia hoc peccatum originaliter contractum a voluntate est primi parentis: prava enim voluntas primi hominis fuit occasio peccati originalis [88]. Dicimus etiam quod ubi non est libertas, ibi non est actuale peccatum, potest tamen ibi esse contractum per originem, sive originale. Imo necessarium est parvulum, quia concipitur vitiosa lege nascendi, obnoxium esse originali peccato. Dici tamen etiam B posset quod originale peccatum penes arbitrii libertatem consistat, quantum ad libertatem arbitrii Adæ, ex quo occasionaliter processit.

Anima quoque ex se non est immunda, sed quia pars est illius personæ quæ concipitur in fetore libidinis, sicut ipsa persona est rea, sic anima quæ est personæ pars [89]. Non est igitur Deo imputandum quod rea est, vel quod punitur, sed vitiosæ legi concupiscendi. Itaque, homo non contrahit originale vel ex corpore, vel ex anima, sed, ut jam dictum est, ex lege vitiosa concupiscendi. Et licet anima contraheret maculam a corpore, non tamen adhuc sequeretur quod illa esset in corpore; C sicut aliquis contrahit febrem ex anguilla quam comedit, non tamen febris est in anguilla, sed ipsa præbet occasionem febricitandi. Similiter, corpus corruptum est occasio cur in anima sit macula.

Quod autem peccatum sit in parvulo, patet per David qui ait: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea* (*Psal.* L). Dicit etiam Paulus quod *per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransit* (*Rom.* v). Et, quod per unius prævaricationem, omnes facti sunt rei (*ibid.*). Et in Evangelio Joannis, ostenditur, quod parvulus in peccato nascitur, ubi dicitur: *Rabbi, quis peccavit, hic an parentes ejus, ut cæcus* D *nasceretur* (*Joan.* IX)? Hic innuitur quod ex peccato concepti poterat provenire ut cæcus nasceretur.

234 CAPUT XLI.

Opinio hæreticorum qui dicunt quod nulli prodest baptismus ante annos discretionis.

Alii hæreticorum dicunt, quod parvuli peccatum habent, sed eis non prodest baptismus ante discretionis annos, quia fidem non habent.

Quod probare volunt auctoritate quæ ait: *Qui*

VARIÆ LECTIONES.

[85] *In impresso habetur* in concupiscentia, *pro* concupiscentialiter. [86] *In impresso hoc ultimum prætermissum est.* [87] *In impresso,* matrimonium creavit. [88] *In ms. pro* occasio, *habetur* origo. [89] *In impresso, totus hic discursus sine ullo ponitur sensu.*

crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur (*Marc.* XVI). Quasi dicat auctoritas : Sine baptismo non valet fides, nec baptismus sine fide. Unde baptizandus rogari solet, utrum credat in Deum Patrem omnipotentem. Otiosum ergo esset parvulos baptizare, cum superflue ab eis exigeretur fides. Item, si gentilis vel fatuus baptizaretur, ei non prodesset baptismus, a simili non potest prodesse parvulo. Item, circa parvulos non habent locum cætera sacramenta, ut sacramentum extremæ unctionis, matrimonium, ordo, eucharistia, pœnitentia, confirmatio : a simili, nec circa recenter natos locum habet baptismus. Item, non legitur quod in institutione baptismi baptizati fuerint parvuli, sed adulti; nec etiam Christus in minori ætate baptizatus est, sed in adulta : unde videtur hanc formam baptizandi præbuisse, ut scilicet non baptizarentur nisi adulti. Item qui baptizantur, prius catechizantur et instruuntur; quomodo ergo baptizari possunt, qui nec instrui possunt?

CAPUT XLII.

Solutio præmissorum, et quod baptismus prodest ante annos discretionis.

Ad hæc dicimus quod prima auctoritas, scilicet *Qui crediderit*, etc. (*Marc.* XVI), non solum pertinet ad adultos, sed etiam ad parvulos, dicuntur autem parvuli fidem habere non a sacramento fidei, sed a fide sacramenti. In Evangelio vero non fit mentio nisi de adultis quibus prædicatur Evangelium, et ideo ad eos solos est referendum quod dicitur : *Qui crediderit et baptizatus fuerit.* Præcepta enim in jure civili non dantur parvulis et indiscretis, sed adultis et discretis. Quod in baptismo fides exigitur a parvulis, non ideo fit ut tunc habeant, sed ut habeant tempore congruo.

Unde patrinus respondet pro parvulo, *Credo*, id est fidem despondeo, quam habiturus est tempore determinato. Dicimus quoque quod si gentilis adultus est ita fatuus quod invincibili ignorantia nullum mortale addit originali [90], si baptizetur, originale remittitur.

Et licet alia sacramenta non soleant parvulis exhiberi, tamen quia baptismus institutus est contra vulnus originalis peccati, sine cujus remissione nec parvulis nec adultis est salus, ideo tam parvulis quam adultis est necessarius. In baptismi autem institutione, quia adhuc vigebat circumcisio, quæ originale peccatum delebat, non oportebat parvulos baptizari, cum jam circumcisi essent. Adulti autem baptizabantur, ut inde vim regenerativam aquis inesse intelligerent [91], et alios ad baptisma invitarent. Christus autem sicut alia sacramenta tradidit in annis discretionis, ita et baptizari voluit in annis discretionis, ut exemplum baptizandi illis traderet. Catechismus autem proponitur parvulis, non ut tunc instruantur, sed quomodo in annis discretionis instrui debeant, ostendatur.

235 Quod autem parvulis valeat baptismus, illa auctoritate Joannis probatur : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest intrare in regnum Dei* (*Joan.* III). Hic nullus excluditur, parvulus vel adultus : igitur baptismus omnibus est necessarius. Item, quidam inter innocentes ab Herode occisos, fuerunt unius vel duorum dierum (*Matth.* II) : eis autem est remissum peccatum originale, quia salvati sunt [92]. Sed non est remissum per circumcisionem, quia hæc non fiebat citra diem octavam. Qua ergo virtute dimissum est, nisi baptismo sanguinis, qui æquivalet baptismo fluminis [93]? Etenim triplex baptismus, fluminis, flaminis et sanguinis. De primo dicitur : *Euntes in mundum, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti* (*Matth.* XXVIII). De secundo dicitur : *Ille baptizabit vos in Spiritu sancto et igne* (*Matth.* III; *Marc.* I). De tertio dicitur : *Baptismo habeo baptizari*, etc. (*Luc.* XII). Item, circumcisio in Veteri Testamento fiebat octavo die ad delendum originale peccatum, eamdem vim obtinet baptismus in Novo Testamento : ergo eadem ratione valet baptismus parvulis, qua valebat circumcisio. Forte dicent hæretici, nullius efficaciæ vel sanctitatis fuisse circumcisionem. Sed quid dicent de Christo, qui octavo die fuit circumcisus, quam non suscepisset, nisi ut in se legem adimplendam ostenderet. Negabunt forsitan Abraham circumcidisse filium suum Isaac. Sed hoc attestatur apostolus Paulus, et eamdem antiquitus profuisse suscipientibus asserit. Item Dominus præcipiens omnes gentes baptizari, non exclusit parvulum vel adultum. Item Christus ait : *Sinite parvulos venire ad me; talium est enim regnum cœlorum* (*Marc.* X). Sed non possunt venire ad Christum, nisi per baptismum, quia sine hoc salvari non possunt. Sunt ergo baptizandi ut ad Deum veniant, et salventur. Per multa quoque similia potest ostendi quod puer salvari potest in fide alterius, per baptismum. Nam in Evangelio legitur quod puer centurionis, merito ejus a Domino sanatus est (*Matth.* VIII). Filia etiam archisynagogi defuncta, ad preces ejus suscitata est (*Marc.* V). Item, offerentium meritis sanatus est paralyticus (*Matth.* IX); et ad intercessionem mulieris Chananææ filia ejus a dæmonio liberata est (*Matth.* XV). Si ergo multi aliorum meritis sanati sunt in anima et corpore, quanto magis parvuli sal-

VARIÆ LECTIONES.

[90] *In impresso præcedentia omnia imperfecta sunt.* [91] *In impresso quædam hic prætermittuntur, quæ sensum relinquunt imperfectum.* [92] *In impresso perperam hic additur* circumcisione. *Sed et immediate sequentia nullum admittunt sensum perfectum.* [93] *In impresso habetur* flaminis.

vari possunt in fide aliorum per baptismum? Item, si puer ante baptismum damnandus erat pro peccato alieno, scilicet Adæ, cur post baptismum non erit salvandus in fide aliena, scilicet fide patrini vel Ecclesiæ? Alias injuste ageretur cum parvulis, cum non habeant liberum velle vel nolle, si baptismi sacramentum in fide aliorum eis prodesse non posset. Apostolus etiam conferens [64] delictum Adæ gratiæ Christi, ostendit non sic esse delictum sicut et donum (*Rom.* v), quia plus valet donum quam delictum. Quia, si unum delictum processit in omnes occasionaliter, gratia Christi delevit et originale et actuale. Et sicut originale peccatum transfusum est in posteros, sive parvulos, ita donum, id est gratia, collata est parvulis per baptismum. Aliter, non esset donum amplius quam delictum. Item si nullo modo potest remitti parvulis peccatum, cur est eis imputandum?

CAPUT XLIII.

Opinio hæreticorum qui dicunt quod baptismus nullam habet efficaciam, vel in parvulis, vel in adultis.

Sunt qui dicunt sacramentum baptismi quod celebratur in Ecclesia Dei, nullam habere efficaciam in parvulis vel adultis. **236** Asserunt enim penes hominis voluntatem, non penes rem extrinsecam esse omne meritum. Hoc autem multipliciter asserere nituntur. Et primo sic : Iste accedens ad baptismum, pœnitet vel non. Si non pœnitet, non prodest ei baptismus; si pœnitet, jam justificatus est, et omne peccatum est ei remissum : ergo non habet baptismus in eo efficaciam remittendi peccatum; et sic, non est necessarius baptismus aquæ quantum ad peccati dimissionem. Apostolus etiam ait : *Neque qui plantat, neque qui rigat est aliquid, sed qui incrementum dat Deus* (*I Cor.* III). Quasi dicat: Nec prædicatione, nec baptismo remittitur peccatum, sed sola divina gratia. Item, si sacramenta instituta sunt ad peccati remissionem, quare non ab initio generis humani sunt instituta, ut antiqui Dei gratia magis indigentes, per hæc peccatorum remissionem consequerentur? Item, quæ est hæc vis aquæ, ut corpus tangat, et mentem abluat?

CAPUT XLIV.

Solutio prædictorum, et quod baptismus efficaciam habeat in parvulis et in adultis.

Primam objectionem sic infirmamus : Dicimus quod penes voluntatem est omne meritum. Non excludimus tamen [65] bonum opus vel sacramentum. Et si forte alicui ante baptismum remittatur omne peccatum, tenetur tamen adhuc suscipere baptismi sacramentum; tum ad implendum divinum mandatum, tum etiam ad pleniorem remissionem culpæ

A et pœnæ, ac gratiæ collationem in anima; quia baptismus non exigit gemitum vel planctum [66]. Ex prædicta solutione infirmata est secunda objectio, quia in baptismo non remittitur peccatum solum originale, verum et alia, etiam venialia, si in pœnitente sunt dum baptizatur, et, ut dictum est, gratia additur. Ad hoc quod Apostolus ait, dicimus quod neque baptismus, neque prædicatio ex vi sua confert aliquid, nisi per gratiam divinam. Ad aliud dicimus, quod sicut in fide quædam processio fuit, et in Dei manifestatione, et in sanctorum multiplicatione, ita in sacramentorum collatione. Nam ante legis traditionem sufficiebat alicui credere Deum unum, remuneratorem bonorum, et punitorem malorum, cum observatione naturalium præceptorum.
B Deinde, ipsa fides processum habuit tempore Veteris Testamenti, quia majores tenebantur credere, Deum trinum et unum, et quæ in sacramentis continebantur. Tempore vero gratiæ, ad plura credenda teneantur fideles. Secundum ergo processum fidei, processum habuit Dei cognitio, et fidelium multiplicatio, et sacramentorum traditio. Decuit ergo quod in adventu Domini qui erat redemptor generis humani, multiplicaretur gratia, et sacramenta gratiarum collativa.

Vim illam aquæ qua mens purgatur hominis, confert Verbum cœleste, id est Dei Filius, juxta illud : « Accedit verbum ad elementum, et fit sacramentum, non quod dicitur, sed quod creditur. »
C Quid est ergo illud quod creditur, nisi Dei Filius [67], cujus virtute consecratur baptismus?

Quod autem omnes teneantur ad baptismi susceptionem, multis auctoritatibus probatur. Ait enim Christus : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest intrare in regnum Dei* (*Joan.* III). Et alibi : *Ite, prædicate Evangelium omni creaturæ; baptizantes eos*, etc. (*Marc.* XVI). Item Petrus ait : *Pœnitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum* (*Act.* II). Item : *Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit* (*Marc.* XVI). Item, quare cum tanta solemnitate baptizatus est Christus, nisi ut significaretur **237** magis baptismi virtus? In baptismo enim Christi, cœli aperti sunt, vox Patris audita est, Spiritus sanctus apparuit in co-
D lumbæ specie (*Matth.* III). Sed forte dicent Christum fuisse baptizatum, hoc sic astruere volentes : Christus non indiguit baptizari, cum a peccato liber esset [68]; ad quid ergo baptizaretur? Præterea, quanta esset præsumptio, si Joannes Christum baptizaret?

Ad hoc dicimus quod non ideo Christus baptizatus est, quod baptismo indiguerit, sed ut aquis vim regenerativam conferret, et baptizandi exemplum aliis præberet.

VARIÆ LECTIONES.

[64] *In impresso pro* conferens, *male habetur* consensus. [65] *In impresso* voluntas non excludit. [66] *In impresso pro* vel, *male habetur* sed. [67] *In impresso habetur sic* : Quod est ergo illud verbum quod creditur? [68] *Hæc ultima verba in impresso prætermissa sunt.*

Et sicut circumcisus est ut legis præceptum impleret, sic et baptismi sacramentum suscepit, ut supremum humilitatis gradum impleret, ab inferiori suscipiendo baptismum. In Joanne quoque non fuit præsumptio [99], si Christum baptizavit, quia Christo ita placuit. Unde in Matthæo legitur : *Venit Jesus a Galilæa ad Joannem in Jordane, ut baptizaretur ab eo. Joannes autem prohibebat eum dicens : Ego a te debeo baptizari, et tu venis ad me? Respondens autem Jesus dixit : Sine modo ; sic enim decet nos implere omnem justitiam. Tunc dimittit eum. Baptizatus autem Jesus, confestim ascendit de aqua* (*Matth.* III). Hic dicitur quod Jesus baptizatus fuit. Et in Marco legitur : *Veniens Jesus a Nazareth Galilææ, baptizabatur a Joanne in Jordane* (*Marc.* I). Voluit ergo Jesus Christus baptizari, ut baptismum confirmaret, et aliis exemplum præberet, et specialiter Joannis baptismo [100], in quo peccata non dimittebantur, ut ostenderet se absque peccato esse, et non indigere remissione originalis vel actualis, cum neutrum habuit [1]. In baptismo namque Joannis, tantum corpora exterius lavabantur, nec peccata remittebantur; quod exinde patet, quia quos Joannes baptizaverat, hos postea Christus baptizavit. Unde idem Joannes : *Ego baptizavi vos aqua, ille vero baptizabit vos Spiritu sancto* (*Matth.* III; *Marc.* I).

CAPUT XLV.

Opinio hæreticorum qui dicunt quod baptismus non prodest sine manus impositione.

Fuerunt qui dicerent baptismum non prodesse sine manus impositione; quia in Actibus apostolorum legitur quod apostoli manus imponebant baptizatis, et sic accipiebant Spiritum sanctum (*Act.* VIII). Sed tunc primo Spiritus sanctus datur quando peccatum remittitur : ergo ante manus impositionem non dimittitur peccatum; et sic baptismus non valet sine manus impositione.

Dicunt etiam iidem hæretici quod omne peccatum, quantumcunque fuerit, per manus impositionem remittitur, præsertim si unus ex ipsis hæreticis quos perfectos vocant, manus imposuerit. Et sic hac occasione multos ad peccata invitant, spem in manus impositione ponentes, qui per diversa peccata diffluunt. Hi etiam distinguunt inter consolatos et perfectos : Consolatos vocant eos qui nuper ad eorum hæresim venerunt, et nondum in ea sunt confirmati; sed hi potius dicendi sunt desolati quam consolati. Perfectos vero dicunt eos, qui in hæresi sunt confirmati; sed hi potius in defectu quam perfectione consistunt.

238 CAPUT XLVI.

Solutio prædictorum.

Prædictam eorum objectionem sic refellimus : Cum legitur in Actibus apostolorum, quod quidam qui baptizati erant, non acceperant Spiritum sanctum, sic intelligendum est : acceperant eum in peccati remissionem, sed non in significationem [2]. Nam in primitiva Ecclesia quodam speciali signo significabatur Spiritus sancti descensus in baptizatos, vel quod statim loquebantur variis linguis, vel alio speciali miraculo. Cum ergo dicitur quod aliqui baptizati nondum acceperant Spiritum sanctum, sic est intelligendum : nullo visibili signo significatus erat descensus Spiritus sancti in eos. Sed postquam apostoli manus super eos imposuerunt acceperunt Spiritum sanctum, id est descensus Spiritus sancti in eos quodam visibili signo demonstratus est. Non legitur tamen quod omnibus baptizatis imposita fuit manus.

Nec etiam usque reperitur quod eunucho qui a Philippo baptizatus est (*Act.* VIII), fuerit imposita manus. Nec centurioni, quem Petrus baptizavit (*Act.* X). Sine ergo manus impositione peccatum deletur, et gratia confertur.

Dicitur autem Spiritus sanctus accipi multis modis, scilicet quantum ad peccati remissionem, vel justitiæ collationem, vel donorum divisionem, vel ad virtutum robur.

CAPUT XLVII.

Opinio hæreticorum qui dicunt quod post remissionem peccatorum quæ fit in baptismo, locum non habet pœnitentia.

Alii hæretici asserunt quod post remissionem quæ fit in baptismo, non habet locum alia quæ fit per pœnitentiam : quod nituntur probare variis auctoritatibus. Dicunt etiam illud esse peccatum in Spiritum sanctum, quod sit post peccati remissionem in baptismo factam, quia specialis sit injuria gratiæ Spiritus sancti, cum post acceptam gratiam redit quis ad culpam. Unde dicunt quod hoc peccatum nec hic, nec in futuro dimittetur.

Unde si quis illorum peccaverit, postquam illorum baptisma susceperit, sine omni injuria [3] ejicitur ab eorum consistorio. Quod videtur haberi ab Apostolo [4] in Epistola ad Hebræos. Ait enim [5] : *Impossibile enim est eos qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam cœleste donum, et participes facti sunt Spiritus sancti, gustaverunt nihilominus bonum Dei verbum, virtutesque futuri sæculi, et prolapsi sunt, renovari rursus ad pœnitentiam* (*Hebr.* VIII). Idem in eadem : *Voluntarie peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccati hostia. Terribilis autem est quædam justitia* [6], *et ignis æmulatio, quæ consumpta est* [*consumptura est*] *contra adversarios* (*Hebr.* X).

Conantur etiam idem rationibus probare quod sicut baptismus, vel ordo, vel confirmatio iterari

VARIÆ LECTIONES.

[99] *In impresso omissum est verbum* non, *unde absurdissime contrarius causatur sensus.* [100] *In impresso pro* Joannis baptismo, *habetur* Joanni baptistæ, *cum insigni rursus confusione sensus.* [1] *In impresso habetur* amisit, *sed perperam.* [2] *In impresso additur* in Justi significationem. [3] *In impresso habetur* misericordia, *et bene.* [4] *In impresso* quod videtur insinuare Apostolus. [5] *In impresso* cum ait. [6] *In impresso pro* justitia, *habetur* exspectatio judicii.

non debet, sic nec pœnitentia. Item, qui semel de peccatis suis pœnitet, omnibus diebus vitæ suæ de eisdem pœnitere tenetur; ut ait auctoritas : ergo si incidat in peccatum, cassa et frustratoria est illa pœnitentia.

Unde et auctoritas ait : « Pœnitere est **239** peccata deflere, et flenda iterum non committere. » Augustinus etiam velle dicitur, quod pœnitentia iterari non possit : ergo si prima pœnitentia debet continuari usque in finem, secunda locum habere non videtur.

CAPUT XLVIII.

Objectorum solutio, et cur pœnitentia iteretur, et non baptismus, et quædam alia sacramenta.

Ad primam auctoritatem dicimus quod Apostolus loquitur ibi contra quosdam qui dicebant baptismum posse iterari ad pœnitentiam peccati [7]. Negat ergo iterationem baptismi, dicens [8] quod impossibile est eos qui semel acceperunt quod ibi legitur [9], rursus per baptismum renovari lapsos ad pœnitentiam (*Hebr.* VIII).

Secunda sic est intelligenda : *Jam non relinquitur hostia pro peccato* (*Hebr.* X), subaudi in Novo Testamento, sicut in Veteri Testamento datum est sæpius offerri hostiam pro peccato. Non enim est Christus iterum immolandus pro peccato, quod semel factum est, et secundo non est opus. Sed magis opus est manere in fide et veritate, quod si non feceris [10], judicium te exspectat, nisi per pœnitentiam renoveris. Ideo subditur : *Terribilis autem*, etc. (*ibid.*). Sed in hoc non excludit pœnitentiam, sed baptismum secundum. Nam non dixit, non est ultra pœnitentia vel remissio, sed, hostia, id est crux secunda [11], quia unica sufficit. Hoc dicit ne ultra hic exspectemus, sed pœniteamus.

Dicimus etiam quod baptismus vel confirmatio, vel ordo iterari non possunt. Nam baptismus Christi passionem repræsentat, sicut ipse semel est oblatus, semel est passus, ita passionis repræsentatio iterari non debet propter dignitatem. Similiter ordo, qui est sacramentum dignitatis iterari non debet propter sui dignitatem : a simili, sacramentum confirmationis, ratione propriæ dignitatis; pœnitentia vero est quasi secunda post naufragium tabula.

Primum enim naufragium est in originali peccato, contra quod valet baptismus; secundum naufragium est in actuali peccato, contra quod est secunda tabula, scilicet pœnitentia. Et si pluries occurrat peccatum, pluries debet occurrere pœnitentiæ remedium. Unde dicitur quod quis toto tempore vitæ suæ pœnitere tenetur, quia nimirum per totam vitam suam peccat. Si quis autem de peccato pœnitet, et patitur peccati recidivum, præmissa pœnitentia est frustratoria [12], quia non est æternæ beatitudinis consecutiva. Si tamen iterum de peccato pœnitet, sequens pœnitentia efficax est et fructuosa. Quod autem dicitur : « Pœnitentia est peccata deflere, et flenda iterum non committere, » sic est intelligendum, ut non ad diversa tempora, sed ad idem referatur, ut scilicet tempore quo deflet commissa, non committat, proposita voluntate [13], flenda. Vere autem sic describitur pœnitentia : « Pœnitentia est anteacta peccata deflere, et deflenda iterum nolle committere. » Verba autem Origenis [14] quibus videtur velle quod pœnitentia iterari non possit, hæc sunt : « Si nos aliqua culpa morari venit, quæ non est in crimine mortali, vel in blasphemia fidei, sed in sermonis vel morum vitio consistat, hæc culpa semper potest reparari [15], nec interdicitur [16] pluries pœnitentiam agere; sed de gravioribus [17] tantum semel conceditur pœnitentiæ locus. » Ambrosius etiam ait : « Repcriuntur, qui sæpe pœnitentiam agendam putant, qui luxuriantur in Christo; nam si veram pœnitentiam agerent in Christo, iterandam postea, non peccarent, quia sicut unum baptisma, ita una pœnitentia. » Sed quod Origenes [18] ait, de solemni pœnitentia intelligendum est, quæ palam fuit **240** extra ecclesiam, in cinere et cilicio, quæ pro gravioribus horrendisque peccatis tantum imponitur : et illa non est iteranda, pro reverentia sacramenti, et ne vilescat, et hominibus contemptibilis fiat. Similiter et illud Ambrosii, et etiam illud quod alibi ait : « Pœnitentia semel usurpata, nec vere celebrata, et fructum prioris aufert, et usum sequentis amittit; » de solemni pœnitentia intelligendum est.

CAPUT XLIX.

Quibus auctoritatibus et rationibus probatur, quod pœnitentia potest iterari.

Quod pœnitentia non tantum semel, sed sæpius iteretur, et per eam frequenter venia præstetur, exemplis, rationibus et auctoritatibus probatur. Legimus Petrum sæpius peccasse. Nonne etiam antequam ad Christum veniret (*Marc.* III), peccaverat? Unde mutatio nominis significavit mutationem status mentis, cum dictum est : *Tu es Petrus* (*Matth.* XVI). Et quando *facta est contentio inter discipulos, quis eorum videretur esse major* (*Luc.* XXII), nonne tunc Petrus peccavit, si de principatu litigavit?

Similiter quando Christum instruere voluit, dicens : *Absit a te, Domine!* (*Matth.* XVI.) Et Christus ait ei : *Vade retro, Satanas* (*ibid.*). Et forsitan, quando ex quadam præsumptione ait : *Etsi oportuerit me mori tecum, non te negabo* (*Matth.* XXVI). Item, quando Malchi auriculam abscidit (*Joan.*

VARIÆ LECTIONES.

[7] *In impresso* in remissionem peccatorum. [8] *Impress.* insinuans. [9] *Impressum* in supra dicta auctoritate legitur. [10] *In impresso, verbum*, feceris, *prætermissum est.* [11] *Hoc ultimum in impresso est prætermissum, omnino tamen ponendum est.* [12] *In impresso*, frustratarium remedium. [13] *In impresso, pro* proposita voluntate, *habetur*, vel opere vel voluntate. [14] *In impresso*, Hieronymi. [15] *In impresso*, reprobari. [16] *In impresso male habetur* intelligitur. [17] *In impresso additur* criminibus. [18] *In impresso habetur* Hieronymus.

XVIII), et quando Christum negavit (*Matth.* XXVI). Sed sicut in Petro iterata sunt peccata, sic per iteratam pœnitentiam ei dimissa. Unde legitur, quod sui peccati recordatus, flevit amare (*Luc.* XXII). Similiter cæteris apostolis ante Christi resurrectionem sæpe peccantibus, per iteratam pœnitentiam peccata sunt dimissa. Et si Veteri Testamento fidem adhibent, posset idem astrui exemplo David, qui legitur frequenter peccasse, et frequenter pœnituisse. Augustinus etiam scribens contra quosdam hæreticos, qui dicebant peccantibus post baptismum, semel tantum utilem esse pœnitentiam, ait: « Ita adhuc perfidi, quoniam [19] plus quam oportet sapiunt, non sobrii, sed excedentes mensuram, dicunt quod etsi semel post baptismum valet pœnitentia, non tamen sæpe peccantibus prodest iterata, alioquin remissio esset ad peccatum incitatio; quis enim peccare cessaret, si semper redire posset? » Dicunt etiam Deum esse incitatorem ad malum, si semper peccata dimitteret, vel pœnitentibus subveniret, eique placere peccata, cum semper præsto esset remittere. Errant autem; constat enim ei displicere vitia, qui semper præsto est destruere illa: si illa amaret, non illa semper destrui curaret [20]. Dicit etiam Joannes Chrysostomus, de reparatione lapsi: « Talis est erga homines Dei pietas, nunquam spernit pœnitentiam, si ei sincere offeratur [21]. Etiamsi ad summum quis venerit malorum, et inde reverti velit ad veritatis viam, sufficit [22], amplectitur libenter, et omnia facit quatenus ad priorem revocet statum, quodque adhuc præstantius est [23], etiamsi non potuit quis explere omnem satisfactionis ordinem, quantulamcunque tamen, et quantumlibet brevi tempore gestam non respuit pœnitentiam. Suscipit namque ipsam, nec patitur, quamvis exiguæ conversionis [24], perdere mercedem. » Rationibus etiam idem probatur. Iste post baptismum peccavit, non potest ei subvenire pœnitentia vel aliud sacramentum, ad peccati remissionem. Ergo in eo periit libertas arbitrii, ita quod non possit bene operari, vel per pœnitentiam peccatum delere: non est ergo imputandum ei, si non bene operatur, cum ex necessitate permaneat in peccato.

Item, iste dolet de peccato quantum debet dolere, et conteritur, peccatum confitetur, pro ipso satisfacit; ergo injuste cum eo agitur, si non ei remittitur peccatum.

241 CAPUT L.

Opinio hæreticorum qui dicunt pœnitentiam non valere ad peccati remissionem.

Sunt alii asserentes nullam pœnitentiam valere ad peccati remissionem. Quod sic probare conantur: Deus remittit peccata gratis, ergo non bonis meritis, ergo nec per pœnitentiam. Si enim per pœnitentiam dimittitur peccatum, merito pœnitentiæ dimittitur. Item, auctoritas ait: *Non ex operibus quæ fecimus nos, sed ex sola gratia salvos nos fecit* (*Tit.* III). Item: *Non est volentis neque currentis, sed miserentis Dei* (*Rom.* IX). Item, prima gratia quam Deus operatur in homine, est peccati remissio, quam operatur sine homine. Ergo non mediante pœnitentia remittitur culpa [25].

CAPUT LI.

Præmissorum solutio, et quod pœnitentia valet ad peccati remissionem.

Prædicta refellimus dicentes quod per solam Dei gratiam remittitur peccatum, nec pœnitentia est causa efficiens remissionis peccati, sed tantum gratuita Dei voluntas. Est tamen causa sine qua non, quia nisi homo pœniteat, non dimittitur a Deo peccatum. Sic sol domum illuminat quia fenestra aperitur, non tamen apertio fenestræ est causa efficiens illuminationis, sed occasionalis tantum, sed ipse sol est causa efficiens illuminationis.

Quod autem dicitur: *Non ex operibus quæ fecimus nos*, etc. (*Tit.* III), sic est intelligendum, quod opera non excludant gratiam, nec gratia, opera, quia ex gratia sunt opera, et ipsa gratia est causa salutis efficiens.

Similiter gratia non excludit pœnitentiam, nec pœnitentia gratiam quia pœnitentia est quædam gratia. Similiter intelligendum est: *Non est volentis*, etc. (*Rom.* IX), quamvis cursus, id est bona operatio, vel bona voluntas sit salutis occasio, causa tamen efficiens est Dei misericordia. Concedimus etiam quod Deus primam gratiam in nobis operatur sine nobis, juxta prædictam intelligentiam.

CAPUT LII.

Opinio hæreticorum qui dicunt quod sufficit soli Deo confiteri.

Sunt alii hæretici qui dicunt sufficere soli Deo confiteri, quod sic probare conantur; ait Ambrosius super Lucam: « Ideo flevit Petrus, quia culpa subrepsit ei [26]: non invenio quid dixerit, invenio quod flevit, lacrymas ejus lego, satisfactionem non lego: quod defendi non potest, ablui potest: lacrymæ lavant delictum, quod voce pudor est confiteri; et veniæ fletus consulit et verecundiæ. » Hoc etiam dicit Maximus episcopus. Item Joannes Chrysostomus, super Epistolam ad Hebræos: « Non tibi dico ut te prodas in publicum, neque te apud alios accuses, et obedire te volo Prophetæ dicenti: *Revela viam tuam ante Dominum* (*Psal.* XXXVI): ergo confitere peccata tua apud verum judicem cum ratione [27], delicta tua pronuntia non lingua, sed conscientiæ tuæ memoria; et tunc demum spera misericordiam consequi posse. Si habueris peccata tua in mente quotidie, nunquam

VARIÆ LECTIONES.

[19] *In impresso habetur* ad hoc instant perfide. [20] *In impresso*, non semper defleret. [21] *Impressum addit* sincere et simpliciter. [22] *Ms.* suscipit. [23] *Impressum addit* et eminentius. [24] *In impresso, absurdissime, pro* conversionis, *habetur* perditionis. [25] *In impresso, per totam hanc periodum nullus est sensus, sed omnia confusa.* [26] *Impressum habet* obrepsit. [27] *Impressum* cum oratione.

malum adversus proximum tuum in corde tenebis. » Item idem : « Peccata tua dicito ut deleas illa, sed si confunderis alicui dicere, dicito ea quotidie in anima tua. Non dico ut confitearis ea servo tuo [28], ut tibi exprobret, sed dicito Deo, qui curat ea. Nec enim si non dixeris, ignorat ea; cum faciebas, præsto erat; cum admitteres ea, cognoverat. »

242 CAPUT LIII.

Solutio, et quod homo tenetur confiteri peccata sua.

Prædicta sic solvimus : Illud Ambrosii : « Lacrymæ lavant delictum, etc.; » ad publicam pœnitentiam referendum est. Ibi enim virtutem lacrymarum et confessionis ostendens, innuere voluit quod lacrymæ occultæ, secreta confessio soli sacerdoti facta, lavant delictum, quod pudet aliquem publice confiteri. Quod autem dicit se Petri lacrymas legisse, non confessionem vel satisfactionem, per hoc neutrum excluditur : multa enim facta sunt quæ scripta non sunt. Vel forte, nondum facta erat illa institutio confessionis quæ nunc est. Vel sic intelligi potest, « lacrymæ lavant delictum, » id est fletu purgantur ubi pudor est in confitendo, quia nisi in confessione fuerit verecundia, non deletur culpa [29].

Illud Joannis Chrysostomi non est sic intelligendum, ut liceat alicui, si opportunitatem habeat, sacerdoti non confiteri, sed quia sufficit, ubi crimen occultum est, soli Deo per sacerdotem dicere, et semel, nec oportet publicare coram multis, quod est occultum, sicut ipse notavit dicens : « Non tibi dico ut te prodas in publicum, » etc. Sicut enim publica noxa publico eget remedio, ita occulta, secreta confessione et occulta satisfactione purgatur.

Nec est opus ut quod sacerdoti semel confessi sumus, iterum confiteamur. Attamen non tantum lingua carnis, verum etiam lingua cordis apud verum judicem confiteri debemus, si peccata nobis remitti velimus. Unde idem Joannes Chrysostomus ait [30] : « Si tuorum peccatorum recorderis, et frequenter in conspectu Dei pronunties, et pro eis depreceris, citius ea delebuntur. Si vero obliviscaris, tunc eorum recordaberis nolens, quando publicabuntur, et in conspectu proferentur omnium inimicorum, et amicorum, et sanctorum angelorum. »

CAPUT LIV.

Quibus auctoritatibus probatur quod pœnitentia valet ad remissionem peccati.

Quod pœnitentia valeat ad remissionem peccatorum, multiplex auctoritas monstrat. Ait enim Joannes : *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum* (*Matth.* III). Idem ait Christus. Et Petrus in Actibus apostolorum ad eos, qui ad ejus prædicationem compuncti fuerant corde : *Pœnitentiam agite, et baptizetur unusquisque ve-*

A *strum* (*Act.* II). Item Petrus : *Pœnitentiam agite, ut deleantur peccata vestra* (*Act.* III). Quæ considerantur in pœnitentia, exiguntur ad peccati remissionem, scilicet, cordis contritio, confessio, satisfactio. Quod tamen hæretici negant.

CAPUT LV.

Quibus auctoritatibus probatur quod contritio valeat ad remissionem peccati.

Quod contritio valeat ad remissionem peccati, patet per Evangelium, ubi legitur quod *recordatus est Petrus verbi quod dixerat ei Jesus : Priusquam gallus cantet, ter me negabis. Et egressus foras, flevit amare* (*Matth.* XXVI). Ecce quomodo corde compunctus et mali præteriti recordatus, currit ad lacrymas. Præterea, quomodo **243** remittetur

B hominі peccatum nisi volenti? sed cum homo vult sibi remitti peccatum, vult non habere peccatum : vult ergo se non esse in peccato; ergo conteritur de peccato. Si jam prædicti hæretici crederent prophetis, per eos probari posset, contritionem valere ad peccati remissionem. Ait enim auctoritas : *Quacunque hora peccator ingemuerit, omnium iniquitatum ejus non recordabor* (*Ezech.* XVIII). Et Joel : *Scindite corda vestra, et non vestimenta vestra* (*Joel.* II). David etiam ait : *Cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies* (*Psal.* L). Contritio enim est cumpunctio cordis, quæ nascitur ex recordatione præteritorum malorum, cum intentione non relabendi, malens omnia mortis subiisse pericula, quam

C tali laborasse culpa.

CAPUT LVI.

Quibus auctoritatibus probatur quod confessio valet ad remissionem peccatorum.

Similiter oris confessio ad peccati deletionem exigitur, licet hoc ipsum etiam hæretici negent. Ait enim in canonica Epistola Jacobus : *Confitemini alterutrum peccata vestra* (*Jac.* V). Non dixit soli Deo, ut ipsi dicunt, sed *alterutrum* [31]. Item Paulus : *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem* (*Rom.* X). Christus etiam præcepit iis quos a lepra sanaverat, ut se ostenderent sacerdotibus, per hoc insinuans, quod ille qui vult a lepra peccati mundari, debet se per confessionem ostendere sacerdoti. Pluribus etiam

D sanctorum auctoritatibus potest idem astrui; sed forsitan non iis assentirentur Christianæ fidei adversarii. Fortasse etiam dicent aliqui quod sola contritione remittitur peccatum; ad quid ergo exigitur peccati confessio ad ejusdem remissionem? Ad hoc dicimus, quod ille qui conteritur [32] confitendi propositum habere tenetur : nisi enim hoc proponat, peccatum non remittitur [33]. Tenetur ergo ad confitendum multiplici de causa scilicet ratione propositi et ratione pœnitendi, magna enim pœniten-

VARIÆ LECTIONES.

[28] *Impress.* conservo. [29] *In impresso pro* deletur, *habetur* dicitur. [30] *In impresso habetur* Joannes evangelista, *sed perperam, quia verba Chrysostomi sunt, non Joannis evangelistæ.* [31] *In impresso desunt hæc ultima verba.* [32] *In impresso male habetur* convertitur. [33] *In impresso* nisi proponat confiteri.

tia est, erubescentia de confessione. Cum enim ob alias causas instituta sit peccati confessio, instituta est etiam ut erubescentia pro peccato cedat in pœnam, ratione etiam quandoque satisfaciendi, quia nisi peccator sacerdoti revelaverit, ipse per injunctam satisfactionem non poterit eis mederi.

CAPUT LVII.

Opinio hæreticorum qui negant panem transsubstantiari in corpus Christi.

Dicunt etiam præfati hæretici, panem non transsubstantiari in corpus Christi per sancta [34] verba quæ a sacerdote dicuntur in missa. Et hoc sic probare conantur : Si singulis diebus panis in corpus Christi mutaretur, illud in infinitum augeretur.

Quærunt etiam utrum ille panis desinat esse. Si desinit esse, annihilatur, et ita etiam corrumpitur. Item quærunt, corpus tantæ quantitatis quomodo intrat per os hominis. Item, si corpus Christi comeditur, dentibus atteritur, et ita in partes dividitur; item panis fit corpus Christi, ergo erit corpus Christi, et ita aliud quam sit. Item panis fiet corpus, ergo de pane fiet corpus Christi, et sic panis erit materia corporis Christi [35]. Item post transsubstantiationem, remanent accidentia, ergo in alio subjecto, vel in aere, sed si in aere, aliqua pars aeris est rotunda, sapida, alba, et secundum quod illa forma [36] defertur per diversa loca, mutant accidentia subjectum. Item in eadem parte aeris manent illa accidentia, et ita soliditas est in aere, cum illa sint solida, et sic aer solidus est. Ex his videtur quod accidentia illa non sint in aere, sed nec in corpore Christi sunt, nec est assignare aliud corpus in quo sint, ergo non videntur remanere accidentia. Item, cum forma illa sub qua latet corpus Christi dividatur in partes, sub illa forma desinit corpus Christi. Quomodo ergo sub singulis portionibus illius hostiæ datur corpus Christi?

244 Item, si Christi corpus latet sub illa exigua forma, ubi est Christi caput vel pes? et ita indistincta sunt membra illius. Item Christus dedit suum corpus discipulis ante passionem : sed dedit eis mortale vel immortale : si mortale dedit, sed tunc erat mortalis : ergo quando erat mortalis immortalis erat, quod est impossibile [37]. Item ponatur quod aliquis celebraverit divina tempore passionis Christi; corpus existens Romæ passum fuisset Romæ, quia ubicunque erat, patiebatur tempore passionis; et sic non patiebatur tantum in Jerusalem, sed in multis aliis locis. Item, ponatur quod mus accedat ad pixidem in qua est Christi corpus; mus aliquid comedit, ergo aera, vel accidens, vel corpus Christi. Sed quod comedat aera vel accidens, absurdum est, et magis absurdum quod comedat corpus Christi. Item, cum sanguis Christi glorificatus sit, nec faciat localem distantiam [38], videtur quod calice, repleto sanguine, alius liquor possit infundi. Item, Christus ait in Evangelio : *Omne quod in os intrat, in secessum emittitur* (*Matth.* XV). Ergo Christi corpus non intrat in os quando ad manducandum datur, vel in secessum emittitur.

CAPUT LVIII.

Præmissorum solutio, et quod panis transsubstantiatur in corpus Christi.

Ad primam objectionem dicimus quod mutationum alia est alteratio [39], alia est alteritas, alia transsubstantiatio. Alteratio dicitur illa mutatio quæ fit secundum varietatem accidentium in eodem subjecto, ut cum aliquod subjectum primo est album, post incipit esse nigrum. Secundum hanc mutationem, concedimus has : Album erat nigrum, album incipiet esse nigrum, et fiet nigrum. Hanc autem negamus, De albo fiet nigrum, ne album intelligatur esse materia nigri [40] : nam, *de*, materiam notat. In hac mutatione manet subjectum, manent et substantialia, sed non manent quædam accidentalia. Alteritas vero est illa species mutationis, in qua manente eadem materia, non manent substantialia : quæ mutatio facta est in Cana Galilææ, quando aqua mutata est in vinum (*Joan.* II). Ibi enim materia mansit, quia eadem materia aquæ et vini, sed mutata sunt quædam substantialia; nam illud substantiale quod aqua erat, desiit esse aqua et illud quod vinum est, vinum esse incœpit. Quædam etiam accidentalia mutata sunt. Juxta mutationem hanc dicitur quod de aqua factum est vinum, et quod aqua mutata est in vinum. Sed, nec aqua fuit vinum, nec cœpit esse vinum, nec fuit futura vinum. Transsubstantiatio est illa species mutationis, secundum quam et mutatur materia, et substantialis forma, sed remanent accidentia. Unde dicitur, transsubstantiatio, quia nihil de substantia remanet, vel quantum ad materiam, vel quantum ad substantialem naturam [41]. Talis mutatio fit in consecratione panis. Panis enim ita mutatur in corpus Christi, quod nihil de materia panis remaneat : nec substantialia remanent; sed quædam accidentalia, ut rotunditas, albedo, sapor. Et quia tota substantia mutatur in corpus Christi, non augetur, quamvis multoties panis in Christi corpus mutatur, non remanet in corpore Christi, nec remanet corpus Christi; et ideo nec corpus Christi augetur. Sunt enim duæ augmenti, seu augmentationis species [42], una quæ fit per partium extensionem, alia per additionem. Juxta primam, crescit virgula in horto [43],

VARIÆ LECTIONES.

[34] *Male in impresso pro* sancta *habetur* secunda. [35] *In imp. confuse sic*, panis erat materia corpus Christi. [36] *In imp.* farina. [37] *In imp., in discursu præcedenti, pro* immortalis, *ubique habetur* immortale. [38] *In imp. additur* distantiam a materia. [39] *In imp. sic :* Alia est mutatio, alteratio, etc. *sed lectio nostra retinenda est.* [40] *In imp. vitiose legitur* nigra, *sed et in sequentibus quædam prætermissa sunt quorum occasione, cætera quoque sensu carent.* [41] *In imp. pro* naturam, *habetur* materiam. [42] *In imp. pro* augmenti, *habetur* argumenti. [43] *Hæc in impresso prætermissa sunt substitutis aliquot punctis.*

juxta secundam, crescit acervus, cum ei aliquid additur [44]. Quod primo modo augetur, verbi gratia virgula, non crescit quod aliquid in ea addatur, sed quia mediante calore et humore, extenduntur ejus partes. Secundum hanc augmenti speciem, multiplicati sunt panes illi, quibus Dominus **245** refecit quinque millia hominum (*Matth.* xvi). Quia ergo nihil Christi corpori additur, nec ejus partes extenduntur, dicimus quod Christi corpus non augetur.

Secundum hanc mutationem transsubstantiationis, dicendum est quod panis mutatur seu convertitur in corpus Christi. Concedimus etiam alia verba mutationem significantia, ut panis fiet corpus Christi, non tamen incipiet esse corpus Christi. Dicimus etiam quod panis desinit esse, nec tamen corrumpitur; non enim desinit esse per naturalium infirmationem, sed per miraculum.

Non est etiam mirum, si corpus Christi aliquantæ quantitatis intret per os hominis, cum jam sit glorificatum, nec aliquam in loco distantiam faciat. Hoc tamen negamus quod de pane fiet corpus Christi, quia denotat materiam, et panis non est, nec erit materia corporis Christi. Dicimus etiam quod licet corpus Christi comedatur, semper tamen incorruptibile et indivisibile remanet. Cum autem corpus Christi dicitur dividi vel frangi, potius ad formam panis refertur quam ad corpus Christi; fractio enim illa vel divisio non est in corpore Christi, sed in forma panis. Non est etiam mirum, si ille qui fecit omnia ex nihilo, faciat accidentia esse sine materiali subjecto [45]. Ad hoc quod dicunt, quod in altari adhuc est panis post consecrationem, quia ibi prius fuit panis, et adhuc est forma panis; respondemus, quod vere ibi fuit panis, sed mutatus est in corpus Christi, et forma remanet, sub qua latet corpus Christi. Et hoc fit multiplici de causa. Prima est, quia « fides non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum; » alia, ne Christianus abhorreat comedere Redemptorem suum, ne, inquam, animus horreat quod oculus cernit: non enim est in usu carnem crudam comedere; tertia, ne hæretici insultarent nobis, dicentes: Vos comeditis Dominum vestrum. Videmus etiam, quod quædam res mutantur in alias, et tamen quædam proprietates rei mutatæ remanent, ut, quando vinum mutatur in acetum, remanet ibi liquiditas [46]. Sub forma unius sæpe latet alia, unde frequenter angeli leguntur latuisse sub humana forma; non tamen humana forma erat in angelo. Similiter corpus Christi est in altari, sed sub alia forma, scilicet sub forma panis. Et accidentia quæ remanent sunt sine subjecto, ut dictum est, quia qui ea creavit ut in subjecto essent, potest facere ut sine subjecto sint; quod enim hoc modo vel alio sint, a Deo

A est. Possumus tamen dicere, quod color et sapor sunt in forma panis, et ita, miraculose accidens sit in accidente.

Sed similiter hic quæri posset, de ipsa forma, in quo sit, cum et ipsa forma sit accidens.

Dicunt quidam, nulla accidentia ibi esse post transsubstantiationem, sed videri esse, cum non sint. Unde non dicunt ibi esse albedinem vel rotunditatem, sed talia ibi videri in sacramento; nec dicunt ibi esse præstigium, sed sacramentum.

Sunt enim multæ species fallaciæ visus: Una est, quando non videmus quod oculis præsentatur, quæ dicitur aurisia [47], id est avidentia, qua percussi fuerunt qui Elisæum quærebant (*IV Reg.* vi); alia est quæ dicitur præstigium, quando arte magica
B ita præstigiuntur oculi [48], ut videatur aliquid esse quod non est, nec videatur quod est: hoc autem fit a magis ad decipiendum; alia vero est, quæ fit ad instruendum, et in sacramentum; juxta quod videbatur prophetis videre, quod non videbatur. Unde, Jeremias videbatur videre ollam succensam ab aquilone, cui dictum est: *Ab aquilone pandetur omne malum super habitatores Jerusalem* (*Jer.* i).

Similiter, sapor et color videntur esse in sacramento altaris, nec tamen ibi est præstigium, quia hoc non fit ad decipiendum, sed potius ad instruendum, et in sacramentum. Sed, quid ire volumus per verborum anfractus? unica est ad hæc responsio, quod in miraculo, non est quærenda ratio. Dicimus
C etiam quod quando forma illa dividitur in partes, sicut prius Christi corpus totum et integrum latebat sub integra forma, postea **246** sub singulis portionibus hostiæ fractæ latet idem corpus integrum et totum, sicut in speculo integro apparet aliqua imago et integra, eo autem fracto, in singulis portionibus eadem forma apparet. Dicimus etiam quod sub illa exigua forma, latet totum Christi corpus, quia cum jam sit glorificatum, tantæ subtilitatis est, quod non facit distantiam aeris ad aera, et ideo [49] latere potest in parvo loco, et tamen membra ejus distincta sunt. Corpus quoque suum discipulis dedit tale, quale habuit, id est mortale [50]; miraculosum autem fuit, quod corpus tantæ quantitatis intravit per os comedentis angustum. Quo
D enim miraculo natus est clauso utero Virginis, et quomodo super aquas ambulavit siccis pedibus, eodem miraculo intravit in os comedentis.

Dicimus etiam, quod si quis celebrasset sacramentum eucharistiæ Romæ, in die passionis, Christus Romæ existens pateretur in Jerusalem, sed non Romæ pateretur, sicut dum aliquid incipit esse, in hoc momento incipit esse.

De mure accedente ad pixidem, dicimus quod non comedit corpus Christi, sed formam illam panis,

VARIÆ LECTIONES.

[44] *Hic rursus plura omissa sunt, punctis substitutis.* [45] *In impresso pro* materiali subjecto, *habetur* aliquo subjecto. [46] *In impresso vitiose pro* liquiditas, *habetur* siccitas. [47] *In impresso* acrisia. [48] *In impresso* præstringuntur. [49] *In impresso errore crasso ponitur* non, *pro* ideo. [50] *In impresso, pro* mortale, *habetur* miraculosum, *non sine crasso errore.*

quæ miraculose cedit in ejus nutrimentum, ac si esset panis substantia. Nec mirum, cum in naturalibus contingat, quod aliquis inebriatur solo odore vini. Legimus etiam quod quidam populi pascuntur solo odore pomorum. Sunt tamen qui dicunt quod nihil comedit, sed videtur quod comedat, et sic miraculose saturatur ac si ederet. Calice autem pleno sanguine Christi, alius liquor non potest infundi illo manente, quamvis sanguis non faciat distantiam aeris ad aera : Species enim vini sub qua latet sanguis, implet locum et implet calicem sic miraculose, sicut miraculose glorificatum corpus locum non implet. Quod autem Christus ait : *Omne quod in os intrat*, etc. (*Matth.* xv; *Marc.* vii), intelligendum est de cibo materiali, non spirituali : sicut enim materialis cibus vadit in secessum, ita spiritualis in mentis excessum. Ille enim est cibus ventris, hic mentis.

CAPUT LIX.

Utrum sit articulus fidei, panem transsubstantiari in corpus Christi.

Quærunt etiam hæretici utrum sit articulus fidei Christianæ panem transsubstantiari in corpus Christi, cum de hoc non fiat mentio in aliquo symbolo. Non enim in symbolo Apostolico, scilicet : *Credo in Deum;* vel in Nicæno : *Credo in unum*, etc.; vel in symbolo Athanasii : *Quicunque vult*, etc. Cum in his symbolis, de omnibus articulis Christianæ fidei fiat mentio, cur non fit mentio de illo ineffabili sacramento, cui magis videtur obviare humana ratio [31].

Ad hoc dicunt quidam, quod in primitiva Ecclesia ita omnibus patebat transsubstantiari panem in corpus Christi, quod nulli dubium erat, cum Christus hoc esset in Evangelio testatus. Nec super hoc in primitiva Ecclesia ulla hæresis pullulavit, ad quam reprimendam opus esset mentionem fieri de hoc in aliquo symboli articulo. Unde, quia in primitiva Ecclesia de Trinitate pullulavit hæresis apud Arium et Sabellium; de Spiritu sancto apud Macedonium; de Incarnatione apud Eutychen et Nestorium; de resurrectione apud alios, ut testatur Apostolus in Epistola ad Corinthios (*I Cor.* xv), de his articulis fit mentio in symbolis. Dici tamen potest, quod in Apostolico symbolo fiat mentio de eucharistia, cum dicitur, *sanctorum communionem.* In hoc enim spiritualiter communificant sancti, dum recipiunt corpus Christi, non solum sacramentaliter, sed etiam spiritualiter.

247 CAPUT LX.

Quibus auctoritatibus probatur quod Christus corpus suum dedit discipulis suis.

Quod Christus dedit corpus suum discipulis, Matthæus aperte in evangelio declarat, inquiens : *Cœnantibus autem eis, accepit Jesus panem, benedixit et fregit, deditque discipulis suis, et ait : Accipite et comedite, hoc est corpus meum : et accipiens calicem et gratias agens dedit illis dicens : Bibite ex hoc omnes. Hic est enim sanguis novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum* (*Matth.* xxvi). Item Lucas : *Accepto pane, gratias egit et fregit, et dedit eis dicens : Hoc facite in meam commemorationem. Similiter et calicem, postquam cœnavit, dicens : hic est calix novi testamenti in sanguine meo, quod pro vobis effundetur* (*Luc.* xxii). Item Dominus in Evangelio : *Amen, amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis* (*Joan.* vi). Item : *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam; et ego resuscitabo eum in novissimo die. Caro enim mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus : Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in illo. Sicut misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem, et qui manducat me, ipse vivet propter me. Hic est panis qui de cœlo descendit, non sicut manducaverunt patres vestri manna, et mortui sunt; qui manducat hunc panem, vivet in æternum* (*ibid.*) Propter hæc verba [32], quidam de discipulis ejus dixerunt : *Durus est hic sermo, quis potest eum audire? et ideo multi abierunt retrorsum, et amplius cum eo non ambulabant* (*ibid.*). Quorum imitatores sunt prædicti hæretici.

Apostolus etiam in epistola ad Corinthios prima : *Ego enim accepi a Domino quod et tradidi vobis, quoniam Dominus Jesus Christus in qua nocte tradebatur, accepit panem, et gratias agens fregit et dixit : Accipite et manducate; hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur; hoc facite in meam commemorationem. Similiter et calicem, postquam cœnavit, dicens : Hic calix novi Testamenti est in meo sanguine. Hoc facite, quotiescunque bibetis in meam commemorationem. Quotiescunque enim manducabitis panem hunc, et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat* (*I Cor.* xi). Item : *Quicunque manducat panem, et bibit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini* (*ibid.*).

CAPUT LXI.

Opinio hæreticorum qui dicunt quod Christus dicens : Hoc est corpus meum, *demonstraverit seipsum, et non corpus quod sub forma latebat.*

Præterea, dicunt hæretici, quod cum Christus ait, *Accipite, hoc est corpus meum*, non demonstravit corpus quod sub forma latebat in fine prolationis verborum, sed seipsum. Quasi dicat : Ego sum qui do; hoc est, corpus meum est quod vobis do, non hunc panem, et ideo dignius quam panis est quod do.

Ad hoc dicimus quod istud stare non potest, si verborum series diligenter attendatur. Ait enim

VARIÆ LECTIONES.

[31] *In impresso sic :* cui magis videtur obligari anima rationalis, *nostra tamen lectio retinenda.* [32] *In impresso, pro* propter, *male habetur* præter.

evangelista : *Accepit Jesus panem et benedixit, ac fregit, et dedit discipulis suis, dicens : Accipite, hoc est corpus meum* (*Matth.* XXVI), quasi dicat : Hoc quod offero vobis, est corpus meum. Præterea, ad quid seipsum ostenderet, cum ipse, et corpus ejus discipulis appareret? Item, quid de sanguine dicent[53]? **248** Legitur enim in Evangelio, *Accipiens* Jesus *calicem, gratias egit, et dixit illis ; bibite ex hoc omnes* [54]; *hic est sanguis novi Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum* (*ibid.*). Hic non possunt dicere quod ostenderet sanguinem suum, nisi quem in calice porrigebat, quem discipulis suis dabat dicens : *Hic est sanguis meus*, etc.

CAPUT LXII.

Quare Christus sub aliena forma dederit corpus suum.

Quæritur etiam ab hæreticis, cum tot auctoritates clament panem mutari in corpus Christi, quare negent tantum sacramentum? Si dicant quod est contra naturam, eis possumus respondere, quia qui fecit omnia ex nihilo, potest unum mutare in aliud. Et, si Filius Dei sub forma humana latet, quid mirum si corpus Christi sub forma panis latens non apparet? Quia sicut ratio fuit, ut sub humanitate lateret divinitas, ita ut sub forma panis lateret humanitas. Sicut enim divinitas sine velamine nobis apparere non potuit, ita glorificata humanitas, nisi mediante aliena forma, nobis mortalibus et infirmis apparere noluit [55]. Decens etiam fuit ut qui ab hominibus recesserat per præsentiam carnis, sedens ad dexteram Patris, nos aliquando visitaret, quamvis sub aliena forma lateret. Maxima quoque gratia nos privare contendunt qui Christum in altari esse per virtutem sacramenti non credunt. Quam enim majorem gratiam potuit nobis conferre, quam sacramentum eucharistiæ? Unde ipse ait : *Vobiscum sum usque ad consummationem sæculi* (*Matth.* XXVIII). Quamvis enim hoc intelligatur de præsentia spirituali, potest tamen etiam intelligi de corporali.

In horum hæreticorum confusionem, in pluribus ecclesiis celebratur miraculum, quo in hostia species carnis visa est. Longum etiam esset referre miracula [56], quæ propter infirmitatem quorumdam fiunt circa eucharistiam. Stultissimum etiam est diffiteri quod Christus confessus est, quod apostoli testantur, quod omnes sancti attestantur, in qua fide videmus tot viros religiosos vitam finire.

CAPUT LXIII.

Opinio illorum hæreticorum qui dicunt nuptias damnabiles esse.

Prædicti etiam hæretici nuptias damnant. Dicunt enim quidam eorum quod omnibus modis se homo A debet purgare ab eo quod habet a principe tenebrarum, id est a corpore, et ideo passim et qualitercunque fornicandum esse, ut citius liberetur a mala natura.

Et ideo nuptias damnant, quæ fluxum luxuriæ coarctant. Unde, ut fertur, in conciliabulis suis immundissima agunt. Hi dicuntur Cathari, id est *diffluentes per vitia*, a catha, quod est *fluxus;* vel cathari, quasi *casti*, quia se castos et justos faciunt. Vel Cathari dicuntur a *cato*, quia, ut dicitur, osculantur posteriora catti, in cujus specie, ut dicunt, apparet eis Lucifer. Quod autem nuptiæ damnabiles sint, auctoritatibus et rationibus probare conantur. Et primo sic : Nisi exsecrabiles essent nuptiæ, Dominus Joannem evangelistam non revocasset a B fluctivaga nuptiarum tempestate. Et quia conjugium non consummatur nisi carnali coitu, et ita in peccato, dicunt conjugium exsecrabile esse, ac si amatores essent castitatis, cum potius sint sectatores incestus [57] et luxuriæ.

249 Dicunt etiam conjugium obviari legi naturæ, quia lex naturalis dictat omnia esse communia [58] : conjugium vero appropriat, quod commune debet esse ex jure naturali. Item, si bonum est nubere, quare dicit Apostolus : *Volo vos omnes esse sicut ego sum* (*I Cor.* VII), id est continentes? Dicunt etiam quod conjugium est causa maximi peccati, id est adulterii, quia nisi conjugium præcederet, non sequeretur adulterium.

C

CAPUT LXIV.

Objectorum solutio, et quod nuptiæ non sint damnabiles.

Prædictis respondemus, quod non ideo Christus Joannem revocavit a nuptiis, quod nuptiæ essent exsecrabiles, vel malæ, sed ut ad majus bonum invitaret, id est ad virginitatem : melior est enim virginitas, id est expeditior et ad majus bonum promptior, quam castitas conjugalis. Conjugalis enim status multis negotiis implicatur, quibus acquiruntur necessaria vitæ, per quæ idem status minus promptus est ad bonum. Concedimus etiam conjugium non posse consummari sine carnali coitu, verum carnalis coitus non semper peccatum est : nam per conjugii sacramentum fit, ut carnale D commercium aut grave non sit peccatum, aut omnino peccatum non sit. Quot enim non caderent in fornicationis periculum, nisi esset conjugium? Excipitur autem in honestate conjugali, fornicationis peccatum [59]. Unde Apostolus invitans ad fornicationem vitandam, ait : *Propter fornicationem autem* [60], *unusquisque uxorem suam habeat, et unaquæque virum suum* (*I Cor.* VII). Et cum carnis

VARIÆ LECTIONES.

[53] *In impresso male sic :* Item quoque dicent de sanguine. [54] *In impresso, hic rursus omnia confusa : nam pro* bibite, etc, *habetur* hoc est corpus meum. [55] *In impresso*, apparere non valuit. [56] *In impresso omnia confuse sic :* Longa etiam possem referre miracula, quæ per infirmitatem. [57] *In impresso,* incastitatis. [58] *In impresso absurdissime pro* communia, *habetur* convivia. [59] *In impresso sine sensu, sic.* Excipitur honestate conjugali, ut sit peccatum. [60] *In ms. post verba hæc,* propter fornicationem autem *subjungitur inclusum parenthesi* (subaudi vitandam).

commercium sit de jure naturali, non in hoc conjugium naturali juri obviat, sed potius exornat. In hoc enim jus naturale et carnis commercium exornatur, quod homo passim diversas non cognoscat, sed unam sibi assumat; quod et in brutis animalibus liquet, quæ ducta naturali jure, non gaudent paris pluralitate, sed unitate.

Ad ultimam objectionem dicimus quod Apostolus non ideo volebat eos quibus scribebat, esse solutos a conjugio et continentes esse, quod conjugium sit malum, sed ideo quia virginalis status vel vidualis expeditior. Conjugium enim sanctum est, unde et ipsi gentiles in tanta veneratione habuerunt conjugium, quod filios qui nati non erant de conjugio, illegitimos judicabant.

CAPUT LXV.

Quibus auctoritatibus et rationibus probatur quod conjugium bonum et sanctum sit.

Quod autem conjugium bonum et sanctum sit, quod naturale commercium per bona conjugii excusetur, variis rationibus et auctoritatibus probari potest. Ait enim Apostolus : *Unusquisque uxorem suam habeat propter fornicationem, et unaquæque virum suum. Uxori vir debitum reddat, similiter et uxor viro* (*I Cor.* VII). Item : *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir; similiter et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier* (*ibid.*). Item Apostolus in prima ad Timotheum : *Volo juniores viduas nubere, filios procreare, matres familias esse* (*I Tim.* V). Audiant etiam hæretici attestantem Apostolum quod neque vir, neque mulier continere potest, nisi uterque consenserit. Item Paulus : *Nolite fraudare invicem, et nisi forte ex consensu ad tempus ut vacetis orationi, et iterum revertimini in idipsum, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram* (*I Cor.* VII). Ecce, quomodo debeat esse utriusque consensus. Item Paulus : *Dico autem innuptis* **250** *et viduis : Bonum est illis si sic permaneant, sicut et ego; quod si se non continent, nubant : melius est enim nubere quam uri. Iis autem qui matrimonio juncti sunt, præcipio, non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere, et vir uxorem non dimittat* (*ibid.*). Item : *Si quis habet uxorem infidelem, et hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam; sanctificatus est enim vir infidelis per mulierem fidelem, et mulier infidelis per virum fidelem : alioquin, filii vestri immundi essent, nunc autem mundi sunt* (*ibid.*)

Sed forte hæretici objicient nobis illud Apostoli : *Qui habent uxores, sint tanquam non habentes* (*ibid.*), quod sic intelligendum est; potius servientes Deo quam carnis commercio. Item, *qui matrimonio jungit virginem suam, bene facit, et qui non jungit melius facit* (*ibid.*). Ecce, quomodo Apostolus commendat utrumque, conjugium scilicet et virginitatem, licet virginitatem præferat. Item Paulus : A *Mulier alligata est viro, quanto tempore vivit; quod si dormierit, liberata est, cui vult nubat, tantum in Domino* (*ibid.*). Objiciunt etiam illud Apostoli : *Viri diligite uxores vestras, sicut Christus Ecclesiam* (*Ephes.* V). In quo putant continentiam inter conjugatos, ab Apostolo, velut præceptum, commendari, quod absit! Non enim hoc ait Apostolus propter continentiam, sed ad confirmandum sinceræ dilectionis vinculum, ut, si necesse fuerit, virum aliquid pro uxore pati non recuset, sicut Christus pro desponsata sibi Ecclesia, mortem subire non recusavit. Item, Paulus ad Romanos : *Nam quæ sub viro est mulier, vivente viro alligata est legi viri, si autem mortuus fuerit vir ejus, soluta est a lege viri : Igitur vivente marito, vocabitur adultera, si fuerit cum aliquo*[61] (*Rom.* VII). B Item, Dominus in Evangelio, cum interrogaretur, si liceret homini dimittere uxorem suam quacunque ex causa, dixit : *Non legistis quia qui fecit hominem ab initio, masculum et feminam creavit eos, et benedixit eis dicens : Crescite et multiplicamini* (*Matth.* XIX). Et dixit Adæ : *Propter hoc relinquet homo patrem et matrem suam et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una. Itaque jam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet* (*ibid.*) Item, objiciunt hæretici : *Quicunque reliquerit domum, aut fratres aut sorores, aut patrem, aut uxorem*, etc., *centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit* (*Luc.* XVIII). Dicunt autem quod juxta hanc auctoritatem, C Deus præcepit dimittere uxores. Sed intellectus verborum is est : Præcepit Deus, ut intuitu divinæ dilectionis, omnem creaturam postponamus[62] Creatori[63]. Item quomodo conjugalis copula Zachariæ et Elisabeth, adulterium fuit, quorum genitura, scilicet S. Joannes, repletus est Spiritu sancto adhuc in utero matris? et si Spiritu sancto repletus est, ergo sanctificatus; et si sanctificatus, ergo ab omni peccato mundatus, ergo non ex adulterio conceptus, ergo Zachariæ et Elisabeth copula non fuit adulterium.

Sed forsitan dicent ipsum Joannem non esse filium Zachariæ. Sed audiant quid dixit angelus ad Zachariam : *Nascetur tibi filius* (*Luc.* I). Item : *Octavo die venerunt circumcidere puerum, et vocabant* D *eum nomine patris sui Zachariam* (*ibid.*). Insuper : *Manus Domini erat cum illo, et Zacharias pater ejus repletus est Spiritu sancto, et prophetavit*, etc. (*Ibid.*) Et alibi : *Et factum est verbum Domini super Joannem Zachariæ filium, in deserto* (*Luc.* III). Item, sacramentum conjugii in paradiso institutum est a Deo, quando formavit mulierem de costa viri, et instituens unam esse unius, ait : *Crescite et multiplicamini, et replete terram* (*Gen.* I). Item, ad commendandum conjugii sacramentum voluit Christus de conjugata nasci. Et ad idem commendandum interfuit nuptiis et miraculum ibi fecit (*Joan.* II). Legi-

VARIÆ LECTIONES.

[61] *Textus Scripturæ habet*, cum alio viro. [62] *In impresso vitiose pro* postponamus, *habetur* proponamus. [63] *Impress.* respectu Creatoris.

mus et de Petro, quod habuit uxorem : quam non duxisset, si credidisset peccatum. Etiam cum per conjugium arctetur fluxus luxuriæ, potius videtur esse bonum quam malum, cum apud Deum et homines ignominiosum sit, nasci de non conjugatis. Maxime etiam contradicunt effectui misericordiæ Dei [64], qui conjugium damnant : in hoc enim maxime apparet effectus misericordiæ Dei, quod conjugii sacramentum **251** ad hoc instituerit, ut qui continentes esse non possunt, ab incontinentiæ peccato excusarentur.

CAPUT LXVI.

Opinio hæreticorum qui dicunt, quod confirmatio nullam habet efficaciam.

Sunt etiam hæretici qui derogant aliis quibusdam sacramentis, ut confirmationi, ordini et extremæ unctioni. Dicunt enim nullam esse virtutem sacramenti confirmationis, cum nec in Evangelio, nec in aliis libris Novi Testamenti legatur esse instituta a Christo, vel ab ejus discipulis.

Ad hoc dicimus quod ubi Christus insufflavit in apostolos, dans eis Spiritum sanctum ad robur, insinuavit eis confirmationis sacramentum. Illa enim virtus quæ ab apostolis dabatur per manus impositionem, datur fidelibus per confirmationem. Nec legitur hoc sacramentum in primitiva Ecclesia fuisse datum, nisi ab apostolis. Unde etiam postea non est collatum hoc sacramentum alicui, nisi apostolorum vicariis, qui apostolorum habent vicem. Et si ab aliis præsumptum fuerit, irritum habetur et vacuum, nec inter ecclesiastica reputabitur sacramenta. Virtus autem sacramenti hujus est donatio Spiritus sancti ad robur, qui datus est [65] in baptismo ad remissionem peccatorum. Cum ergo ipsi hæretici judicent [66] magnum esse sacramentum, manus impositionem, cujus vicem retinet hoc sacramentum confirmationis, inique [67] derogant huic sacramento. Quomodo etiam audent derogare auctoritati omnium sanctorum apostolos sequentium, qui maximum testantur esse hoc sacramentum ? Quod etiam tantæ est dignitatis, quod iterari non debet ; sine quo etiam nullus adultus et discretus sine periculo discedit ; quod etiam a jejunis tradi debet, nisi aliter cogat necessitas.

CAPUT LXVII.

Opinio illorum qui dicunt quod ordo non sit sacramentum.

Dicunt etiam fidei catholicæ inimici, ordinem [68], ut diaconatum vel sacerdotium, non esse sacramentum quod sic probare conantur : non legitur in aliqua canonica Scriptura apostolos ordinatos fuisse in sacerdotes, cur ergo eorum vicarios sic ordinari oportet [69] ? Item, apostoli, qui majores sa- A cerdotes dicti sunt, non leguntur uncti fuisse chrismate, cur ergo unguntur eorum vicarii ? Præterita merita faciunt et suffragantur [70] ut quis sit dignus aliquo officio ; quid ergo confert ordo [71] ?

Ad hoc dicimus quod Christus apostolos instituit sacerdotes, quando dans eis corpus suum, ait : *Hoc facite in meam commemorationem* (*Luc.* XXII ; *I Cor.* XI). Multa etiam reliquit apostolis ordinanda, quæ ipse non ordinavit, ut de ordinum collatione, sacerdotum consecratione. Præterea si ordo nihil conferret ad consecrationem, relinquitur ut laici etiam possint consecrare, ut sacerdotes, quod absurdum videtur. Legitur etiam in Actibus apostolorum quod apostoli septem ordinaverunt diaconos (*Act.* VI) : B a simili intelligendum est ab apostolis alios ordinatos esse sacerdotes. Legitur quoque Jacobum Alphæi ab apostolis ordinatum fuisse Hierosolymorum episcopum. Item, Paulus Timotheum ordinavit episcopum. Item in Epistola ad Corinthios ait : Deum in Ecclesia ordinasse quosdam apostolos, quosdam prophetas, alios doctores, quosdam sacerdotes (*I Cor.* XII). Similia habet in Epistola ad Ephesios (*Ephes.* IV). Quid ergo absurdius, quam ecclesiasticum destruere ordinem, quem instituerunt sancti Patres, et mater Ecclesia tanta veneratione celebrat. An magis credendum est simplicibus et idiotis, imo a fide Catholica alienis, quam viris prudentibus et religiosis ? **252** Quid magis C rationabilius est [72], quam illos esse præditos quadam spirituali dignitate, qui conficiunt sacramentum eucharistiæ ? Nonne Christus apostolis et eorum vicariis hanc contulit dignitatem, quæ nunc vicariis apostolorum in eorum consecratione confertur ?

CAPUT LXVIII.

Opinio eorum qui dicunt, extremam unctionem non esse sacramentum.

Dicunt etiam extremam olei unctionem quæ datur infirmis, nec esse sacramentum, nec aliquem habere effectum, quia hoc sacramentum unctionis infirmorum ab apostolis institutum non legitur.

Nos autem dicimus quod sacramentum untionis infirmorum ab apostolis institutum legitur : « Sub- D scripsit in hoc Alanus, Hugoni de Sancto Victore, lib. II *De Sacramentis*, p. 15 cap. 2 ; Altisiodorensi, lib. IV *Summæ*, tract. 7, c. 1,; Magistro, in 4 dist. 23 ; sancto Bonaventuræ, a. 2, q. 2, et pluribus aliis antiquioribus theologis, qui pariter docuerunt, sacramentum hoc a B. Jacobo fuisse institutum, intelligendo nimirum, non de institutione prima, qua lex aliqua legislatoris auctoritate primo conditur ; sed de promulgatione, qua sanctus Jacobus

VARIÆ LECTIONES.

[64] *In impresso omissa sunt hæc duo verba*, misericordiæ Dei. [65] *In impresso*, quo donatus est. [66] *In impress.* dicunt. [67] *In impress.* injusto judicio. [68] *In imp. confuse habetur* Catholicæ fidei ordinem. [69] *In imp. deest hæc interrogatio.* [70] *In imp. absurde sic* : Multa eorum suffraganci faciunt. [71] *In imp. pro* confert, *habetur* constat. [72] *In impresso*, quasi rationabilius est.

omnium primus sacramentum hoc promulgavit, A non quomodocunque, sed prius scripto tradens, et commendans illud posteritati, quo sensu, non absurde ipsum instituisse dicitur : Sic enim etiam legimus, a diversis pontificibus plura fuisse instituta, quæ tamen constat, divinæ aut apostolicæ esse institutionis. Sed quia a pontificibus lege scripta promulgata sunt, aut neglecta ad usum revocata, ab iis institutæ dicuntur. Atque ita auctores hos intelligendos et exponendos esse vide apud S. Thomam, *Supplem.* quæst. 29 a. 3, ad secundum. Et Guil. Estium, in 4, p. 2, dist. 23, § 3, lit. *C.* Et antea, dist. 1, § 16, ubi etiam expresse docet, adhuc post concilium Tridentinum, a Catholicis disputari, utrum omnia sacramenta a Christo instituta sint immediate? Item, ferendam esse illorum opinionem, B qui dicunt, aliqua sacramenta instituta esse ab apostolis. » Ait enim Jacobus apostolus in Canonica sua : *Infirmatur quis ex vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ, et orent super eum, ungentes eum oleo, in nomine Domini, et alleviabit eum Dominus, et si in peccatis sit, dimittentur ei* (*Jac.* v). In quo ostendit, duplici ex causa sacramentum hoc institutum fuisse, ad peccatorum remissionem, et ad corporalis infirmitatis alleviationem. Unde constat eum qui hanc unctionem fideliter [73] susceperit, tam in anima quam in corpore alleviari [74], si tamen expediat ut in utroque allevietur. Si autem corporis valetudinem forte illi habere non expedit, illam quæ animæ est sanitatem in hoc sacramento acquirit. C

CAPUT LXIX.

Opinio quorumdam, qui dicunt quod locus materialis non est dicendus Ecclesia.

Non desunt qui dicant Locum materialem non esse Ecclesiam, sed conventum fidelium tantum, quia, ut aiunt, locus ad orationem non pertinet : Sicut enim ubique est Deus, sic ubique adorari vel orari potest. Hoc autem probare nituntur auctoritate Christi dicentis Samaritanæ : *Mulier, crede mihi, venit hora, quando nec in monte hoc, nec in Hierosolymis adorabitis Patrem. Sed venit hora et nunc est, quando veri adoratores adorabunt in spiritu et veritate* (*Joan.* iv). Item si locus facit ad orationem, D cur eremitæ antiquitus in abditis locis habitantes, ecclesias non habebant? Cur etiam sacramenta effectum suum habent, etsi non celebrentur in loco qui dicitur ecclesia ? Item, quid operantur parietes ad supplicandum ei qui ubique est, cum in illo loco non magis sit quam in alio? **253** Christum etiam in montibus et locis desertis legimus fructuosior orasse, non in locis orationi dedicatis [75]. Item estne oratio fructuosior quæ fit in templo, quam illa quæ fit in agro, si par fuerit devotio?

CAPUT LXX.

Prædictorum infirmatio, et ad quid sit institutus locus qui dicitur ecclesia.

Dicimus, locum vel tempus non esse de substantia orationis, sed circumstantiam. Duo vero sunt de substantia, intentio bona et finis debitus. Nam ut oratio sit meritoria, oportet ut fiat bona intentione, pie et perseveranter, et fine debito, id est pro æterna salute. Unde Christus ait : *Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate* (*Joan.* iv); in spiritu, id est bona intentione, in veritate, hoc est pro veritate [76], scilicet pro æterno bono, quod vere verum est bonum, quia immutabile. Locus autem de substantia orationis non est, sed tamen ad orationem institutus est, ut ratione loci ad hoc destinati, ad orandum excitetur humana devotio. Et etiam, institutus ad significandum, quia templum materiale significat templum spirituale, quod est Ecclesia. De quo templo dicit Apostolus : *Templum Dei sanctum est, quod estis vos* (*I Cor.* iii). Similiter, nec tempus est de substantia orationis; quia quolibet tempore [77] potest orari Deus. Sunt tamen quædam horæ specialiter orationi deputatæ, et non sine ratione; ut media noctis hora, quia illa hora captus est Christus. Hinc David : *Media nocte surgebam ad confitendum tibi* (*Psal.* cxviii). Prima hora diei similiter orationi deputata est, quia tunc Christus a Judæis traditus fuit Pilato; eadem etiam hora a mortuis resurrexit, eadem hora Mariæ Magdalenæ apparuit. Hora quoque tertia orationi deputata est, quia tunc linguis Judæorum Christus crucifixus est et flagellatus. Eadem quoque hora Spiritus sanctus in die Pentecostes apostolis datus fuit. Similiter, sexta hora, qua Christus crucifixus est; qua etiam hora in die ascensionis cum discipulis discubuit (*Act.* i). Similiter, hora nona, quia eadem clamans emisit spiritum, et sanguis de latere fluxit (*Joan.* xx). In vespera, de cruce depositus fuit, et antea eadem hora cum discipulis suis in cœna discubuerat : hac etiam hora in die resurrectionis, duobus discipulis suis euntibus Emmaus, in fractione panis cognitus fuit (*Luc.* xxiv). In completorio, pro discipulis suis Patrem oravit. Eadem hora in sepulcro positus fuit. Propter has rationes, prædictæ horæ specialiter deputatæ sunt orationi.

Quod autem de eremitis objiciunt, non obest, quia nec locus de substantia orationis est, et ipsi eremitæ causa humilitatis in solitudinibus et locis abditis latebant.

Ex his patet aliarum objectionum solutio. Christus enim ideo in locis desertis oravit, ut insinuaret quod homo a tumultu sæcularium cogitationum debet animum secludere, dum orat Deum. Unde ipse ait : *Cum oraveris, intra in cubiculum, et clauso*

VARIÆ LECTIONES.

[73] *In impresso* devote. [74] *Ibidem*, et in corpore et in anima. [75] *In impresso sic* : In loco orationi dedicato, vel in templo. [76] *In impresso pro* veritate, *habetur* prosperitate. [77] *In impres.* qualibet hora.

ostio ora Patrem in abscondito, etc. (*Matth.* VI).

Oravit etiam ideo in desertis, ut per hoc insinuaret quod ubique potest orari Deus. Dicimus etiam, quod sola devotio operatur ad meritum orationis, locus tamen excitat ardorem devotionis.

CAPUT LXXI.

Quibus auctoritatibus probatur quod materialis locus dicatur domus Dei et orationis.

Quod locus materialis dicatur domus Dei, ad quam conveniunt fideles ut orent, variis probatur auctoritatibus. Legitur enim in Marco: Dominus ingressus *in* **254** *templum, cœpit ejicere ementes et vendentes in illo* (*Marc.* XI). Et quod ipse ait illis: *Scriptum est: Domus mea domus orationis vocabitur cunctis gentibus* (*ibid.*). Item idem in Matthæo. *Auferte ista hinc: et nolite facere domum Patris mei domum negotiationis* (*Matth.* XXI). Paulus ad Timotheum: *Ut scias quomodo te oporteat conversari in domo Domini, quæ est ecclesia Dei vivi* (*I Tim.* III). Idem ad Corinthios: *Primum quidem convenientibus vobis in ecclesiam, audio scissuras esse* (*I Cor.* XI). Et infra: *Nunquid non habetis domos ad manducandum, et bibendum, aut ecclesiam Dei contemnitis?* (*Ibid.*) Sciendum ergo, quod tam locus materialis, quam conventus fidelium, dicitur Ecclesia Dei. Sicut et Jerusalem, dicta est Civitas, et etiam conventus populi qui erat in ea. Unde illud: *Jerusalem, Jerusalem quæ occidis prophetas, et lapidas eos qui ad te missi sunt* (*Matth.* XXIII). Hoc enim intelligi non potest de lignea vel lapidea, sed de turba. Sic etiam forum dicitur locus in quo venduntur res venales, et populus existens in foro. Item, quæratur ab illis utrum aliquas vel nullas fieri concedunt ecclesias. Si dicunt nullas, videntur obviare apostolis, qui ecclesias fabricasse leguntur.

CAPUT LXXII.

Quibus auctoritatibus et rationibus dicant hæretici quod orationes sanctorum non prosunt vivis; nec vivorum orationes defunctis, et quod sancti non orent pro vivis.

Dicunt etiam hæretici quidam orationes sanctorum non prodesse vivis, nec vivorum orationes mortuis. Probare etiam videntur, quod sancti non orant pro vivis, quia sciunt qui sint salvandi vel damnandi; pro illis autem quos sciunt salvandos, non orant, quia superflua esset oratio, quia sive orent sive non, salvabuntur: Si vero orarent pro damnatis, non assequerentur quod petunt, et ita, beati non essent; beatus enim est cui omnia optata succedunt. Item, quilibet judicabitur secundum opera sua, et non aliena merita, nec pro alienis meritis reddetur ei. Et ideo, orationes sanctorum non prosunt vel quantum ad meritum, vel quantum ad præmium, quia non augent merita vel præmia.

A Item, sancti non sunt in loco merendi, sed recipiendi, ergo orationibus nec aliis bonis merentur sibi vel aliis. Item in Evangelio Lucæ legitur, quod Abraham dixit animæ divitis quæ erat in inferno: *Magnum chaos firmatum est inter nos et vos* (*Luc.* XVI). Ubi chaos nihil aliud vocavit, nisi dissimilitudinem bonorum et malorum, tantam, ut etiam sancti damnatis non compatiantur. Si vero non compatiuntur, nec orant pro eis.

CAPUT LXXIII.

Prædictorum determinatio.

Ad prædicta dicimus, quod et vivi orant pro mortuis, et mortuis prodest; et animæ defunctorum, ut verbi gratia, Petri et Pauli[78] pro vivis, et eis prodest. Nisi enim sancti qui sunt in paradiso
B pro nobis orent, frustratoria esset quotidiana Ecclesiæ oratio, quæ fit[79] ad sanctos, ut pro nobis orent, nec locum haberent litaniæ. Quis autem dicere audeat Dei Ecclesiam in his decipi, et suis orationibus frustrari? Cum unusquisque habeat angelum sibi ad custodiam deputatum, nonne verum est angelos velle eorum salutem, et interpellare pro eis? Paulus etiam dicit[80], Christum pro nobis interpellare apud Patrem, et si caput interpellat, nonne et membra, id est sancti? Alia iterum auctoritas dicit, quod angeli repræsentant Deo nostras orationes. Quid autem est hoc, nisi angelos pro nobis orare, et nostras orationes Deo offerre, ut nostri misereatur? De anima quoque divitis, legitur quod oravit pro fratribus vivis, ne venirent
C in **255** locum tormentorum (*Luc.* XVI). Si ergo in inferno damnatus et malitia depravatus, oravit pro salute suorum, multo magis sancti qui præditi sunt misericordia, orant pro salute vivorum. Nonne ipsi compatiuntur miseriæ vivorum? et si in illis est compassio, et voluntas[81], et si volunt eorum salutem, videntur pro eis orare.

Dicimus etiam quod sancti vivorum futuram salutem vel damnationem nesciunt, sed solus Deus: sic nec diem judicii sciunt. Et quia nesciunt salutem vel damnationem vivorum, promptiores sunt ad bonum quam ad malum, magisque flectuntur ad salutem quam ad damnationem: et sic volunt vivorum salutem et pro eis orare videntur. Sed Gre-
D gorii auctoritas qua dicitur: « Quid non vident, qui videntem omnia vident? » huic opinioni obviare videtur; sed hujus auctoritatis sensus est: « Quid non vident, » subaudi, de iis quæ pertinent ad eorum salutem, quasi dicat: Omnium cognitionem habent quæ pertinent ad eorum salutem. Non quod omnia sciant, sed ea quæ scire est de eorum salute, ut hæc universitas sit accommoda, non vaga[82]. Objiciunt etiam hæretici: Si sancti orant pro salute viventium damnandorum, non assequuntur

VARIÆ LECTIONES.

[78] *In impresso confuse sic:* Et animæ defunctorum ut precentur palam pro vivis, et eis prodest. [79] *In impr.*, funditur. [80] *In impresso sic*: Ideone etiam Paulus prædicat. [81] *In impresso vitiose* ergo voluntas salus eorum. [82] *In impresso pro* universitas, *habetur* universis.

quod petunt, et ita beati non sunt, quia beatus est cui omnia optata succedunt. Sed ad hoc dicimus quod, licet non assequantur omnia quæ petunt vel volunt pro aliis, non minus ideo beati sunt : sic enim intelligendum est quod dicitur : Beatus cui omnia optata succedunt, subaudi, sibi, etsi non aliis. Si enim scirent damnationem alicujus, non pro eo rogarent. Unde illi qui sunt in patria, non orant pro iis qui sunt in gehenna, quorum damnatio æterna est [83]. Item, quamvis quisque judicetur secundum propria merita [84], tamen orationes sanctorum prosunt viventibus, ut eis infundatur gratia remissionis peccatorum, et justificentur, et sic sua justitia mereantur. Si enim in vita aliquis potest mereri primam gratiam [85], vel majorem gratiam, multo magis sancti per suas orationes et preces, possunt vivis mereri gratiam, vel eam facere majorem [86] : quia et hoc sancti meruerunt in vita [87], ut viantibus prodessent eorum orationes in patria existentium. Deus enim ab æterno prævidit, ut ad orationes sanctorum quibusdam conferret, vel peccatorum remissionem, vel gratiæ multiplicationem, aut alia corporis vel animæ commoda. Et quamvis sancti jam in patria non mereantur sibi, in via tamen existentes, hoc meruerunt, ut orationes eorum in patria existentium viatoribus prodessent. Quod autem Abraham dixit magnum chaos firmatum esse (*Luc.* XVI), sic intelligitur : Sancti non compatiuntur his qui sunt in inferno, quia certa est eorum damnatio, sed iis tantum compatiuntur, qui ad utrumque se habent. Vivorum etiam orationes aliis prosunt. Unde in Actibus apostolorum legitur quod Petrus oratione sua paralyticum curavit (*Act.* IX), et Tabitham suscitavit a mortuis. (*Ibid.*) Et Jacobus Apostolus ait : ***Multum valet deprecatio justi assidua*** (*Jacob.* V). Christus etiam ait Petro : ***Oravi pro te ut non deficeret fides tua*** (*Luc.* XXII). Ecclesia etiam pro schismaticis et hæreticis orat, ut Deus convertat eos ad pœnitentiam : quod non faceret, nisi crederet orationes posse iis prodesse. Christus etiam pro suis persecutoribus oravit (*Luc.* XXIII). Stephanus pro suis lapidatoribus intercessit (*Act.* VII); quorum multi postea ad fidem sunt conversi. Palam [88] etiam est quod orationes vivorum prosunt mortuis, cum tota Ecclesia Dei oret pro defunctis, ut vel pœna sit tolerabilior, vel citior liberatio. Si sancti ut Petrus et Paulus habent potestatem ut suscitent mortuos orationibus suis, multo magis videntur habere potestatem subveniendi mortuis in purgatorio, ut citius liberentur.

Hoc autem clamant omnes auctoritates sanctorum, quibus contraire irreligiosum est, Augustinum videlicet et alios mendaces fuisse asserendo. Et si libros Machabæorum reciperent, apertam auctoritatem ibi invenirent super hoc ubi videlicet dicitur : « Vir fortissimus Judas, collatione facta, duodecim millia drachmas misit Jerosolymam, offerri pro **256** peccatis mortuorum sacrificium (*II Mach.* XII). » Sancti etiam nonne possunt hoc mereri bonis operibus apud Deum, ut orationibus et aliis benefactis subveniant animabus amicorum suorum?

CAPUT LXXIV.

Opinio hæreticorum, qui dicunt quod non debemus carnes comedere.

Asserunt præfati hæretici, carnibus vesci esse mortale peccatum. Quod sic probare conantur : Legitur Deus maledixisse terræ (*Gen.* III), et in maledictione terræ, maledixisse animalibus quæ vivunt de terra, et ideo, quibus maledixit Deus non est utendum. Item, caro descendit a carne sensitiva [89], immunditia, per luxuriam; immundis autem non est utendum [90]. Item, caro præbet fomentum luxuriæ, et ideo a carnibus abstinendum est, quia ab omnibus quæ præbent incitamenta peccati, abstinendum est. Præterea, non legitur quod Christus carnes comederit, et ideo non comedit, ut nobis exemplum abstinendi a carnibus præberet, et ita ab eis cavendum insinuavit. Sancti etiam leguntur abstinuisse a carnibus, et non sine causa [91]; ergo et nobis abstinendum est.

CAPUT LXXV.

Præmissorum determinatio, quod non est malum comedere carnes.

Ad hæc dicimus, quod non ideo abstinendum est a carnibus, quod terræ maledixit Deus, quia simili ratione abstinendum esset a fructibus. Terræ autem maledici nihil aliud fuit, quam eam sterilitati subjici. Nam quæ ante peccatum Adæ fertilis erat [92] ad omnes fructus sponte ferendos, post peccatum, et pro peccato sterilitate damnata est, ita ut raros faciat fructus, nec sine labore hominum [93], spinas et tribulos germinans (*Gen.* III). Non tamen ideo damnata est caro, ut ea non sit licitum uti, quamvis propter peccatum Adæ sit infirmata. Et quamvis ex traduce producatur caro ex carne, mediante luxuriæ pruritu [94], non tamen est immunda quantum ad esum. Quid enim prohibet ad comedendum quod concepta est per pruritum [95]? quæ immunditia ex hoc in carne ut prohibeatur a comestione? Nihil apud Deum reputatur immundum, nisi ratione peccati; cum ergo bestiarum caro non sit peccato subjecta, cur prohibetur ab esu hominum? Bonum dicimus a carnibus abstinere,

VARIÆ LECTIONES.

[83] *Ms. melius*, quorum damnatio certa est. [84] *In impresso* judicabitur. [85] *In impresso additur* alteri mereri primam gratiam, *et bene.* [86] *In impresso quædam hic omissa sunt.* [87] Via. [88] *In impresso*, manifestum. [89] *In ms. pro* sensitiva, *habetur* seminativa, *et bene.* [90] *hoc totum deest in impresso.* [91] *In impresso sic :* ergo ratio est qua abstinendum. [92] *In impresso*, uberrime fertilis. [93] *Deest ultima periodus in impresso.* [94] *In impresso, pro* pruritu, *habetur* principatu, *sed male.* [95] *Rursus hic pro* pruritu, *male habetur* per peccatum.

non quia sint malæ, sed quod carnali concupiscentiæ præstant fomenta, non tamen est peccatum edere. Quia ut ait Apostolus : *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt* (*I Cor.* VI); quod intelligitur de esu carnium. Item, quamvis non legeretur quod Christus comederit carnes, non est tamen verum quod non comederit : multa enim fecit Christus quæ scripta non sunt. Christus autem comedit agnum paschalem cum discipulis suis, de quo non est dubium, cum in Evangelio legatur : *Ubi vis paremus tibi comedere Pascha?* (*Matth.* XXVI). Ibi per pascha agnus paschalis intelligitur.

Sancti autem a carnibus abstinuerunt, non quod malæ essent, vel edere malum esset, sed ne fomentum concupiscentiæ eis præberent.

257 CAPUT LXXVI.

Quibus auctoritatibus et rationibus probatur quod non tenetur abstinere a cibis quos Deus creavit.

Isti errori multis auctoritatibus et rationibus obviari potest. Probatum est superius omnia a Deo creata esse; sed nihil a Deo creatum est immundum. Ergo nec caro est immunda. Ergo abstinendum non est a carne propter ejus immunditiam. Item, qua ratione dicunt abstinendum esse a carnibus, et non ab ovis, cum ova magis præbeant fomentum luxuriæ quam carnes? Cur etiam non abstinent a piscibus, qui etiam quadam seminativa ratione nascantur, et quidam etiam delicati A pruritum excitent libidinis. Præterea, quare etiam utuntur leguminibus, ut fabis, et pisis, quæ magis ventositatem faciunt et libidinem succendunt? Legitur quoque in Actibus apostolorum dictum esse Petro : *Quod Deus creavit, immundum ne dixeris* (*Act.* X). Apostolus etiam reprehendit hæreticos illos, qui prohibent *nubere et abstinere a cibis quos Deus creavit* (*Tim.* IV.) Dominus etiam mittens discipulos suos ad prædicandum, ait : *In quamcunque domum intraveritis, manete, edentes et bibentes quæ apud illos sunt* (*Luc.* X.) Idem Dominus, ut præostensum est, comedit pascha, id est agnum paschalem. Item Christus ait : *Omne quod in os intrat, non coinquinat hominem* (*Matth.* XV). Ergo nec caro. Item Apostolus : *Omne quod de mucello* B *venit, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam* (*I Cor.* X). Idem : *Omnis creatura Dei bona est, et nihil rejiciendum quod cum gratiarum actione percipitur: sanctificatur enim per verbum Dei et orationem* (*Tim.* IV). Item ad Titum : *Omnia munda mundis, coinquinatis et infidelibus nihil est mundum* (*Tit.* I). Sed objiciunt hæretici quod Apostolus prohibet comedere carnes et bibere vinum, dum dicit : *Bonum est homini non comedere carnes, et non bibere vinum* (*Rom.* XIV). Sed dicimus quod Apostolus non prohibet hic usum carnis vel vini, sed dat consilium abstinendi. Hæc contra hæreticos prædictos dicta sufficiant. Nunc ad illos qui Waldenses dicuntur, stylum vertamus.

LIBER SECUNDUS.

CONTRA WALDENSES.

258 CAPUT PRIMUM.

Quibus auctoritatibus et rationibus probatur quod nullus debeat prædicare, nisi sit a majore prælato missus.

Sunt quidam hæretici qui se justos esse fingunt, cum sint lupi veste ovina induti. De quibus Dominus in Evangelio dicit : *Attendite a falsis prophetis qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus vero sunt lupi rapaces* (*Matth.* VII). Hi Waldenses dicuntur, a suo hæresiarcha, qui vocabatur Waldus, qui suo spiritu ductus, non a Deo missus, novam sectam invenit, scilicet ut sine prælati auctoritate, sine divina inspiratione, sine scientia, sine litteratura [96] prædicare præsumeret. Sine ratione philosophus, sine visione propheta, sine missione apostolus, sine instructore [97] didascalus, cujus discipuli, imo, muscipuli, per diversas mundi partes, simplices seducunt, a vero aver- C tunt [98], non ad verum convertunt. Qui potius ut satient ventrem quam mentem [99], prædicare præsumunt, et cum non velint laborare propriis manibus ut acquirant victum, malunt otiose vivere et falsa [100] prædicare, ut venentur cibum (*I Cor.* IV); cum Paulus dicat : *Qui non laborat, non manducet* (*II Thess.* III). Qui primo, in hoc navigant contra divinam auctoritatem, et contra sacræ Scripturæ præconia, quod prædicant non missi a superiori prælato, aut a Deo; nam a Deo missos esse non probant eorum opera, nec miracula comprobant. Missio enim a Deo facta, et operibus probatur bonis, et miraculis comprobatur. Nec etiam legimus aliquem sanctum prædicasse nisi missum. Nam et Christus a Patre missus est, nec venit ad prædi- D candum nisi secundum Patris beneplacitum. Hoc idem patet in prophetis et apostolis, eorumque vicariis. Jonam [1] a Deo missum legimus (*Jon.* I) Et

VARIÆ LECTIONES.

[96] *In impresso habetur*, sine conscientia, sine littera. [97] *In impresso*, instructione. [98] *In impresso*, a via seducunt. [99] Satientur ventre quam mente. [100] *In impresso* similia præcinere. [1] *In impresso male pro* Jona, *habetur* Joannes.

ad Jeremiam ait Dominus: *Priusquam te formarem in utero, novi te, et antequam exires de vulva, sanctificavi te, prophetam in gentibus dedi te* (*Jer.* I). Amos etiam dicit se missum esse a Deo cum esset pastor ovium (*Amos* I). Et Spiritus sanctus introducitur in Malachia ad Patrem ita loquens de Joanne Baptista: *Ecce mitto Angelum meum ante faciem tuam* (*Malac.* III, *Matth.* II). Isaias etiam legitur a Deo missus (*Isa.* I). Et quid opus singulos recensere? Omnes prophetas Veteris Testamenti legimus a Deo missos fuisse. Similiter et discipuli Christi dicti sunt apostoli, quasi super alios missi [1]. Similiter et eorum vicarii missi sunt. Per hoc etiam quod Christus misit apostolos et alios ad prædicandum, signatum est, quod minores in Ecclesia Dei prædicare non debent, nisi a majoribus mittantur. Et cum in Ecclesia Dei distribuantur ordines per majores [2], ita prædicandi officium, cum sit maximum in Ecclesia Dei. Et sicut nullus promoveri debet **259** ad sacerdotium, nisi eo modo quo Aaron, hoc est, ut sibi non usurpet, sic nec aliquis ad officium prædicatoris sua auctoritate accedere debet. Unde Core, sicut legitur in Numeris, cum sociis, quia alienum officium usurpavit, igne periit (*Num.* XVI). Legitur etiam in libro quarto Regum, quod Ozias rex quia sacrificandi officium sibi usurpavit, lepra percussus est (*IV Reg.* XV; *II Paral.* XXVI). Similiter, lepra spirituali, id est peccato mortali percutitur, qui prædicatoris officium sibi usurpat. Apostolus etiam ad Romanos ait: *Quomodo prædicabunt nisi mittantur?* (*Rom.* X.) Quia non sunt veri apostoli nisi missi [4]. Item, in Epistola secunda ad Corinthios, pseudoprædicatores arguit [5], quia missi non erant, sed sua auctoritate prædicabant (*II Cor.* XI). Ipse vero missus fuit a superiori, id est a Christo. Nam etiam ad Romanos, de Christo loquens, ait: *Per quem accepimus gratiam et apostolatum* (*Rom.* I) [6]. Quomodo etiam prædicabunt illitterati qui Scripturas non intelligunt [7]? nonne eorum prædicatio potius est in ruinam multorum quam resurrectionem? Item, quomodo litteras noverunt, qui non didicerunt? Videmus etiam sanctiores iis non prædicare, qui intellectum sacræ Scripturæ habent, ut multos Cistercienses, quia nimirum missi non sunt. Si sapientibus et sanctis periculosum [8] est prædicare, periculosissimum est idiotis, qui nesciunt quod prædicandum, quibus prædicandum, quomodo prædicandum, quando prædicandum, ubi prædicandum. Ipsi etiam obviant Apostolo [9], in hoc quod mulierculas secum ducunt, et eas in conventu fidelium prædicare faciunt, cum Apostolus dicat in Epistola prima ad Corinthios: *Mulieres in ecclesia taceant: non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse, sicut et lex dicit: si quid autem volunt discere, viros suos domi interrogent; turpe enim est mulierem in ecclesia loqui* (*I Cor.* XIV). Item Apostolus in Epistola prima ad Timotheum: *Mulier in silentio discat cum omni subjectione; docere autem mulieri non permitto, neque dominari in virum* (*I Tim.* II). De his hæreticis ait etiam Apostolus in Epistola secunda ad Timotheum: *Hoc autem scito, quod in novissimis diebus instabunt tempora periculosa, et erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemantes, parentibus inobedientes, ingrati, scelesti, sine affectione, sine pace, criminatores, incontinentes, immites, sine benignitate, proditores, protervi, tumidi, voluptatum amatores magis quam Dei, habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes; et hos devita: ex his enim sunt qui penetrant domos, et captivas ducunt mulierculas, oneratas peccatis, quæ ducuntur variis desideriis, semper discentes, et nunquam ad veritatis scientiam pervenientes* (*II Tim.* III). Hæc omnia maxime conveniunt Waldensibus, qui *elati* sunt, prælatis Ecclesiæ detrahentes; *superbi*, propria opera jactantes; *blasphemi* in Deum per hæreses, *parentibus* carnalibus et spiritualibus *inobedientes* [10], quia negant obedientiam prælatis suis; *scelesti*, quia suas animas et alias pravis dogmatibus interficiunt; *sine affectione* ad aliquem [11], *sine pace*, alios inquietantes, *criminatores*, quia aliis crimina imponunt; *incontinentes* tamen in conciliabulis suis gulæ indulgent et luxuriæ intendunt, ut testantur illi qui a consortiis eorum recedunt; *immites*, exercendo lites; *sine bonitate*, quia subvenire aliis nolunt; *proditores*, quia secreta aliorum revelant; *tumidi* corde inflati, profana religione protervi et procaces, *speciem quidem pietatis habentes, virtutem autem ejus abnegantes*, quia extrinsecus religionem prætendunt, intrinsecus autem sunt lupi rapaces; cæci non intelligentes quid loquuntur, nec de quibus agunt; voluptatum amatores, carnales lætitias spiritualibus præponentes [12]. Isti sunt *qui penetrant domos viduarum* et eas decipiunt; hi sunt qui semper laborant in gymnasiis suis, ut addiscant, et nunquam ad scientiam veritatis pervenient.

260 CAPUT II.

Quibus auctoritatibus et rationibus muniti Waldenses, dicunt neminem debere alicui obedire nisi Deo.

Isti Waldenses asserunt neminem debere obedire alicui homini, sed soli Deo. Quod probare nituntur auctoritate Petri et Joannis, qui ut in Actibus apostolorum legitur, ad Scribas et Pharisæos loquens ait: Vos ipsi judicate an potius obediendum sit Deo

VARIÆ LECTIONES.

[1] *In impresso*, super alios, et alios missos missi. [2] Auctoritate majoris. [4] *Hoc ultimum deest in impresso.* [5] reprehendit. [6] *Totum hoc deest in impresso.* [7] *In impresso sic:* qui sacramentum Scripturæ non intelligunt. [8] *In impr.*, periculum. [9] *In impresso*, contra Apostolum in hoc præsumunt. [10] *In impresso, deest* carnalibus. [11] *In impresso*, sine affectione animæ. [12] *Plura ex præcedentibus desunt in impresso.*

præcipienti, an vobis probibentibus (*Act.* 4 et v). Quasi dicat : Erratis, prohibentes quæ Deus præcipit, nec estis audiendi : ubi enim superior præcipit, et inferior contradicit, non est inferior audiendus. Dicunt etiam quod si homini obediendum est, propter Deum obediendum est, et non propter hominem, et sic soli Deo obediendum est. Item, si homini homo obediret in quibus obediendum non est, peccaret, quia in hoc non obediret Deo. Item, Samuel ad Saul : Species ariolandi est nolle obedire (*I Reg.* xv). Species ariolandi est, quodammodo Deum negare per inobedientiam; sed nolle obedire homini, non est ariolari, sed non velle obedire Deo. Deo igitur obediendum est, et non homini, quia per hoc quod non obedimus homini, non ariolamur, sed per hoc quod negamus obedientiam Deo.

CAPUT III.

Solutio præmissorum, et quod Deo et hominibus obediendum est.

His respondendum est quod Deo et homini obediendum est, sed Deo magis quam homini : homini tamen etiam, quia est super homines potestas ordinata a Deo, quia ut ait Apostolus : *Non est potestas nisi a Deo* (*Rom.* xiii) [13]. Unde Christus ad Pilatum : *Non haberes in me potestatem, nisi tibi datum esset desuper* (*Joan.* xix). Si ergo Pilatus, qui ab imperatore Romano potestatem terrenam acceperat, eam super Christum habebat, longe fortius [14] et alius homo super alios homines. Christus etiam patri putativo et Matri obediens fuit (*Luc.* ii). Petrus autem et Joannes, per hoc quod dicunt potius esse obediendum Deo præcipienti quam hominibus (*Act.* v), non negant homini esse obediendum, sed potius Deo quam homini. Homini tamen nunquam est obediendum in malis, sed tantum in bonis : et in hoc quod quis obedit homini in bono, obedit Deo. Quod autem Samuel ait, species ariolandi est nolle obedire (*I Reg.* xv), intelligitur in eo casu, quando ex præcepto divino, vel inspiratione divina quispiam alicui aliquid injungit; sicut Samuel ex inspiratione divina, vel præcepto divino injunxerat Sauli ut exspectaret eum ad offerendum sacrificium. In eo igitur quod non exspectavit, Deo inobediens fuit, et non tantum homini; et hæc inobedientia quodammodo species ariolandi fuit.

261 CAPUT IV.

Auctoritates quibus probatur quod hominibus obediendum est, maxime prælatis.

Quod autem hominibus, et maxime prælatis obediendum sit, manifeste ostendit Apostolus in Epistola ad Romanos, dicens : *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit; non est enim potestas nisi a Deo : quæ autem sunt a Deo, ordinata sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit* (*Rom.* xiii). Et infra : *Ideo et tributa præstatis; ministri enim Dei sunt, in hoc ipsi deservientes* (*ibid.*). Petrus etiam in Epistola canonica ait obediendum esse dominis suis, non solum modestis sed etiam dyscolis (*I Petr.* iii). Dicit etiam Dionysius in *Hierarchia*, quod angeli invicem obediunt, minores scilicet majoribus. Bruta quoque animalia sibi invicem obediunt; quod apparet etiam in minimis animalibus, id est apibus; nam et apes regem habent.

Potestates ergo tam ecclesiasticæ quam sæculares ordinatæ sunt a Deo; ut superiores inferiores rogant, et ut subditi laudem [15] habeant ex illis si bene agant; vel, si male, puniantur [16]. Debent subditi suis obedire prælatis, sive boni sint, sive mali, in bonis tamen, et non in malis. Obedientia enim est animi deliberantis, honestæ et justæ jussionis effectus ; quia in his debemus obedire prælatis quæ juste deliberant et juste imperant. Sunt autem quædam sine quibus non est salus, ut adimpletiones præceptorum moralium, in quibus omnino tenemur obedire prælatis.

Sunt aliæ in quibus non est salus, ut mortalia peccata, in quibus agendis, nulli est obediendum. Sunt et alia media, cum quibus est salus, et sine quibus est salus, ut carnes comedere, vel non comedere. Prædicare autem laico non licet, et ei periculosum est [17], quia non intelligit quod dicit, nec Scripturas intelligit quas exponere præsumit [18]. Ergo si prælatus ei injungat ut taceat, tenetur tacere; et si non tacet, mortaliter peccat.

Unde, si sub pœna excommunicationis prohibet ei prædicare, si prædicet, sententiæ excommunicationis subjacet. Quare, isti Waldenses qui contra præceptum domini papæ prædicant, imo contra totam Ecclesiam, huic sententiæ subjacent. In concilio etiam Lateranensi in eos sententia excommunicationis lata est. Unde eis etiam communicandum non est, cum sententia apostolica ab Ecclesia præcisi sint. Ideo autem excommunicati sunt, quia officium non suum usurpant contra fidem et quidem verbis Ecclesiam prædicant, cui factis derogant, et os in cœlum ponunt, Romanæ curiæ detrahentes, cum instar sacrilegii sit, de facto summi pontificis disputare. Quibus etiam magis credendum est, idiotis, an sapientibus Ecclesiæ universis? Si ergo in his quæ non sint periculosa, sed indifferentia, ut, abstinere a carnibus vel a vino, obedimus majoribus et prælatis Ecclesiæ, multo magis tenentur prædicti hæretici prælatis Ecclesiæ obedire in his quæ periculosum est facere; cum prælati sententia (testante Gregorio) sive justa sit sive injusta, non solum timenda, sed etiam tenenda sit.

VARIÆ LECTIONES.

[13] *Hoc ultimum deest in impresso.* [14] *In impresso* multo magis. [15] Impressum habet *gratiam.* [16] In impresso, *si male operantur, pœnam sustineant.* [17] In impresso omnia hic sunt confusa, et pro *periculosum est*, habetur *periculosum non est.* [18] *In impresso*, promisit.

CAPUT V.

Ovinio eorum qui dicunt quod bonis prælatis tantum sit obediendum eorumque refutatio.

Forte dicent quidam hæretici, quod bonis prælatis obediendum est, qui apostolorum vicarii sunt vita et officio; non vero iis qui apostolorum vitam non habent, nec **262** officium eorum retinent, quia hi mercenarii sunt, non pastores.

Verum his obviat beatus Clemens, dicens : « Sacerdotes et reliqui ministri Ecclesiæ, omnisque plebs, episcopos suos diligere debent, eorumque præceptis obedire; etiamsi ipsi aliter agant (quod absit), nisi in fide erraverint. » Item Eusebius papa : « Oves quæ suo pastori commissæ sunt, eum reprehendere non debent, nisi a fide exorbitaverit, » nec ullatenus accusare possunt; quia facta pastoris, gregis gladio ferienda non sunt [19].

CAPUT VI.

Auctoritate probare conantur hæretici quod tantum apostolorum imitatoribus obediendum est.

Quod autem illis solis potestas ligandi et solvendi data sit, qui doctrinam simul et vitam apostolorum servant, variis conantur auctoritatibus probare. Ait enim Augustinus, in libro *De Baptismo :* « Remissionem peccatorum per seipsum facit Deus, vel per columbæ membra. » Dicit etiam idem Augustinus, peccata vel commissa dimitti a sanctis.

Idem super Exodum, ubi de lamina aurea sacerdotis loquitur, quæ semper erat in fronte sacerdotis. « Hæc, inquit, significat fiduciam bonæ vitæ, quam qui vere, perfecteque, non tantum significatione, sed veritate sacerdos habet, solus potest peccata auferre. » Item Gregorius : « Illi soli habent in carne positi [20], ligandi et solvendi potestatem sicut sancti apostoli, qui illorum exempla simul cum doctrina tenent. » Item ex dictis Gregorii : « Hæc soli Petro concessa est potestas, et imitatoribus Petri, nam quicunque Petri vestigia imitantur, habent hanc ligandi et solvendi potestatem. » In Malachia etiam legitur : *Maledicam benedictionibus vestris* (*Malach.* II). Et alibi : *Væ illis qui vivificant animas quæ non vivunt, et mortificant animas quæ non moriuntur* (*Ezech.* XIII). Si enim maledicit Dominus benedictionibus eorum, et si animæ quas vivificant, non vivunt, quomodo per eos gratia benedictionis datur [21] ?

CAPUT VII.

Præmissorum determinatio. Quod omnes sacerdotes habent ligandi et solvendi potestatem.

Ad hoc dicimus, quod omnes sacerdotes habent potestatem ligandi et solvendi, sed illos solos digne ac recte hac potestate uti, qui præditi sunt vita et doctrina apostolica, et ad hoc referendæ sunt prædictæ auctoritates, quæ dicunt injustos sacerdotes nec ligare nec solvere, id est nec digne, nec recte. Absolute tamen per illos qui sancti non sunt, fit remissio vel retentio peccatorum. Dat enim Deus benedictionem digne petenti, etiam per indignum ministrum. Quod autem in Malachia legitur : *Maledicam benedictionibus vestris* (*Malach.* II), sic intelligitur, *Benedictionibus vestris*, id est iis quæ nostris benedictionibus non possidetis, *maledicam*, quia me vos deserente, vobis cedent in malum. Vel sic : et si benedicunt sanctis, non hoc faciunt ex vero corde; et sic, benedictio vertitur eis in maledictionem. Vel sic : quod a vobis benedicitur, a me maledicitur, quia male agentibus benedicunt, adulanturque peccantibus, dummodo sint divites [22]. Vel intelligatur hoc dici contra hæreticos ab Ecclesia præcisos et excommunicatos, quorum benedictiones **263** sunt maledictiones, qui eorum sequuntur errores. Illud autem, *Væ illis qui vivificant animas*, id est se vivificare dicunt, intelligitur de his qui absque clave scientiæ et forma bonæ vitæ, ligare vel solvere præsumunt.

Quod vero potestatem ligandi et solvendi habeant omnes sacerdotes, testatur Hieronymus super illum locum Evangelii, ubi Dominus ait Petro : *Tibi dabo claves regni cœlorum*, etc. (*Matth.* XVI). « Habent eamdem judiciariam potestatem cæteri apostoli, habet et omnis Ecclesia in episcopis et presbyteris, sed ideo Petrus eam specialiter accepit, ut omnes intelligant quod quicunque ab unitate fidei et societate Ecclesiæ se separaverit, nec a peccatis solvi, nec cœlum potest ingredi. » Item quod sacerdos etiam si malus sit, gratiam tamen transfundat pro suæ dignitatis officio, Augustinus ostendit dicens : « Dictum est a Domino, in Numeris, ad Moysen et Aaron sacerdotes : *Vos ponite nomen meum super filios Israel, ego Dominus benedicam eos* (*Num.* VI). » Ut gratiam per ministerium ordinati transfundat hominibus, nec voluntas sacerdotis obesse vel prodesse potest, sed meritum benedictionem poscentis. Quanta autem sit dignitas sacerdotalis officii et ordinis, hinc advertimus. Augustinus dicit in libro *Quæstionum Veteris et Novi Testamenti :* « Dictus est de nequissimo Caipha, inter cætera : Hoc autem a semetipso non dixit, sed cum esset pontifex anni illius, prophetavit (*Joan.* II), » per quod ostenditur spiritum gratiarum personam [23] non sequi indigni vel digni, sed ordinem traditionis, ut, quamvis aliquis boni meriti sit, non tamen possit benedicere, nisi fuerit ordinatus, ut nihil ministrorum officium exhibeat [24]. Dei autem est officium [25] tribuere benedictionis.

VARIÆ LECTIONES.

[19] In impresso, omnino contrarie, sic : *Pastoris gladio oves feriendæ non sunt.* Verum, lectionem nostram retinendam esse, quilibet facile collegerit. [20] In impresso sic : *in hac causa positi.* [21] In impresso, pro, *datur*, habetur *transfunditur.* [22] Sequentia omnia in impresso desunt. [23] *In impresso*, partem. [24] *In impresso ita*, ut officium ministri exhibeant. [25] *In impresso pro* officium *habetur* effectum.

CAPUT VIII.

Opinio illorum qui dicunt quod officium vel ordo nihil confert ad consecrandum, vel benedicendum, ad ligandum et solvendum.

Aiunt etiam prædicti hæretici quod magis operatur meritum ad consecrandum vel benedicendum, ligandum et solvendum, quam ordo vel officium. Unde ipsi quamvis ordinati non sint, quia se justos esse fingunt et merita apostolorum habere, modo sacerdotali benedicere præsumunt. Dicunt etiam se posse consecrare, ligare et solvere, quia meritum dat potestatem, non officium : et ideo qui se dicunt apostolorum vicarios, per merita debent habere eorum officia. In quo maxime contra Ecclesiam navigant, et se contra demonstrant esse. Istum autem errorem fulcire conantur auctoritate N. [26], dicentis : « Sacerdotes non propria virtute benedicunt, sed quia figuram Christi gerunt, et propter eum qui in ipsis est, benedictionis plenitudinem tribuunt. » Itaque, non solum is qui sacerdotium sortitus est, sed quicunque Christum in seipso habet, et ejus figuram gerit per conversationem bonam, sicut Moyses idoneus est, ut benedictionem præstet. Ad hoc etiam notandum, aiunt, quod Apostolus in Epistola ad Romanos, dicens, *per quem accepimus gratiam et apostolatum* (*Rom.* I), præposuit gratiam apostolatui [27].

Prædictis autem respondemus, quod alia est benedictio quæ congruit solis sacerdotibus, alia quæ ab omnibus communiter exhibetur. Denique sacerdotes in quibus Christus habitat, benedictionis **264** plenitudinem tribuere dicuntur, non quia illi soli gratiam transfundant, sed quia illi soli licite et digne id agant [28]. Nec subditos mala vita sacerdotis lædit, si vere faciunt quod ille dicit.

Unde Gregorius : *Multi dum plus vitam sacerdotis quam suam discutiunt, in erroris foveam dilabuntur, minus considerantes, quod non eos vita sacerdotum læderet, si humiliter bonis sacerdotum admonitionibus aures accommodarent* [29].

CAPUT IX.

Infirmatio illorum qui dicunt quod non tenetur quis confiteri sacerdoti, si præsto sit laicus.

Præfati etiam dicunt hæretici quod non est necesse hominem confiteri peccata sua sacerdoti, si præsto sit laicus cui possit confiteri. Sed, quod studiose requirendus sit sacerdos, cui Deus concessit potestatem ligandi et solvendi, ostendit Augustinus in libro *De pœnitentia*, dicens : « Qui vult confiteri peccata, ut inveniat gratiam, quærat sacerdotem qui sciat ligare et solvere, ne cum negligens circa se existit, negligatur ab eo qui misericorditer eum monet et petit. » Idem : « Judicet se homo voluntate dum potest, et mores in melius convertat, ne cum non poterit, præter suam voluntatem a Domino judicetur. Et cum protulerit in se severissimæ (sed tamen utilissimæ) medicinæ sententiam [30], veniat ad antistites, per quos illi claves in Ecclesia ministrentur. A præpositis sacramentorum [31] accipiat suæ satisfactionis modum. » Item Leo papa : « Multiplex misericordia Dei ita lapsibus humanis subvenit, ut non modo per baptismum, sed etiam per pœnitentiam spes vitæ reparetur, sic divinæ voluntatis præsidiis ordinatis, ut indulgentiam Dei, nisi supplicationibus sacerdotum nequeat obtinere. Christus enim hanc præpositis Ecclesiæ tradidit potestatem, ut pœnitentibus et peccata confitentibus darent pœnitentiæ satisfactionem, et eosdem salubri satisfactione purgatos, ad communionem sacramentorum, per januam reconciliationis admitterent. » Item Leo : « sufficit confessio quæ primum Deo offertur per sacerdotem, quem pro delictis primum peccator accedit. Tunc enim plures ad pœnitentiam provocari poterunt, si populi auribus non publicetur conscientia confitentis [32]. » Item Augustinus. « Quem pœnitet de peccatis, dolorem lacrymis ostendat, et per sacerdotem suam vitam Deo repræsentet : præveniat Dei judicium per confessionem ; præcepit enim Deus mundandis ore sacerdotibus peccata esse confitenda, non per scriptum, vel nuntium , ut singuli pro peccatis suis erubescant ; quia erubescentia partem habet remissionis. »

CAPUT X.

Quod in necessitate potest homo confiteri peccata sua proximo, vel socio suo, si desit sacerdos.

Ex prædictis patet quod non sufficit confiteri Deo sine sacerdote ; nec est vere humilis et pœnitens, nisi desideret ac studiose requirat sacerdotis judicium. Si tamen sacerdotis habere non possit copiam, socio vel proximo sufficit confiteri. Unde Augustinus, in libro *De pœnitentia :* « Tanta est vis confessionis, ut si desit sacerdos, confiteatur proximo. » Sæpe enim contingit quod pœnitens non **265** potest verecundari coram sacerdote. Et quoniam desideranti nec tempus, nec locus offert, etsi ille cui confitebitur, ligandi et solvendi potestatem non habeat, fit tamen dignus venia, ex sacerdotis desiderio, qui crimen confitetur socio. Mundati enim sunt leprosi dum irent orare, vel ostendere se sacerdotibus, antequam ad eos pervenirent. Unde patet, Deum ad eorum corda respicere, qui non possunt ad sacerdotes pervenire [33] (*Luc.* XVII).

Objiciunt autem nobis in hunc modum : Si pec-

VARIÆ LECTIONES.

[26] *Nomen auctoris in impresso desiderabatur, in ms. autem legere nequivi , quantum autem conjicere potui, erat,* Esitii : *hujus vero loco, exemplar impressum substituerat,* auctoritas eventu dicentis. [27] *Tota hæc periodus deest in imp.* [28] *In impresso sic, sensu contrario,* non quia illi soli licite et digne id agant. [29] *In impr.* adhiberent. [30] *Plura hic desiderantur in impresso.* [31] *In impresso,* sacerdotum. [32] *Cætera desiderantur in impresso.* [33] *In impresso sic sine sensu ,* dum necessitate te prohibent sacerdotes prævenire.

catum omnino remissum est a Deo per cordis contritionem, ex quo pœnitens habuit voluntatem confitendi [34], quid postea dimittitur a sacerdote? Video enim quo vinculo eum ligat, scilicet temporali pœna, sed non a quo eum absolvat. Ante pœnitudinem enim cordis, anima rei maculam habet, et fetorem peccati, et æternæ ultionis vinculo ligata existit. Si vero ante confessionem, per contritionem cordis, Deus per seipsum sine ministerio sacerdotis, et debitum omnino relaxat, et animam interius purgat a contagio, et fetore peccati, quid igitur mundat, quid dimittit sacerdos?

Ad hoc dicimus quod homo, quando peccat, delinquit contra Deum et contra proximum: Contra Deum, quia facit contra ejus præceptum, contra proximum, per pravum exemplum. Cum ergo penitus remittitur ei peccatum quoad reatum, id est quantum ad debitum pœnæ æternæ, remissum est quoad Deum: Sed quia peccavit etiam contra proximum, restat pœna temporalis ei injungenda. Præterea quia nemo certus est utrum revera habeat veram contritionem per quam ei omnia peccata remissa sint; ideo datum est a Deo officium sacerdotibus, ut pœnitentibus sacramentum absolutionis impendant, et secundum quod viderint illos dispositos, majorem aut minorem injungant satisfactionem. Itaque sacerdos solvit per culpæ et pœnæ relaxationem, et quando per reconciliationem, in Ecclesiam inducit; ligat, quando sententia excommunicationis subditos ferit [35].

CAPUT XI.

Opinio eorum qui dicunt, quod generales absolutiones quæ fiunt ab episcopis in variis officiis, non sint ratæ.

Prædicti etiam hæretici nituntur probare, quod absolutio quæ fit ab episcopis in consecratione Ecclesiarum, vel in aliis officiis, non sit habenda rata. Aiunt enim: Iste tenetur ad satisfactionem trium annorum, unus episcopus in consecratione unius ecclesiæ dimittit ei tertiam partem, secundus relaxat aliam tertiam partem, et tertius reliquam relaxat tertiam, quia tantam potestatem relaxandi habent secundus et tertius quantam et primus. Quod si est pro tribus obolis et nummis, relaxabitur pœnitentia triennis. Item, indiscreta videtur esse illa relaxatio, nec æqua satisfactionis recompensatio, si pro uno obolo vel nummo, relaxetur unius anni satisfactio.

Verum ad prædicta dicimus, quod ille cui injungitur satisfactio, charitatem habet vel non. Si charitatem non habet, nihil ei ab episcopo relaxatur: Si vero charitatem habet, aut sit in charitate, hoc dictat ei charitas, ut perficiat pœnitentiam sibi injunctam, nec seipsum palpet, corporalem declinans A pœnam, quin injunctam sibi pœnitentiam peragat, si potest. Quia ipsa charitas reddit hominem paratum, ut non solum illam, verum etiam majorem compleat, si ei injungeretur. Talis, si implet illud, pro quo facta est relaxatio ab episcopo, non relaxandæ pœnæ intentione, sed ex charitatis fervore, et decedit ante peractam pœnitentiam, remittetur ei tantum de pœna purgatoria, quantum in præsenti sæculo ei relaxavit episcopus **266**. Dicimus etiam quod liceat spiritualem pœnam commutari in corporalem, vel pecuniariam, quæ in plerisque longe gravior corporali [36]. Nec isti, qui ex charitate accedit [37], fit commutatio pœnæ quantum ad ipsum, quia non hac intentione facit illud pro quo sit relaxatio, scilicet ut relaxetur ab injuncta pœnitentia, B sed solo intuitu charitatis. Nec vult ut relaxetur, sed habeat propositum perficiendi pœnitentiam, si Deus concesserit vitam. Quia igitur proponit eam perficere, nec in ipso remanet quin perficiat, si priusquam perficiat, decedit, et ipse episcopus hac intentione relaxat, ut in purgatorio ei aliquid de pœna relaxetur: isti, si fuerit morte præventus, tantum de pœna purgatorii relaxabitur, quantum in hoc sæculo de pœna temporali relaxatum esse videbitur.

CAPUT XII.

Opinio illorum qui dicunt suffragia illa quæ fiunt ab illis qui sunt in peccato mortali, non prosunt mortuis.

C Dicunt etiam prædicti hæretici quod orationes vel suffragia eorum qui sunt in mortalibus peccatis [38], animabus mortuorum non prosunt. Nam quomodo potest aliis prodesse qui sibi non potest prodesse? Item, oratio quæ fit in orantis perniciem, quomodo erit in alterius salutem? hoc autem probare nituntur auctoritatibus et rationibus. Dicit enim auctoritas: « Si is displicet qui ad intercedendum mittitur, irati judicis animus ad deteriora provocatur. » Item: « Qui indevote orat, judicium sibi postulat. » Sed qui sibi in oratione postulat judicium, quomodo aliis postulat remedium? Item: *Oratio ejus fiat in peccatum* (*Psal.* CVIII). Quomodo ergo ad salutem aliorum? Item ille qui meretur offensam apud Deum quia orat, quomodo pro alio D perorabit? *Peccatori enim dixit Deus, quare tu enarras justitias meas, et assumis testamentum meum per os tuum?* (*Psal.* XL.) Item et rationibus probare conantur: Sacerdos in mortali peccato existens, dum celebrat divina, aut orat, actio illa mala est, et per hanc sibi meretur pœnam æternam, ergo eadem non meretur alii relaxationem pœnæ: nulla enim actione potest quis mereri bonum et malum. Item, dicit auctoritas quod illius sacerdotis missa audienda non est, de quo indubitanter constat quod

VARIÆ LECTIONES

[34] *In impresso*, votum confitendi. [35] *Præcedentia omnia in impresso habebantur hinc inde aliter, et valde obscure: sed et in ms. vix sensus aliquis colligi potuit.* [36] *Ms habebat*, nam in pecuniarum, quæ tamen plerumque gravior est corporali. [37] *In impresso sic, sine sensu*, isti cui ex charitate accedit. [38] *In impresso*, qui in morte sunt.

habeat concubinam. Alia etiam clamat auctoritas, quod ille qui in mortali peccato est nec in ecclesia orare, nec populum docere debet [39].

CAPUT XIII.

Præmissorum solutio, et quod oratio quæ fit ab Ecclesia, a quocunque proferatur, prosit mortuis et vivis.

Ilis facile potest responderi. Verum enim est quod is qui ad intercedendum mittitur, Deo per mortale peccatum displicet, ex eo quod præsumit orare pro alio. Deterior etiam fit sua conditio divina celebrando; maxime si fuerit in notorio crimine, quia et in eo peccat quod præsumit, et quod aliis occasio scandali sit, sed tamen quia orat in persona Ecclesiæ [40], dicens : *Oremus*, ipsum significatum orationis, seu ipsa orationis significatio [41] prodest
B aliis, non ex virtute orationis orantis, sed ex virtute Ecclesiæ, ad hoc orationem instituentis, ut prosit vivis vel mortuis. Peccat ergo qui in mortali peccato præsumit celebrare; prodest tamen oratio
267 quantum ad vim significationis, non quantum ad actionem orantis.

Sciendum etiam quod duplex est devotio, scilicet naturæ et gratiæ : Devotio naturæ est, quando quis ex naturali pietate orat, et ex quadam humilitate, quamvis sit in peccato. Talis si oret, ex eo quod orat non peccat, quia non indevote orat quantum ad devotionem naturæ; hujus oratio ipsi oranti non obest et illi pro quo orat potest prodesse quantum ad virtutem orationis. Devotio gratiæ est,
C quando aliquis ex charitate orat. Est ergo sensus : qui indevote orat, id est sine devotione naturæ vel gratiæ, judicium sibi postulat, id est peccat. Ille autem qui peccato notorio laborat, et aliis præbet scandalum, oratio ejus fit in peccatum illi, et non aliis pro quibus orat; actio, inquam, orantis, et non virtus orationis. Licet igitur apud Deum mereatur offensam actione prava, tamen pro alio virtus orationis perorat. Cum autem dicitur : *Peccatori autem dixit Deus*, etc. (*Psal.* XIX.) Peccator dicitur ille, qui gloriatur cum male fecerit, quia laborat publico crimine, vel qui convictus vel confessus est in jure : Talis, si in publico id est in ecclesia orat, vel prædicat, vel psalmos cantat, peccat, ut dictum est. Item, si talis divina celebret, quantum
D in se est, peccat; virtus tamen orationis alios adjuvat. Si vero hæreticus ab Ecclesia divisus, pro aliis orat, jam non orat in persona [42] Ecclesiæ, nec ipsi nec aliis prodest oratio.

Ex præmissis patet quod peccatoris obstinati actio qua orat, mala est, nec ei nec aliis prodest, sed ipsa significatio orationis, quia ab Ecclesia Dei ad hoc est instituta ut prosit, prodest aliis, et ita non est mala, sed bona. Quod autem dicitur, quod
A talis sacerdotis missa non est audienda, de quo indubitanter constat quod habeat concubinam, intelligendum est de sacerdote qui convictus vel confessus est in jure, seu in judicio; cujus missa audienda non est, non quod sit mala, sed quod hoc faciendum est in verecundiam et confusionem sacerdotis, ut sic peccatum suum cognoscat et pœniteat.

CAPUT XIV.

Quibus auctoritatibus et rationibus probatur quod orationes ab Ecclesia institutæ, sive a bono vel malo sacerdote proferantur, prosunt.

Quod autem orationes ab Ecclesia institutæ prosint, si in persona [43] Ecclesiæ proferantur, seu a malo, seu a bono, rationaliter probatur. Si merita
B ministrorum non augent vel minuunt vim Sacramentorum, videtur quod nec vim orationis. Sed patet quod vis baptismi vel eucharistiæ vel alterius sacramenti, non augetur vel minuitur a quocunque detur : a simili, nec vires ecclesiasticarum orationum; habent enim in se quamdam vim sacramentalem. Præterea, si merita ministrorum augerent vel minuerent vim orationum, unitas Ecclesiæ non staret, imo schisma fieret; quia quidam sequerentur sacerdotem quem crederent meliorem, et fugerent alium quem putarent deteriorem; rursus, alii illum, alii alium sequerentur.

Paulus etiam contra illos qui gloriabantur de baptistis, dicit unum esse baptismum, et unum qui
C baptizat (*I Cor*, I). A simili, nemo debet gloriari de orationibus hujus vel illius : tanta enim est vis orationis prolatæ ab isto quam ab alio, quantum ad ipsius orationis significationem [44], licet non quantum ad devotionem orantis [45]; devotio enim
268 orantis poterit esse efficacior quanto major, sed oratio, quantum in se est, non erit fructuosior : Verbis enim inesse virtutem clamant Scripturæ tam divinæ quam humanæ. Nonne vis est in his verbis : *Baptizate in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti? Hoc est corpus meum : Hic est calix Novi Testamenti*, quare in ecclesiasticis orationibus manet vis, si proferantur in persona Ecclesiæ [46], non quantum ad proferentem, sed quantum ad instituentem?

CAPUT XV.

D
Opinio illorum qui dicunt quod omne mendacium est peccatum mortale.

Est et alius prædictorum error, quod asserant quod omne mendacium est peccatum mortale. Quod sic probare conantur : Ait enim auctoritas : *Perdes omnes qui loquuntur mendacium* (*Psal.* V). Et alibi : *Os quod mentitur, occidit animam* (*Sap.* I). Item : *Sit sermo vester, est, est, non, non; quod autem amplius est, a malo est* (*Matth.* V; *Jac.* V). Ac si dicat

VARIÆ LECTIONES.

[39] *In impresso sic*, nec psalmos dicere debet. [40] *In impresso pro* persona, *vitiose habetur* propria ecclesia. [41] *In impresso omnia hic sunt confusa, et sine sensu.* [42] *In impresso*, præsentia. [43] *In impresso*, præsentia. [44] *In impresso*, ab orationis significatione. [45] *In impresso pro* orantis, *habetur* orationis, *sed perperam.* [46] *In impresso, non sine crasso errore, pro* persona Ecclesiæ, *habetur*, parochia ecclesiastica.

auctoritas : Simpliciter tantum affirmate quod verum est, falsum negate. Si hoc est præceptum, ergo si quis mendacium asserit, mortaliter peccat. Item, quidquid fit contra conscientiam, ædificat ad gehennam, ergo mortale peccatum est. Item, cum dicitur in Decalogo : *Non falsum testimonium dices* (*Exod.* xx ; *Matth.* xix), ex parte intelligitur totum. Ergo tibi prohibetur mendacium; ergo qui mentitur contra prohibitionem facit. Ergo mortaliter delinquit.

CAPUT XVI.

Prædictorum solutio, et quod non omne mendacium est peccatum mortale,

Ad hoc dicendum est, quod quoddam mendacium est peccatum mortale, quoddam veniale, quod penes se habet causam excusationis [47], ut quando prodest alicui, et nulli obest. Quam mendaciorum differentiam manifeste insinuat Augustinus (*in Psal.* v), dicens : Tria sunt mendaciorum genera ; nam sunt mendacia pro salute vel commodo alicujus, non malitia, sed benignitate dicta, ut obstetrices in Exodo fecisse leguntur [48], quæ dixerunt Pharaoni falsum pro filiis Israel servandis (*Exod.* i). Est et aliud mendacii genus, quod fit joco, quod non fallit, sed sola placendi vel delectandi voluntate profertur, et ille cui dicitur, scit, quod causa joci dicatur. Hæc duo genera mendaciorum non sunt sine culpa, sed non cum magna. Tertium genus est, quod ex malignitate et duplicitate procedit, cunctis cavendum valde. Ad illam ergo speciem mendaciorum, quæ peccatum mortale est, refertur illud quod dicitur : *Os quod mentitur occidit animam* (*Sap.* i). Et illud : *Perdes omnes qui loquuntur mendacium* (*Psal.* v). Quod autem dicitur : *Sit sermo vester, est, est, non, non* (*Matth.* v; *Jac.* v), non est præceptum sed consilium, et specialiter dicitur contra juramentum. Monet enim sacra Scriptura, ne juremus sine causæ cognitione : superflua enim juramenta perniciosa sunt. Unde sequitur, *quod amplius est*, scilicet juramentum, *a malo est*, non quidem a malo jurantis, seu juramenti, sed a malo **269** jurare cogentis [49]. Quod autem dicitur, quidquid fit contra conscientiam, id intelligitur de mortali peccato, quia si conscientia dictat [50] alicui, aliquod opus esse peccatum mortale, et tamen facit [51], seipsum ædificat ad gehennam, et æterna morte dignum reddit. Mendacium vero quod est veniale, etsi hoc modo fiat contra conscientiam, scilicet quod conscientia dictet tale opus esse peccatum, tamen quia veniale est ex causa non ædificat ad gehennam, nec sic mentienti dictat conscientia, quod tale mendacium sit mortale. Si enim dictaret conscientia quod tale mendacium esset mortale, et faceret, peccaret mortaliter. Cum autem dicitur : A *Non falsum testimonium*, etc. (*Matth.* xix), dicimus quod tantum prohibetur genus mendacii quod est mortale.

CAPUT XVII.

Utrum in aliquo casu licitum sit mentiri.

Quærunt etiam hæretici utrum aliquo casu licitum sit mentiri, vel non. Si licitum est, ergo aliquo casu mentiri non est malum ; quod falsum est. Ad hoc dicimus quod aliquid dicitur licitum duobus modis, uno modo dicitur licitum illud, quod potest fieri sine aliquo peccato ; juxta quam acceptionem ait Apostolus : *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt* (*I Cor.* vi). Alio modo dicitur aliquid esse licitum, quod quamvis non possit fieri sine peccato veniali, tamen sine mortali aliquando fit, et B secundum hoc licitum est mentiri in aliquo casu, et non aliter.

Verum quod aliquis in aliquo casu non solum possit, sed etiam teneatur mentiri, videtur posse probari hoc modo. Ecce aliqui insequuntur aliquem ut eum occidant, ille fugiens abscondit se apud alium, insequentes quærunt ab illo a quo absconditus est, de abscondito, ubi sit. Ille autem vehementer opinatur absconditum esse in peccato mortali, et taliter moriturum si nunc occideretur. Ergo quia proximus ejus est, tenetur eum servare ad vitam corporis et animæ , sed maxime animæ, ergo videtur ad hoc teneri, ut dicat absconditum non esse ibi, et ita tenetur mentiri. Ad hoc dicimus quod C non tenetur mentiri, nec falsum dicere, sed potest verum tacere. Et si forte mentitur ad servandam vitam proximi, venialiter peccat ; quia hoc non facit intentione fallendi aliquem, sed intentione conservandi aliquem ad vitam. Ubicunque ergo intentio mentientis non tendit ad malum, veniale est mendacium ; sed ubi intentio tendit ad malum, non ad bonum, vel potius ad malum quam ad bonum, mendacium mortale est. Nullo ergo modo mentiri bonum est ; sed asserere quod omne mendacium sit peccatum mortale, stultum est.

CAPUT XVIII.

Opinio illorum qui dicunt quod nullo modo est jurandum.

Asserunt etiam prædicti hæretici nullo modo esse D jurandum, quod auctoritatibus multis et rationibus probare videntur. Dicit enim Christus : *Sit autem sermo vester, est, est, non, non*, etc. (*Math.* v). Alibi etiam **270** dicit in Evangelio : *Nolite jurare omnino, neque per cœlum, quoniam sedes Dei est ; neque per terram, quia scabellum pedum ejus est ; neque per capillum capitis vestri, quia non potestis unum facere album, vel nigrum* (*Math.* v).

Ad hoc dicimus quod jurare, in se neque bonum neque malum est, sed indifferens ; aliquando ta-

VARIÆ LECTIONES.

[47] *In impresso, errore intolerabili, pro* excusationis, *habetur* excommunicationis. [48] *In impresso iterum perperam*, loquuntur. [49] *In impresso pro* jurare *habetur* jure. [50] *In impresso*, dicat. [51] *Omnia hic in impresso confusa, hoc modo :* tamen facere ipsum ad gehennam, et dignum est æterna morte.

men malum est, aliquando non. Sponte enim et A sine necessitate jurare, vel falsum jurare, grande peccatum est; ex necessitate autem jurare, scilicet ad asserendam innocentiam, vel ad fœdera pacis confirmanda, vel ad persuadendum auditoribus quod eis utile est [72] malum non est, est enim necessarium. Unde Augustinus, *De sermone Dom. in monte*: « Juramentum faciendum est in necessariis, cum homines pigri sunt credere quod eis utile est; licet enim juratio non sit bona, non est tamen mala quando necessaria est. » Item Augustinus *sup. Epist. ad Gal.*: « Non est contra Dei præceptum juratio, sed ita intelligitur Dominus prohibuisse a juramento, ut quantum in ipso est, quis non jurat; quod multi faciunt, in ore habentes ju- B rationem, tanquam aliquid magnum et suave: » Apostolus enim novit præceptum Domini et juravit tamen (*Rom.* I) [73]. Prohibemur ergo jurare, cupiditate vel delectatione jurandi [74]. Item Augustinus in eodem *Serm.*: « Quod ergo ait Christus in Evangelio: *Ego dico vobis, nolite jurare omnino*, intelligitur præcepisse ne quisquam tanquam bonum appetat juramentum, et assiduitate jurandi, labatur in perjurium. » Quod vero additur: *Sit autem sermo vester, est, est; non, non*, bonum est, et appetendum; quod autem amplius est, id est si jurare cogeris, scias de necessitate venire infirmitatis eorum quibus aliquid suades, quæ infirmitas utique malum est, unde nos quotidie liberari precamur, dicentes: *Libera nos a malo* (*Matth.* VI). Itaque, non dixit, C *quod amplius est*, malum est; tu enim non facis malum, quia bene uteris juratione; sed *a malo* illius *est*, qui aliter non credit, id est ab infirmitate, quæ aliqua pœna est [75], aliquando etiam pœna et culpa. Ibi ergo Dominus prohibuit malum, suasit bonum, indulsit necessarium. Quod autem Dominus in Evangelio præcipit: *Nolite jurare omnino, neque per cœlum, neque per terram*, neque per creaturam aliquam. Hoc ideo factum est, ne Judæi qui quasi parvuli sensu erant, jurantes per angelos et elementa, creaturas divino venerarentur honore, hoc enim melius erat Deo exhibere quam creaturis. Infirmis ergo prohibuit [76], sanctis vero qui in creaturis Creatorem venerabantur, non prohibuit. Unde Joseph per salutem Pharaonis juravit, Dei judicium D in eo veneratus quo positus erat quasi Salvator Ægypti; infirmis vero Christus ita per creaturas jurare prohibuit, ne vel aliquid divinum in eis inesse crederetur, pro quo eis reverentia deberetur, vel ne per eas homines falsum jurantes, se non teneri juramento putarent [77].

In illa etiam auctoritate quæ est in Epistola canonica, *Ante omnia*, etc., non prohibetur juratio, sed pronitas et præcipitatio ad jurandum.

CAPUT XIX.

Quod in quibusdam casibus liceat jurare.

Prædictis auctoritatibus Evangelii [78], manifestum est licitum esse jurare, ex causæ cognitione; quod et aliter [79] probari potest. Dicit enim Apostolus **271** in Epistola ad Hebræos: *Omnis controversiæ finis est juramentum* (*Hebr.* IV).

Ille igitur qui suspectus est de aliquo crimine, cum ejus simplici verbo non sit credendum quomodo cogetur ad purgationem, nisi per sacramentum, cum aliæ purgationes ab Ecclesia sint prohibitæ, ut, judicium aquæ frigidæ, et ferri candentis, aut ignis? hoc enim modo se purgare, est Deum tentare. Dominus etiam Abrahæ per semetipsum juravit [80] quod eum benediceret et multiplicaret. Unde Apostolus ad Hebræos: *Abrahæ namque promittens Deus, quoniam non habuit majorem per quem juraret* (*Hebr.* VI). Et infra: *Volens Deus abundantius pollicitationis hæredibus immobilitatem consilii sui, interposuit jusjurandum* (*ibid.*) [81]. Super hunc locum dicit auctoritas: Condescendit consuetudini hominum, ut certos faceret. Item in Psalmo: *Juravit Dominus, et non pœnitebit eum* (*Psal.* CIX). Et alibi: *Quibus juravi in ira mea* (*Psal.* XCIV). Legitur et in Apocalypsi quod angelus *juravit per viventem in sæcula* (*Apoc.* X). Apostolus etiam in Epistola ad Romanos, jurat in hunc modum: *Testis mihi est Deus* (*Rom.* I). Quid autem aliud est Deum in testem inducere, quam per eum jurare? Quomodo etiam faciet quis fidelitatem Domino suo, nisi per juramentum [82]?

CAPUT XX.

Opinio illorum qui dicunt quod nullo modo homo est occidendus.

Asserunt etiam prædicti hæretici, et hostes Ecclesiæ, in nullo casu et nulla occasione, nulla causæ ratione, hominem esse occidendum. Dicunt enim Deum prohibuisse homicidium, dicens in lege: *Non occides* (*Exod.* XX; *Matth.* V). Etiam in Evangelio: *Omnis qui acceperit gladium gladio peribit* (*Matth.* XXVI). Item Augustinus ad Marcellinum comitem, pro quibusdam sceleratis [83]: « Imple, Christiane judex, pii Patris officium, sic succendendum iniquitati memineris, ut non peccatorum [84] atrocitatibus exerceas ulciscendi libidinem, sed peccatorum vulneribus curandi adhibeas voluntatem. » *Et infra*: « Pœna illorum quamvis de tantis sceleribus confessorum, rogo te ut præter suppli-

VARIÆ LECTIONES.

[72] *In impresso sic*: Ad persuadendum aliquid quod alicui est utile. [73] *In impresso male pro* juravit *habetur* jurare prohibens. [74] *In impresso*, ergo jurare intellexit. [75] In ms. *pro* aliqua, *habetur* aliquando. [76] *In impresso, sequentia omnia confusa sunt et hinc inde quædam omissa, locis relictis vacuis, et punctis respersis.* [77] *Sequentia etiam omnia desunt in impresso.* [78] *In impresso pro* Evangelii, *habetur* Augustini. [79] *In imp.*, aliis modis. [80] *In impresso, huic sententiæ præponuntur sequentia*, auctor etiam universorum in multis locis sacræ Scripturæ legitur jurasse. [81] De his et sequentibus nihil in impresso. [82] *In impr. additur*, vel sacramentum. [83] *Hoc verbum in impr. prætermissum est.* [84] In peccatorum.

A cium mortis sit, propter conscientiam nostram, et propter catholicam mansuetudinem commendandam. Quod etsi quibusdam de nostris atrocitate commotis, videtur indignum, et quasi dissolutionis et negligentiæ simile [85], transactis tamen motibus animorum, qui pro factis recentioribus turbulentius [86] solent excitari, egregie luculenta bonitas apparebit » *Idem :* « Ex occasione terribilium judicum et legum, ne æterni judicii pœnas luant, corrigi eos cupimus, non necari » *Item, Gregorius :* « Reos sanguinis defendat Ecclesia, ne effusionis sanguinis particeps fiat. » Item Dominus ait: *Nolo mortem peccatoris*, etc., (*Ezech.* XVIII). De Judæis etiam in Evangelio prohibetur ne occidantur, quia capsarii [87] nostri sunt, et cedunt in argumentum [88] fidei nostræ. Unde in Psalmo legitur: *Ne*
B *occidas eos, nequando obliviscantur populi mei* (*Psal.* LVIII). Augustinus etiam, ubi legitur, quod Absalon intravit ad concubinas patris (*II Reg.* XVI), dicit, quod per concubinas intelliguntur hæretici, qui occidendi non sunt, sed in carcerem detrudendi, et frequenter admonendi, ut ad Christianæ fidei redeant veritatem. Ovis etiam errabunda occidi non debet, sed ad caulas reduci. Similiter hæretici qui characterem habent Christianum, cogendi sunt verbis et verberibus, ut ad Ecclesiæ redeant unitatem.

272 CAPUT XXI.

Idem rationibus probare conantur.

Multiplici ratione idem sic probare conantur; si hæc fuit legis Mosaicæ severitas, ut fur cogeretur
C restituere furtum, in duplum vel in quadruplum (*Exod.* XXII), quid est quod tempore Evangelii quod prædicat misericordiam, fur pro furto morte plectitur? Nonne misericordia Evangelii debet præjudicare austeritati legis? Apud legem magna judicabatur austeritas esse in legis talione quando dens pro dente, oculus pro oculo solvebatur (*Exod.* XXI; *Matth.* V), in tempore vero Evangelii multo major videtur esse severitas, cum pro abscissione unius pedis, morte damnetur alius (*Matth.* XVIII). Quæ est hæc misericordia, quæ homicidium approbat, leges exasperat? præterea, qui hominem occidit legi obviat naturali, quæ dicit: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris* (*Matth.* VII; *Luc.* VI).
D Nemo ergo debet velle alium occidi, vel occidere, cum id nolit fieri de se. Item : Aliquis videt alium esse in mortali peccato [89] nec pœnitere, et ita dictat ei conscientia, quod si modo moreretur, damnaretur. Si ergo eum occidit, occidit eum in anima et corpore, et ita reus est damnationis illius. Et tamen, cum proximus ejus sit, tenetur eum diligere sicut se ipsum, et sic ad vitam æternam, et consequenter, ejus temporali saluti providere, ut provideat æternæ. Si vero dicatur, quod judex hoc faciat, qui minister [90] est legis, Domino contradicitur qui ait: *Mihi vindictam, et ego retribuam* (*Deut.* XXXII; *Rom.* XII; *Hebr.* XIII). Item, si quis objiciat et dicat : Nonne licet injurias hostium repellere? Ad hoc dicunt, quod « licet vim vi repellere, sed cum moderamine inculpatæ tutelæ, » defendendo scilicet se, sed non alium occidendo, sive ut inimicos nostros capiamus, vel fugemus, non vero occidamus. Si enim occiderimus, contra hoc præceptum Domini navigavimus : *Diligite inimicos vestros, et bene facite his qui vos oderunt* (*Matth.* V).

CAPUT XXII.

Ad prædicta responsio, et quod homicidarum et sacrilegorum punitio non est effusio sanguinis, sed legum ministerium.

His objectionibus sic respondemus : Quando judex, dictante justitia [91], præcipit aliquem occidi, ipse non occidit, sed lex. Judex enim minister est legis, imo Dei, in exsequendis judiciis. Quod autem dicitur in Evangelio, *qui gladium acceperit*, etc. (*Matth.* XXVI). Sic intelligendum est : Qui judiciaria potestate abusus fuerit; vel injuste, sua auctoritate, sibi usurpaverit; vel qui ex odio vel superbia gladium acceperit, gladio peribit, hoc est condemnabitur. Quod autem Augustinus pro sceleratis intercessit, de misericordia fuit, non de rigore justitiæ. De justitia enim poterat eos comes temporali morte punire; ad judicem autem ecclesiasticum non pertinet sanguinis effusio. Quod autem Gregorius ait : « Reus sanguinis, » etc., sic intelligendum est quod ad judicem ecclesiasticum non pertinet sanguinis effusio, sed ad judicem sæcularem, qui gladium quo puniat corpus portat; judex vero ecclesiasticus, potius animam quam corpus suo gladio punit. Et sicut judex terrenus non debet usurpare officium ecclesiastici, ita nec ecclesiasticus terreni. Ecclesiam ergo defendere sanguinis reos, nihil aliud est quam eos non debere corporali pœna punire, sed potius pro eis apud terrenum judicem intercedere. Cum autem Dominus 273 ait: *Nolo mortem peccatoris* (*Ezech.* XVIII), non intelligitur de morte corporis, sed de morte animæ : non vult enim animæ mortem, sed potius ut convertatur, et vivat spiritualiter. De Judæis autem dicimus, quod non sunt occidendi. Si [92] tamen laborent illis criminibus, pro quibus lex dictat hominem occidendum, judex potest eos occidere, ut in hoc deserviat legi. Similiter, hæretici propter hæresim non sunt occidendi, sed propter characterem Christianum quem habent, ad caulam Ecclesiæ reducendi sunt. Si tamen illis peccatis laborant quibus mors temporalis debetur, a judice sæculari puniri possunt, si tamen eos puniat intuitu justitiæ, non ex ira, vel animi rancore. De fure dicimus quod ordinarie, propter furtum non debeat occidi, sed cogi ad furti

VARIÆ LECTIONES.

[85] *In impr.*, silere. [86] *In impr.*, tribuentibus. [87] *In impr.*, fratres. [88] Augmentum. [89] *In impresso iterum hic quædam est confusio, dum ita legitur.* Videt alium esse juniorem in mortem peccatoris. [90] *In impr.*, magister. [91] *In impresso, pro* dictante justitia, *habetur* sententia. [92] *In impresso, male habetur* sed.

restitutionem, et verberibus corrigi. De latrone vero qui viatoribus insidiatur, secus judicandum est, quia talis de jure interimi potest. Nec intelligitur homicida [93] esse, qui hunc interimit de præcepto principis, sicut legis minister; nec ipse hoc dicitur facere, sed lex ipsa. Dicimus etiam, quod in veteri lege nulla poterat fieri dispensatio circa reos, quos lex judicabat morte puniendos. Ille etiam qui ignoranter aliquem occidebat, non erat tutus nisi confugeret ad aliquam civitatem refugii. Sed in Novo Testamento [94], nullus ignoranter occidens morte punitur, imo quomodocunque occidat, si ad ecclesiam confugerit, salvus erit; majorem enim immunitatem præstat ecclesia in Novo Testamento, quam civitas refugii in Veteri. Judex etiam ecclesiasticus nullum debet punire pœna corporali, imo pro damnatis apud sæcularem judicem intercedere. Puniuntur tamen rei a sæculari judice, ut pœna unius sit metus multorum : multoties etiam parcitur reis; cum tamen in veteri lege nulla posset fieri dispensatio, sed sine omni misericordia reus damnabatur. Hoc autem non judicamus justum, ut si quis alicui membrum amputaverit, ideo morte corporali plectatur : de rigore tamen justitiæ, potest recipere talionem, imo majori pœna puniri, ex causæ cognitione. Dicimus etiam quod judex non [95] obviat legi naturali, quando præcipit homicidam interfici, quia non ipse, sed lex ipsa hoc facit. Debet etiam judex occidendum, quem credit esse in mortali peccato, diligenter admonere ut pœniteat, nec de contingentibus aliquid omittere, et ita liberat animam suam, nec tenetur reus, pro morte ejus temporali vel æterna, si juxta legem puniat. Qui vero juxta legem non habet potestatem occidendi, et scienter occidit, peccat mortaliter [96]. Miles cum obediens potestati sub qua legitime constitutus est, aliquem occiderit, nulla suæ civitatis lege reus homicidii est; imo, nisi fecerit, reus erit deserti et contempti imperii : quod si sua sponte et auctoritate fecisset, in crimen effusi sanguinis incidisset. Itaque, unde punitur si fecerit injussus, inde punietur si non fecerit jussus. Multorum autem est opinio, non licere homini occidere hominem, ne ab eo occidatur. Unde Augustinus ad Publicolam : De occidendis hominibus, ne ab eis quisquam occidatur, non mihi placet consilium. Tenetur enim homo ante mortem sustinere temporalem, quam sustineat æternalem; debet enim suum bonum æternale præferre suo bono temporali, et prius mortem sustinere temporalem, quam occidendo fratrem, mortale peccatum incurrere [97]. Cum autem judex exercet vindictam, ipse Deus dicitur eam exercere. Unde Apostolus : *Non sine causa*, id est non sine auctoritate Dei, *gladium portat; Dei enim minister est, vindex in iram* (*Rom.* XIII), id est propter iram Dei vindicandam, vel ostendendam. Cum ergo dicitur a Domino : *Mihi vindictam, et ego retribuam* (*Deut.* XXXII), inhibetur ne homo sua auctoritate se vindicet, sed vindictam relinquat judici vel legi. **274** Concedimus etiam, quod « vim vi repellere licet cum moderamine inculpatæ tutelæ, » nec licet repellendo injurias, hominem occidere ex deliberatione, si tamen intuitu se defendendi, occiderit alium, non intendendo eum occidere, non peccabit mortaliter. Judex quoque si homicidam vel sacrilegum occidit ad aliorum correctionem [98], ut puniatur temporaliter, ne puniatur æternaliter, non debet dici illum odire quem occidit, sed potius diligere. Ad hoc enim punit, ut pœna temporali correptus, in ipsa pœna pœniteat [99], et sic pœnam vitet æternam.

Sed objiciunt : *Deus non judicat bis in ipsum* (*Nahum.* I, juxt. LXX). Ergo si quis temporali morte punitur, non debet æterna puniri; vel si punitur æterna, non debet puniri temporali : alioquin, si duplici morte punitur, injuste cum eo agitur, qui bis in idipsum judicatur. Ad hoc dicimus, quod homicida vel sacrilegus peccat in Deum, et in proximum; secundum quod peccat in Deum, si non pœniteat, punitur æternaliter; secundum quod peccat in proximum, punitur temporaliter. Ergo non judicatur bis in idipsum, quia nec secundum idipsum sic punitur, imo, secundum aliud, quia secundum quod in Deum peccavit, punitur æternaliter, secundum quod in proximum, temporaliter, ad correctionem et cautelam aliorum. Unde, si peccatum remittitur quoad Deum, per pœnitentiam, restat tamen, quoad proximum, puniendum pœna temporali.

CAPUT XXIII.

Quod in multis casibus homines interficiendi sint.

Quod autem in multis casibus homines interficiendi sint, videtur velle Hieronymus, super Isaiam, dicens : « Non est crudelis qui crudelem jugulat, sed crudelis patientibus esse videtur. » Nam latro suspensus in patibulo, crudelem putat esse judicem. Item super Ezechielem : « Qui malos percutit in eo quod mali sunt, et habet causam interfectionis, scilicet, ut occidet pessimos, Dei minister est. » Et super Joannem [100] : « Homicidas et sacrilegos, et veneficos punire, non est effusio sanguinis, sed legum ministerium. » Item Augustinus, *De libero arbitrio* : « Si homicidium est hominem interficere vel occidere, potest aliquando occidi sine peccato; nam et miles hostem, et judex vel ejus minister nocentem. » Item Cyprianus, in *nono genere abu-*

VARIÆ LECTIONES.

[93] *In impresso hic iterum confusio intellectus.* [94] *In impresso pro,* novo testamento, *corrupte legitur infra notabitur.* [95] *In impresso omittitur,* non, *unde contrarius causatur sensus, valde absurde.* [96] *In impresso hic sine ullo sensu, ullave ratione, subjunguntur sequentia verba :* Unde Jeremia in Jona propheta. [97] *Præcedentia hic etiam Augustini verba valde imperfecte allegata sunt, quibusdam etiam omissis, quibus sensus confunditur.* [98] *In impr. pro* correctionem, *habetur* cor recidendum. [99] *Item.* In ipsa morte puniatur. [100] *Ms. habet* Jeremiam.

sionis : « Rex debet furta cohibere, adulteros punire [1] impios de terra perdere, parricidas et perjures non sinere vivere, filios non sinere impie agere.

CAPUT XXIV.

Opinio illorum qui dicunt quod prædicatores non debent laborare manibus.

Dicunt etiam prædicti hæretici quod nullo modo debeant propriis manibus laborare, sed ab illis quibus prædicant, necessaria accipere; quod conantur variis auctoritatibus confirmare. Ait enim Apostolus in Epistola ad Corinthios : *Quis militat suis stipendiis unquam? quis plantat vineam, et de fructu ejus non edit? quis pascit gregem, et de lacte ejus non manducat? nunquid secundum hominem hoc dico? Scriptum est enim in lege Moysi : Non alligabis os bovi trituranti* (*Deut.* XXIII). *Nunquid Deo cura est de bobus, an propter nos hoc dicit? nam propter nos hæc scripta sunt. Quoniam qui arat, in spe debet arare, et qui triturat, in spe percipiendi fructus, triturat. Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est si carnalia vestra metamus?* (*I Cor.* IX.) Et infra : *Nescitis quoniam qui in sacrario operantur, quod quæ de sacrario sunt edunt, et qui altari deserviunt, de altari participant* (*ibid.*). Ita et Dominus iis, qui Evangelium annuntiant, ordinavit ut de Evangelio vivant.

Item Apostolus ait : *Nemo militans Deo, implicet se negotiis sæcularibus* (*II Tim.* II).

275 CAPUT XXV.

Solutio prædictorum.

Ad hæc dicimus, quod licitum est prædicatoribus in necessitate, a subditis necessaria sumere. Sed isti pseudoprædicatores sunt, et ut in otio vivant, a simplicibus victum emungunt, cum tamen auctoritas dicat : « Semper aliquid operis facito, ne diabolus otiosum te inveniat. » Paulus etiam propriis manibus laborabat, ne sua prædicatio iis, quibus prædicabat, esset onerosa. Unde ait : *Cum apud vos essem et egerem, nulli onerosus fui* (*II Cor.* II). Et A ibidem : *Gratis Evangelium evangelizavi vobis* (*II Cor.* VII). Si ergo habeat prædicator unde sustenletur, sumptus exigere non debet [2]. Isti autem qui spiritualia non seminant, qua ratione temporalia metent? Ad hoc ergo spectant omnes præmissæ auctoritates, quod licitum est prædicatoribus in necessitate, sumptus accipere, non tamen debent ab opere manuum vacare. Unde Apostolus ait ad Thessalonicenses : *Qui non vult operari, non manducet* (*II Thessal.* III). Item ad Ephesios : *Qui furabatur, jam non furetur, magis autem laboret, operando manibus suis quod bonum est, ut habeat unde tribuat necessitatem patienti* (*Ephes.* IV). Item in Epistola prima ad Thessalonicenses : *Ut vestrum negotium agatis, et operemini manibus vestris, sicut præcepimus vobis* (*I Thess.* B IV). Hic dicitur in glossa, quod opus manuum facit nos quietos esse, et malum curiositatis quod ex otio venit, tollitur.

Prædicti ergo qui propriis manibus laborare nolunt, hic suæ ignaviæ auxilium quærunt. Illa vero auctoritas : *Nemo militans Deo* (*I Tim.* II), etc., sic est intelligenda : Nemo sæculum relinquens, ut Deo militet; *implicet se sæcularibus negotiis* (*ibid.*), id est non debet intendere curis sæcularibus. Prædicti itaque hæretici, et puri mercenarii per mundum discurrentes [3], fingunt se prædicatores, ut a simplicibus victualia emungant, et sic malunt turpiter otiari quam manibus operari, cum Psalmista dicat : *Labores manuum tuarum manducabis*, etc. (*Psal.* C XVII.) Item, dicant ipsi pseudoprædicatores cur laborare nolunt, estne peccatum, vel a lege prohibitum? nonne melius est proprio labore victualia acquirere, quam inverecunde ab aliis exigere? Nonne et prædicatoribus hoc exemplum dedit Doctor gentium, qui proprio labore sibi acquirebat victum? (*Act.* XX) Ipsi sunt similes pseudoprædicatoribus, quos arguebat Apostolus, qui ut laborem fugerent, ab his quibus prædicabant, sumptus ultra necessitatem sumebant.

VARIÆ LECTIONES.

[1] *In impr. pro* adulteros, vel adulteria, *habetur* ad ultima. [2] *In superioribus multa omissa sunt, et cætera confusa, in exemplari impresso.* [3] *In impresso* diffugientes.

LIBER TERTIUS.

CONTRA JUDÆOS (25).

(*Bibliotheca Scriptorum sacri ordinis Cisterciensis*, etc., opere et studio D. Caroli de VISCH, prioris cœnobii S. Mariæ de Dunis, etc., editio secunda, ab auctore recognita, etc. Coloniæ-Agrippinæ, apud Joannem Busæum. — Anno M.DC.LVI, in-4°.)

—

CAPUT PRIMUM.

Rationes quibus Judæi, pluralitatem personarum divinarum impugnant.

Dicunt Judæi unum Deum esse, sed pluralitatem D personarum esse negant. Nunc ad perversam Judæorum mendicitatem, quæ adhuc cum Asino exspectat ad pedem montis, nec adhuc in Moysi faciem potest intueri, nostrum convertamus sermo-

(26) Alani Tractatus contra hæreticos duos tantum priores libros cum tribus primis libri tertii capitulis

nem; et primo, quid de auctore omnium sentiant, videamus. Dicunt enim eumdem esse Deum, et universorum creatorem, sed tres personas esse in deitate, non credunt, nec quid sic esse personas in Trinitate attendere volunt. Unitatem quidem essentiæ credunt, sed personarum pluralitatem non concedunt. Hoc autem rationibus et auctoritatibus sic probare conantur. Si unus est Deus, sicut clamat sacra Scriptura, quomodo asserit Christianus, tres res inter se distinctas, scilicet, Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, unius esse Deitatis? quia si plures sunt, etiam plures dii, et non unus Deus esse videntur. Quomodo enim singularis natura unius personæ ab aliis distinctæ, esset natura alterius personæ? Sic ita triplex Deus esse videtur, non unus. Sed Dominus ad Israel per Moysen ait: *Audi, Israel: Dominus Deus noster, Dominus unus est* (*Deut.* IX). Non ergo triplex, sicut Christiani dicunt hic, nugantes, Deus est Pater, Deus est Filius, Deus est Spiritus sanctus. Alius item Pater, alius Filius, alius Spiritus sanctus, et interim negant tres deos esse. Quæ est hæc monstruositas, ut in Trinitate sit unitas, et in unitate sit Trinitas? Quomodo unus solus Deus est, si plura sint Deus? Qui hoc dicunt, deos constituunt alienos, contra præceptum Domini qui ait: *Non habebis deos alienos* (*Exod.* XXX). Qui unum quidem et solum esse Deum dicunt, et plures tamen esse asserunt. Si Deus voluisset ut Judæi crederent tres personas esse unum Deum et Trinitatem esse in unitate, eis explicuisset sicut cætera ad fidem pertinentia explicuit; quia, ut Christianus ait, sicut ad fidem pertinet unitas, ita et trinitas; sed de hac nec patriarchæ, nec prophetæ mentionem fecisse leguntur. Item, si Pater genuit Filium, necesse est igitur gignentem tempore præcessisse genitum, et aliquam particulam de substantia gignentis decisam fuisse. Item: Nulla pluralitas potest esse in Deo, ubi est summa et perfecta simplicitas. Item: Quod omnifarie simplex est, nihil de se gignere potest.

CAPUT II.

Solutio prædictorum, et quod vere unitas est in essentia, et pluralitas in personis.

Ad primam objectionem sic respondemus; cum dicitur unus, vel unius naturæ Deus est, nulla trium personarum excluditur, quia ipsæ sunt unus Deus, et unius naturæ, veluti dici potest de his vocibus adjectivis, albus, alba, album; qui profert enim unam, nullam aliarum vocum excludit, quia sunt unum nomen; nam, licet istæ voces plures sunt, non tamen sunt plura nomina, sed unum, et unius institutionis nomen. Similiter tres personæ sunt unus et unius essentiæ Deus. Quamvis enim in naturalibus verum sit, tot esse substantias vel naturas, quot sunt subsistentes personæ; tamen qui naturam creavit, naturæ subjectus non est; licet enim tres sint personæ, unius tamen sunt naturæ; quia si pluralitas esset naturarum, plura dicerentur esse rerum principia, quod abhorret fides catholica. Et quamvis Deus sit trinus, non tamen est triplex, nam triplex notat partium, vel naturarum pluralitatem; in Deo autem, tres personæ non sunt quasi tres partes quæ Deum constituant; quia si hoc esset, Deus simplex non esset, et sic non esset suæ essentiæ principium; nam omne compositum est genitum. Non sunt ibi etiam plures naturæ, quia sic plures essent dii, vel unus Deus triformis esset, quod Christiana abhorret religio. Dicimus ergo, quod alius est Pater, alius Filius, alius Spiritus sanctus, non tamen alius Deus est Pater, alius Deus est Filius, alius Deus est Spiritus sanctus, sicut hæc vox, albus, est alia quam hæc vox, alba, non tamen aliud nomen. Dicimus etiam: quod juxta fidem catholicam non est aliqua monstruositas, sed demonstrata veritas, hæc est, demonstrata ratione, et modo probabili. Dicimus quoque, unitas est in trinitate, et trinitas in unitate, et tres esse unum Deum, non tamen constituimus Deum alienum, cum illæ tres personæ sint unus Deus, et unius naturæ. Ideo autem hoc mysterium Deus Judæis in veteri lege figuris velavit, sicut et alia ad fidem pertinentia, ut secundum temporis accessum, Christianæ religionis fides haberet progressum. Nam ante legem Mosaicam sufficiebat alicui credere quod unus esset Deus, idemque remunerator esset bonorum, et punitor malorum, ita tamen ut rectitudo vivendi responderet rectitudini fidei. In Veteri tamen Testamento, seu tempore legis Mosaicæ, majores quibus revelatum erat, credebant Deum trinum et unum; simplices vero, venerabantur ipsos majores, credentes quod ipsi credebant, et in hac fide salvabantur. Postquam vero apostoli Trinitatis fidem

ediderat D. Carolus Vischius inter Opera Alani anno 1654 Antuerpiæ in lucem emissa. Hanc lacunam postea supplevit ad calcem *Bibliothecæ Scriptorum Cisterc.*, editionis secundæ, quæ anno 1656 Coloniæ-Agrippinæ apud Joannem Busæum prodiit. En ipsius verba quibus ad hoc supplementum præfatur:

AD LECTOREM.

« Opuscula hæc, partem constituunt *Operis quadripartiti Mri Alani de Insulis, de fide Catholica;* hoc est, contra hæreticos sive Albigenses, Waldenses, Judæos et paganos, seu Mahometanos. Ex quibus, priora quidem duo opuscula (scilicet *contra Albigenses et Waldenses*) jam a biennio 1653, cum aliis pluribus ipsius Alani operibus, in lucem emisi, prout illa repereram in antiquo ms. codice abbatiæ Parcensis, juxta Lovanium; posteriora vero hæc duo, quantumvis studiose, per nominatissimas quasque Bibliothecas, longe lateque quæsita, tunc reperire nequivi; at nuper (evulgatis jampridem aliis operibus) in archicœnobii nostri Cisterciensis Bibliotheca reperta, per venerabilem loci illius priorem (D. Franciscum Du Chemin, S. Theol. doctorem) mihi transmissa fuerunt, quæ operæ pretium judicavi, hic nunc publicare, congruam forte, occasionem aliam haud facile habiturus eadem publicandi. Certe, auctore suo digna sunt, nec sine fructu, Lector, ea evolves. Vale.

« F. Carolus de VISCH, prior Dunensis.»

prædicaverunt, ubique omnes adulti et discreti teneantur credere Deum trinum et unum.

Nec oportet, si Pater genuit Filium, quod ibi facta sit decisio : cum enim Pater omnifariam simplex sit, de se Filium non genuit per substantiæ decisionem, sed secundum naturæ integritatem, ita ut tota substantia Patris sit substantia Filii; quod autem Pater Filium genuerit, probabitur infra. In Trinitate vero secundum aliquid attenditur pluralitas, et secundum aliquid identitas; quia in personis pluralitas, in natura et essentia, identitas.

Dicimus etiam quod in naturalibus, nullum simplex ex se aliquid gignere potest; unde nec anima animam, nec spiritum spiritus; in divinis autem, ratio longe alia pactum reformat, nec divina generatio humanæ respondet; quia sicut natura Dei omnem superat naturam, sic Dei generatio superat humanam. Unde Isaias : *Generationem ejus quis enarrabit ?* (*Isa.* LIII.)

276 CAPUT III.

Quibus auctoritatibus philosophorum et theologorum, et quibus rationibus, et similitudinibus locorum, ostenditur quod tres sunt personæ divinæ, et una earum natura.

Quod autem tres sint personæ divinæ, et una earum natura, auctoritatibus et rationibus, et similitudinibus variis potest ostendi. Nec solum auctoritatibus theologorum, verum etiam philosophorum. In principio Geneseos, secundum Hebraicam veritatem, legitur, *Heloym*, ubi nos habemus, *Deus; el* alibi; eloah enim est singulare nomen hujus nominis, Heloym, sicut Deus singulare hujus nominis, dii. Ergo, ubi nos habemus : *In principio creavit Deus cœlum et terram* (*Gen.* I), Hebræi habent : *In principio creaverunt dii*, vel *domini cœlum et terram.* Sed quos vocat Moyses deos vel dominos, nisi tres personas divinas? Non angelos, quia angeli non creaverunt cœlum et terram, imo, creati sunt. Unus autem Deus est qui creavit cœlum et terram. Cum ergo Moyses dixerit pluraliter, deos vel dominos, illa pluralitas aut ad divinam naturam refertur, aut ad personam; sed non ad divinam naturam, ergo ad personam; ergo tres insinuavit personas divinas, quæ sunt unus Deus. Consequenter etiam introducitur Deus loquens in hunc modum : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram* (*ibid.*). Cum ergo Deus hic introducatur loquens, quæritur, ad quem, vel ad quos loquatur, cum dicit, *faciamus.* Ad angelos videtur nullo modo loqui; non enim una est imago vel similitudo Dei et angelorum juxta quam factus sit homo. Restat ergo ut Deus Pater loquatur ad Filium, et ad Spiritum sanctum; vel sit communis vox trium personarum juxta quarum imaginem factus est homo. Una autem est imago Patris et Filii, et Spiritus sancti, quia una natura. Ubi etiam diabolus loquitur ad Evam, dicit : *Eritis sicut dii, scientes bonum et malum* (*Gen.* III). Quid per deos

A intelligit ibi divina Scriptura, nisi tres personas divinas? Angeli enim hoc nomine non intelliguntur. Ut enim dicit Scriptura, in hoc voluit Deo esse similis Eva, quod appetiit esse prædita divina scientia. In Isaia etiam legitur, quod angeli clamabant : *Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus Sabaoth* (*Isa.* VI). Sed quid insinuat illa trina nominis repetitio, nisi personarum trinitatem? id est Patrem et Filium, et Spiritum sanctum? ut sit sensus; sanctus Pater, sanctus Filius, sanctus Spiritus sanctus. Et ut insinuetur naturæ unitas, sequitur in singulari numero : *Dominus Deus Sabaoth.* De Abraham legitur in Genesi, *quod tres vidit, et unum adoravit* (*Gen.* XVIII). Per quod insinuatur, quod in tribus qui apparuerunt, intellexit trinitatem; et

B quia unum adoravit, intellexit in Trinitate unitatem; et ita intelligitur adorasse Deum trinum et unum. De Filio etiam David ait : *Dixit Dominus Domino meo : Sede a dextris meis* (*Psal.* CIX). Si Dominus dixit Domino, alius fuit qui dixit, alius cui dixit; sed Deus Pater hæc dixit; ergo alius fuit cui dixit; sed eum David vocat dominum suum, ergo vel Deum vel angelum : sed non angelum; angelo enim non dixit Deus, *Sede a dextris meis*, sed potius pertinet hoc ad Filium, qui existens Deus, sedet a dextris Domini, id est æqualis est Patri. Æquales enim sedere solent a dextris principum. In alio Psalmo legitur : *Dominus dixit ad me : Filius meus es tu, ego hodie genui te* (*Psal.* II).

C Exquisite præsens conjunxit præterito; nam præsens in se habet recentiam, et præteritum in se habet fluxum, et futurum in se habet exspectationem. Unde, nihil proprie fuisse dicimus, nisi quod esse desiit; nec in præsenti aliquid esse, nisi quod recenter incipit; nec futurum esse, nisi quod nunquam fuit, nec est. Ut, paries fuit albus, et modo est niger, et cras erit flavus. Comparatione tamen illorum quod simul durat cum eo quod jam præteriit, et adhuc durat cum eo quod modo incipit, et duraturum cum eo quod non est, sed erit; dicimus ipsum fuisse, et esse, et futurum esse. Ut scilicet, fuit homo, et est, et erit. Noluit ego auctor iste dicere, ego hodie gigno te, ne conjungendo duas notas præsentis, innueret recentiam genera-

D tionis. Nec dixit, olim genui te, ne dum duas notas præteritionis conjungeret, generationis fluxum innueret. Ideo dixit : *Ego hodie genui te*, ut recentiam removeat apponendo præteritum, et apponendo præsens removeat fluxum. Nabuchodonosor etiam qui erat gentilis, dixit se in fornace vidisse quartum similem Filio Dei (*Dan.* III). Et Mercurius philosophus in *Esclepia*, ait : « Deus æternus facit deos æternos. » Quid per Deum intellexit, nisi Patrem? quid per deos æternos, nisi Filium et Spiritum sanctum? qui dicuntur dii, id est divinæ personæ, et vere æternæ. *Fecit* autem posuit, pro *genuit*, dum lapsus sermone, ait, fecit deos æternos. Idem Mercurius in libro qui inscribitur, *Logostileos*, id est *verbum perfectum*, ait : « Deus summus secun-

dum fecit Deum, et eum dilexit tanquam Filium suum unigenitum, vocavitque eum, Filium benedictionis æternæ. » O quam eleganter dixisset Hermes Mercurius, si pro *fecit*, posuisset *genuit*.

Jesus etiam Filius Sirac, qui inter Judæos magnus reputatus est, in suo libro, qui *liber Sapientiæ* inscribitur, Filium Dei in hunc modum introducit loquentem : *Ego in altissimis habitavi, et thronus meus in columna nubis* (*Eccli.* XXIV). Et alibi : *Antequam quidquam faceret ab initio, eram cum eo, cuncta disponens* (*Prov.* VIII). Quis loquitur hic nisi Filius, qui cum Patre ab æterno cuncta disposuit ? Et alibi ait : *Et ego parturiebar* (*ibid.*). Quis fuit qui ante mundi initium parturiebatur, nisi Filius Dei, quem ab æterno genuit sine initio? De Spiritu sancto mentionem fecit liber Geneseos, ubi dicitur : *Spiritus Dei ferebatur super aquas* (*Gen.* I). Et in Psalmo : *Flavit spiritus, et fluxerunt aquæ* (*Psal.* CXLVII). Et in alio psalmo : *Spiritum sanctum tuum ne auferas a me* (*Psal.* L). Et in Isaia : *Requiescet super eum spiritus timoris Domini* (*Isa.* XI)

CAPUT IV.

Idem rationibus probatur.

Idem rationibus potest probari. Quod legitur de numeris, ad numerata referendum est, quia quod dicitur de proprietatibus subjectorum, ad ipsa subjecta referendum est. Unde, cum in arithmetica dicatur, quod « sola unitas indivisibilis simplex est origo omnis pluralitatis, » ad res subsistentes istud videtur referendum : sed in creaturis illum existens subsistens invenitur actu et natura simplex et indivisibile, quod non sit aliqua specie compositionis compositum. Ergo in alio existente oportet nos invenire illam ineffabilem simplicitatem : restat ergo et hanc esse in Creatore, cum in creatura inveniri non possit. Quia sicut ab unitate indivisibili omnis procedit pluralitas quæ divisibilis est, ita a Creatore invariabili omne procedit variabile, quia]

Ipse manens stabilis dat cuncta moveri.

Et sicut in unitate et numero resultant Creatoris et creaturæ imago, ita et Trinitatis similitudo : in proprietate enim unitatis quodam modo resultat vestigium Trinitatis, quia, ut apud arithmeticum legitur, unitas gignit se ipsam. Inter unitatem autem genitam et gignentem quædam invenitur æqualitas. In quo ergo subsistente hoc poterimus invenire, nisi in Deo? Deus enim gignit Deum, et non alium Deum a Deo gignente, imo genuit illum qui est idem Deus cum gignente; et est ibi perfecta æqualitas gignentis et geniti, sive convenientia, seu connexus, qui dicitur Spiritus sanctus, in quo Pater et Filius conveniunt. Unde et philosophus ait : « Monas gignit monadem, et in se suum reflexit ardorem (*Mercurius Trismegistus*). » Ergo aut in nullo subsistente invenies quod de unitate dicitur, aut in unitate et trinitate divina reperitur. Præterea, sicut Deus ab æterno fuit sapiens, ita sapientia sua fuit ab æterno quæ ab ipso procedit, et ita Sapientia Patris a Patre nascitur, et sic est proles Patris : ergo Filius Patris. Notio enim illa qua Deus et se, et universa novit a se condita, alia ab ipso est, quia ex ipso et in ipso, quæ, quia non est aliud in substantia ab eo ex quo est, Filius nominatur ea similitudine, quia sicut in naturali generatione filius a patre in persona alius est, substantiæ tamen ejusdem; ita Dei et ex ipso productæ notionis una est existentia, et tamen alia persona, quia, sicut diximus, eadem non potest esse ex se ipsa. Hoc tamen interest in dicta similitudine quæ data est, quod in humana generatione patris et filii una est substantia specie, non singularitate, Dei vero et suæ notionis, singularitate una est essentia.

Sic igitur quod in theologicis Filius appellatur quia est ex Deo, non idem personaliter esse potest, in ipso autem est tantum una deitas, ergo diversorum personaliter est una essentia, vel illa notio qua Deus novit omnia, non est Deus de Deo. Deus autem notionem suam diligit. Quis autem est nexus et convenientia Patris et Filii, nisi Spiritus sanctus, qui ab utroque procedit? Nonne de hujus processione dicit Psalmista : *Emitte spiritum tuum et creabuntur* (*Psal.* CIII). Quæ est enim illa Spiritus sancti emissio nisi Spiritus sancti a Deo processio.

CAPUT V.

Similitudinibus sic.

Similitudinibus idem probatur : vestigium enim Trinitatis apparet in anima. Mens humana meminit sui, diligit se, varie intelligit se. Hoc si cernimus, nondum quidem Domini Trinitatem, sed imaginem Dei cernimus. Hic enim quædam apparet trinitas, memoriæ, intelligentiæ et amoris. Hæc igitur tria potissimum tractemus, memoriam, intelligentiam, voluntatem : hæc tria non sunt tres vitæ, sed una vita, nec tres mentes, sed una mens, una essentia. Memoria vero dicitur ad aliquid ; et intelligentia, et voluntas, sive dilectio, similiter ad aliquid dicitur ; vita vero ad se ipsam, et mens et essentia. Hæc igitur tria eo sunt unum, quo una vita, una mens, una essentia, et quidquid aliud, ad se ipsa singula dicuntur, et simul non pluraliter, sed singulariter dicuntur. Eo vero tria sunt, quo ad se invicem referuntur; ista tria sunt in mente hominis, et sunt una mens, nec tamen intelligentia est memoria, nec memoria voluntas, nec voluntas intelligentia, aut memoria.

Alia etiam similitudine idem probatur : sunt duæ candelæ sibi unitæ, sibi similes, sibi æquales; si accendantur, unam habent lucem, nec major, nec magis unius lux quam alterius. Sed trium est lux una et individua, sicut in una Trinitate sunt tres personæ, nec una persona major quam alia, nec unius major vel alia natura quam alterius. Pater autem spiritualiter dicitur lux, Filius splendor, Spiritus sanctus flamma. Ideo Pater dicitur lux, quia lucet a se ipso, non ab alio, et quia ab eo lucet lux illuminans, id est Filius, et lux inflammans, id est Spiritus sanctus. Filius ideo dicitur splendor,

quia sicut splendor procedit a luce et splendore, ita Spiritus sanctus a Patre et Filio : et sicut flamma tria facit, urit, splendescit, succendit ; sic Spiritus sanctus urit vitia, splendescit peccata, succendit gratiam. Similiter in sole considerantur tria : Solis substantia, radius a sole procedens, calor ab utroque exiens. Ista tria in sole considerantur, et sunt in una solis substantia ; sol ad nullum, radius de sole nascitur, calor ab utroque progreditur : tam radius quam calor coævus est soli. Tres ergo sunt, sol, radius, calor ; in una tamen substantia sunt. Similiter Pater et Filius, et Spiritus sanctus sunt in una deitatis substantia, Pater a nullo, Filius a Patre, Spiritus sanctus ab utroque ; Pater æternus, Filius et Spiritus sanctus coæterni Patri.

277 CAPUT VI.

Opinio Judæorum qui dicunt quod lex Mosaica non est abolita, sed adhuc est observanda.

Intendunt etiam probare legem Mosaicam non esse abolitam, sed adhuc esse observandam in hunc modum : Si lex bona est, et a Deo data est, observanda est ; nullum enim alias decretum observandum, si Dei mandatum non observandum. Quod si partem Christiani excipiunt, et aliam observandam esse dicunt, dent nobis consilium quomodo illud effugiemus maledictum : *Maledictus homo qui non permanserit in omnibus quæ scripta sunt in lege* (*Deut.* XXVII). Legislator nihil excipit, sed universaliter omnia mandata observari præcipit ; Christiani autem ad suum arbitrium legis et mandatorum observantiam determinant.

CAPUT VII.

Determinatio præmissorum.

Ad hæc primo respondemus legem esse bonam, et a Deo datam dicimus, ac ideo quidquid in ea scriptum est, divino sensu intellectum, suis temporibus observatum et observandum esse sentimus ; ea vero divino intellectu intelligenda erant, quæ si ad litteram accipimus, multa sibi repugnantia videmus. Cum enim Moyses dicat : *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, et erant valde bona* (*Gen.* I), quid est quod in lege quædam dicantur munda, quædam immunda ? Ad litteram quidem non est immundum, quoniam est valde bonum : nec solum ea prohibentur in lege, quæ sui natura nociva sunt homini ad vescendum, verum etiam quæ gestu jucunda, et æque salubria ad comedendum existunt. Aliquid ergo sacramenti hæc in se continent, quæ, licet a Deo dicta sint, tamen a se invicem ad litteram omnino dissident. In exordio autem, inter alia præcepta, de faciendo altari Dominus Moysi ibi ita præcipit : *Altare de terra facietis mihi* (*Exod.* XX) ; in sequentibus autem legitur sic : *Fecit itaque Moyses altare thymiamatis de lignis setim* (*Exod.* XXXVII). Et alibi : *Fundavit bases æneas in introitu tabernaculi* (*Exod.* XXVI et XXVII). Multum itaque adversum videtur, ut aliud et aliter quam Dominus per Moysen jubet, ab ipso Moyse agatur. Aliter ergo quam littera sonat hoc accipi oportet.

Item, ad litteram quomodo stare potest, quod Deus prohibet : *Ne homo aret in bove et asino ?* (*Deut.* XXII.) Onus aliud quodcunque tibi placet asino imponere, non vetat lex, et ponere jugum cum asino, quasi non licet, cum ad pascua bovem cum asino ducere licet, in pascuis simul esse, et compasci permittit lex, et arare simul prohibet, et interdicit. Si auctor propterea hæc vetat, quia hoc animal immundum esse perhibetur, cur non etiam arare bovem cum equo vel alio animali immundo prohibetur in lege ? Hanc non solum in iis quæ dicta sunt mandatis, sed etiam in pluribus aliis legalibus cæremoniis contrarietatem videmus, nisi ea competenti sensu intellexerimus. Discreto itaque et divino sensu hæc intelligenda sunt et discutienda. Si vero legem debito sensu accipimus, omnia legis mandata debita observatione observare poterimus ; quædam ad litteram et sine ullo figurarum velamine dicta esse accipiendo, quædam ad figuram et profundo velamine obumbrata esse intelligendo : quædam ad tempus observari jussa sunt, quædam sine ulla temporum determinatione. Quæ enim alicujus sacramenti prænuntiativa erant, et veritatis figuram faterentur, suo tempore, manifestata rei atque veritatis præsentia, oportuit ut eorum non remaneret prænuntiatio et figura. Nam sicut ipso suo loquendi sensu utimur verborum vicissitudinibus, dicendo, erit, quandiu futurum est ipsum quod erit ; prorsus omittentes in præsenti, et assumendo, est ; cumque ipsum jam præteriisse significantes, utimur, fuit : sic in rebus prænuntiativis alicujus sacramenti, ubi præsens manifestatur sacramentum, ejus jam superflue servaretur figura, seu signum. Quæ alicujus mysterii significativa non erant, sed seu fidei veritatem insinuant, seu charitatis ædificationem commendant, et a Judæis et Christianis, non ad tempus, sed in perpetuum servanda sunt, eorumque transgressio nullatenus potest mala non esse.

CAPUT VIII.

Opinio Judæorum, qui dicunt quod divinæ sanctiones ut tunc non sunt mutandæ.

Item Judæi sic opponunt : si sermo Dei ad tempus servandus est, eoque sermone annihilato, alius alio tempore observandus est, sicque per temporum vicissitudines divinæ sanctiones mutantur, quo pacto ratum erit quod dicitur : *In æternum, Domine, permanet verbum tuum ?* (*Psal.* CXVIII.) Et illud : *Cœlum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt ?* (*Marc.* XIII ; *Matth.* XXIV.) Quid autem interest, cur Deus hoc animal immundum judicet, illud autem mundum ? Hoc uti permittit, illo uti prohibeat ? *Quis enim audivit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit* (*Isa.* XL), ut illud agi permittat, illud fieri prohibeat ? Jussis obsequendum est, et ei obsequi summa virtus est : prohibuit fieri, ergo non licet, ideoque si postea fiat, peccatum esse, ac dignum pœna debita puniendum. Ut ergo

servemus litteram, figuras contemnamus; litteram, ut servemus alterum. Quæ ratio ergo est damnare alterum? Servemus ergo litteram, servemus et litteræ figuram : maneat parvo sensu nostro littera, maneat etiam et addatur spiritualis (si concessa sit nobis a Deo) mysterii latentis intelligentia. Abstineamus a porco, quia lex jubet (*Levit.* XI), abstineamus et ab eo, si quid est quod per porcum significatur peccatum; non aremus in bove et asino, quia legislator prohibuit, et si aliqua intellexerimus per asini et bovis copulam, fas est vitare, imo peccatum est non evitare. Ita et de cæteris. Ita enim lex adimplenda esse censetur, et adimpletur.

CAPUT IX.

Solutio præmissorum.

Ad hæc dicimus quod sermo divinus nullo modo annihilatur, divinæ sanctiones non mutantur, quia Christus non venit solvere legem, sed adimplere (*Matth.* V). Unde ipse ait : *Amen dico vobis, iota unum, aut unus apex non præteribit a lege, donec omnia fiant* (*ibid.*). Non igitur vult eam solvere, sed adimplere. Lex prohibet homicidium, Christus iram et odium : lex prohibet adulterium carnis, Christus et ipsum appetitum cordis. Nobis lex prohibet uti carne porcina, et ea tunc abstinentia nobis necessaria erat, quoniam veritatis futuræ figura erat, et figura servanda erat donec adesset ipsa veritas. Nunc autem nobis necessaria non est, quando ipsa veritas figuræ jam præsens adest, quamvis abstinere liceat, et multi nostrorum abstineant non solum ab ea, sed ab omni carne, et uno et eodem judice se nostrum quisque tuetur. Moyses carnem suillam appellavit immundam (*Levit.* XI), uti ea prohibet, et propterea dicitis; uti ea non licet. Moyses non alius, sed idem ipse carnem suillam dicit mundam et valde bonam, et eam ad vescendum sicut cætera; scribit Deum fecisse bonam, et ideo dicimus quia uti ea licet. Postquam enim denuntiavit Deum fecisse omnia, et pisces maris, et volucres cœli, et cuncta animantia terræ, in quibus est anima vivens, non longe infra subdidit : *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, et erant valde bona* (*Gen.* I). Quod valde bonum est, nulla ex parte malum est; quod vero nulla ex parte malum est, quomodo malum et immundum est? Quidquid ergo in carne suilla est, non malum aut immundum, sed mundum et valde bonum est, atque uti licet. Quia vero per hoc animal voluptas et immunditia figuratur, immundum propter hoc animal esse judicatur, et ea immunditia uti non licet. Si ergo mundum et immundum esse animal intelligitur, et eo uti, et non uti nobis permittitur. Eadem ratione licet et asino arare, et prohibetur ne aremus in bove et asino. Qui ergo terram colit, aret in bove et asino, si melius non potest, quia Deus permittit, qui hæc omnia humanis usibus creavit. Sed bos qui ungulam findit et ruminat, ad excolendam terram omnino idoneus, rectorem Ecclesiæ signat discretum, in his quæ agit sensum

A habentem, qui mandata Dei meditatur, ac meditando apud se ruminat die ac nocte, non solum sibi utilem, sed etiam aliis. Huic non est associandus alter moribus indiscretus, sensu idiota, et litteris imperitus, quia non solum verbo est inutilis, sed suo pravo exemplo aliis nocivus existit.

CAPUT X.

Quibus auctoritatibus et rationibus probatur quod lex, quantum ad litteram, mortua sit.

Quod aut vetus lex in desuetudinem abierit, auctoritatibus et rationibus potest probari. Ait enim Dominus per prophetam : *Consummabo testamentum novum super domum Juda, et super domum Israel* (*Baruch.* II). Quid vocavit novum testamentum, nisi legem Evangelicam? qua superveniente, B vetus dicitur cessare, quia simul servari non potest utraque : adveniente enim veritate, dicitur umbra cessare. Item, David ait in Psalmo : *Quoniam si voluisses, sacrificium dedissem utique, holocaustis non delectaberis* (*Psal.* L). Et Isaias : *Sacrificia vestra odivit anima mea* (*Isai.* I). Item : *Sacrificium et oblationem noluisti, aures autem perfecisti mei. Holocaustum et pro peccato non postulasti*, etc. (*Psal.* XXXIX). Et alibi : *Non in sacrificiis tuis arguam te, holocausta*, etc. (*Psal.* XLIX). *Non accipiam de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos* (*ibid.*). Videmus etiam apud Judæos in magna parte cessare quæ ad legem pertinent : non enim est apud Judæos sacrificium, vel hostia, non propheta, non C lex, non sacerdos, non templum, non locus sacrificii, et, quid opus ire per singula? in maxima parte abolita est lex : Videtur ergo quod lex locum non habeat. In Sehale etiam loquitur Elias, quod mundus duraturus est per sex millia annorum, et duo millia fuisse vanitatis, quod refertur ad tempus quod fuit ante legem Mosaicam, duo vero millia legis Mosaicæ, sequentia duo millia, Messiæ. Sed manifestum est, plus quam quatuor annorum millia transiisse; ergo manifestum est legem transiisse, et Messiam venisse.

CAPUT XI.

Quibus rationibus muniti Judæi probant Messiam non venisse.

Probant etiam Judæi Messiam non venisse, in D hunc modum : Ait Isaias : *Erit in novissimis diebus mons domus Domini præparatus in vertice montium, et fluent ad eum omnes gentes. Venite et ascendamus ad montem Domini, et ad domum Dei Jacob* (*Isa.* II). Si autem jam Christus venit, ubi in toto orbe terrarum nisi apud gentem pauperculam Judæorum, dicitur, ascendamus ad montem Dei Jacob? Alii enim dicunt : Eamus ad domum Petri; alii, ad domum Pauli; alii etiam, ad domum Martini; sed nullo modo ad domum Dei Jacob. Audiant adhuc Christiani de adventu Christi sequentia : *Et conflabunt gladios suos in vomeres, et lanceas suas in falces : non levabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur ultra ad prælium* (*ibid.*). Nunquid ordo militaris jam conflat gladios suos in vomeres,

et lanceas suas in falces? vix fabri sufficiunt, vix ferrum sufficit armis militaribus fabricandis. Ubi terrarum inveniri potest, *non levabit gens contra gentem gladium?* gens contra gentem, effusis viribus, præliatur, regnum adversus regnum excitatur, ab ineunte ipsa puerilitate quisque ad prælium exercetur. Constat ergo quod Christiani aliter longe de Christo et de adventu ejus quam verum sit, credant.

CAPUT XII.

Solutio Christianorum.

Ad hæc respondentes, dicimus quod jam venerunt illi dies novissimi, in quibus *præparatus est mons Domini in vertice montium* (*Isai.* II). Mons ille Christus est, in quem jam universi fines terræ credunt, jam adorant in conspectu ejus universæ familiæ gentium, et una concordi voce dicunt: *Eamus ad montem Domini, et ad domum Dei Jacob* (*ibid.*), id est ad domum Dei quem coluit Jacob, quem coluit Aaron; ideo ostenditur unum Deum esse et eorum qui ante legem fuerunt fidelium, et eorum qui sub lege exstiterunt, et eorum qui nunc existunt credentium in Deum. Quod autem arguunt nos super hoc quod dicimus, eamus ad domum Petri, ad domum Pauli, ad domum Martini; nullus qui sane sapit, hoc ita dictum intelligit: nullam quippe domum Petro vel Paulo facimus, sed in honore atque memoria Petri seu Pauli, eam Deo dedicamus, nec ulli pontifici dicere fas est in consecratione ecclesiarum: Tibi Petro vel Paulo hanc domum consecramus; sed potius dicitur Deo consecrari. Et quamvis universæ ecclesiæ Deo consecrentur, tamen una est domus Dei, una Dei Ecclesia, quæ est omnium fidelium conventus.

Ad hanc domum Dei accedit qui de unitate Ecclesiæ est; in hac domo Dei adoratur mons montium, et Christus, Sanctus sanctorum. Hic peccata remittuntur; non solum homicidium prohibetur, verum etiam ira et odium tollitur; uti gladio et lancea non permittitur, quia qui renuntiat iræ et odio, fas illi est ut renuntiet lanceæ et gladio: multo quippe facilius est conflare gladium suum in vomerem et lanceam suam in falcem, quam timore cordis submisso, humilem fieri ex superbo, servum ex libero, abnegare uxorem, domum, filios, agros, arma, equos, et omnia quæ possidet, ad hæc, ut se ipsum abneget. In hac domo Dei adimpletur quod per Isaiam dicitur: *Vitulus, leo, ovis, simul morabuntur, et puer parvulus minabit eos* (*ibid.*). Parvulus leonem et ursum minat cum agno cum in domo Dei pastor, id est prælatus, nobili et ignobili, potenti et impotenti, forti et infirmo imperat, puer non sensu, sed malitia parvulus.

278 Quod autem Christus jam venit, variis auctoritatibus probatur. Ait Jacob: *Non auferetur sceptrum de Juda, nec dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est; et ipse erit exspectatio gentium* (*Gen.* XLIX).

Sensus est, quod reges vel duces Israelitici populi de tribu Juda descendentes, duraturi erant usque adventum Christi, qui est *exspectatio gentium.* Reges fuerunt in Israel de tribu Juda, a David usque ad Josiam, postea duces usque ad nativitatem: sed tempore nativitatis Christi, regnavit alienigena Herodes, nec postea ducem vel regem habuerunt Judæi de tribu Juda. Ergo Messias venit.

Idem manifeste ostenditur ex verbis Danielis, in illo enim capitulo ubi introducitur Gabriel loquens ad Danielem in hunc modum: *Septuaginta Hebdomades abbreviatæ sunt super populum tuum, et super urbem tuam sanctam, ut consummetur prævaricatio, et finem accipiat peccatum, et deleatur iniquitas, et adducatur justitia sempiterna, et impleatur visio, et prophetia, et ungatur Sanctus sanctorum. Scito, et animadverte ab exitu sermonis, ut iterum ædificetur Jerusalem usque ad Christum ducem, hebdomades septem, et hebdomades sexaginta duæ erunt* (*Daniel.* IX). His verbis, Christi incarnationem designat angelus, qui legem et prophetas implevit, peccata tulit, et justitiam adduxit, et unctus est oleo lætitiæ præ consortibus suis (*Psal.* XLIV); et proponit hebdomadas non dierum, sed annorum, ut septem anni sint hebdomada una; abbreviatas vero dicit, ut intelligamus annos lunares, qui breviores sunt solaribus, undecim diebus. Septuaginta ergo hebdomadæ annorum solarium, faciunt annos quadringentos septuaginta quinque. Et vero, ab exitu sermonis ut reædificetur Jerusalem, usque ad Christum ducem, fluxerunt anni lunares quadringenti nonaginta; numerantur autem, a vicesimo anno Artaxerxis, in quo Nehemias pincerna ejus impetravit ab eo, ut restituerentur muri Jerusalem, et restituit eos in multa angustia. Ab illa, inquam, licentia a rege accepta, et usque ad Christi passionem, fluxerunt anni lunares quadringenti nonaginta; et hæc summa annorum computatur, secundum annos regum qui descenderunt, usque ad octavum decimum Tiberii Cæsaris, *et statim desolatio* (*Dan.* IX). Intercidit Daniel modicum de ædificatione facta per Nehemiam, dicens, *et rursus ædificabitur platea, et muri in angustia temporum* (*ibid.*), de septuaginta Hebdomadis superavit Daniel ultimam, dicens: *Confirmabit autem pactum hebdomadu una* (*ibid.*), quod intelligendum est, de tribus annis et dimidio quibus prædicavit Christus, et quod patribus promiserat confirmavit. Nam jam tres anni et dimidium unius hebdomadis novissime præterierant, quando baptizatus est Dominus, et in dimidio ejusdem hebdomadis residuo, circa finem, *deficiet hostia et sacrificium* (*ibid.*), id est, veniente veritate, cessabunt umbræ, *et in templo erit abominatio desolationis* (*ibid.*), id est abominanda et desolanda erunt sacrificia post mortem Christi, *et usque ad finem* mundi *durabit* hæc *desolatio* (*ibid.*). Supra posuit Daniel tempus mortis Christi, dicens: *Et post hebdomades septuaginta duas* (subaudi, et septimam et novissimam, quam in duas partes divisimus) *occidetur Christus, et non erit*

populus qui eum negaturus est (*Dan.* IX). Dixerunt enim : *Non habemus regem, nisi Cæsarem* (*Joan.* XV). Et alibi, hunc nescimus unde sit. Quod vero sequitur : *Et civitatem et sanctuarium Dei dissipabit populus* (*Dan.* IX), ad septuaginta hebdomades non pertinet, sed propheta tempore adventus et mortis Christi prophetavit, quid venturum erat populo qui noluit eum recipere, dicens : *Et dissipabit civitatem et sanctuarium populus* Romanus *cum duce suo venturo, et finis erit vastitas, et post finem belli, statuta a Deo in æternum desolatio.* Ex his manifestum est Christum jam venisse.

Quæro etiam a Judæis pro quo peccato in tanta miseria sint constituti, et in tam diuturna captivitate detenti. Antiquitus enim captivitas eorum vel per septuaginta annos, vel paulo amplius legitur prolongata fuisse, peccatis eorum exigentibus; sed pœnitentia ducti, a captivitate liberabantur. At, post passionem Christi, in captivitate continue detenti sunt, jam per mille annos et amplius ; sed pro quibus peccatis tam diuturna captivitate detinentur, cum non transgrediantur modo legales observantias, sicut olim transgrediebantur, nec leguntur unquam melius legem observasse, quam modo observant. Restat, quod pro peccato quod commiserunt in Christum, modo puniantur.

CAPUT XIII.

Quibus auctoritatibus probant Judæi Christum non fore Deum.

Probant etiam Judæi Christum non fore Deum, auctoritatibus, sic : *Non assumes nomen Dei tui in vanum* (*Exod.* XX). In vanum nomen Dei assumit, qui homini nomen et cultum divinitatis attribuit; nam si *vanitas est omnis homo* (*Psal.* XXXVIII), qui hominem Deum credit et Deum appellat, homini nomen cultumque divinitatis attribuit. Item, in lege scriptum est : *Qui fecerit se Deum, occidatur* (*Deut.* XIII). Nullus ergo homo est Deus. Præterea, si *nulla est apud Deum transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio* (*Jacob.* I), quomodo penes eum potest fieri tanta rerum alteratio, ut Deus homo fiat, Creator creatura, et incorruptibilis credatur esse factus corruptela? Quomodo accipitur : *In principio, Domine, terram fundasti, et opera manuum tuarum sunt cœli; ipsi peribunt, tu autem permanes, et omnes sicut vestimentum veterascent; tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient* (*Psal.* CI). Quomodo idem Deus ipse est, si alteratus, homo potest fieri? Si Deus est immensus, quomodo parva humanorum divisione membrorum potuit dimensus circumscribi? Si Deus est immensus, et incircumscriptus, quo argumentationis genere dicitur, quia dimensione corporea circumscriptus totus sub angusto uno Matris utero potuit comprehensus teneri? Adhuc, si Deus est quo nihil majus vel sufficientius cogitari potest, qua necessitate coactus, humanæ calamitatis particeps, tantorum factus est consors malorum? Denique, si Deus factus homo, quomodo stabit quod ipse locutus est ad Moysen *Non me videbit homo et vivet?* (*Exod.* XXXIII.) Multum repugnare videtur, ut Deus homo factus sit, et ab homine, vel ipsa matre sua videri non potuit. Absit enim ut aliquid phantasticum circa Deum fuisse credatur!

CAPUT XIV.

Solutio Christianorum.

Ad hæc dicimus quod necessitas maxima fecit ut Deus homo fieret, et per humanitatis suæ mysterium nos redimeret : rationabile enim fuit, ut sicut per peccatum hominis genus humanum perierat, ita per hominem reduceretur ad vitam. Sed purus homo humanum genus redimere non poterat, ut supra dictum est, quia hominis non est opus bonum, sed Dei; bonum enim quod fit in homine, a Deo est, non ab homine. Ad hoc ergo ut bonum ageret ex se, oportuit eum esse divinæ naturæ. Ex hoc ergo quod Deus homo fuit, bonum opus facere potuit, et non solum actione, sed etiam auctoritate, quo genus humanum potuit redimere. Homo igitur factus est, non id desinens esse quod erat, sed assumens quod non erat, non conversione divinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in Deum, dicimus hominem factum. Et sicut anima rationalis et caro propter unitatem personæ, unus est homo, quamvis alterius naturæ sit anima, alterius caro : nec anima convertitur in carnem, nec caro in animam, sed manente utraque natura, personæ conservatur unitas : ita Deus et homo per unitatem personæ, unus est Christus, quamvis Deus nec in hominem conversus fuerit, nec homo in Deum ; sed divisa sit hominis et Dei natura, indivisa Dei et hominis persona, conservetur et adoretur unitas : neque enim omnia quæ ab aliquo modo fiunt aliud quam erant, desinunt id esse quod erant. In accidentium enim quorumdam alteratione, cum homo niger fit albus, seu albus niger, superveniente altero, perit omnino alterum ; et cum sit ex inermi factus armatus, vel ex nudo indutus, seu ex induto nudus, nihil prorsus in se sic alteratus homo vel accipit vel amittit. Suscepit ergo Deus hominem in unitate personæ, ingenita bonitate sua, non nostra, ex multa necessitate, non sua, sed nostra. Ergo Deus immutabilis secundum quod Deus, mutabilis secundum quod homo; incircumscriptus in divinitate, circumscriptus in humanitate, invisibilis secundum divinitatem, visibilis secundum humanitatem. Et sic non assumitur nomen Dei in vanum, quia Christus non tantum est homo, sed Deus, cui nomen cultusque divinitatis ascribitur. Nec est recens vel recenter Deus, quia æternus Deus et ab æterno Deus, nec ipse fecit se ipsum Deum, quia substantialiter est Deus. Ille enim facit se Deum, qui fingit se esse Deum, cum non sit. Nec est Deus alienus, qui vere est Deus ; dii vero gentium alieni dii dicuntur, quia falso dii nuncupantur.

CAPUT XV.

Quibus auctoritatibus probatur Christum esse Deum.

Christum autem esse Deum, multæ probant au-

claritates. Ait enim Jeremias : *Hic est Deus noster, et non æstimabitur alius ante eum : hic adinvenit omnem viam disciplinæ, et dedit illam Jacob puero suo, et Israel dilecto suo; in terris visus est, et cum hominibus conversatus est* (*Baruch* III). Item Michæas ait : *Et tu Bethlehem Ephratha, nequaquam minima est in millibus Judæ; ex te enim egredietur dux qui regat populum meum Israel, et egressus ejus ab initio a diebus æternitatis* (*Mich.* V). De eodem ait Amos : *Præparare, Israel, in occursum Domini Dei tui* (*Amos* IV). Et alibi de eodem Isaias ait : *Et vocabitur nomen ejus, admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, pater futuri sæculi, princeps pacis* (*Isai.* IX). Et alibi : *Propter scelus quidem populi mei percussi eum* (*ibid.*); non propter suum, ac si dicat Pater : Permisi quidem Christum pati, non propter peccatum suum, sed propter populi dilectum, quia ut Isaias testatur : *Ipse peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus* (*ibid.*; *I Petr.* II). Si ergo verum est quod B. Job testatur (26) : *Non est homo qui non peccet, nec infans cujus est vita unius diei super terram.* Si verum est quod David testatur : *Omnis homo mendax* (*Psal.* CXV); et alibi : *Non justificabitur in conspectu ejus, omnis homo vivens* (*Psal.* CXLII); plus quam homo est, qui peccatum non fecit. Dictus est Christus Emmanuel, id est *nobiscum Deus*, hoc est, Deus manens in natura nostra.

CAPUT XVI.

Quibus auctoritatibus muniti dicant Christum non esse conceptum de Virgine.

Conantur etiam prædicti asserere Christum non esse conceptum de Virgine. Ait enim auctoritas : *Rorate, cœli, desuper, et nubes pluant justum, aperiatur terra, et germinet Salvatorem* (*Isai.* XLV). Quid per terram significatur, nisi Maria mater Christi? quæ est hujus terræ apertio, nisi Mariæ defloratio? In Ezechiele etiam legitur, *quod clausa porta aperietur principi* (*Ezech.* XLIV). Quid per principem intelligitur, nisi Christus, filius Joseph? Et de ipso Christo, mater ejus ait : *Ego et pater tuus dolentes quærebamus te* (*Luc.* II). Præterea, quomodo potest aliqua concipere vel parere, nisi viro cognita? Ubi autem Christiani dicunt : *Ecce virgo concipiet et pariet filium* (*Isai.* VII), textus Hebræus non habet *virgo*, sed potius *abscondita*, vel *occulta*.

CAPUT XVII.

Solutio Christianorum ad prædicta.

His auctoritatibus respondendo dicimus, quod per apertionem non intelligitur defloratio, vel libidinis fœditas, sed conceptionis fecunditas : aperta fuisse dicitur quantum ad Christi ingressum, non aperta per virum, sed sicut fenestra vitrea dicitur aperiri radio solis, non per fracturam vel per divisionem aliquam, sed quia radius eam intrat secundum sui subtilitatem naturæ. Hoc modo, imo subtiliori, dicitur porta clausa aperta esse principi, quia Christus uterum Virginis, per virginitatem clausum, A intravit ineffabili modo. Christus autem dicitur fuisse filius Joseph (*Luc.* III), quantum ad hominum opinionem, et quantum ad educationem. Secundum quam acceptionem, illi qui alios nutriunt, eorum patres dicuntur. Verum est quod sine cognitione viri lege naturæ nulla potest concipere vel parere, sed in miraculis non est quærenda lex naturæ. Illud autem quod Judæi negant scriptum esse in Isaia : *Ecce virgo concipiet et pariet*, etc. Septuaginta interpretes, viri fide et scientia approbati, ita interpretati sunt, et ita interpretari voluit ipse propheta, dicendo et scribendo, *ecce*, *abscondita*, dicunt, *concipiet, et pariet filium*; sed si communi sensu abscondita, id est domi reclusa intelligitur, B et nihil aliud, quid mirum, quid novum, in eo concepti? et ejus mysterii signum esse voluit cum ait : *Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum : Ecce abscondita concipiet*, etc. Hæc igitur nisi subtilius intelligantur, puerili omnino sensu et inani dicta esse a propheta considerantur; quod quia credi et dici absurdum est, sensus est *abscondita*, id est ab amore virili et omni contagione peccati conservata, *concipiet*. In Syro etiam idiomate, quod affine est Hebraico, alma interpretatur *virgo* et ubi habemus *virgo*, in Hebræo habetur *alma*.

CAPUT XVIII.

Quibus auctoritatibus et rationibus probatur quod B. Virgo manens intacta, Christum concepit.

Quod autem gloriosa Virgo manens virgo concepit, et sine virili semine, multiplex insinuat auctoritas, et multiplex etiam ratio. In Ezechiele legitur : C *Et dixit Dominus ad me : Porta hæc clausa erit, et non aperietur, et vir non intrabit per eam, quoniam Dominus solus ingressus est per eam, et erit clausa principi, princeps ipse sedebit in ea, ut comedat panem coram Domino, per viam vestibuli portæ ingredietur, et per viam ejus egredietur* (*Ezech.* XLIV). Hoc, ad litteram nemo potest explere; nam Dominus Deus qui per prophetam loquitur, ait : *Cœlum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum* (*Isai.* LXVI). Et alibi : *Cœlum et terram ego impleho* (*Jer.* XXIII). Si, inquam, Dominus Deus Israel totus ubique est, unde ingressus est per portam illam, et quo ingressus est, si Deus incircumscriptus? Quomodo eum in porta sedere ad litteram D accipi oportet? Quomodo clausa erit principi, si princeps ipse *Dominus* Deus Israel *ingressus est per eam, et sedebit in ea, ut comedat panem coram Domino*, quem panem, vel cujusmodi panem? unde factum est, vel unde delatum est? Comedet Dominus Deus Israel, et *coram Domino*, quis est alius ipse Dominus, ut comedat coram eo panem Dominus Deus Israel? Quia ergo ad litteram hæc accipi non possunt, per portam, aliud intelligi oportet, ut omnia considerentur, et considerata fieri posse videantur. Dominus ergo Deus Israel ingressus est per portam illam, ad nos egressus exiit, quia Deus homo factus in utero Virginis ex carne Virginis

(26) Job XIV, secundum versionem LXX. Vid. Cyprianum, serm. I contra Judæos, et S. Leonem. serm. De nativitate.

(non aliter ab originali peccato foret immunis) sicut in Psalmo dicitur : *Tanquam sponsus procedens de thalamo suo* (*Psal.* XVIII), ad nos homo exiit, atque Jeremia testante : *In terris visus est, et cum hominibus conversatus est* (*Baruch.* III). Porta hæc erit clausa, quia viro clausa erit, nec vir transibit per eam ; clausa principi servabitur, ut per eam ingrediatur, quia Dominus Deus Israel ingressus est per eam : neque enim ante conceptionem et partum mater ejus viro cognita fuit, quoniam clausa porta erit, et vir non transibit per eam : neque post conceptionem et partum Christi, mater ejus viro cognita fuit, quoniam clausa erit, et clausa servabitur principi, quoniam et totum hoc Dominicæ incarnationis mysterium sola virtute divina, sine humano contagio peractum est. Quod dicit Isaias : *Rorate, cœli, desuper, et nubes pluant Justum* (*Isai.* XLV). Rore, inquit, et nube cœlesti, hoc est sola creatione et operatione Dei, sicut paulo post subdit : *Ego Dominus creavi eum* (*Isai.* XLVI). Aperta est terra, id est uterus Virginis, et protulit Salvatorem. Princeps ipse sedebit in ea, quoniam in ea quoque humanitate quam Christus pro nobis assumpsit, omnia sibi subdita accepit. Item Isaias ait : *Generationem ejus quis enarrabit?* (*Psal.* L.) Si ea lege nascendi natus est Christus, qua alius homo, cur generatio dicitur inenarrabilis? Per hoc ergo quod inenarrabilis dicitur, alius modus nascendi in Christo fuisse intelligitur, secundum quem ipse conceptus est sine virili semine, Spiritus sancti operatione ; et sic, mater Christo virgo permanens, Christum concepit. Item, si Christus conceptus est de virili semine, et seminibus patris et matris conceptus est, in pruritu libidinis conceptus est, et sic in peccato natus, quia omnis in concupiscentia natus, peccato est obnoxius. Unde David loquens in persona humani generis, ait : *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea* (*Exod.* XLVIII). Et in lege præceptum fuit, ut octava die puer circumcideretur, ut ab originali peccato liberaretur. Unde scriptum in lege : *Homo qui octava die circumcisus non fuerit, peribit de populo suo* (*Levit.* XII), subaudi, æternaliter. Et alia auctoritas dicit, quod infans unius diei non est sine peccato (*Job* XIV juxta LXX). Sed, si Christus sicut quilibet alius in iniquitatibus conceptus esset, et in peccatis mater eum peperisset, quid ab alio differret? quomodo liber inter mortuos existeret solus? quomodo generatio ejus inenarrabilis diceretur? Sed generationem ejus ideo obstupuit, et inenarrabilem dixit Isaias, quia neque in iniquitate mater eum concepit, neque in peccatis peperit; et ideo inter mortuos liber solus exstitit (*Psal.* LXXXVII) : ergo, quia sine peccato conceptus est, sine virili semine conceptus est, et sic mater ejus eum sine peccato concepit, ergo cum virum in concipiendo non cognovit, in concipiendo, virgo permansit. Et ideo quia Christus fuit sine peccato, hominem potuit liberare a peccato. Et quia omnis homo obnoxius erat peccato originali et pro prævaricatione primi parentis alto Dei decreto, post mortem, anima descendebat ad inferos, opportunum erat, ut per Christum ab inferis liberaretur genus humanum, et per Christum in cœlum reverteretur.

278 *bis* CAPUT XIX.

Quibus auctoritatibus probatur quod omnes ante Christi adventum ad inferos descendebant, et quod necessarium fuit ad reducendum genus humanum, ut Deus hominem assumeret, et sibi mortem subjiceret.

Quod autem omnes animæ ante Christi adventum, ad infernum descendebant, multiplex probat auctoritas. Ait Jacob : *Descendam ad inferos lugens filium meum* (*Gen.* XXXVII). Et alibi ad filios suos ait : *Deducetis canos meos cum dolore ad inferos* (*Gen.* XLII). Unde B. Job, cui, Domino teste, non erat vir similis in terra (*Job* II) : *Infernus domus mea est, et in tenebris strati lectulum meum* (*Job* XVII). Tamen, liberationis spe erectus, paulo post addidit : *Scio quod Redemptor meus vivit, et in novissimo de terra surrecturus sum, et in carne mea videbo Deum Salvatorem meum* (*Job* XIX). Qui Redemptorem testatur, venundatum sive captivatum sese, et redemptum esse non inficiatur, audi et beatum David : *Deus redimet animam meam de manu inferi, cum acceperit me* (*Psal.* XLVIII), et acceptam ab inferno animam, et redimendam dicit ab inferno. Unde et alibi exsultans, dicit : *Domine, eduxisti ab inferno animam meam, salvasti me a descendentibus in lacum* (*Psal.* IX). Cui dicit, *eduxisti, sanasti me*, nisi ei de quo in alio psalmo dicit : *Iter facite ei qui ascendit super occasum, Dominus nomen illi?* (*Psal.* XCVII) et quoniam solus super occasum ascendere noluit, audi quid subditur : *Ascendisti in altum, cepisti captivitatem, dedisti dona hominibus* (*ibid.*). Ezechias quoque moriturus ait : *Ego dixi : In dimidio dierum meorum vadam ad portas inferi* (*Isai.* XXXVIII). Et postea subdit : *Tu autem eruisti animam meam ut non periret* (*ibid.*). Hæc, inquam, spes justorum erat tunc morientium. Nemo ergo in cœlum ascendebat, sed omnes qui tunc moriebantur descendebant ad infernum. Ne ergo homo in æternum periret, restitui hominem oportebat; restitui autem non poterat, nisi Deus hominem assumeret, necessitatem nostram subiret, contra adversarium causidicus noster existeret, et nostræ actionis negotium agens in suadendo, justæ rationis judicio adversarium excutiens, causam nostram finiret. Restituendus itaque Deo erat homo, ac per hominem, qui Deo semetipsum abstulerat. Quis autem de communi massa restitueret, vix enim sibi justitia cujusque sufficit, quanto magis et proximo? non est immunis a peccato infans cujus vita est unius diei super terram (*Job* XIV, juxta LXX). Quod si novus, vel aliunde natus homo, seu angelus factus homo, hominem liberaret, non sic ad pristinum ingenitæ dignitatis statum restitui posset, cum angelis homo par creatus esset, non natura, sed rationis, et concessa

libertatis gratia. Ergo quia soli Deo creatori obnoxius erat, ad eumdem libertatis statum, seu per hominem seu per angelum restitui non valebat. A quo enim quis a servitute redimitur, ei ad serviendum obnoxius esse judicatur. Quia ergo per alium plena hominis restitutio fieri non valebat, necesse fuit ut Creator creaturæ subveniret, creaturam Creator subiret, ut per ipsum Creatorem homo restitutus, soli Creatori ad serviendum obnoxius esset, et hostis jurisdictionem supra humanum genus amitteret. Nihil ergo in Christo suum hostis invenerat, qui neque in iniquitatibus conceptus erat, neque in peccatis partus fuerat, neque ullam prorsus peccati maculam vivendo contraxerat. Quia ergo præsumptio fuit injusta, cum mors invasit eum in quo nihil reperit, et in quo nihil omnino juris habebat, jure amisit eam jurisdictionem, quam peccato primi parentis, in hominem primum, ejusque posteritatem obtinuerat. Mors itaque Christi, peccati originalis apud Patrem hostia et propitiatio fuit. Primo, quod humani generis plena et integra restitutio exstitit, reseratus est in ejus obitu paradisi aditus, remotus est ille gladius versatilis et flammeus, cum in crucis patibulo moriens, et affixus, ait ad latronem : *Hodie mecum eris in paradiso* (*Luc.* XXIII). Tunc quoque adimpletum est quod dictum est in Osea : *O mors, ero mors tua; morsus tuus ero, inferne* (*Ose.* XIII). Igitur illius restitutionis nostræ sacramentum in prophetis habebamus promissum, aliquando per rerum figuras, aliquando per verborum ænigmata; aliquando evidenti et aperta promissione. Primis illis temporibus loquens Deus ad Abraham de hoc sacramento, ait : *In semine tuo benedicentur omnes gentes terræ* (*Gen.* XXVI). Quando nimirum universum genus humanum sub maledictione primi parentis oppressum, per eum ab illo maledicto absolvitur, et benedictioni atque gratiæ priori restituitur : nam in Isaac gens benedicta non est ulla, nulla gens ditioni ejus subjecta fuisse legitur. In David vero et Salomone, qui regibus terræ illius fortiores et potentiores exstiterunt, quomodo gentes benedicentur, cum omnes circumquaque, præter Judaicam, eis adversæ, et contra eos semper dimicantes fuere? De successoribus eorum regno fugatis, captivatis, exhæredatis, frustra mentio ulla haberetur. In Christo jam restat ut hæc intelligantur, et intellecta omnibus modis adimpleantur. Alibi etiam dicit auctoritas : « Qui eduxisti vinctos de lacu in quo non erat aqua. »

CAPUT XX.

Quibus auctoritatibus probatur quod Christus passus sit ad nos liberandum, et peccata nostra delendum.

Quod autem Christus passus sit ad nos liberandum, et peccata nostra delendum, multæ asserunt auctoritates. Legitur enim in Psalmo : *Dominus regnavit a ligno* (*Psal.* XCV). Hoc lignum vocatur crux Dominica, per quam Christus in nobis regna-

A vit per gratiam. Isaias etiam ait : *Et ascendet sicut virgultum coram eo, et sicut radix de terra sitienti, et non est ei neque decor, unde nec reputavimus eum : vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit; ipse enim vulneratus est propter delicta nostra, attritus est propter scelera nostra; disciplina pacis nostræ super eum, livore ejus sanati sumus omnes nos, sicut oves erravimus, unusquisque nostrum in viam suam declinavit, et Dominus posuit in eo iniquitatem omnium nostrum; oblatus est quia ipse voluit, et non aperuit os suum. De angustia et de judicio sublatus est. Generationem ejus quis enarrabit? propterea dabit impios pro sepultura, et divites pro morte sua, eo quod iniquitatem non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus, et voluntas ejus in manu*
B *Domini dirigetur* (*Isai.* LIII). Hoc totum ad Christum refertur. Ascendebat Christus tanquam virgultum, quando *proficiebat ætate et sapientia apud Deum et homines* (*Luc.* II). *Vere languores nostros ipse tulit*, id est abstulit, *et dolores nostros ipse portavit*, id est asportavit. *Ipse enim vulneratus est propter delicta nostra, attritus est propter scelera nostra*. Et quoniam universa hæc propria voluntate non coactus pertulit, idcirco adjecit : *Oblatus est quia ipse voluit, et non aperuit os suum.* Hoc idem assumpta hominis esse videtur, cætera quæ sequuntur, hominem excedunt, et solius Dei sunt : *De angustia et de judicio sublatus est*, quia mortuus, ab ipsa morte detineri non potuit, cujus generatio est inenarrabilis. Quomodo enim Deus con-
C substantialem Filium ex se gignat ante tempora, et semper, *quis enarrabit?* quomodo prædestinatis temporibus ex matre sine virili semine homo creatus sit, et eum Deus assumpserit in unitate personæ, *quis enarrabit ? Propter scelus* quidem non suum, sed *populi mei*, *percussi eum.* Quid enim sceleris admisit, *qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus?* Et in Psalmo legitur : *Foderunt manus meas et pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea* (*Psal.* XXI).

CAPUT XXI.

Quibus auctoritatibus probatur quod Christus vere resurrexit a mortuis, et ad cœlos ascendit.

De resurrectione etiam Christi multa a sacra
D Scriptura habemus testimonia. Ait Oseas : *Duobus diebus vivificabit nos, et post duos dies suscitabit nos* (*Ose.* VI). Quod apertius testimonium de passione et morte Christi, et resurrectione? Item in Psalmo introducitur Filius loquens ad carnem suam : *Exsurge, gloria mea, exsurge, psalterium et cithara*, etc. (*Psal.* LVI). Gloriam suam vocat Christus humanam naturam suam, in qua glorificatus est, in qua gloriosa egit. Eamdem vocat psalterium, quantum ad carnis glorificationem, et ascensionem, quia psalterium resonat a superiori. Eamdem vocat citharam, propter passiones quas humana Christi natura sustinuit, quia cithara resonat ab interiori. Et in Psalmo ait Christus : *Quoniam non dabis sanctum tuum videre corruptionem* (*Psal.* XV). Et alibi : *Et*

refloruit caro mea (*Psal.* XXVII). De ejus ascensione legitur : *Ascendit in altum, captivam duxit captivitatem* (*Ephes.* IV). Hic insinuatur, quod Christus ascendit in cœlum et duxit secum animas sanctorum, quæ prius captivatæ tenebantur in inferno. De eadem Christi ascensione alibi legitur : *A summo cœlo egressio ejus, et occursus ejus usque ad* A *summum ejus* (*Psal.* XVIII). Et in dialogo Isaiæ, ubi introducuntur angeli admirantes Christi ascensionem : *Quis est iste qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra?* (*Isai.* LXIII.) Et in Psalmo : *Quis est iste Rex gloriæ? Dominus fortis et potens, Dominus potens in prælio* (*Psal.* XXIII). Hæc contra Judæorum errores dicta sufficiant.

LIBER QUARTUS.

CONTRA PAGANOS SEU MAHOMETANOS.

278 *ter* CAPUT PRIMUM.

Quibus auctoritatibus et rationibus dicunt pagani, seu Mahometani, Christum conceptum fuisse de flatu Dei communi.

Nunc contra Mahometi, discipulos styli vestigium vertamus. Cujus Mahometi monstruosa vita, monstruosior secta, monstruosissimus finis, in gestis ejus manifeste reperitur; qui maligno spiritu inspiratus, sectam abominabilem invenit, carnalibus voluptatibus consonam; et ideo, multi carnales ejus secta illecti, et per errorum varia principia dejecti, miserabiliter perierunt, et pereunt; quos communi, vulgo, vocabulo, Saracenos vel paganos nuncupant; qui cum Christianis, in hoc consonant, quod unum Deum, universorum creatorem affirmant; in hoc tamen cum Judæis conveniunt, quod in divina unitate trinitatem abnegant. Ad quos confutandos, quæ contra Judæos de unitate et trinitate diximus, dicta sufficiant. Illi non in omnibus Mosaicæ legi concordant, sed ad suum nutum, ab utraque quædam excipiunt, quæ observanda esse asserunt; non ratione ducti, sed voluntate tracti. Illi asserunt Christum natum de Virgine, et Mariam Virginem permansisse, et Christum de Spiritu Dei, id est de flatu Dei conceptum fuisse. Spiritum autem Dei non intelligunt tertiam in trinitate personam, sed potius naturalem flatum, quem reperimus in homine, et in omni alio animante. Dicunt etiam Deum insufflasse in Beatam Virginem, et ita de illo flatu Virginem concepisse. Quod volunt auctoritate et ratione probare. Ait enim auctoritas : *Flabit Spiritus ejus, et fluent aquæ* (*Psal.* CXLVII). Spiritum istum dicunt naturalem Dei flatum. Et in Genesi legitur : *Inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ* (*Gen.* II). Hoc sic intelligunt : Deus flatu suo inspiravit, vel insufflavit in corpus Adæ, et ita creatus est spiritus in Adam illo flatu divino. Et de eodem flatu intelligunt quod legitur in Evangelio : *Insufflavit Christus in discipulos suos, et ait : Accipite Spiritum sanctum* (*Joan.* XX). De eodem item intelligunt, quod dicit Gabriel ad Mariam : *Spiritus sanctus superveniet in te* (*Luc.* I). Et illud, quod Christus dicitur esse conceptus de Spiritu sancto, B ex Virgine Maria. Ratione etiam idem volunt astruere : Virgo Maria per se (alio non mediante) Christum non genuit, nec de virili semine eum concepit, nec divina substantia; ergo de quodam medio inter rationalem creaturam et Deum; sed quid est illud medium supra hominem, et infra Deum, nisi flatus divinus, quo insufflata peperit virgo Maria. Si flatus materialis imprægnat terram, et facit eam germinare, quid mirum, si flatus divinus fecundavit Mariam?

CAPUT II.

Solutio Christianorum ad præmissa.

Ad hoc respondemus, quod illi qui hæc conantur asserere, indigent sensu et pœna, ideo enim materialis flatus non est, quia ipse in incorporea C substantia est, nec habet instrumenta flandi ut fauces, etc. Si enim corporeus esset, variabilis esset nec in omni loco incircumscriptibilis esset. Quod autem incorporeus sit, probatione non indiget, cum omnis ratio tam humana quam divina hoc irrefragabiliter affirmet. Flatus ergo Dei, sive Spiritus Dei, dicitur Spiritus sanctus, qui procedit a Patre et Filio, de quo dicitur in Genesi : *Spiritus Domini ferebatur super aquas* (*Gen.* I), et Christi *spiritus ubi vult spirat* (*Rom.* VIII). Si Spiritus sanctus animi voluntas est, rationalis est et materialis flatus non est. Item Apostolus ait, quod *Spiritus* (sanctus scilicet) *postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus* (*ibid.*). Christus etiam ait : *Ite, prædicate evangelium omni creaturæ, baptizantes in* D *nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti* (*Matth.* XXVIII). Hic Spiritus Dei comparatur Patri et Filio, et ita est una in Trinitate persona. De hoc Spiritu dicitur : *Flabit spiritus ejus, et fluent aquæ* (*Psal.* CXLVII). Quando enim Spiritus sanctus per gratiam inspiratur peccatoribus, qui dicuntur aquæ per fluxum peccatorum, aquæ fluunt, id est peccatores convertuntur, fluunt per fluxum lacrymarum, per pœnitentiæ lamentum. Quod autem dicitur Dominus inspirasse spiraculum vitæ in corpore Adæ, sic intelligendum est, spiritum hominis creando eum corpori hominis infudit. Per hoc autem Christus materialiter insufflavit in apostolos, signatum est, quod gratiam Spiritus

sancti infundebat in eos. Supervenit autem Spiritus sanctus in Virginem gloriosam, quia ei infudit suam gratiam. Eadem ratione, dicitur concepisse de Spiritu sancto, id est opere Spiritus sancti, non de substantia ipsius; ipsa enim virgo sola Dei auctoritate, de sua carne Christum concepit, sine alterius rei commistione. Nec alius intelligitur flatus, ut jam dictum est, materialis a Deo procedens, rationalem creaturam excedens; quia si alius materialis flatus procederet a Deo, aut esset ejusdem naturæ cum Deo, aut non, si esset ejusdem naturæ, ergo esset Deus, et ita de divina natura concepit Virgo, quod dictu et intellectu horribile est asserere. Si ille flatus non est divinæ naturæ, quæritur, cujus naturæ sit? si incorporeæ naturæ est, et non divinæ, angelus vel anima est, cum spiritus sit; et ita B. Virgo de angelo vel de anima concepit. Si corporalis est, non alius quam aerem esse videtur, et ita absurdum est quod sequitur, ut dicamus B. Virginem ex aere concepisse. Quæritur etiam, utrum ex solo flatu facta sit illa conceptio? Si ex solo flatu factus est Christus, vel ipse flatus factus est homo, fuit ille flatus vel anima Christi, vel unitas animæ Christi: si fuit unitus animæ Christi, physicus fuisse videtur; corpus etiam quod Christus habuit, fuit de carne Virginis aut non? Si non fuit de carne Virginis, Filius Virginis non fuit. Unde ergo originem habuit? Si de Virgine habuit, fuit ille flatus unitus carni, ut ex illis duobus fieret conceptio, et illo flatu animaretur caro, ad hoc ut Christus fieret homo.

Adhuc nobis objiciunt veritatis inimici, in hunc modum: quomodo Christus fuit Filius Dei, si non fuit conceptus de substantia divina vel de flatu Dei?

Ad hoc dicimus, quod Christus secundum humanam naturam, fuit Filius Virginis, secundum divinam, Filius Dei, ab æterno natus a Patre secundum divinitatem; in tempore de Virgine secundum humanitatem. Quod autem Christus fuit Deus et homo, supra, contra hæreticos et Judæos probatum est diligenter, et ideo ad præsens his supersedendum est. Non ergo secundum quod homo, Filius Dei, nisi per gratiam, secundum quod Deus, Filius Dei secundum naturam. Si enim de divina natura secundum quod homo conceptus fuisset, nullo modo variabilis esset, nec alius in eo defectus fuisset.

CAPUT III.

Opinio paganorum, qui dicunt quod Christus fuit impassibilis et immortalis.

Prædicti pagani asserunt Christum immortalem, impassibilem fuisse, quia conceptus est de Dei flamine, et ideo dicunt, ipsum non fuisse passum, vel mortuum, nec a mortuis suscitatum: sed asserunt, loco sui alium hominem posuisse, cum Judæi vellent eum cruci affigere; quod ita nituntur asserere; si Christus de flatu divino conceptus est, sicut flatus divinus incorruptibilis est, ita Christus

A impassibilis. Præterea, indecens esset Christum de flatu divino conceptum, et sic quodam modo Dei Filium crucis subire patibulum.

CAPUT IV.

Solutio præmissorum.

Ad hoc dicendum quod Christus, secundum quod Dei Filius est, nec passus, nec mortuus, nec suscitatus est, sed secundum infirmitatem humanæ naturæ, quam assumpsit de Virgine. Quia ipse si carnem assumpsit, aut passibilem habuit aut impassibilem? si impassibilem, unde eam assumpsit, cum omnis caro passibilis esset; si passibilem assumpsit, pati et mori potuit, et ex divinitatis virtute a mortuis resurgere. Sed caro Virginis passi-
B bilis erat, et ex illa passibili carnem assumpsit, et sic passibilis fuit. Quod autem Christus Dei Filius fuerit, et secundum hoc immortalis; et Filius Virginis, et secundum hoc mortalis, diligenter superius probatum est; et quod Christus passus, mortuus, suscitatus, superius variis probavimus auctoritatibus; et sic Christus quod mortem subiit secundum carnis infirmitatem, non hoc reputavimus Christi miseriam, sed dignationem, ex summa Dei misericordia et dignatione fuit, quod Christus carnem assumpsit: mortem subiit, non quod hoc meruisset, sed ut a morte nos per mortem redimeret. Si enim rex alius misertus servi sui jacentis in luto, lutum intraret, ut servum liberaret, non hoc ascriberetur miseriæ regis, sed dignationi.

C

CAPUT V.

Opinio paganorum, qui dicunt homines in æterna beatitudine cibo et potu materiali reficiendos esse.

Dicunt etiam prædicti pagani, in æterna beatitudine homines materiali cibo et potu reficiendos esse; quod auctoritatibus conantur probare; aiunt enim Deum Judæis, si bene agerent, promisisse terram fluentem lacte et melle; sed hoc intelligi non potest de materiali terra promissionis, quia non manat lacte et melle, ergo referendum est ad paradisum, in quo beati reficientur lacte et melle. Et Christus promittens suis æternam refectionem, ait: *Ut edatis et bibatis supra mensam meam in regno Patris mei* (*Luc.* XXII). Christus etiam legitur post resurrectionem favum mellis comedisse, ut per
D hoc insinuetur, quod homines post resurrectionem reficientur melle.

CAPUT VI.

Solutio ad præmissa.

Ad hoc dicendum, quod in æterna beatitudine, non erit materialis refectio, sed spiritualis quia homines spiritualia corpora habebunt, non potu vel cibo indigentia. Quia, sicut attestante Christo, homines in paradiso *neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicut angeli Dei* (*Rom.* XIV), materialibus alimentis non reficientur, sed erunt sicut angeli Dei, cibo et potu non indigentes. Et Apostolus ait, quod *esca et potus non sunt regnum cœlorum; caro etiam et sanguis regnum Dei non possidebunt* (*I Cor.*

XVI), id est alimenta carnis et sanguinis, in regno Dei locum non habebunt.

Ad litteram etiam de terra promissionis intelligi potest, quod de terra manante lacte et melle dictum est; terra enim illa fertilissima est. Vel, per terram manantem lacte et melle, paradisus cœlestis intelligitur, qui manare lacte et melle dicitur, propter æternæ et internæ refectionis dulcedinem. Mensam etiam suam quæ erit in regno Patris sui, vocat Christus spiritualem beatorum refectionem. Quæ spiritualis refectio nihil aliud erit, quam divina fruitio. Unde in Psalmo : *De torrente voluptatis tuæ potabis eos* (*Psal.* XXXV).

Quæ autem major insania, quam asserere hæc esse beatorum præmia, esum mellis et potum lactis? Sustinuerunt martyres tot persecutiones, ut ad has pervenirent refectiones? voluit Laurentius uri, in craticula, ut ad hæc perveniret gaudia? Suspensus est Vincentius in aculeo, ut hoc frueretur cibo? Certe, si Deus daturus esset suis materialia fercula, credo quod elegantiora daret eis cibaria. Christus autem post resurrectionem non ideo comedit, ut per hoc insinuaret resuscitatis necessaria esse cibaria, sed ut per hoc probaretur ejus resurrectio vera.

CAPUT VII.

Quod pagani asserunt, quod licitum est eis plures habere simul uxores.

Dicunt etiam prædicti licitum esse eis plures simul habere uxores. Quod nituntur probare auctoritate Patrum Veteris Testamenti, qui duas uxores habuisse leguntur, ut Jacob, David et alii multi. Qua enim ratione eis licitum fuit simul habere plures uxores, et non modernis? Sed hoc non asserunt nisi ut luxuriæ satisfaciant : tota enim vita eorum in fetore luxuriæ est. Itaque, sit.

CAPUT VIII.

Solutio prædictorum.

Ad hoc dicimus, quod una dicitur esse unius; unde et Dominus unam dedit Adæ uxorem, et non plures, quod etiam sacramento deservit; per hoc enim significatur, quod una est Sponsa Christi, id est Ecclesia. Unde et Lamech mortaliter peccavit, qui primus plures uxores habuit. In Veteri autem Testamento, licitum erat alicui plures habere uxores ad multiplicandum genus humanum, ad divinum cultum; tunc terram replebat fecunditas, nunc autem in Novo Testamento, cœlum debet replere castitas : *A tempore enim Joannis Baptistæ, regnum cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud* (*Matth.* XI). Hinc, ut ait Apostolus : *Quandiu vivit mulier, alligata est viro, ut non possit alii nubere; similiter vir mulieri, ut non possit aliam ducere* (*I Cor.* VII); unde vir si plures habet, adulter est; et sicut una mulier non potest simul habere plures viros; sic unus vir nec plures mulieres simul. Item dicit Apostolus, quod *vir non habet potestatem sui corporis, sed mulier* (*ibid.*), et sic, vir, vivente uxore sua, non potest accedere ad aliam. Cum ergo prædicti

A pagani dicant Christum fuisse magnum prophetam, quomodo audent verbis ejus contradicere, qui dixit mulierem non esse derelinquendam nisi causa fornicationis; ipsi autem multis aliis de causis relinquunt uxores.

Sunt etiam quidam inter eos, qui dicunt mulierem relictam a marito, non debere ad eum regredi, donec alter cum ea conveniat, et sic prævaricatores legis et Evangelii facti sunt. In lege enim scriptum est ut *si quis uxorem suam qualibet ex causa dimiserit, et voluerit ad eam quandoque regredi, in ipsius fit arbitrio, si tamen alter eam non fœdaverit; si alter eam tetigerit, ab illo in perpetuum prohibita est* (*Deut.* XXIV). In Evangelio tamen licitum non est homini uxorem suam sine culpa fornicationis
B dimittere; et qui dimissam alterius in uxorem acceperit, adulter et mœchus judicatur (*Matth.* V). Item, si Christum tantum fuisse prophetam credunt, et de Virgine natum, et de flatu divino conceptum, cur non celebrant ejus conceptum, vel ortum?

278 *quater* CAPUT IX.

Opinio illorum, qui dicunt quod sola ablutio corporis per aquam sufficit ad remissionem peccati.

Affirmant etiam prædicti, solam corporis ablutionem per aquam factam, sufficere ad peccati remissionem; quod volunt multiplici auctoritate probare. Ait enim Ezechiel : *Effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis*
C *vestris* (*Ezech.* XXXVI). Et *Joannes fuit baptizans in aqua tantum* (*Marc.* I). Naaman etiam ablutus in Jordane, liberatus fuit a morbo lepræ (*IV Reg.* V), per quod signatum est quod aliquis per solam aquæ ablutionem liberatur a peccati sorde. Præfati pagani his auctoritatibus ducti, asserunt quodlibet mortale peccatum homini remitti per solam aquæ ablutionem, sine contritione vel confessione.

CAPUT X.

Responsio Christianorum.

Ad hoc dicimus quod sufficit discreto et adulto corporis ablutio, sine contritione et confessione; puero vero, non sine Trinitatis invocatione, sicut superius in tractatu contra hæreticos multipliciter
D probatum est : Ezechiel autem aquam illam vocat mundam, quod sanctificetur per verbum, juxta illud : Accedit verbum ad elementum, et fit sacramentum. Joannes autem non baptizavit in peccati remissionem, vel sanctificationem, sed in significationem, nec peccata Joannis baptismo remittebantur. Ablutio vero aquæ qua Naaman purgatus est a lepra signat baptismum Christi, quo quis liberatur a culpa. Ablutio aquæ qua fit peccati remissio in baptismo, iterari non debet, quia significat passionem Christi et mortem, quæ iteranda non est, nec sacramento baptismi debet fieri injuria. Semel ergo valet aquæ ablutio, id est baptismus, puero vel adulto, iterata vero non prodest. Errant ergo pagani qui singulis ablutionibus corporum suorum

credunt sibi remitti peccatum mortale. Si enim hoc esset, videretur esse peccati incentivum. Isti etiam multa in lege veteri observant, et ita quodammodo judaizant, quia porcum non comedunt, plures uxores simul ducunt; sed superius contra Judæos diligenter probavimus, jam legem abolitam esse : et hoc Paulus multipliciter probat, et eum esse quasi idololatram, qui legem Moysi observat ad litteram; quia veniente veritate, debet umbra cessare, et veniente signato, cesset figura. Christus etiam ostendit eam esse consummatam, et in se esse impletam, cum dixit : *Consummatum est* (*Joan.* XIX).

CAPUT XI.

Opinio Judæorum et Saracenorum contra Christianos, quia Christiani habent imagines in ecclesiis.

Nobis etiam insultant pagani cum Judæis, quia habemus imagines in ecclesiis nostris, et sculptilia, in quo videmur obviare præcepto divino, quod ait : *Non facies tibi sculptiles, nec omnem similitudinem quæ est in cœlo vel in terra, vel in aquis, vel sub terra* (*Exod.* XX; *Deut.* V). Et Propheta ait : *Confundantur omnes qui adorant sculptilia*, etc. (*Psal.* XCVI). Christiani autem effigiant Deum sublimi sedentem solio, manuque porrecta signantem, et circa eum magno dignitatis præstigio, aquilam, hominem, vitulum et leonem, has effigies exsculpant, fabricant et depingunt; unde possunt et ubi possunt, adorant et colunt.

CAPUT XII.

Solutio præmissorum.

Ad hoc dicimus, quod si lex Mosaica prohibuit nullo modo fieri sculptile, peccavit Moyses qui fecit imagines cherubim, et posuit in templo : in corona etiam aurea, quæ in terra Philistiim detenta est, ut aiunt Hebræi, sculptæ erant imagines regum. A simili videtur, quod possunt depingi imagines sanctorum, et imago Christi, ut homines per ea quæ vident ad invisibilia invitentur, et per signantia, significata venerentur; quia, sicut scriptæ litteræ sunt clericorum, ita picturæ laicorum. Legimus etiam in Isaia, Isaiam Dominum *sedentem* vidisse *super solium excelsum, et seraphim stabat super illud* (*Isai.* VI). Si Isaias quod vidit imaginaria vel materiali visione, vel corporali, voluit repræsentare, non videtur absurdum esse, ut redigeret in picturam, quod redegerat in scripturam.

Similiter, legitur Ezechiel (cap. I) vidisse similitudines quatuor animalium, scilicet, hominis, leonis, vituli, et aquilæ : quod ergo legitur Ezechiel vidisse et scripsisse, non potest Christianus ad memoriam pingere? Competenter ergo mandatum legis accipiendum est, imo sicut ipse legislator declaravit, intelligendum est : *Non*, inquit, *facies sculptile*, et causam demonstrat, *non adorabis ea neque coles*. Exclusa igitur perfidi cultus idololatria, facta sunt ab eis, et fieri possunt a nobis sculptilia. Cælaturas facimus et sculpturas, sed divino cultu nec adoramus, nec colimus eas, nec ipsam crucem factam dicimus quod in se, vel ex se habeat virtu-

A tem, sed postquam benedictione pontificali sanctificatur in memoriam Dominicæ passionis, jam crucem, non divino, sed debito venerationis cultu attollimus et colimus. Alio enim modo homo adorat Deum, quam crucem. Deum adorat propter ipsius divinitatem; crucem veneratur, propter passionem Crucifixi. Ut ergo paucis ac breviter includam verbis, nullam omnino Christianus divino cultu rei alicujus adorat effigiem; debito tamen honoris cultu sacras sanctorum adorat effigies et picturas. In hoc etiam nobis insultant, quod dicunt nos plures facere deos, quia plures adoramus sanctos, ut, Petrum et Paulum, etc., nulla enim debetur adoratio, nisi Deo; qui enim cultum divinum creaturæ attribuit, idololatra est. Ad illud dicendum, quod B illam speciem adorationis quæ debetur Deo, et Græce, dicitur *latria*, Christianus non exhibet creaturæ, sed eam quæ Græce dicitur *dulia*, quæ debetur homini et angelo. Illa quæ debetur Deo consistit in dilectione, oratione, glorificatione, oblatione, ut Deum diligat homo super omnia, offerat ei, tanquam Creatori, se et sua, hunc cultum nemo exhibet creaturæ. Sed homo tenetur diligere proximum tanquam se, ei exhibere reverentiam, aliquando ut majori, aliquando ut pari, benignitatem, aliquando ut minori. Non ergo plures deos constituimus, sed unum Deum divino cultu adoramus.

CAPUT XIII.

Opinio paganorum, quod neminem debent salutare, nisi fuerit ejusdem sectæ cum eis.

C Illi etiam de quibus sermo præcessit, dicunt nullum salutandum esse, nisi fuerit ejusdem sectæ cum eis. Dicunt enim, quod cum eis non debeant habere participium salutationis, cum quibus non sunt habituri communionem salutis : Si enim excommunicatis non est offerenda salutatio, multo minus illis, cum quibus nulla habetur communicatio.

CAPUT XIV.

Refellitur præmissa opinio.

Sed ipsi sibi contrarii sunt; dicunt enim sibi licitum esse alterius legis uxorem ducere, quod et antiqui Patres fecisse leguntur, ut David, qui gentilem duxit uxorem, matrem videlicet Absalonis, et D Salomon, filiam regis Ægypti. Si enim eis licitum est uxores ducere alienigenas, multo magis licitum est salutare, vel pro eis orare. Isti colunt culicem, et deglutiunt camelum. In multis etiam aliis sibi sunt contrarii. Quædam enim ex veteri lege suscipiunt, quædam excipiunt : similiter, ex Evangelio, et sibi multipliciter contrarii sunt. Hæ sunt vulpeculæ Samsonis, quæ in caudis fuerunt conjunctæ, in facie disjunctæ et divisæ. Illi enim dicunt Christum tantæ fuisse dignitatis et sanctitatis, ac Mahometum, vel etiam majoris, quandoquidem dicant Christum non fuisse mortuum, Mahometum autem asserant defunctum, et etiam manifestum est Mahometum fuisse mortuum, et a canibus devoratum.

Si Christus non est mortuus, ubi dicent eum esse, in cœlo, vel in terra? In terra manifestum est eum non esse; relinquitur ergo, quod in cœlo. Sed quando ascendit in cœlum, cum passus, vel mortuus, vel suscitatus, secundum eos, non sit?

Quæritur etiam ab eis, utrum Christus judicaturus sit mundum? Nonne legitur in libro Danielis (*cap.* VII), quod libri conscientiarum aperientur in die judicii, et vetustissimus dierum sedebit, et singulos judicabit? Hæc autem innuit in via, ut hoc judicium consequeretur in patria.

Dicant etiam, opinio sua quibus notetur miraculis? Apud eos fiunt miracula per antiphrasim. Relinquitur ergo falsam esse eorum opinionem, quæ non munitur ratione vel auctoritate.

Conclusio hujus operis

Erubescant ergo hæretici de falso errore, Waldenses de excogitato dogmate, Judæi de legis Mosaicæ observatione, pagani de abominabili errore. Convertantur hæretici ad catholicam unitatem, abrenuntiantes pravis dogmatibus; Waldenses pravis persuasionibus, Judæi observantiis carnalibus, pagani superstitiosis opinionibus, ut sic ad veram unitatem perveniant, et a vera unitate fidei, ad veram æternæ beatitudinis unitatem ascendant. Quod nobis præstare dignetur Jesus Christus Dominus noster, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat unus Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Explicit quadripartita Magistri Alani editio contra hæreticos, Waldenses, Judæos et paganos.

Inferius habebatur:

Fideliter extractum ex manuscripto in Bibliotheca Cisterciensi asservato. XVIII *Martii* 1655.

Franciscus du CHEMIN prior Cistercii.

ALANI AB INSULIS

LIBER

DE PLANCTU NATURÆ.

AD LECTOREM.

279 Liber hic, tam in exemplaribus mss. quam aliorum auctorum citationibus, diversas sortitur inscriptiones. Nonnunquam enim, ut in exemplari abbatiæ Cysoniensis, vocatur, *Enchiridion de naturis rerum*, Alias, ut, in exemplari cœnobii Sancti Bertini, *Liber De conquestione naturæ*. Frequentius tamen inscribitur, *Liber de planctu naturæ*, quia nimirum auctor in principio operis introducit naturam plangentem humani generis depravationem fedumque vitiorum dominium; maxime autem, infandi Sodomiæ sceleris, in quod, præ cæteris vitiis, invehitur, in tantum ut diversi Auctores, integro libro epigraphem affigant: *Tractatus contra Sodomiæ vitium*; quanquam alia quoque vitia plurima acerrime carpat, congruaque præscribat media, quibus singula expugnari debeant. Porro, opus est, ut verbis utar doctoris eximii, Roberti Holkoth *in cap.* 10 *libri Sapientiæ, lect.* 118, *litt, A. scientifice multum et curiose compositum*, eoque titulo, gravissimis quibuscunque auctoribus familiare; ut ex eorum scriptis patet. Adeo, ut etiam celebris ille polygraphus Leo Allatius, eloquentiæ professor, illud doctissimis suis *illustrationibus* dignum reputaverit, prout ipsemet testatus est, libro 280 *De apibus Urbanis, seu De viris illustribus, eorumque scriptis, qui, anno* 1630 *et duobus sequentibus, Romæ fuerunt;* quem librum, anno 1633, ibidem publicavit, et Urbano octavo pontifici dedicavit.

In hoc, inquam, recensitis a seipso elaboratis variis lucubrationibus, subjunxit; *Nunc illustrat*, scilicet Allatius, *librum beati* Alani, *De complanctu naturæ*. Verum, ut Roma nuper litteris me monuit Romanus Ferdinandus Ughellus, ordinis nostri Cisterciensis clarissimus abbas, intempestive viro superveniens mors, opus imperfectum suppressit, librumque hunc, non sine rei litterariæ, adeoque et boni communis injuria, preli beneficio privavit: quod eidem nunc tandem ipsemet procuravi, usus duobus ms. exemplaribus, quorum primum mihi subministravit instructissima bibliotheca abbatiæ Parcensis juxta Lovanium, sed valde mutilum, principio et fine truncatum; secundum humanissime submisit Reverendus adm. dominus, Hugo Beekmans, abbatiæ Cysoniensis, ordinis canonicorum regularium archimandrita dignissimus. Quod cum omnino integrum et perfectum esset, ac insuper vetustate sua plurimum commendabile, illud hic fere secutus fui, adnotando tamen, hinc inde, lectionis varietatem, ubi sensus utramque admisit.

Carolus DE VISCH,
prior Dunensis.

281 LIBER DE PLANCTU NATURÆ.

In lacrymas risus, in fletum gaudia verto :
 In planctum plausus, in lacrymosa jocos,
Cum sua naturam video secreta silere,
 Cum Veneris monstro naufraga turba perit.
Cum Venus in Venerem pugnans, illos facit illas :
 Cumque suos magica devirat arte viros.
Non fraus tristitiam, non fraudes fletus adultei
 Non dolus, imo dolor parturit, imo parit.
Musa rogat, dolor ipse jubet, natura precatur,
 Ut donem flendo, flebile carmen eis.
Heu! quo naturæ secessit gratia? morum
 Forma, pudicitiæ norma, pudoris amor!
Flet natura, silent mores, proscribitur omnis
 Orphanus a veteri nobilitate pudor.
Activi generis sexus, se turpiter horret
 Sic in passivum degenerare genus.
Femina vir factus, sexus denigrat honorem,
 Ars magicæ Veneris hermaphroditat eum.
Prædicat et subjicit, fit duplex terminus idem,
 Grammaticæ leges ampliat ille nimis.
Se negat esse virum, naturæ factus in arte
 Barbarus. Ars illi non placet, imo, tropus.
Non tamen ista tropus poterit translatio dici;
 In vitium melius ista figura cadit.
Hic modo est logicus, per quem conversio simplex
 Artis, naturæ jura perire facit.
Cudit in incude, quæ semina nulla monetat
 Horret et incudem malleus ipse suam.
Nullam materiam matricis signat idæa,
 Sed magis in sterili littore vomer arat.
Sic pede dactilico Veneris male iambitur usus,
 In quo non patitur syllaba longa brevem.
Quamvis femineæ speciei supplicet omnis
 Forma viri, semper hujus honore minor;
Quamvis Tyndaridi vultus formetur, Adonis
 Narcissique decor victus adoret eam :
Spernitur ipsa tamen, quamvis decor ille peroret
 Et formæ deitas disputet esse deam.
Qua Jovis in dextra fulmen langueret, et omnis
 Phœbi cessaret otia nervus agens :
Qua liber fieret servus, propriumque pudorem
282 Venderet Hippolytus, hujus amore fruens.
Queis impressa semel, mellirent oscula succo,
 Queis mellita darent, mellis in ore favum.
Spiritus exiret ad basia deditus ori,
 Totus et in labiis luderet ipse sibi.
Ut dum sic moriar, in me defunctus, in illo
 Felici vita perfruar alter ego.
Non modo Tyndaridem Phrygius venatur adulter,
 Sed Paris in Paridem monstra nefanda parit.
Non modo per rimas rimatur basia Thysbes
A Pyramus, huic Veneris rimula nulla placet.
Non modo Pelides mentitur virginis actus,
 Ut sic virgineum se probet esse virum;
Sed male naturæ munus pro munere donat,
 Cum sexum lucri vendit amore suum.
A Genii templo tales anathema merentur,
 Qui Genio decimas, et sua jura negant.

Cum hanc elegiam lamentabili modulatione crebrius recenserem, mulier (27)[1] ab impassibilis mundi penitiori dilapsa palatio, ad me maturare videbatur accessum; cujus crinis non mendicata luce, sed propria scintillans, non similitudinarie radiorum repræsentans effigiem, sed eorum claritate nativa naturam præveniens, in stellare corpus caput effi-
B giabat puellæ; quod duplex tricatura diffibulans, superna non deserens, terræ non dedignabatur osculo arridere. Quoddam vero lilioli tramitis spatium, sub obliquitate decussata, crinis dividebat litigium, nec illa unquam obliquitas vultui erat detrimento, sed præerat decori. Crinale vero aureum in legitimi ordinis choream crinis aurum concilians, vultum mirabatur invenisse conformem. Phantasia enim coloris aurum consequentis, paralogismum visui concludebat. Frons vero in amplam evagata planitiem, lacteo liliata colore, lilio videbatur contendere.

Supercilia aureo stellata fulgore, non in silvam evagantia, nec in nimiam demissa pauperiem, inter
C utrumque medium obtinebant. Oculorum serena placiditas amica blandiens claritate, gemelli præferebat sideris novitatem. Naris utraque odore imbalsamata mellito, nec citra modum humilis, nec injuste prominens; quoddam repræsentabat insigne. Oris nardus naribus delicatas odoris epulas offerebat. Labia modico tumore surgentia Veneris tyrones invitabant ad oscula. Dentes quadam sui coloris consonantia eboris faciem exemplabant. Genarum ignis purpureus, rosarum succensus murice, dulci flamma faciem amicabat; candore namque grato amicam sentiebat temperiem, purpura vultus sindoni maritata. Menti expolita planities crystallina luce circumspectior, argenteum induebat fulgorem. Colli non injusta proceritas sub gracilitate moderata,
D cervicem maritari humeris non sinebat.

Mamillarum pomula gratiose juventutis maturitatem spondebant. Brachia ad gratiam inspectoris prospicua, postulare videbantur amplexus. Laterum æquata convallatio, justæ moderationis impressa sigillo, totius corporis speciem ad cumulum perfectionis eduxit.

NOTÆ.

(27) Naturam designat, cujus pulchritudinem descripsit.

VARIÆ LECTIONES.

[1] Naturam.

Cætera vero quæ thalamus secretior absentabat, meliora fides esse loquebatur. In corpore etenim latebat vultus gratior, cujus facies ostentabat præludium. Et quamvis tanta esset pulchritudinis lætitia, hujus tamen risum decoris, **283** fletus inæstimabilis exstinguere conabatur : nam ex oculorum scaturigine derivatus fluxus, doloris prædicabat mentem.

Ipsa etiam facies in terram casto pudore demissa, ipsi puellæ illatam quodammodo loquebatur injuriam; regalis autem diadematis corona rutilans, gemmarum scintillata choreis, in capite superne fulgurabat; cujus non adulterina auri materies ab ipsius honore degenerans, luce sophistica oculos parallogizans, sed ipsius nobilitas ministrabat essentiam. Miraculoso vero circuitu, æternaque volatione ipsum diadema ab oriente peregrinans in occidens, reciprocando crebrius referebatur in ortum. Idemque perenniter exercendo, ex nimia ejusdem petitione principii, nugatoria motio videbatur. Prædictarum vero gemmarum aliæ ad tempus nova Dei miracula, novo sui luminis sole, visibus offerebant; ad tempus autem, suæ coruscationis eclipsi, videbantur a diadematis exsulare palatio. Aliæ insertæ solio, suæ scintillationis vigiliam perennantes, perennes faciebant excubias. Inter has, circulus elucens ad zodiaceæ obliquitatis similitudinem pretiosorum lapidum stellatus, monilibus sidereæ contiguitatis oscula syncopabat. In quo cohors duodena gemmarum, successivo privilegialique splendore inter alias prærogativam poscere videbatur. In anteriori quoque ipsius diadematis parte, tres pretiosi lapides audaci suæ radiationis superbia, reliquis novem antonomastice præfulgebant. Lapis primus, noctis frigus in luminis incendio pati jubeat exsilium, in quo, ut faceta picturæ loquebantur mendacia, leonis effigiata fulminabat effigies.

Lapis secundus, et priori non secundus in lumine, in præfatæ partis audaciori loco præfulgens, quasi ex quadam indignatione, reliquos lapides deorsum aspicere videbatur. In quo, prout veritatis simia, pictura docebat, sub mutatoria conflictione progrediendo retrogradus, incedendo recedens, cancer post se incedere videbatur.

Lapis tertius oppositi lapidis splendorem pauperculum abundantibus suæ claritatis recompensabat divitiis. In quo, sicut picturæ veritas prædicabat, umbratilis Ledea proles sibi mutuo amplexu congratulans incedebat. Ad hunc modum, tres eodem dignitatis honore pollentes, thronum in contradictoria parte locaverunt. Quorum primus sudoris guttulis lacrymas exemplando, quodam imaginario fletu contristabat aspectum. In quo, prout curialis scripturæ phantasia imaginando docebat, adolescentis cujusdam urceolus, fluentem excipiebat torrentem. Lapis secundus a suo regno caloris hospitia glaciali torpore repellendo, hiemem sibi hospitem vindicabat : in quo, ex caprinæ lanæ

A adulterino vellere, capricorni tunicam pictura texuerat. Lapis tertius, vultum lucis induens crystallinæ, hiemis prophetabat adventum. In quo assidua sui arcus inflexione senex Chironius vulnera minabatur, nunquam tamen minis recompensabat effectum. Alteri quoque lateri blandienti lasciviens gemmarum benigna oculis gratiabatur serenitas. Quarum prima rosei coloris flammata murice, rosam visibus præsentabat : in qua taurus suæ frontis insignia præferens, sitire prælium videbatur. Alia, suæ lucis privilegiata temperie, bonitatis gratia sororum trahebat collegia, in qua aries frontis honore superbiens, gregis postulabat dominium.

Tertia vero, viriditatem præferens smaragdi-
B neam, refocillationis oculorum in se gerebat antidotum, in qua, sub imaginario flumine, pisces suæ naturæ nando littoris exercitium frequentabant.

In contradicenti latere throni, siderum pulchritudo jucundo scintillabat applausu. Horum lapidum primus, suæ fulgurationis aureo sole radians indefesse pulchritudinis gratiam efferebat, in qua, sicut sculpturæ tropica figura demonstrabat, quadam sui prærogativa fulgoris, astris contendebat Astræa. Secundus, non superfluo splendore luxurians, nec penuriosi splendoris mendicans scintillas, flamma moderata gaudebat : In quo quoque sub æquo examine juxta artis pictoriæ normam,
C libra ponderum spondebat judicia.

Tertius, vultus alternando vicarios, nunc serenitatis benevolentiam spondebat, nunc obscuritatis nubes inducebat : in quo resultans **284** facies scorpionis, vultu risum, fletum caudæ minabatur aculeo. Sub his autem duodecim lapidum domiciliis, septena gemmarum pluralitas, motum circularem perennans, miraculoso genere ludendi, choream exercebat plausibilem; nec ipsi choreæ sua deerat suavitas harmoniæ, nunc semi tonis lasciviens, nunc mediocri tonorum sonoritate juvenescens, nunc maturiori tuba melidioma procedens, sua modulatione nostrarum aurium excitabat libidinem, et oculis offerebat dormiendi prætudia. Sed cui audiendi parcitas auris promeretur offensam,
D prodigalitas educit fastidium; nam ex abundanti copia audiendi fastidita auris elanguet.

Ili septem lapides, quamvis nullis juncturarum ligaturis ipsi diademati tenerentur obnoxii, nunquam tamen sui absentatione superiorum lapidum orphana faciebat collegia. Lapis autem superior, adamas erat, qui cæteris motu avarior, prodigalior in desidia, in amplioris sui circuli peragratione, nimiam temporis moram trahebat. Qui tanti frigoris gelicido segnescebat, ut ipsum ex Saturno sidere genitum genialis naturæ probaret conformitas. Secundus Achates erat, qui dum sui cursus vicinia cæteris fiebat familiarior, quorumdam inimicitias transformabat : in quo, dum gratiam etiam quorumdam, et puerilem benevolentiam im-

periali suæ virtutis potentia reddebat adultam; quo- A niam propinqua naturæ cognatione, Joviali fidei esset familiaris, gratiatis disputabat effectus. Tertius astrites erat, in quo, caloris principatu castra metente, quadam proprietatis continuitate, Martii sideris legebatur effectus : qui minaci suæ figurationis vultui terribilis, cæteris minabatur perniciem. Quartus erat carbunculus, qui solis gerens imaginem, sub radiationis cereo proscribens umbraculum, fratrum lampades soporabat eclipticas, nunc cæteros regali suæ majestatis auctoritate deviare præcipiens, nunc quietam agitationi tribuens potestatem. Cum sapphiro vero hyacinthus ejus insistendo vestigiis, ipsi velut assecla ancillando, præfati luminis nunquam fraudabatur aspectu, brevique in superjecta distantia, ejus orbem currunt B pariter aut sequuntur, aut una sequens stella, alteri præeundi concedit obsequia. Horum duorum lapidum alter suæ naturæ congruentia, Mercurialis stellæ; reliquus vero Dionei sideris redolebat effectum.

Lapis ultimus margarita erat, quæ rutilantis coronæ margini insita, luce lucens aliena, a carbunculo luminis mendicabat suffragia. Quæ aliquando lumini vicina præfato, proficiens, sive prolongata deficiens, in crescendo radios sui luminis quasi carbunculum venerata, submittit, ut fraternis ignibus rursus ornata, renovata sui splendoris ornamenta circumferens, nunc supplementis solemninibus attriti orbis nutriens damna, nunc propriis C orphanata luminibus, jacturam conquerens propriæ majestatis. Quæ crystallino inargentata fulgore, lunaris sideris resplendebat effectu. His omnibus lapidum splendoribus præfati diadematis serenata nobilitas, in se firmamenti repræsentabat effigiem.

Vestis autem ex serica lana contexta, multifario protecta colore, puellæ pelli serviebat in usum, quam discolorando colorans alteritas, multiplici colore faciem alterabat; quæ primitus candore lilii dealbata, intuitum offendebat. Secundo, velut penuria ducta, quasi laborans in melius, ruboris sanguine purpurata splendebat. Tertio, ad cumulum perfectionis, virore, quasi smaragdo, oculis applaudebat. Hæc autem nimis subtilizata, subterfugiens oculorum indaginem, ad tantam materiæ D tenuitatem devenerat, ut ejus, aerisque eamdem crederes esse naturam, in qua, prout oculis pictura imaginabatur, animalium celebrabatur concilium. Illic aquila post juvenem secundo senem induens, iterum in Adonidem revertebatur a Nestore. Illic accipiter violentia et tyrannide a subditis redditus exposcebat. Illic venatoris induens personam milvus, veneratione furtiva, larvam gerebat accipitris. Illic falco in ardeam bellum excitabat civile, non tamen æquali lance divisum; non enim pugnæ debet appellatione censeri, ubi tu pulsas, ego latito tantum. Illic struthio vita sæculari postposita, vitam solitariam, quasi eremita factus, desertorum solitudines incolebat. Illic olor sui funeris præco, 285 mellitæ citharizationis organo, vitæ vaticinabatur apocham. Illic in pavone tantum pulchritudinis compluit natura thesaurum, ut eam posteà crederes mendicasse. Illic phœnix in se mortuus, redivivus in alio, quodam naturæ miraculo, se sua morte a mortuis suscitabat. Illic ciconia prolem decimando, naturæ persolvebat tributum. Illic, passere in atomum pigmeæ humilitatis relegato, grus ex opposito in giganteæ quantitatis evadebat excessum. Illic phasianus natalis insulæ perpessus angustias, principum futurus deliciæ, nostros evolabat in orbes. Illic gallus, tanquam vulgaris astrologus, suæ vocis horologio, horarum loquebatur discrimina. Illic gallus silvestris, domestici galli deridens desidiam, peregre proficiscens, nemorales peragrabat provincias. Illic bubo profanus miseriæ psalmodias funere lamentationis percinebat. Illic noctua tantæ deformitatis sterquilinio sordescebat, ut in ejus formatione naturam fuisse crederes somnolentam. Illic cornix ventura prognosticans, nugatorio concitabatur garritu. Illic pica, dubio picturata colore, curam logices perennabat insomnem. Illic monedula laudabili latrocinio recivas thesaurizans, innatæ avaritiæ argumenta monstrabat. Illic columba dulci malo inebriata Diones Cypridis laborabat in palæstra. Illic corvus zelotypiæ abhorrens dedecus, suos fetus non sua esse fatebatur pignora, usque dum, nigri argumento coloris, hoc quasi secum disputando probabat. Illic perdix nunc aeriæ potestatis insultus, nunc venatorum sophismata, nunc canum latratus propheticos abhorrebat. Illic anas cum ansere sub eorum jure vivendi, hiemabat in patria fluviali. Illic turtur suo viduata consorte, amorum epilogare dedignans, bigamiæ refutabat solatia. Illic psittacus, cum sui gutturis incude, vocis monetam fabricabat humanæ. Illic coturnicem figuræ draconis ignorantem fallaciam, imaginariæ vocis decipiebant sophismata.

Illic picus propriæ architectus domunculæ, sui rostri dolabro clausulam fabricabat in ilice. Illic curruca novercam exuens, materno pietatis ubere, alienam cuculi prolem adoptabat in filium; quæ tamen capitali præmiata stipendio, privignum agnoscens, filium ignorabat. Illic hirundo, a sua peregrinatione reversa, sub trabe nidi lutabat hospitium. Illic philomela suæ defloratiónis querelam reintegrans, armonica tympanizans dulcedine, parvitatis dedecus excusabat. Illic alauda quasi nobilis citharista, non studii artificio, sed naturæ magisterio musicæ perdocta scientiam, citharam præsentabat in ore, quæ tonos in tenues subtilizans particulas, semi tonia in gumphos divisibiles dividebat. Illic vespertilio avis hermaphroditica, cifri locum inter aviculas obtinebat. Hæc animalia, quamvis illic allegorice viverent, ibi tamen esse videbantur ad litteram.

Sindon, virorem adulterato candore, quam puella inconsutibiliter postea ipsa discrete texuerat, non plebea vilescens materia, artificio subtili lasciviens,

pallii gerebat officium; quæ multis intricata amplexibus, colorem imaginabatur aquatilem, in qua, supra animalis aquatilis naturam, multifarias particulatam in species, fabula commentabatur picturæ. Illic cetus rupibus contendens, suæ scopulo quantitatis, turriti corporis incursu, navium arietabat oppidula. Illic canis marinus, cum latrabili sui nominis æquivocatione, nullis indulgendo latratibus, sui generis lepores maris venabatur in saltibus. Illic sturgio sui corporis nobilitatem individuali sui corporis benedictione, mensis offerebat regalibus. Illic halex piscis generalissimus, ampla sui corporis communitate, pauperum solabatur jejunia. Illic plays sui corporis dulcoratis saporibus, in quadragesimali austeritate, carnis redimebat absentiam. Illic mulo dulcibus suæ carnis irritamentis, palata seducebat gustantium. Illic tritula sinus marinos ingrediens, in æquore baptizata, salmonis nomine censebatur. Illic delphinus suæ apparitionis perennio, maris invectiones futuras prædicebat. Illic in sirenum renibus piscis, homo legebatur in facie. His marinæ regionis incolis pallii portio concessa fuerat medialis; reliqua vero chlamidis portio, pisces peregrinos habebat, qui diversis fluctibus evagantes, in dulcioris aquæ patria sedes posuerant. Illic **286** lucius exactione tyrannica, non exigentia meriti, subditos, corporis proprii incarcerebat ergastulo. Illic barbulus non minoris sui corporis dignitate famosus, cum plebecula piscium familiarius habitabat. Illic alosa tempus comitata vernalescum, veris deliciis sui saporis delicias offerens, sui corporis adventu, gustus salutabat humanos. Illic murænа multiplici fenestrata foramine, febrium introductiones lectitabat prandentibus. Illic anguilla colubri naturam imaginans quadam proprietatis similitudine, neptis credebatur esse ejusdem. Illic perca, spermatis jaculis loricata, aquatilis lupi minus abhorrebat insultus. Illic capito quod inferioris corporis parvitate perdebat, strumoso recuperabat in capite. Hæ sculpturæ, tropo picturæ, eleganter in pallio figuratæ, natare videbantur pro miraculo.

Tunica vero polymita opere picturata plumario, infra se corpus claudebat virgineum. Quæ multis stellata coloribus, in grossiorem materiam conglobata, in terrestris elementi speciem aspirabat. In hujus vestis parte primaria, homo sensualitatis deponens segnitiem, ducta ratiocinationis aurigatione, cœli penetrabat arcana. In qua parte, tunica suarum partium passa dissidium, suarum injuriarum contumelias demonstrabat. In reliquis tamen locis, partes eleganti continuatione concordes, nullam divisionis in se sustinebant discordiam. In quibus quædam picturæ incantatio, terrestria animalia vivere faciebat. Illic elephas monstruosa corporis quantitate progressus in aera, os sibi a natura conditum multiplici fenore duplicabat. Illic camelus strumoso corpore deformis, quasi servus emptitius, hominum usibus ministrabat. Illic cornua vicem cassidis usurpando, bubali frontem videbantur ar-

A mare. Illic taurus terram pedibus vexando, mugitibus intonando, sui duelli fulmina præcinebat. Illic boves, taurorum recusantes militiam, quasi rustici, servilibus negotiis inhiabant. Illic equus ferventi provectus audacia, suo assessori commilitans, hastam frangebat cum milite. Illic asinus clamoribus horridis aures fastidiens, quasi per antiphrasim organizans, barbarismum faciebat in musica. Illic unicornis virginali soporatus in gremio, ab hostibus somnum mortis incurrebat. Illic leo, rugitus carmina auribus natorum immurmurans, in illis vitæ suscitabat igniculum. Illic ursa, per portas narium fetus enixa deformes, ipsos stylo linguæ crebrius delambendo monetans meliorem ducebat in formam. Illic lupus, B latitando, furis usurpabat officium. Illic pardus, apertiori latrocinio neronizans, pecudum vulgus non solum in vestibus, verum etiam in propria prædabatur persona. Illic tigris pecualium civium rempublicam crebra innocentis sanguinis effusione violabat. Illic onager, asini exuens servitutem, naturæ manumissus imperio, montium incolebat audaciam. Illic aper dentis armatura fulmineus, mortem propriam canibus multiplici vendebat in vulnere. Illic canis autem phantasticis vexando vulneribus, aera dentium importunitate mordebat. Illic cervus et dama, pedum velocitate volatiles, vitam præeundo lucrantes, subsequentium canum morsus defraudabant iniquos. Illic caper lana C vestitus sophistica, nares fastidire quadriduano videbatur odore. Illic aries tunica nobiliore trabeatus, uxorum pluralitate gavisus, matrimonii defraudabat honorem. Illic vulpecula idiotam bruti exuens animalis, ad meliorem hominis anhelabat astutiam. Illic lepus melancholico arreptus furore, non somno, sed timoris sopore perterritus, canum somniabat adventum. Illic cuniculus pelle nostri frigoris iram temperando, carne propria nostræ famis debellabat insultus. Illic castor, ne ab hostibus totius corporis patiatur dicresim, corporis partes amputabat extremas. Illic lynx, tanta luminis limpiditate vigebat, ut ejus respectu lippire cætera animalia viderentur. Illic martes et sabelo, semi-plenam palliorum pulchritudinem eorum postulantem subsidia, D suarum nobilitate pellium, ad plenum deducebant.

Has animalium figuras, historialis figuræ repræsentatio, quasi jucunditatis convivia, oculis donabat intuentium. Quid vero in caligis camisiaque, in superioribus vestibus consepultis picturæ industria somniabat, nulla certitudinis auctoritate probavi; sed tantum, ut quædam **287** fragilis probabilitatis remedia docuerunt, opinor in herbarum arborumque naturis, ibi picturæ lusisse lasciviam. Illic arbores, nunc tunicis vestiri purpureis, nunc foliis criniri virentibus, nunc florum parturire redolentem videro infantiam, nunc fetum senescere potiorem. Sed quoniam solius probabilitatis lubrico, non certitudinis fide hujus seriem picturationis agnovi, hanc sub silenti pace sepultam prætereo

Calcei autem, ex allutea pelle traducentes materiam, ita familiariter pedum sequebantur ideas, ut in ipsis pedibus nati, ipsisque mirabiliter viderentur inscripti. In quibus vix a vera degenerantibus essentia, sub picturæ ingenio flores amœnabantur umbratiles.

Illic forma rosæ, picta fideliter,
A vera facie devia paululum,
Æquabat proprio murice purpuram,
Telluremque suo sanguine tinxerat.
Concludens (5) sociis floribus, adfuit
Flos illic redolens gratus Adonidis,
Argentoque suo nobile lilium,
Prædicabat agros, imaque vallium.
Illic ore thymus disparere disputans
Certabat, reliquis floribus invidens
Narcissi sociis flore, jocantia
Ridebant tacito murmure flumina.
Vultu florigero flos aquileius
Florum prænituit lucifer omnium,
Vernalisque loquens temporis oti
Stellabat violæ flosculus arbuta,
Picturæ facies plena favoribus :
Ilic florum speciem vivere jusserat
Quæ regalis erat chartula nominis,
Scribentisque tamen nescia pollicis.
Hæ sunt veris opes, et sua pallia,
Telluris species, et sua sidera,
Quæ pictura suis artibus edidit,
Flores effigians arte sophistica.
His florum tunicis prata virentibus
Veris nobilitat gratia prodigi.
Hæc byssum tribuunt, illaque purpuram;
Quæ texit sapiens dextra favonii.

De curru, auriga et comitatu naturæ

Hæc vestium ornamenta quamvis plenis suæ splendicitatis flammarent ardoribus, earumdem tamen splendor sub puellaris splendoris sidere patiebatur eclipsim. In lateritiis vero tabulis arundinci styli ministerio, virgo varias rerum picturales sociabat imagines; pictura tamen subjacenti materiæ familiariter non cohærens, velociter evanescendo moriens, nulla imaginum post se relinquebat vestigia. Quas cum sæpe suscitando puella crebro vivere faciebat, tamen in scripturæ proposito, imagines perseverare non poterant.

Virgo igitur ut prætaxavimus a cœlestis regionis emergens confinio, in mundi passibilis tugurium, curru vitreo ferebatur, qui Junonis alitibus, nullius jugi ministerio disciplinatis, sed sibi spontanea voluntate conjunctis, trahebatur; homo vero virginis capiti supereminens, cujus vultus non terrenitatis, sed potius deitatis redolebat arcanum; impotentiam sexus supplendo feminæ, modesto directionis ordine, currus aurigabat incessum. Ad cujus contemplandam pulchritudinem dignitatis, dum tanquam manipulos, oculorum radios conlegarem

A visibiles, ipsi tantæ majestatis non audentes obviare decori, splendoris hebetati verberibus, nimis meticulosi ad palpebrarum contubernia refugerunt. In præfatæ autem virginis adventu, quasi suas renovando naturas, omnia solemnizare crederes elementa. Firmamentum quasi suis cereis virgineum iter illuminans, ut solito plenius radiarent, suis imperavit sideribus. Unde et ipsa lux divina tantam eorum admirari videbatur audaciam, quod in ejus conspectu quasi nimis insolenter auderent apparere. Phœbus etiam vultum solito lætiorem in occursum virginis ostendens, totas sui luminis effundebat divitias.

Sororem etiam quam sui splendoris depauperaverat ornamentis ei veste jucunditatis **288** reddita
B reginæ venienti jubet occurrere. Aer vultus nubium exuens lacrymosos, sereni vultus benevolentia, virgineis ardebat incessibus : qui primum aquilonaris iræ vexatus insania, nunc in Favonii favorabili gremio conquiescebat. Aves, quasi naturæ inspiratione, alarum ludo plausibili joculantes, virgini venerationis faciem exhibebant. Juno, quæ jampridem joviales tactus fuerat dedignata, tanta fuit inebriata lætitia, ut crebro oculum præludio, maritum ad venereas incitaret illecebras. Mare, tumultuosis prius fluctibus debacchatum, nunc puellaris adventus feriando solemnia, tranquillitatis pacem spondebat perpetuam. Eolus namque tempestatis ventos ne in conspectu virginis amplius civilia bella
C moverent in suis vinculavit ergastulis. Pisces in aquarum superciliis enatantes, in quantum sensualitatis patiebatur inertia, quadam festivitatis hilaritate, suæ dominæ ornabant adventum. Thetis, etiam nuptias agens cum Nereo, Achillem alterum concipere destinabat.

Puellæ vero aquarum pulchritudo non solum hominibus suam furaretur rationem, verum etiam cœlestes suæ deitatis cogeret oblivisci, locis fluvialibus emergentes, quasi tributariæ reginæ venienti, pigmentarii nectaris præsentabant munuscula ; quibus favorabiliter susceptis a virgine, jugi complexuum innexione, crebraque repetitione osculi, virgo virginibus suum intimabat amorem. Terra, jampridem hiemis latrocinio suis ornamentis de-
D nudata, a veris prodigalitate, spirantem florum tunicam usurpavit, ne vestibus pannosis ingloria, adolescentulæ aspectui indecenter compareret. Ver etiam quasi artifex peritus in arte textoria, ut virginis applauderet incessibus, vestimenta texebat arboribus, quæ demissione comarum, sub quadam adorationis specie, quasi flectendo genua, virgunculæ supplicabant. E quibus egressæ virgines, suæ pulchritudinis die materialis diei locupletantes divitias, ex antonomasticis herbarum confecta speciebus, in cedrinis vasculis ferebant aromata, quæ tanquam suos redditus puellulæ persolvendo, ejus favorem suis emebant muneribus. Napæ, floribus

VARIÆ LECTIONES.

(5) Colludens.

saturantes regium currum, quandoque roseis floribus sanguinabant; aliquando florum foliis liliabant albentibus. Flora, camisiam byssinam quam marito texuerat, ut ejus mereretur amplexus, prodigaliter virgini præsentavit. Proserpina, toro mariti fastidito tartarei, ad superna repatrians, suæ imperatricis noluit defraudari præsentia. Terrestria etiam animalia, nescio qua docente natura, jocis indulgendo lascivius, virginalem didicere præsentiam. Sic rerum universitas ad virginis fluens obsequium, miro certamine laborabat sibi virginis gratiam comparare.

Floriger horrentem Zephyrus laxaverat annum,
  Exstinguens Boreæ prælia pace sui.
Grandine perfusus florum, pluit ille ligustrum,
  Et pratis horum jussit inesse nives.
Ver, quasi fullo novus, reparando pallia pratis
  Horum succendit muricis igne togas.
Reddidit arboribus crines quos bruma totondit;
  Vestitum reparans, quem tulit ipsa prius.
Tempus erat quo larga suas expandit in agris,
  Applausu Dryadum, gratia veris opes.
Quo dum major inest virtus infantia florum,
  Altius emergens, matre recedit humo.
Quo violæ speculum terræ cunabula lingens,
  Aeris afflatus postulat ore novo.
Tempus erat quo terra caput stellata rosarum,
  Contendit cœlo sidere plena suo.
289 Quo vexilla gerens ætatis amygdalus ortum
  Prædicat, et veris gaudia flore vocat.
Quo vitis gemmata sinus, amplexa maritos
  Ulmi, de partu cogitat ipsa suo.
Proscribit brumæ solaris cereus umbram
  Cogens exsilium frigora cuncta pati
Altis cum bruma latuit phantastica silvis,
  Quam silvæ foliis feceratumbra recens.
Jam flori parvo Juno dedit ubera roris,
  Quo primum partus lactet alumna suos.
Tempus erat Phœbi quo mortua gramina virtus
  Suscitat, et tumulis surgere cuncta jubet.
Quo mundum facies vernalis læta serenat,
  Et lacrymas hiemis tergit ab ore suo.
Aëris ut fidei se flos committere possit,
  Nec florem primum frigoris urat hiems.
Quo mundum Phœbus hiemis torpore gementem
  Visitat, et læta luce salutat eum.
Proxima quo senium deponit temporis ætas,
  Et mundus senior incipit esse puer.
Quo Phœbus noctem propriis depauperat horis,
  Pigmæusque dies incipit esse gigas.
Quo parat hospitium Phœbo, solvitque tributum
  Grex ovium, gaudens hospite sole pecus
Quo Philomela sui celebrat solemnia veris,
  Odam melliti carminis ore canens:
In cujus festo sua gutturis organa pulsat,
  Ut proprio proprium prædicet ore deum.
A Quo dulci sonitu citharam mentitur alauda,
  Cum volat ad superos, colloquiturque Jovi.
Splendor lascivas argenteus edidit aves,
  In fluviisque diem jusserat esse suum.
Discursus varii fontis garrire videres,
  Prologus in somnum murmur euntis erat.
Splendorisque sui facie fons ille rogabat,
  Ut sua defessus pocula sumat homo.

Natura Alano loquitur.

Hac igitur amœnantis temporis juventute, nullis rerum exhilarata favoribus, priorem virgo non potuit temperare tristitiam, sed currum in terra humilians, propriis humum venustando vestigiis, ad me pudico pervenit incessu. Quam postquam mihi quadam loci proximitate per-
B spexi, in faciem decidens, mentem, stupore vulneratus, exui, totusque in exstasis alienatione sepultus, nec vivus, nec mortuus inter utrumque laborabam. Quem virgo amicabiliter erigens, pedes ebrios sustentando, manuum confortabat
290 solatio, meque suis innectendo complexibus, meaque ora pudicis osculis dulcorando, mellifluo sermonis medicamine a stuporis morbo curavit infirmum. Quæ postquam mihi me redditum intellexit, in mentali intellectu materialis vocis mihi depinxit imaginem, cum quasi archetypa verba idealiter percontexta, vocaliter produxit in actum. Heu! inquit, quæ ignorantiæ cæcitas, quæ alienatio mentis, quæ debilitas sensuum, quæ infirmatio
C rationis, tuo intellectui nubem apposuit[6], animum exsulare coegit, sensus hebetavit potentiam, mentem compulit ægrotare, ut non solum tuæ nutricis familiari cognitione tua intelligentia defraudetur, verum etiam tanquam monstruosæ imaginis novitate percussa, in meæ apparitionis ortu, tua discretio patiatur occasum? Cur a tua memoria mei facis peregrinari notitiam, in quo mea munera me loquuntur, quæ te tot beneficiorum prælargis beavi muneribus? quæ a tua ineunte ætate, Dei auctoris vicaria, rata dispensatione, legitimum tuæ vitæ ordinavi curriculum? quæ olim tui corporis materiam adulterina primordialis materiæ essentia fluctuantem, in verum esse produxi? cujus vultum miserata deformem, quasi ad me crebrius decla-
D mantem[7], humanæ speciei signaculo[8] sigillavi, eamque honestis figurarum orphanam[9] ornamentis, melioribus formatis[10] vestibus honestavi? in qua ad corporis clientelam diversas membrorum ordinans[11] officinas, in eadem[12], sensus quasi corporeæ civitatis excubias vigilare præcepi, ut quasi exteriorum hostium prævisores, corpus ab exteriori importunitate defenderent, ut sic totius corporis materia nobilioribus naturæ purpuramentis ornata, ad nuptias gradiens, marito Spiritui gratius jungeretur; ne maritus suæ conjugis deformitatem fastidiens, ejus refutaret conjugium? Tuum etiam

VARIÆ LECTIONES.

[6] *Aliud exemplar habet*, opposuit. [7] Declinantem. [8] Sigillo. [9] Privatam. [10] Formarum. [11] Ordinatas. [12] Ejusdem.

spiritum vitalibus [13] insignivi potentiis, ne corpore pauperior, ejus successibus invideret. Cui ingenialis virtutis destinavi potentiam, quæ rerum venatrix subtilium, in notitiæ indagine easdem intellectas concluderet. Cur etiam rationis impressi signaculum, quæ suæ discretionis ventilabro, falsitatis inania a seriis veritatis discernat. Per me etiam tibi memorialis ancillatur potentia, quæ in suæ recordationis armario, nobilem censum scientiæ thesaurizat. His ergo [14] utrumque beavi muneribus, ut neuter vel suam gemeret pauperiem, vel de alterius affluentia quereretur. Sicut ergo præfatæ nuptiæ meo sunt celebratæ consensu, sic pro meo arbitrio, eadem cessabit [15] copula maritalis. Nec in te solo particulariter, verum etiam in unoquoque universitatis, meæ potentiæ largitas elucescit. Ego sum illa, quæ ad exemplarem mundanæ machinæ similitudinem, hominis exemplavi naturam; ut in eo velut in speculo, ipsius mundi scripta natura appareat. Sicut enim quatuor elementorum concors discordia, unica pluralitas, consonantia dissonans, consensus dissentiens, mundialis regiæ structuras conciliat, sic quatuor complexionum compar disparitas, inæqualis æqualitas, deformis conformitas, divisa identitas, ædificium corporis humani compaginat. Et quæ qualitates inter elementa mediatrices conveniunt, hæ eædem inter quatuor humores pacis sanciunt firmitatem. Et sicut contra ratam firmamenti volutionem, motu contradictorio exercitus militat planetarum, sic in homine sensualitatis rationisque continua reperitur hostilitas. Rationis enim motus ab ortu cœlestium oriens, per occasum transiens terrenorum, cœlestia considerando regyrat [16]. Econtrario vero sensualitatis motus planetici erratici, contra rationis firmamentum, in terrestrium occidentem aliquando labuntur.

Hæc [17] mentem humanam in vitiorum occasum deducit, ut occidat, illa [18] in orientem virtutum ut oriatur invitat. Hæc hominem in bestiam degenerando transmutat, ista hominem in deum potentialiter transfigurat. Hæc concupiscentiæ nocte mentis lumen eliminat; illa contemplationis lumine mentis noctem illuminat. Hæc hominem debacchari facit cum brutis; ista eumdem disputare facit cum angelis. Hæc a patria cogit hominem exsulare; ista in exsilio docet hominem invenire patriam. Nec in hac re hominis **291** natura potest meæ dispensationis ordinem accusare: de rationis enim consilio, tale contradictionis duellum inter hos pugiles ordinavi, ut, si in hac disputatione, ad redargutionem ratio possit sensualitatem inclinare, antecedens victoria præmio consequente non careat. Præmia etenim victoriis comparata, cæteris muneribus pulchrius elucescunt; munera etiam empta laboribus, jucundius omnibus elucescunt gratuitis.

Majoris enim laudis meretur præconia, qui laborando munus recipit, quam qui recipit otiando: labor namque antecedens, quamdam consequenti præmio infundens dulcedinem, majori favore præmiat laborantem. In his ergo, amplioribusque naturæ muneribus, mundus in homine suas invenit qualitates [19]. Attendite qualiter in hoc mundo velut in nobili civitate, quædam reipublicæ majestas moderamine rato sancitur. In cœlo enim velut in arce civitatis humanæ, imperialiter residet imperator æternus, a quo æternaliter exiit edictum, ut singularum rerum notitiæ in suæ providentiæ libro scribantur. In aere vero, velut in urbis medio, cœlestis angelorum exercitus ministrans [20] administratione vicaria, suam adhibet homini diligentem custodiam; homo vero velut alienigena habitans in mundi suburbio, angelicæ militiæ non denegat obedientiam exhibere. In hac ergo republica Deus est imperans; angelus operans, homo obtemperans.

Deus operando [21] hominem creat, angelus operando procreat; homo obtemperando se recreat.

Deus rem auctoritate disponit; angelus actione componit; homo se operantis voluntati supponit.

Deus imperat auctoritatis magisterio; angelus operatur actionis ministerio; homo obtemperat regenerationis mysterio. Jam nimis nostræ ratiocinationis series evagatur, quæ ad ineffabile deitatis arcanum, tractatum audet attollere, ad cujus rei intelligentiam, nostræ mentis languescunt suspiria. Hujus ergo ordinatissimæ reipublicæ in homine resultat simulacrum. In arce enim capitis, imperatrix sapientia conquiescit, cui tanquam deæ, cæteræ potentiæ velut semi deæ obsequuntur. Ingenialis namque potentia, potestasque logistica, virtus etiam præteritorum recordativa, diversis capitis thalamis habitantes, ejus fervescunt obsequio. In corde vero, velut in medio civitatis humanæ, magnanimitas suam collocavit mansionem, quæ sub prudentiæ principatu, suam professa militiam, prout ejusdem imperium deliberat, operatur. Renes autem tanquam suburbia cupidinariis voluptatibus partem corporis largiuntur extremam, quæ magnanimitatis imperio obviare non audentes, ejus obtemperant voluntati. In hac ergo republica, sapientia imperantis suscipit vicem; magnanimitas operantis sollicitudinem [22]: voluptas obtemperantis usurpat imaginem. In aliis etiam corporis humani partibus, mundi figuratur effigies. Sicut enim in mundo, solaris caloris beneficium rebus medicatur languentibus, sic in homine, calor a cordis fundamento procedens, humani corporis partes vivificando exhi-

VARIÆ LECTIONES.

[13] Virtualibus. [14] id est, corpus et animam. [15] cassabitur. [16] *aliud exemp.* habet: terrena considerando regyratur in cœlum. [17] *sc.* Sensualitas. [18] Ratio. [19] In hominem suas invehit qualitates. Dei providentia cuncta gubernat. [20] Militans. [21] Imperando. [22] Similitudinem.

larat. Sicut etiam luna in machina mundiali, multorum humorum mater existit, sic hepar in hominem, membris humorem impertitur conformem. Et sicut luna solis lumine defraudata languescit; sic virtus hepatis solatio cordis vivificante viduata, torpescit. Et sicut aer, solis absentatione, obscuritate vestitur; sic sine cordis beneficio, vitalis potentia spirat inaniter. Præter hæc vide qualiter mundus variis temporum protheatur [23] successibus. Nunc veris lascivit infantia; nunc æstatis juventute progreditur; nunc virilitate maturescit autumni; nunc hiemis senectute canescit. Compar vicissitudo temporis, eademque varietas hominis immutat ætatem. Cum enim humanæ ætatis aurora consurgit, ver homini oritur matutinum; cumque vitæ curriculum metas ætatis perficit longiores, homo juventutis meridiatur æstate. Sed, cum vita prolixior quasi nonam ætatis horam complevit, homo in autumnum virilitatis evadit; ætateque in occidens inclinata, jam vitæ vesperam senio nuntiante, hiemale gelicidum senectutis, **292** hominem cogit suis albicare pruinis. In his omnibus, ineffabiliter meæ potentiæ resultat effectus, sed tamen plerisque meæ potestatis faciem palliare decrevi figuris, defendens a vilitate secretum, ne si ejus de me familiarem impertirem scientiam, quæ apud eos primitus ignota, pretiosa vigebant, postmodum jam nota vilescerent. Ut enim vulgare testatur proverbium: « Familiaris rei communicatio, contemptus mater existit. » Aristotelicæque auctoritatis tuba proclamat, quod: « Ille majestatem minuit secretorum, qui indignis secreta divulgat [24]. »

Sed ne in hac meæ potestatis prærogativa, Deo videar quasi arrogans derogare, certissime summi magistri me humilem profiteor esse discipulam. Ego [25] enim operans, operantis Dei non valeo expresse inhærere vestigiis, sed a longe, quasi suspirans, operantem respicio. Ejus operatio simplex, mea multiplex; ejus opus sufficiens, meum deficiens; ejus opus mirabile, meum opus mutabile. Ille innascibilis, ego nata; ille faciens, ego facta; ille mei opifex operis, ego opus opificis; ille operatur ex nihilo, ego mendico opus ex aliquo; ille suo operatur nomine, ego operor illius sub nomine; ille, rem solo nutu jubet existere, mea vero operatio nota est operationis divinæ. Et ut, respectu potentiæ divinæ, meam potentiam impotentem esse cognoscas, meum effectum scias esse defectum, meum vigorem, vilitatem esse perpendas. Auctoritatem consule theologicæ facultatis, cujus fidelitati potius quam mearum rationum firmitati, dare debes assensum. Juxta enim ipsius fidele testimonium, homo mea actione nascitur, Dei auctoritate renascitur. Per me, a non esse vocatur ad esse; per ipsum, ad melius esse perducitur [26]. Per me enim homo procreatur ad mortem, per ipsum recreatur ad vitam. Sed ab hoc secundæ nativitatis mysterio, meæ professionis ministerium ablegatur; nec talis nativitas tali indiget obstetrice; sed potius, ego natura hujus nativitatis ignoro naturam, et ad hæc intelligenda mei intellectus habet acumen, meæ rationis confunditur lumen: intelligentia vero intellecta mutatur, insensibilibus sensus confunditur.

Et cum in his omnibus naturalis ratio langueat, sola fidei firmitate, tantæ rei veneramur arcanum. Nec mirum, si in his theologia suam mihi familiaritatem non exhibet, quoniam in plerisque non adversa sed diversa sentimus. Ego ratione fidem, illa fide comparat rationem; ego scio, ut credam, illa credit ut sciat; ego consentio sciens, illa sentit consentiens; ego vix visibilia video, illa incomprehensibilia comprehendit in speculo; ego vix minima metior intellectu, illa immensa ratione metitur; ego quasi bestialiter in terra deambulo, illa vero cœli militat in secreto.

Et cum de prædictis tractare non sit mei officii [27], tamen ad hæc sermonem evagari permisi, ut respectu superlativæ Dei potentiæ, meam potentiam diminutam esse non dubites. Sed quamvis meus effectus divinæ potentiæ comparatus deficiat, tamen humanæ potentiæ coæquatus præpollet [28]. Et sic in quodam triclinio comparationis, tres potestatis gradus possumus invenire, ut, Dei potentia superlativa, naturæ comparativa, hominis, positiva dicatur. Hæc omnia sine omni scrutinio quæstionis, de me tibi familiarem largiuntur notitiam. Et, ut familiarius loquar, ego sum natura, quæ meæ dignationis munere, te meæ præsentiæ compotem feci, meoque sum dignata beare consortio.

Quomodo Alanus loquatur naturæ.

Cum per hæc verba, mihi natura suam faciem develaret, suaque admonitione quasi clave præambula, cognitionis suæ mihi januam reseraret, a meæ mentis confinio stuporis evaporat nubecula, et per hanc admonitionem velut quodam potionis remedio, omnes phantasiæ reliquias quasi nauseans, stomachus mentis evomuit. A meæ mentis igitur peregrinatione ad me reversus, ex integro, ad naturæ devolutus vestigia, salutationis vice, pedes osculorum multiplici impressione signavi. **293** Tum me explicans erigendo, cum reverenti capitis humiliatione velut majestati divinæ, ei voce viva salutis obtuli libamentum.

Consequenter vero ad excusationis auxilium confugiens, precibus humilitatis melle conditis, ejus benevolentiam exorabam (ne vel meæ tenuitatis assignaretur errori, vel indignationis supercilio deputaret, vel ingratitudinis venenis adscriberet, quod ejus adventui nullam hilaritatis festivitatem persolveram, sed potius ejus apparentia velut monstruosi phantasmatis anomala apparitione percussus, adulterina exstasis morte fueram soporatus),

VARIÆ LECTIONES.

[23] Varietur. [24] Revelat. [25] Ego natura. [26] Producitur. [27] Prædicta mei non sint pertractatio officii. [28] Proficit.

dicens non esse mirandum, si in tantæ dignitatis A præsentia, meæ umbra mortalitatis expalluit, si in tantæ majestatis meridie, meæ discretionis radiolus in vesperem exorbitationis evanuit; si in tantæ felicitatis apparentia, mea parvitas erubuit, cum humanæ fragilitatis ignorantiæ tenebrosa caligo, admirationis impotens hebetudo, frequensque stuporis concussio, quodam germanitatis fœdere socientur, ut ex horum sociabili contubernio, humanæ naturæ fragilitas sit quasi discipulus a disciplinante convictus suorum mores informante, qui in novorum primitiis, in magnorum stipendiis, etiam ignorantia tenebrari, et stupore percuti, et admiratione sæpe solet vulnerari. Dum hæc excusatione via reginæ aditum mihi pararet favorabilem, B ejusque gratiam favorabilius mereretur, insuper majora audiendi mihi compararet fiduciam, cujusdam meæ dubitationis ambiguum, quod nimiæ inquietationis impulsu meæ mentis conturbabat hospitium, ejus exponens examini, in hæc verba quæstionis exivi :

Verba Alani ad naturam.

O Dei proles, genitrixque rerum,
Vinculum mundi, stabilisque nexus,
Gemma terrenis, speculum caducis,
Lucifer orbis.
Pax, amor, virtus, regimen, potestas,
Ordo, lex, finis, via, dux, origo,
Vita, lux, splendor, species, figura
Regula mundi.
Quæ tuis mundum moderas habenis,
Cuncta concordi stabilita nodo
Nectis et pacis glutino maritas
Cœlica terris.
Quæ noys [νοῦς] plures recolens ideas
Singulas rerum species monetans,
Res togas formis, chlamidemque formæ
Pollice formas.
Cui favet cœlum, famulatur aer,
Quam colit Tellus, veneratur unda,
Cui velut mundi dominæ, tributum
Singula solvunt.
Quæ diem nocti vicibus catenans
Cereum solis tribuis diei,
Lucido lunæ speculo soporans
Nubila noctis.
Quæ polum stellis variis inauras,
Ætheris nostri solium serenans
Siderum gemmis, varioque cœlum
Milite complens.
Quæ novis cœli faciem figuris
Protheans mutas aridumque vulgus
Aeris nostri regione donans,
Legeque stringis.
Cujus ad nutum juvenescit orbis,
Silva crispatur folii capillo,
Et tua florum tunicata veste,
Terra superbit.
Quæ minas ponti sepelis, et anges,
Syncopans cursum pelagi furori
Ne soli tractum tumulare possit
Æquoris æstus.

Alani prima quæstio

Tu viæ causam resera petenti,
Cur petis terras, peregrina cœlis?
Cur tuæ nostris deitatis offers
Munera terris?

Quæstio secunda.

Ora cur fletus pluvia rigantur?
Quid tui vultus lacrymæ prophetant?
Fletus interni satis est doloris
Lingua fidelis.

Ratio naturæ.

Præfata igitur virgo hujus quæstionis solutionem in vestibulo excubare demonstrans, ait : An ignoras, quod terreni orbis exorbitatio, quod mundani ordinis inordinatio, quod mundialis curiæ incuria, quod juris injuria, ab internis penetralibus cœlestis arcani, in vulgaria terrenorum lupanaria **294** me declinare coegit? Si in affectuoso mentis affectu colligere, et in pectoris armario thesaurizare velles quod dicerem, tuæ dubitationis labyrinthum evolverem. Ad hæc, ergo sub castigato vocis moderamine, responsionis reddidi talionem : Nihil, inquam, o regina cœlestis, affectuosiori desiderio, quam hujus quæstionis enodationem esurio.

C *Solutio primæ quæstionis.*

Tunc illa : Cum omnia lege suæ originis meis legibus teneantur obnoxia, mihique debeant jus statuti vectigalis persolvere, fere omnia tributarii juris exhibitione legitima, meis edictis regulariter obsequuntur; sed ab hujus universitatis regula, solus homo anomala exceptione excluditur, qui pudoris trabea denudatus, impudicitiæque meretricali prostibulo prostitutus, in suæ dominæ majestatem, litis audet excitare tumultum, imo etiam in matrem intestini belli rabiem inflammare. Cætera quibus meæ gratiæ humiliora munera commodavi, per suarum professionum conditionem [29] subjectione voluntaria meorum decretorum sanctionibus alligantur; homo vero qui fere totum divitiarum mea- D rum exhausit ærarium, naturæ naturalia denaturare pertentans, in me scelestæ [30] Veneris armat injuriam. Attende, quomodo fere quælibet juxta mei promulgationem edicti, prout ratio nativæ conditionis expostulat, mei juris statuta persolvant. Firmamentum quotidiana circuitione circumagens [31] universa, juxta meæ disciplinæ doctrinam, non nugatoria volutionis identitate, unde procedit, regreditur, et quo vadit progreditur. Stellæ ad ipsius firmamenti fulgurantes honorem, ipsum suis ornatibus vestiendo, breves sui itineris dietas explentes, varia gyratione ejusdem spatia metienda, meæ militant majestati. Planetæ, prout a me dispositionis

VARIÆ LECTIONES.

[29] Condicionem. [30] Impudicæ. [31] Circuiens.

meæ exivit edictum, firmamenti impetum refrenantes, ad ortum nisu [32] contrario, peregrinant, postque ad suam occasus regionem repatriant. Aer meis disciplinatus doctrinis, nunc aura benevola gratulatur, nunc nubium fletibus quasi compatiens lacrymatur; nunc corrixationibus [32*] ventorum irascitur; nunc coruscationibus illuminatur; nunc tonitruum minaci mugitu concutitur; nunc clibano caloris [33] decoquitur; nunc austeritate frigoris asperatur. Aves variis sigillata naturis, meæ directionis regimine, sub alarum remigio fluctus aeris transfretantes, præcordialiter meis inhiant disciplinis; meæ meditationis interventu æquor terræ firmis amicitiæ nexibus glutinatum, conjuratæ fidei sacramentum sorori violare non audens, ultra diffinitæ evagationis terminum, in terræ domicilia evagari formidat. Ad meæ tantum [34] voluntatis arbitrium, nunc tempestatis stomachatur in iram, nunc in tranquillitatis pacem revertitur, nunc elatum tumoris superbia, in montis evadit imaginem : nunc in æquatam lineatur planitiem. Pisces meæ provisionis [35] voto astricti, reformidant regularum mearum canonibus derogare. Meæ etiam edictionis imperio, quodam nuptiali complexu, terris pluviæ maritantur; quæ prolis laborantes ad fabricam, indefessa parturitione, varias rerum species parentare non desinunt.

Terrestria animalia sub meæ districtionis [36] examine, diversas suorum obsequiorum meo imperio profitentur militias. Terra enim nunc brumali albescit canitie, nunc florum crinitur cæsaria. Silva, nunc frondium crinibus capillatur, nunc acuta hiemis novacula decalvatur. Hiems semina sepulta gremio terræ matris inviscerat, ver inclusa excarcerat, æstas decoquit messes, autumnus suas exhibet ubertates.

Et quid per singula meæ narrationis curriculum evagari permitto? solus homo meæ moderationis citharam aspernatur; et sub delirantis Orphei lyra delirat : humanum namque genus a sua generositate degenerans, in conjunctione generum barbarizans, venereas regulas immutando, nimis irregulari utitur metaplasmo : sicque homo a venere tiresiatus anomala, directam prædicationem in contrapositionem inordinate convertit. A Veneris igitur orthographia homo deviando recedens, sophista falsigraphus invenitur. Consequenter etiam Dioneæ artis analogiam devitans, in anastrophem vitiosam degenerat; dumque in tali quæstione me destruit, et in sua phrænesi [37], mihi themesim machinatur. 295 Pœnitet me tot venustatum prærogativis hominum plerumque privilegiasse naturas, qui decoris decus abusione dedecorant : qui formæ formositatem venerea deformitate deformant, qui pulchritudinis colorem, fusco adulterini cupidinis colore decolorant : qui Floræ florem in vitia effluendo deflorant. Cur decore deifico vultum decoravi Tyndaridis, quæ pulchritudinis usum in meretricationis abusum abire coegit, dum regalis tori fœdus deserens, fœde se Paridi fœderavit?

Pasiphae etiam hyperbolicæ Veneris furiis agitata, sub facie bovis sophistice cum bruto bestiales nuptias celebrans, paralogismo sibi turpiori concludens, stupendo bovis conclusit sophismate. Mirrha etiam cupidinis aculeis stimulata in patris dulcore, a filiæ amore degenerans, cum patre matris exemplavit officium. Medea vero proprio filio novercata, ut inglorium Veneris opus quæreret, gloriosum Veneris destruxit opusculum. Narcissus etiam sui umbra alterum mentita Narcissum, umbratiliter occupatus, seipsum credens esse alterum se, de se sibi amoris incurrit periculum. Multi etiam alii juvenes mei gratia pulchritudinis honore vestiti, debriato amore pecuniæ, suos Veneris malleos in incudum transtulerunt officia. Talis monstruosorum hominum multitudo, totius orbis amplitudine degrassatur, quorum fascinante contagio, castitas venenatur. Eorum siquidem hominum qui Veneris profitentur grammaticam, alii solummodo masculinum, alii femininum, alii commune, sive promiscuum genus familiariter amplexantur : quidam vero quasi heterocliti genere, per hiemem in feminino, per æstatem in masculino genere irregulariter declinantur. Sunt qui in Veneris logica disputantes, in conclusionibus suis, subjectionis, prædicationisque legem relatione mutua sortiuntur. Sunt, qui vicem gerentes supposito, prædicari non norunt. Sunt, qui solummodo prædicantes, subjecti subjectionem legitimam non attendunt. Alii autem Diones regiam ingredi dedignantes, sub ejusdem vestibulo ludum lacrymabilem comitantur. Contra hos omnes conqueruntur jura, leges armantur, cum ultore gladio suas affectant injurias vindicari. Ne igitur mireris, si in has verborum profanas exeo novitates, cum profani homines profanius audeant debacchari. Talia enim indignanter eructo, ut pudici homines pudoris characterem revereantur; impudici vero ab impudentiæ lupanaribus arceantur. Mali enim cognitio, expediens est cautela, quæ culpabili nota inverecundiæ cauteriatos puniat; et ab ejusmodi immunes præmiet. Jam meæ solutionis lima tuæ quæstionis scrupulum eliminavit.

Solutio secundæ quæstionis Alani.

Ideo enim a supernis cœlestis regiæ secretariis egrediens, ad hujus caducæ terrenitatis occasum deveni, ut de exsecrabilibus hominum excessibus, tecum quasi cum familiari et secretario meo, querimoniale lamentum exponerem, tecumque decernerem, tali criminum oppositioni, qualis pœnæ debeat dari responsio : ut prædictorum facinorum morsibus coæquata punitio, pœnæ talionem remordeat.

VARIÆ LECTIONES.

[32] Cursu. [32*] Prœliis. [33] Ardoris. [34] Tamen. [35] Professionis. [36] Dispositionis. [37] Sirenesi.

A Tunc ego : O rerum omnium mediatrix, nisi vererer mearum quæstionum copia tuæ benevolentiæ fastidium provocare, alterius meæ dubitationis tenebras luci tuæ distinctionis exponerem.

Tunc illa : Imo, omnes tuas quæstiones non solum adolescentes, verum etiam vetustatis rubigine antiquas, audientiæ meæ communices, ut nostrarum solutionum firmitate, tuarum dubitationum tranquilletur impulsus.

Tertia quæstio Alani.

Tunc ego : Miror cur poetarum commenta pertractans, solummodo in humani generis pestes, prædictarum invectionum armas aculeos, cum et eodem exorbitationis pede, deos claudicasse legamus ?

Jupiter enim adolescentem Ganymedem transferens ad superna, relativam Venerem transtulit in translatum ; et quem in mensa per diem propinandi sibi statuit præpositum, in toro per noctem sibi fecit suppositum. Bacchus etiam et Apollo, paternæ cohæredes lasciviæ, non divinæ virtutis imperio, sed superstitiosæ Veneris præstigio, verterunt in feminas, pueros mentiendo.

Responsio naturæ.

Tunc illa authenticæ serenitatis vultum tumultuose figurans, ait : An interrogationem, quæ dubitationis facie indigna est, usurpando, quæstionis vestis **296** imagine? an umbratilibus poetarum figmentis quæ artis poeticæ depinxit industria, fidem adhibere conaris? Nonne ea quæ in puerilibus cunis poeticæ disciplinæ discutiuntur, altiori distinctionis lima, senior philosophiæ tractatus eliminat? An ignoras, quomodo poetæ sine omni palliationis remedio, auditoribus nudam falsitatem prostituunt, ut quadam mellita dulcedine velut incantatas audientium aures inebrient? Quomodo ipsam falsitatem quadam probabilitatis hypocrisi palliant, ut per exemplorum imagines, hominum animos moriginationis incude sigillent? At, in superficiali litteræ cortice falsum resonat lyra poetica, sed interius, auditoribus secretum intelligentiæ altioris eloquitur, ut exteriore falsitatis abjecto putamine, dulciorem nucleum veritatis secrete intus lector inveniat. Poetæ tamen aliquando historiales eventus joculationibus fabulosis quadam eleganti fictura confœderant, ut ex diversorum competenti conjunctura, ipsius narrationis elegantior pictura resultet. Sed tamen, cum a poetis deorum pluralitas somniatur, vel ipsi dii venereis ferulis manus subduxisse dicuntur, in his, falsitatis umbra lucescit, nec in hoc, poeta a suæ proprietatis genere degener invenitur. Cum enim Epicuri jam soporentur somnia, Manichæi sanetur insania, Aristotelis arguantur argutiæ, Arii fallantur fallaciæ, unicam Dei unitatem ratio probat, mundus eloquitur, fides credit, Scriptura testatur; in quo nullo nulla labes invenitur, quem nulla vitii pestis aggreditur, cum quo nullus tentationis motus congreditur. Hic est splendor nunquam deficiens, vita indefessa, non moriens, fons semper scaturiens, seminale vitæ seminarium sapiens, principale principium, initiale bonitatis initium. Quamvis ergo, ut poetæ testati sunt plerique homines talibus Veneris terminis sint abusi ad litteram, narratio tamen illa vel deos esse, vel ipsos in Veneris gymnasiis latuisse, mentitur, et in nimiæ falsitatis vesperascit occasum : ideo, ista nube taciturnitatis obduxi, alia vero in luce veræ narrationis explicui. Ad hæc ego : Jam meam quæstionem agnosco redolere nimiæ ruditatis favillam, sed si alia quædam paupercula quæstio dignitatis tuæ audientiam comparare auderet, quidpiam quærendo quærerem. Ad hæc illa ; Nonne jam pridem absque omni refrenationis obstaculo, liberas quærendi habenas exposui ?

B *Quæstio quarta.*

Tunc ego miror, cur quædam tuæ tunicæ portiones, quæ texturæ matrimonii deberent esse confines, in ea parte suæ conjunctionis patiantur divortia, in qua hominis imaginem picturæ repræsentant insomnia?

Solutio quæstionis.

Tunc illa : Jam ex explicatis potes elicere, quid mysticum figuret scissuræ figurata parenthesis ; cum enim ut diximus, plerique homines in suam matrem vitiorum armentur injuriis, inde inter se et ipsam maximum chaos dissensionis firmantes, in me violentas manus violenter injiciunt, mea sibi particulatim vestimenta diripiunt, et quam C reverentiæ deberent honore vestire, me vestibus orphanatam (quantum in ipsis est) cogunt meretricaliter lupari ; hoc ergo in tegumento per hanc scissuram depingitur, quod in solius hominis vitiosis insultibus, mea pudoris ornamenta scissionis contumelias patiuntur. Tunc ego : Jam mearum dubitationum fluctus tuarum solutionum serenitate sedati, meæ menti interpellandi largiuntur inducias. Si tuo complaceret affectui, affectuose affectarem cognoscere.

Quinta Alani quæstio.

Quæ rationabilis ratio, quæ indiscreta indiscretio, quæ indirecta dilectio ita in homine dormire coegit rationis scintillam, ut homo lethæo sensualitatis poculo debriatus, in tuis legibus apostata fieret ; imo D etiam tuas leges illegitime debellaret ?

297 *Quæstionis solutio.*

Cui illa : Si turpissimæ pestis originem velis agnoscere, altius mentis accendas igniculum, appetentius intelligendi reperies appetitum ; hebetudinem ingenii depellat subtilitas, cogitationum fluctus, attentionis compescat stabilitas. Ab altiori enim sumens initium, excellentiori quæsito meæ volo narrationis seriem contexere.

Nolo enim ut prius plana verborum planitie explanare proposita, vel profanis verborum novitatibus profanare profana ; verum, pudenda aureis pudicorum verborum phaleris inaurare, variisque venustorum verborum coloribus investire. Consequens est enim, prædictorum vitiorum scoriam

deauratis lectionibus purpurare, vitiosumque fetorem verborum imbalsamare mellifluo, ne si tanti sterquilinii fetor in nimiæ promulgationis aures evaderet, populum ad indignationis stomachum, et nauseantis vomitum invitaret.

Sed tamen aliquando, ut superius libavimus, quia rebus, de quibus loquimur, cognatos oportet esse sermones, rerum informitati locutionis debet deformitas conformari. In sequenti vero tractatu, ne locutionis cathephaton lectorum offendat auditum, vel in ore virginali locum collocet turpitudo, prædictis vitiorum monstris euphoniæ orationis volo pallium elargiri. Tunc ego : Jam mei intellectus esuries, ingenii flagrantis acies, mentis inflammatæ flagrantia, attentionis stabilitas et constantia, ea postulant quæ promittis. Tunc illa : Cum Deus ab ideali præconceptionis thalamo mundialis palatii fabricam voluit enotare, etiam mentale verbum quod ab æterno de mundi constitutione conceperat, reali ejusdem existentia, velut materiali verbo depingere, tanquam mundi elegans architectus, tanquam aureæ fabricæ faber aurarius, velut stupendi artificii artifex artificiosus, velut admirandi operis opifex, non exterioris instrumenti laborante suffragio, non materiæ præjacentis auxilio, non indigentiæ stimulantis flagitio, sed solius arbitrariæ voluntatis imperio, mundialis regiæ admirabilem speciem fabricavit Deus, qui mundiali palatio varias rerum species ascribendo, quas discrepantium generum litigio disparatas, legitimi ordinis congruentia temperavit, leges indidit, sanctionibus alligavit : sicque res generum oppositione contrarias, inter quas, locus ab oppositis locum posuerat, cujusdam reciprocæ habitudinis relativis osculis fœderando in amicitiæ pacem, litem repugnantiæ commutavit. Subtilibus igitur invisibilis juncturæ catenis concordantibus universis, ad unitatem pluralitas, ad identitatem diversitas, ad consonantiam dissonantia, ad concordiam discordia, unione pacifica remeavit. Sed postquam universalis artifex universa suarum vultibus naturarum investivit, omniaque sibi invicem legitimis proportionum connubiis maritavit, volens ut nascendi, occidendique mutuæ relationis circuitu per instabilitatem stabilitas, per finem infinitas, per temporabilitatem æternitas rebus occiduis donaretur, rerumque series seriata reciprocatione nascendi jugiter texeretur, statuit, ut expressæ conformationis monetata sigillo, sub derivandæ propagationis calle legitimo, ex similibus similia educerentur. Me igitur tanquam sui vicariam, rerum generibus sigillandis monetariam destinavit, ut ego in propriis incudibus rerum effigies commonetans, ab incudis forma conformatum deviare non sinerem, sed mei operante solertia, ab exemplaris vultu, nullarum naturarum dotibus defraudata exemplati facies nullatenus deviaret. Imperantis igitur imperio ego obtemperans, operando quasi varia rerum sigillans cognata ad exemplaris rei imaginem exempli exemplans effigiem, ex conformibus conformando conformia, singularum rerum reddidi vultus sigillatos. Ita tamen sub divinæ potestatis imperio ministerium hujus operationis exercui, ut meæ attentionis manum dextera supernæ majestatis dirigeret, quia meæ scripturæ calamus exorbitatione subita deviaret, nisi supremi dispositoris digito regeretur. Sed quia sine subministratorii artificis artificio suffragante, tot rerum species expolire non poteram, mihique in æthereæ regionis amœnante **298** palatio placuit commorari, ubi ventorum rixa serenitatis pacem non perimit, ubi accidentalis nox nubium ætheris indefessum non sepelit, ubi nulla tempestatis sævit injuria, ubi nulla debacchantis tonitru minatur insania, Venerem ineffabili scientia peritam, meæque operationis subvicariam in mundiali suburbio collocavi, ut meæ præceptionis sub arbitrio, hymenæi conjugis, filiique Cupidinis industria suffragante, in terrestrium animalium varia effigiatione desudans, fabriles malleos suis regulariter adaptans incudibus, humani generis seriem indefessa continuatione contexeret, Parcarumque manibus intercisorum injurias repararet. Dum in hoc narrationis contextu sermo de Cupidine nasceretur, præfatæ narrationi, meorum verborum parenthesi syncopatæ, tenorem hujus quæstionis inserui.

Sexta quæstio Alani.

Ha, ha, nisi injuria tuæ locutionis syncopatæ, mearumque quæstionum venatione timerem tuæ benignitatis offensam incurrere, vellem Cupidinis naturam, de quo aliquantulam mentionem tua prælibavit oratio, pictura tuæ descriptionis agnoscere. Quamvis enim plerique auctores sub integumentali involucro ænigmatum, ejus naturam depinxerint, tamen nulla certitudinis nobis reliquerunt vestigia : cujus in humano genere tanta per experientiam legitur potentialis auctoritas, ut nullus vel nobilitatis sigillo signatus, vel, sapientiæ privilegiantis venustate vestitus, vel fortitudinis armatura munitus, vel pulchritudinis chlamide trabeatus, vel aliarum gratiarum præditus honoribus, se valeat a cupidinariæ dominationis generalitate excipere.

Quæstionis solutio.

Tunc illa, cum temperato capitis motu, verbisque increpationem spondentibus, ait : Credo te in Cupidinis castris stipendiarie militantem, et quadam interfamiliaritatis germanitate eidem esse connexum : inextricabilem etenim ejusdem labyrinthum affectanter investigare conaris, cum potius meæ narrationi sententiarum locupletatæ divitiis, mentis attentionem [33] attentius adaptare deberes. Sed tamen antequam ad sequentia meæ orationis evadat excursus, quia tuæ humanitatis imbecillitati compatior, ignorantiæ tuæ tenebras, pro meæ pos-

VARIÆ LECTIONES.

[33] intentionem.

sibilitatis volo modestia exstirpare. Insuper, tuarum quæstionum solutionibus ex voto promissionis astringor; idcirco sive certa descriptione describens, sive legitima diffinitione diffiniens, rem immonstrabilem demonstrabo, inextricabilem extricabo; quamvis ipsa nullis naturæ obnoxialiter alligata complexionibus, intellectus indaginem non exspectans, nullius posset descriptionis signaculo designari. Ergo, circumscriptæ rei hæc detur descriptio, inexplicabilis naturæ hæc exeat explicatio; hæc de ignoto habeatur notitia, hæc de scibili comparetur scientia, styli tamen altitudine castigata :

299 Pax odio, fraudique fides, spes juncta timori,
Est amor, et mistus cum ratione furor.
Naufragium dulce, pondus leve, grata Charybdis,
Incolumis languor, et satiata fames.
Esuries satiens, sitis ebria, falsa voluptas,
Tristities læta, gaudia plena malis.
Dulce malum, mala dulcedo, sibi dulcor amarus,
Cujus odor sapidus, insipidusque sapor.
Tempestas grata, nox lucida, lux tenebrosa,
Mors vivens, moriens vita, suave malum.
Peccatum veniæ, venialis culpa, jocosa,
Pœna, pium facinus, imo, suave scelus.
Instabilis ludus, stabilis delusio, robur
Infi mum, firmum mobile, firma movens.
Insipiens ratio, demens prudentia, tristis
Prosperitas, risus flebilis, ægra quies.
Mulcebris infernus, tristis paradisus, amœnus
Carcer, hiems verna, ver hiemale, malum.
Mentis atrox tinea, quam regis purpura sentit,
Sed nec mendici præterit illa togam.
Nonne per antiphrasim, miracula multa Cupido
Efficiens, hominum protheat omne genus.
Dum furit iste furor, deponit Scylla furorem,
Et pius Æneas incipit esse Nero.
Fulminat ense Paris, Tydeus mollescit amore;
Fit Nestor juvenis, fitque Melincta senex.
Thersites Paridem forma mendicat, Adonim
Davus, et in Davum totus Adonis abit.
Dives eget Crassus, Codrus et abundat egendo,
Carmina dat Bavius, musa Maronis hebet.
Ennius eloquitur, Marcusque silet; fit Ulysses
Insipiens, Ajax desipiendo sapit.
Qui prius auctorum solvendo sophismata vicit,
Vincitur hoc monstro, cætera monstra domans.
Quælibet in facinus mulier decurrit, et ultro,
Ejus si mentem morbidet iste furor,
Nata patrem, fratremque soror, vel sponsa maritum
Fraude necat, fati præveniendo manum.
Sicque per ascensum male syncopat illa mariti
Corpus, furtivo dum metit ense caput.
300 Cogitur ipsa parens nomen nescire parentis;
In partuque dolos, dum parit ipsa parens.
Filius in matre stupet invenisse novercam,
Inque fide fraudes, in pietate dolos.
Sic in Medea pariter duo nomina pugnant,
Dum simul esse parens, atque noverca cupit.
Nesciit esse soror, vel se servare sororem,
A Dum nimium Cauno Byblis amica fuit.
Sic quoque Myrrha suo nimium subjecta parenti,
In genitore parens, in patre mater erat.
Sed quid plura docebo, Cupidinis ire sub basta
Cogitur omnis amans, juraque solvit ei.
Militat in cunctis, ullum vix excipit hujus
Regula, cuncta ferit fulmen et ira sui.
In quem non poterit probitas, prudentia, formæ
Gratia, fluxus opum, nobilitatis apex.
Furta, doli, metus, ira, furor, fraus, impetus, error,
Tristities, hujus hospita regna tenent.
Hic ratio, rationis egere, modoque carere
Est modus, estque fides non habuisse fidem.
Dulcia proponens assumit amara, venenum
Infert, concludens optima fine malo.
B Allicit illiciens, ridens deridet, inungens
Pungit, et afficiens inficit, odit amans.
Ipse tamen poteris ipsum frenare dolorem,
Si fugias, potior potio nulla datur.
Si vitare velis Venerem, loca, tempora vita,
Nam locus et tempus, pabula donat ei.
Si tu persequeris, sequitur; fugiendo fugatur;
Si cedis, cedit; si fugis, illa fugit.

Jam ex hoc meæ doctrinæ artificio, cupidinariæ artis elucescit theorica, per librum vero experientiæ, tibi practicam poteris comparare. Nec mirandum, si in præfata Cupidinis depictione notulas reprehensionis intersero, quamvis ipse mihi quadam germanæ consanguinitatis fibula connectatur;
C non enim vel detractoriæ malignitatis caliginosa rubigo, vel incandentis odii fervor foras egrediens, vel invidiæ tyrannus extra desæviens, ad has invectivas accusationis me impulit, sed ne veritatis per se loquentis evidentiam videor silentio strangulare. Non enim originalem Cupidinis naturam in honestate, redarguo, si circumscribatur frenis modestiæ, si habenis temperantiæ castigetur; si non germen excursionis limites deputatos evadat, vel in nimium tumorem ejus calor ebulliat, sed si ejus scintilla in flammam evaserit vel ipsius fonticulus in torrentem excreverit, excrementi luxuries amputationis falcem expostulat, exuberationis tumor solatium medicamenti desiderat. Quoniam omnis excessus, temperatæ mediocritatis incessum distur-
D bat, et 301 abundantiæ morbidæ inflatio quasi in quædam apostemata vitiorum exuberat.

Prævia igitur theatralis oratio joculatoriis evagata lasciviis, tuæ puerilitati pro ferculo propinatur; nunc stylus paululum maturior ad præfinitæ narrationis propositum revertatur. Ut supra prælibando docui, terrestrium animalium materiandæ propagini Venerem destinavi, ut varias materias in rebus materiandis excudendo substerneret, ego vero in naturarum purificatione multiplici, ut operibus manum supremæ expolitionis apponerem, et ut instrumentorum fidelitas pravæ operationis fermentum excluderet, ei duos legitimos malleos efformavi, quibus et Parcarum caveret insidias, resque multimodas essentiæ præsentaret. Incudum etiam nobi-

les officinas ejusdem artificio deputavi, præcipiens ut his eosdem malleos adaptando, rerum effigiationi fideliter indulgeret, ne ab incudibus malleos aliqua exorbitatione peregrinare permitteret. Ad officium etiam scripturæ, calamum præpotentem eidem fueram elargita, ut in competentibus schedulis ejusdem calami scripturam poscentibus, quarum meæ largitionis beneficio fuerat compotita, juxta meæ orthographiæ normulam, rerum genera figuraret, ne a propriæ descriptionis semita in falsigraphiæ devio eumdem divagari sustineret. Sed cum ipse genialis concubitus ordinatis complexionibus res diversorum sexuum opponi dissimiles ad exsequendam rerum propaginem, connectere teneretur, ut in suis connexionibus artis grammaticæ constructiones canonicas observaret, suique artificis nobilitas nullius artis ignorantia suæ ferret gloriæ detrimentum, curialibus præceptis sub magistrali disciplina, eam videlicet disciplinam instruendam docui, quæ artis grammaticæ regulas in suarum constructionum unionibus artificiosis admitteret; alias vero extra ordinarias nullius figuræ excusatione redemptas excluderet. Cum enim attestante grammatica, duo genera specialiter, masculinum et femininum, ratio naturæ cognoverit, quamvis dum quidam homines depauperati signaculo, juxta meam opinionem, possent neutri generis designatione censeri, tamen Cypridi sub intimis admonitionibus minarum tonitru ingessi, ut in suis conjunctionibus ratione exigentiæ, naturalem constructionem solummodo masculini femininique generis celebraret. Cum enim masculinum genus suum femininum exigentia habitudinis genialis adsciscat, si eorumdem generum constructio anomale celebretur, ut res ejusdem sexus sibi invicem construantur, illa quidem constructio nec evocationis remedio, vel conceptionis suffragio, apud me veniam poterit promereri. Si enim genus masculinum genus consimile quadam irrationabilis rationis deposcat injuria, nulla figuræ honestate illa constructionis junctura vitium poterit excusare, sed inexcusabilis solœcismi monstruositate turpabitur.

Præterea, Cypridi mea indixit præceptio, ut ipsa in suis constructionibus, suppositiones appositionesque ordinarias observando, rem feminini sexus charactere præsignitam, suppositionis destinaret officio; rem vero specificatam masculini generis, sede collocaret appositi, ut nec appositum in vicem suppositi valeat declinare, nec suppositum possit in regionem appositi transmigrare; etiam cum utrumque regatur ab altero, appositum sub adjectiva proprietate, suppositum subjectivæ proprietatis proprium retineret, exigentiæ legibus invitatum.

Præterea, adjunxi, ne Dyonea conjunctio in transitivæ constructionis habitum uniformem, vel reciprocationis curriculum, vel retransitionis anfractum reciperet, solius transitionis recta directione contenta, vel alicujus etiam disgressantis naturæ nimia intercisione sufferret, ut genus activum in

A passivum valeat usurpativa assumptione, vel idem in activum suæ proprietatis dispositione redire, vel sub passivi litteratura activi retinendo naturam, sibi legem termini deponentis assumere: Nec mirandum, si pleræque maximæ, titulo grammaticæ facultatis adscriptæ, a venereæ artis domicilio patiantur repulsam, cum ipsa eas **302** quæ suæ præceptionis regulis obsequuntur, in sinum suæ familiaritatis admittat; eas vero quæ eloquentissimæ contradictionis insultibus ejus leges expugnare conantur, æterni anathematis exclusione suspendat, cum philosophicæ assertionis auctoritas maximarum plerasque diversis facultatibus fateatur esse communes; quasdam vero ultra suarum disciplinarum domicilia, nullam habere licentiam excursandi.
B Sed quia tantas Parcarum argutas oppositiones Venerem novi agonistæ disputationis ingressuram conflictum, alicujus tergiversatione fallaciæ Venus ab Atropos coarctantes conclusionis subtimeret argutias, ipsam disciplinam docendo juxta quæ dissertivæ disciplinæ præcepta suarum argutionum formas excederet. Et quomodo in adversarii argutionibus fraudulentis, fallaciæ latibulum inveniret, ut disputationis agoniam contra adversariæ partis insidias posset securius celebrare, et per instantiam similia oppositionum argumenta refellere. Injunxi etiam ut syllogistica ejus complexio duorum terminorum contenta compendio, nullis Aristotelicis figuris obnoxia, trium propositionum ordinatione congrua
C texeretur, in tantum, ut in singulis propositionibus, major extremitas prædicationis fungeretur officio, minor vero subjiciendi legibus teneretur. In prima vero propositione nullo veræ inhærentiæ modo, sed sola ratione contractus intrinseci, subjecto inhæreat prædicatum; in assumptione vero relativorum oculorum, reciprocis impressionibus, expressius minori major annectatur extremitas. Sed in conclusione expressissimæ inhærentiæ, vinculo veriori subjecti prædicatique carnalis celebretur connexio. Hoc etiam mei fuit consilii, ut nullius conversionis retrogradatione pestifera, venereæ complexionis termini analogicæ prædicationis jura servantes, suarum vices sedium alternarent. Et ne consequentis fallacia, ex similium conformatione
D progenita, posset industriam Veneris impedire, terminos specialibus specificavi signaculis, ut familiari liberæ agnitionis intuitu, audenter agnosceret quos terminos subjectionis gradus inferior, quos vero prædicationis apex superior ex suæ habitudinis jure deposceret, ne si complexio terminorum inconsequens proportionatam habitudinem non teneret in commune, nugationis uniformis deformitas nasceretur. Sicut autem quasdam grammaticæ dialecticæque observantias inimicantissimæ hospitalitatis incursu volui a Veneris anathematizare gymnasiis; sic metonymicas rhetorum propositiones, quas in suæ amplitudinis gremio rhetorica mater amplectens, multis suas rationes conflat honoribus, Cypridis artificii interdixi, ne si nimis duræ translatio-

nis excursu a suo reclamante subjecto, præmium alienet in aliud, in facinus facetia, in rusticitatem urbanitas, tropus in vitium, in decolorationem color nimius convertatur.

His apparatuum nobilitatisque præsignibus Veneris, terrestris incolatus transivit in patriam. Quæ cum suffraganeis instrumentis ad humanæ geneseos seriem contexandam, desudando laborans, Parcarumque manibus interfecta subtili resarciens acu, subtilius hæc renodat. Sicque stipendiariæ administrationis jura, officiosissima curiositate persolvit. Sed quoniam ex maternæ satietatis identitate fastiditus animus indignatur, quotidianique laboris ingruentia exsequendi propositum appetitus exstinguitur. Unitas operis toties repetita Cythereum infestat fastidiis, continuatæque laborationis effectus, laborandi excludit affectum. Illa igitur magis appetens otii effeminari sterilibus, quam fructuosis exerceri laboribus, ferialis operationis exercitatione, negotiali præposita, nimiæ otiositatis desideriis cœpit infantibiliter juvenisci. Et quoniam apud quem desidiæ torpor castrametatur, ab eo omnis virtutis militia relegatur, otiique sterilitas, pravæ sobolis, solet fecunditatem efficere. Potus etiam inundans diluvium, in nimias despumat libidines, cibique effrenis ingurgitatio consimiles nauseas superfluitatis eructat. Venus his furiis aculeata lethalibus, in suum conjugem hymenæum, tori castitatem peste adulterationis incestans, cum Antigamo cœpit concubinarie fornicari, suique adulteri suggestionibus irretita lethiferis, liberale opus in mechanicum **303**, regulare in anomalum, civile in rusticum inciviliter immutat, meumque inficiata præceptum, malleos ab incudis exhæredans consortio, adulterinis damnat incudibus.

Ipsæ etiam incudes nativæ, suorum malleorum deplorantes absentiam, eosdem lacrymabiliter videntur deposcere. Et, quæ gladio Atropos universa demetenti solebat clypeum defensionis opponere, jam eidem stabilitate conciliationis mutuo fœdere ligatur, fatique falcem in messem humani generis nimium excursare permittens, damnum nulla novi seminis pensat origine; sed potius se grammaticis constructionibus destruens, dialecticis conversionibus invertens, rhetoricis coloribus decoloratis suam artem in figuram, figuramque in vitium transfert: dumque fornicariis excessibus cum adultero perpetuat concubinatus illecebras, ab eodem suscipiens, pro filio, spurio compotitur. Qui dum nullius delectationis amœnitate gaudet, nullius jocosæ jucunditatis vult meridiari deliciis, ut quasi per antiphrasim, jocus a jocasitate dicatur, ei nomen usus impressit. Duo igitur Dionæ dati sunt filii, discrepantia generis disparati, nascendi lege dissimiles, mox titulis discrepantes, artificio deformes. Hymenæus namque uterinæ fraternitatis in affinis confinio quem excellentioris dignitatis extollit prosapia, ex Venere sibi Cupidinem propagat in filium; Antigamus vero scurrilis vel ignobilitatis genere derivatus,

A adulterando, adulterinum filium jocum sibi joculatorie parentat. Illius nativitatem, matrimonii excusat solemnitas; hujus propaginem divulgati concubinatus accusat vulgaritas. In illo, paternæ civilitatis elucescit urbanitas; in hoc, paternæ inurbanitatis tenebrescit rusticitas. Iste inargentatos nitoribus argenteos fontes inhabitat; hic loca perenni ariditate damnata indefesse concelebrat. Iste in grata planitie fixit tentoria; huic vallium complacent nemorosa. Iste in tabernaculis indeficienter pernoctat, hic sub dio dies noctesque continuat. Iste aureis venabulis vulnerat quem venatur; hic, quem ferit, ferreis jaculis lanceat. Iste suos hospites debriat nectare subamaro, hic suos absynthii potu perimit acetoso. Jam mea oratio chartulæ tuæ B mentis inscripsit, qualiter otii damnosa pernicies Venerem educavit emphaticam, qualiter diluviosi potus inundatio venenosum patrat incendium; qualiter ex cibi ingurgitatione ducens originem, plerosque luxuriæ elephantina lepra percussit. Ecce, super hominibus acuta Veneris febre languentibus, ærumnosæ lamentationis carmen cecini querulosum; nunc similiter aliis quos aliorum vitiorum morbida turba conturbat, sub cantu elegiaco querimoniosæ orationis citharam temperemus. Multi enim dum Charybdis ingluviosæ hiatus voraginosos subterfugiendo devitant, in Scyllæ malignantis abysso inopinata periclitatione naufragantur. Plerique etiam dum impetuosi torrentis occursus tumidos evadunt, C stagni limositate viscantur. Alii dum dependentis montis præcipitia, cautela consulente declinant, in coæquata planitie præcipitatione spontanea colliduntur. Ea igitur quæ disseram, tuæ menti clavo memoriæ tenacis affigas, animique vigilantia somnum torporis excutias, ut mecum maternis excitatus visceribus, periclitantium hominum naufragiis compatiendo condoleas, et præambulæ admonitionis clypeo loricatus, monstruoso exercitui vitiorum occurras, et si quæ prava semina in horto tuæ mentis audeant pullulare, falce maturæ sectionis exstirpes. Tunc ego: Jam pridem mea mens exhilarata tuæ disciplinationis compendio, tuis correctionibus libentissimam aurem inclinat. Tunc illa:

D Heu, quam præcipiti passu ruinam
Virtus sub vitio victa laborat?
Virtutis species exsultat omnis,
Laxantur vitio frena furoris,
Languet justitiæ Lucifer, hujus
Vix umbræ remanet umbra superstes
Exstinctumque sui sidus honoris
Deflet, lucis egens, noctis abundans
Dum fulgur scelerum fulminat orbem,
Nox fraudis fidei nubilat austrum:
Virtutumque tamen sidera nulla
Istius redimunt noctis abyssum,
304 Incumbit fidei vespera mundo
Nocturnumque chaos fraudis abundat.
Languet fraude fides, fraus quoque fraudem

Fallit fraude, dolo sic dolus instat,
Mores moris egent moribus orbi,
Leges lege carent, jusque tenoris
Perdunt jura sui; jam sine jure
Fit jus omne, viget lex sine lege.
Mundus degenerat, aurea mundi
Jam jam degenerant sæcula, mundum
Ferri pauperies vestit, eumdem
Olim nobilitas vestiit auri,
Jam jam hypocrisis pallia quærunt
Fraudes, et scelerum fetor odorus
Ut pravo chlamidem donet odori
Virtutum sibimet balsama quærit.
Sic urtica rosis, alga hyacinthis,
Argento scoria, murice fucus
Formæ pauperiem palliat, ut sic
Interdum redimant crimina vultus.
Sed crimen phaleras exuit omnes,
Nec se justitiæ luce colorat:
Nam sese vitium glossat aperte,
Fit fraus ipsa sui lingua furoris,
Quid tuti superest, cum dolus armat
Ipsas in propria viscera matres?
Cum fraternus amor fraude laborat,
Mentiturque manus dextra sorori?
Censetur reprobum jus probitatis,
Observare probos, et pietatis
Lex, est improbitas, esse pudicum
Jam cunctis pudor est. Absque pudor
Humanos hominis exuit usus
Non humanus homo. Degener ergo
Bruti degeneres induit actus,
Et sic exhominans exhominandus.

Septima quæstio Alani.

Ad hæc ergo: Quoniam in aere generalitatis hujus intellectus oberrat excursor, intelligere vero specialitas amicatur, vellem, quod vitia quæ in quodam generalitatis implicas glomicello, speciosissimarum specierum interstitiis discoloribus explicares.

Responsio Naturæ.

Quoniam tuæ postulationis rationem emeritam indecens est adimpletionis merito defraudari, tibi singula vitia æquum est sigillatim notulis singularibus adnotari. Quia ergo jam dictum est, quomodo totus orbis impuræ Veneris fere generali periclitatur incendio, nunc restat dicendum qualiter idem generalissimo gulositatis naufragatur diluvio.

Quoniam gulositas est quasi quoddam Venereæ exsecutionis proœmium, et quasi quoddam antecedens ad venereum consequens.

Nota ergo quasdam filias idololatriæ veteris medullitus exstirpatæ, in præsenti instanti suæ matris imperium reparare conari, et eam quibusdam præsagiosis carminibus redivivam a mortuis excitare; A quæ meretricali officio, vultu phantasticæ dilectionis faciem dealbantes, amasios alliciendo, fraudulenter illiciunt: quæ sub tristi lætitia, sub amica sævitia, sub hostili amicitia, tanquam Syrenes usque ad exitium dulces, delectationis melodiam facie tenus præferentes, suos amatores ad idololatriæ perducunt naufragium: harum una, ut ficto loquar vocabulo, congruentia proprietatis, bacchilatria poterit nuncupari.

De superfluo potu.

Bacchilatria hæc suum amasium rationis privans igniculo, eumdem tenebris brutæ sensualitatis exponit, suum etiam, more meretricio, in tantum debriat amatorem, ut idem Bacchum nimis emphatice [39] affectare cogatur, in tantum ut potator B Baccho nimiæ delectationis vinculo alligatus, eidem divinæ majestatis cultum exhibere credatur: Adeo ut homo bacchilatra, Bacchum plerumque locali interstitio a se sejungi non ferens, in alienis vasculorum capsulis suum deum diu perendinare **305** non patiatur, sed ut sibi ejusdem dei familiarius assistat divinitas, illum dolio sui ventris includat. Sed quia plerumque stomachi capsula tanti hospitis divinitatem diu sustinere non potest, idem deus aut per orientalis portæ polum arcticum, aut per occiduæ regionis antarcticum turpiter evaporat. Multoties etiam Bacchi cultor in scyphis materiæ honore pollentibus Baccho architectatur hospitium, ut ejusdem divinitas divinius in aureo C vase præfulgeat.

Unde idem æthereis nitoribus claritate concertans, et smaragdinis coloribus viriditate contendens, ac plerosque sapores sui saporis majestate præcellens, potationum filios suarum proprietatum dignitatibus irritat sophisticis, ut ipsa Bacchum tanquam ineffabilis divinitatis arcanum ineffabili amore concelebrent. Qui etiam his animati, ne divinitatis illius aliquid remaneat inexhaustum, usque ad fæces Bacchum deglutiunt, sicque suum deum in tartaream abyssum ventris cogunt inhoneste descendere, et dum sic a speciali ad generalissimum genus potationis deveniunt, superlativum gradum ebrietatis ascendunt. Hæc pestis non solum plebeæ vulgaritatis inimicatur hominibus, ve- D rum etiam prælatorum superciliosas sibi facit inclinare cervices, quibus Bacchi gratiæ non sufficiunt, quas in eum gratia naturæ diffudit, verum etiam arundineam usurpantes attractionem; nunc Bacchum et rosarum connubio gloriantem [40], nunc floris alterius fragrantiam respirantem, nunc hyssopi consortio sibi quoddam privilegium arrogantem; nunc aliarum rerum dotibus locupletatum extrinsecus, impetuosa gulæ Charybdi deglutiunt, in tantum, ut sine mari naufragium, sine tristitia fletum, sine infirmitate lethargium, sine sopore somnum ebrietatis incurrant.

VARIÆ LECTIONES.

[39] Præpostere. [40] Gratulantem.

Qui dum ebrietatis energia [61] percussi, operam psalmodiis impendunt, versus nimia intercalatione [62] rumpentes crapulæ boream importunum interserunt.

De superfluitate ciborum.

Nec solum prætaxata potus cupiditas, verum etiam, cibi plerosque canina inescat aviditas, quorum voluptates inordinatæ, cogitationes inconcinnæ, novos sibi cibi somniant apparatus. Qui dum exactori quotidianum escæ debitum nimis abundanter exsolvunt, exactor superabundans suo cogitur reddere debitori. Isti, quidquid possident, in arca stomachi thesaurisant. Et quamvis illud commissum non rubigo corrosionis dente demordeat, nec vel peculantis furis sophisma subripiat, ipsum tamen decoquentis caloris latrocinio turpiori, turpius evanescit. Isti, bursam ad nummorum vomitum, arcam pecuniarum invitant ad nauseam, ut exactori stomacho possint accuratius adulari. Interius ventrem ciborum locupletant divitiis, exterius in nuda et pura positi paupertate. Hæc pestilentia etiam non vulgari humilitate contenta, profundius progreditur ad prælatos, qui salmones et lucios, cæterosque pisces æquipollenti generositate præsignes, variis decoctionum cruciatos martyriis, baptizandi adulterantes officium, sacri piperis fonte baptizant, ut ex tali baptismate baptizati, multiformis saporis gratiam consequantur. In eadem mensa terrestre animal piperis inundatione submergitur, piscis natat in pipere, avis ejusdem viscositate ligatur: dumque tot animalium genera uno ventris ergastulantur in carcere, aquatile animal secum terrestre, aeriumque genus in eodem sepulcro tumulari miratur. Quibus si detur licentia exeundi, egressuris vix portæ sufficit amplitudo.

Hæ præfatæ pestes pontem faciunt, per quem ad luxuriæ lupanaria pervenitur. Hæ sunt introductiones per quas quis furandi artem ingreditur. Hæ morbos pariunt, seminant paupertates. Hæ sunt nutrices discordiæ, sorores insaniæ, intemperantiæ matres, immunditiæ venatrices. Per has, humanum genus modestiæ limites excedit, temperantiæ **306** frena postponit, castitatis sigilla confringit, meæ largitionis [63] gratiam non attendit. Cum enim mea largitas tot hominibus fercula procuret [64], tot fercula copiosa compluat, ipsi tamen gratiæ ingrati, nimis illicite licitis abutentes, frena gulæ laxantes, dum comedendi mensuras excedunt, lineas potationis in infinitum extendunt; qui palata salsorum seducentes acumine, ut sæpe et multum bibant, sæpius sitire coguntur.

De avaritia.

Est et alia idololatriæ filia, quam (si nominis proprietas suam significationis germanitatem in voce retineat) convenienti vocabulo conveniens est

A nummulatriam nuncupari. Hæc est malitia [65], per quam in animis hominum deificatur pecunia, nummo divinæ venerationis exhibetur auctoritas, per quam, ubi nummus loquitur, Tulliani eloquii tuba raucescit; ubi nummus commilitat, Hectoreæ militiæ fulgura conticescunt; ubi pugnat pecunia, virtus expugnatur Herculea. Si quis enim armatur pecunia, tanquam loricis argenteis torrentis impetus Tulliani, fulgur incursus Hectorei, robur virtutis Herculeæ, versipellis Ulyssea calliditas floccipenditur, in tantum enim habendi fames involvit, ut dialecticæ muta sit subtilitas, rhetoricæ languescat civilitas. Ubi nummorum perorat plenitas, jam Tullius sui monetam vendit eloquii, sui pudoris monilia in aurum commutat Lucretia; Penelope

B suæ vicennariæ castitatis pudorem deponit in pretio; Hippolytus etiam si nummi preces audiat susurrantis, suæ novercæ non vult precibus novercari. Nam si in aure judicis susurret pecunia, Orphei lyra, carmen Amphionis, musa Virgilii voce pecuniæ suffocantur. Jam dives, divitiarum naufragus in profundo, hydropicæ sitis incendiis sitit opes, et in medio ipsarum positus Tantalizat. Pauper etiam, quamvis materialem avaritiam realiter exercere non valeat, intus tamen archetypam [66] retinet parcitatem. Proh dolor! metallorum onera largiuntur honores, ad metalli pondera ponderatos. Jam non Cæsar, sed nummus est omnia, quia ab individualibus usque ad generalissimam, honores

C singulos tanquam mediator percurrit. Nummus patriarcha noster est [67], episcopos et archiepiscopos inthronizat. Alios archidiaconalibus adaptat officiis; alios denique aliarum dignitatum et officiorum coæquat negotiis. Quid plura? nummus vincit, nummus mundum regit, nummus imperat universis. Quid prodest cum Ptolomæo subterfugientis astronomiæ fugas consequi subtilitatis curriculo; stellarum prophetias, spontaneos planetarum investigare errores; cum Euclide, geometricorum ænigmatum secreta scrutari; intellectu in profundum maris descendere; cœli altitudinem intelligibilibus mensuris attingere; cum Milesio, musicarum proportionum consonantes amicitias invenire; cum Pythagora pugnas numerorum virtute multiplicationis

D inspicere; cum Tullio, orationem rhetoricis colorum stellare sideribus; cum Aristotele, ancipiti dialecticæ gladio a veris falsa dividere; cum Zenone falsitatem probabilitate tunicare sophistica; cum Donato in accidentium congruentia nectere dictiones; cum sapientia nostris temporibus nullius fructus præmietur stipendiis, nullius famæ eam aura favorabilis extollat, ipsa vero pecunia honoris titulos et laudis emat præconia? Sola tamen sapientia revera super omnem præeminet possessionem. Generosa possessio, quæ sparsa colligitur, erogata revertitur, publicata suscipit incre-

VARIÆ LECTIONES.

[61] Furore. [62] Interruptione. [63] Largitatis. [64] Spargat. [65] Avaritia. [66] Mentalem. [67] Patriarchæ supplet vices.

mentum! per quam nobilis scientiæ thesaurus secretis penetralibus mentis innascitur, fructus internæ delectationis acquiritur. Hæc est sol, per quem mens diescit in tenebris, cordis oculus, deliciosus animi paradisus. Hæc in cœleste terrenum, in immortale caducum, in deum hominem, deificæ mutationis auctoritate convertit. Hæc est verum [48] peregrinationis remedium, solum humanæ **307** calamitatis solatium, humanæ noctis lucifer singularis, tuæ miseriæ redemptio specialis, cujus aciem nulla aeris caligo confundit, non densitas terræ operam ejus offendit, non altitudo aquæ respectum ejus obtundit. Hæc igitur, quamvis apud multos qui sensuali mobilitate brutescunt, nimia langueat vilitate, apud illos tamen qui in ignem originalem rationis redegerunt scintillam præconii [49], et famæ munere non fraudatur. Quamvis enim prudentia phantasticæ adulationis plausibiles dedignetur applausus, tamen quia veræ famæ hæc est gloriosa proprietas, ut appetitores sui contemnat, et appetat contemptores; famam fugiendo consequitur, quam perdet insequendo. Igitur etsi videas apud quosdam regnare pecuniam, jacere prudentiam, militare divitias, sapientiam exsulare, ignavia tamen opum pondera animo victori calcata subjicias, et intestino affectionis amore prudentiam consecteris, ut penitus sapientiæ matris cubiculum inoffenso intuitu valeas intueri.

Tunc ego: Vellem ut laxatis habenis reprehensionis, præcordialius avaritiæ filias impugnares.

Tunc illa ad acerrimas invectionis demorsiones gyrans suæ narrationis incessum, ait:

Postquam sacra fames auri mortalia pungit
Pectora, mens hominis nescit jejuna manere.
Laxat amicitias, odium parit, erigit iras,
Bella serit, lites nutrit, bellumque renodat,
Rumpit nodata, disrumpit fœdera, natos
Excitat in patres, matres in viscera, fratres
Dat fratrum nescire togas, et sanguinis omnes
Unio quos unit, furor hos male dividit unus.
Dum stomachum mentis hydropicat ardor habendi,
Mens potando sitit, et Tantalus alter in istis
Ardet aquis, viresque siti dat copia census.
Esurit ergo satur, sitit ebrius, optat abundans
Unus cuncta cupit, ipsoque cupidine pauper
Efficitur, divesque foris, manet intus egenus.
Nil habet ergo miser, cum nil se credit habere,
Divitiis, cum pauperiem sua vota repensant,
Hospitium cordis, et mœnia mentis avaræ
Invadunt hostes multi, multoque tumultu
Totam sollicitant humani pectoris arcem.
A Nam timor aggreditur mentem, pariterque cupido
Concutit, et totam mentis depauperat urbem.
Curarum geminus turbo sic turbat avarum;
Cumque timenda timet, mens somniat ipsa timores,
Sæpe novos fingitque metus, damnique timore
Damna luit, damnique malum formidine pensat:
Sic casus varios terroris somnia monstrant.
Uxoris fraudes, furisque sophismata, terror
Nuntiat, insultus hostis, juguloque minaces
Mentitur gladios, et flumina dira potentum.
Nunc pestes, ignes recolit, nunc concipit iras
Oceani, soloque metu jam naufragus exstat.
308 Divitis in nummo mens philosophatur in arca
Dum nummum sepelit, nummusque sepultus avari
B Usibus emoritur, illum non ille, sed arca
Possidet, et totum nummi sibi vindicat usum.
Ut loculis varia nummorum fercula donet,
Injungit proprio dives jejunia ventri.
Horret avaritiam venter, propriosque negari
Miratur reditus, loculi suffragia quærit,
Sed ventri loculus surdas accommodat aures.
Pabula visus habet, et convivatur ocellus,
Solus in argento, sed venter philosophari
Cogitur, et longo patitur jejunia voto.
Non lacrymæ, non mella precum, non ipsa perorat
Pauperies hominum, quin fœnore dives egenum
Devoret, et tenuem miseri facit esse crumenam.
Pauperis in lacrymis ridet, miserique labore
Pascitur, et pœnam sibimet facit esse quietem.
C Hunc dolor, hunc risus, jocus hunc, mœror tenet illum,
Hic gemit, hic ridet, dolet hic, dum dedolet ille.
Omnis in affectum nummi laxatur avari
Divitis affectus, nec enim datur ulla voluptas
Menti, qua possit alias deflectere vultum.
Divitias non dives habet, sed habetur ab ipsis,
Non est possessor nummi, sed possidet ipsum
Nummus, et in nummis animus sepelitur avari.
Hos colit ipse deos, hæc idola ditat honore
Divini cultus, et nummis numina donat.
Sic hominum [50] ratio calcata cupidine, carni
Servit, et ancilla famulari cogitur illi.
Sic oculus cordis, carnis caligine cæcus
D Languet, et eclipsim patiens, agit otia solus.
Sic jubar humani sensus male palliat umbra
Carnis, fitque nummis ingloria gloria mentis.
Divitiis vel divitibus non derogat iste
Sermo, sed vitium potius mordere laborat.
Non census, non divitias, non divitis usum
Damno, si victor animus ratione magistra
Subjectas sibi calcat opes, si denique census
Nobilis auriga ratio direxerit usum.
Nam cunctas si spargat opes, si munera fundat

VARIÆ LECTIONES.

[48] Unicum. [49] Prætonantis famæ. [50] Animi.

Dives, et in laudem spiret, tentetque favorem
Munere lucrari, tamen hujus muneris [81] auctor,
Ductor et auriga nisi sit discretio, nullus
309 Fructus erit, quoniam laudem non dona merentur,
Sed potius mercantur eam, nisi facta decenter
Discrete fuerint, pro munere namque frequenter
Laus datur hypocrita, famæ simulatio falsa,
Simia laudis, horum umbratilis umbra favoris.

Ecce habes quomodo tenacis avaritiæ viscus humanæ mentis alis auferat libertatem.

De arrogantia.

Nunc intuendum est qualiter insolentis arrogantiæ ampullositas humanas mentes erigat in tumorem, cujus infirmitatis contagione funesta vitiata hominum multitudo, dum se supra se insolenter extollit, infra se ruinosa descendit, sibi derogans arrogando, se deprimens erigendo, se sibi auferens efferendo. Horum autem hominum aut verborum solemnis pompositas, aut suspicionis mater taciturnitas, aut quædam actus specificatio, aut insolens gestus exceptio, aut nimia corporis corruptio exterius interiorem arguit [82] superbiam. Alii namque quos servilis conditionis demittit humilitas, augustam jactitant libertatem; alii, dum scurrilis generis vilitate plebescunt, verbo tenus se sanguinis generositate exaltant [83]. Alii, dum in artis grammaticæ vagientes cunabulis, ejusdem lactantur uberibus, Aristotelicæ subtilitatis apicem profitentur. Alii, dum leporinæ timiditatis gelicidiis torpescunt, solo verbositatis remedio, animositatem efferunt leoninam. Sunt alii, qui ea quæ internæ indignationis supercilium claudit interius, exteriori evidenter eloquuntur silentio : Nam aliis inferiori morum gradu jacentibus, vel eis parilitate probitatis comparibus, vel etiam elatiori fastigio dignitatis pollentibus, mutuæ collocutionis communicare participium dedignantur : a quibus, si quis interrogationis suffragio verbum expostulet, tanta taciturnitatis intercapedine a quæstione omittetur [84] responsio, ut eidem hæc nulla cognatione [85] videatur affinis. Alii, suos actus specificare gaudentes, in multitudine singulares, in generalitate speciales, in universalitate adversi, in unitate diversi omnifariam esse laborant. Dum alii namque exercentur colloquiis, isti indulgent silentiis, dum alii lasciviis solvuntur, isti seriis implicari videntur; dum alii seriis implicantur negotiis, isti otiantur lasciviis. Dum alii quadam serenitatis [86] festivitate hilarantur in facie, isti in vultu quamdam malevolæ severitatis præferunt tempestatem. Alii interioris superbiæ gestus, exterioris gestus exceptione [87] figurant : qui tanquam terrena omnia despiciant, supini cœlestia suspiciunt, oculos indignanter obliquant; supercilia exaltant, mentum superciliose

A supinant, brachia in arcus exemplant. Horum etiam pedes terram sola articulorum contractione delibant. Alii vero sua corpora femineis compositionibus nimis effeminant, qui suorum capillorum conciliorum pectinis subsidio in tanta pace conciliant, ut ne lenis aura in eis possit suscitare tumultum : luxuriantis etiam supercilii fimbrias forficis patrocinio demetunt, aut ab ejusdem silva superflua exstirpando decerpunt; pullulanti etiam barbæ crebras novaculæ apponunt insidias, ut nec eadem paululum audeat pullulare : brachia manicarum angustias conqueruntur; pedes in angustis calceorum ergastulis carcerantur. Heu! homini unde isti fastus, ista superbia? cujus ærumnosa B est nativitas, cujus vitam laboriosa demolitur pœnalitas, cujus pœnalitatem pœnalior mortis concludit necessitas; cujus omne esse, momentum, vita est naufragium, mundus exsilium : cujus vita aut abest, aut spondet absentiam, mors autem instat, aut minatur instantiam.

De invidia.

De superbia vero, filia nascitur, quæ maternæ malignitatis hæreditate potitur. Hæc est invidia, quæ continuæ 310 detractionis rubiginosa demorsione, hominum animos demolitur. Hæc est vermis, cujus morsu morbi data mentis sanitas contabescit in saniem; mentis sinceritas computrescit in cariem; mentis requies liquatur [88] in C laborem. Hæc est hospes, qui apud suum hospitem hospitio exceptus, ejus labefactat hospitium. Hæc est possessio, pessime possidens suum possessorem, quæ dum alios detractionis latratibus vexat, sui possessoris animum intestino morsu perfodiens, inquietat. Hæc est invidia, quæ in illos quos vitiorum absorbet infernus, a quibus corporis dotes ratio naturæ proscribit, quos in paupertatem insanæ fortunæ evomit, indignantis suæ detractionis aculeos facit otiari [89]. Sed, si quis in torrente divitiarum natat cum Crœso, opes spargit cum Cyro, in specie disputat cum Narcisso, animositate tonat cum Turno, Herculi colludit in robore, cum Platone facie ad faciem philosophiam speculatur [90], D cum Hippolyto castitatis speculo sigillatur, in hunc omnes suarum detractionum aculeos expendit. Nam audaciam furori temeritatis assignat, prudentiam animi in fraudis versutias, aut in verbositatis ampullositatem obliquat. Per hujus etiam detractionem, pudor in hypocrisim degenerat. Hæc invidiæ tabes plerosque tabefacit, qui dum alienæ famæ nitorem detrahere conantur, primi suæ probitatis sentiunt detrimenta. His aliena prosperitas adversa, aliena adversitas prospera judicatur. Hi in aliena gratulatione tristantur, in aliena tristitia gratulantur. Isti suas in aliena paupertate divitias,

VARIÆ LECTIONES.

[81] Actor. [82] Glossat. [83] Insignitate præsigniunt. [84] Dividetur. [85] Cogitatione. [86] Hilaritatis festivitate serenantur. [87] Conceptione. [88] Labitur. [89] Non emittit. [90] Contemplatur.

suam paupertatem in alienis divitiis metiuntur. Isti aut alienæ famæ serenitatem detractionis nubilo nubilare conantur, aut ejusdem gloriam sola taciturnitate furari. Isti aut pravis interpretationibus alienæ probitatis sinceritatem fermentant, aut veris fermenta falsitatis maritant. Proh dolor, invidia quod monstruosius monstrum? quod damnosius damnum? quæ culpabilior culpa? quæ pœnalior pœna? hæc est erroneæ cæcitatis abyssus, humanæ mentis infernus, contentionis stimulus, anxietatis [61] aculeus. Qui sunt invidiæ motus, nisi humanæ tranquillitatis hostes, mentalis deprædationis satellites? animi laborantis vigiliæ hostiles, alienæ felicitatis excubiæ? Quid prodest alicui, si ei serenitas fortunæ prosperantis applaudat, corpus etiam purpuramento pulchritudinis hilarescat, mens insuper sapientiæ splendore præfulgeat, cum liventis invidiæ latrocinium, mentis deprædatur divitias? fortunæ prosperantis serenitatem adversitatis vertat in nubila? decoris aurum turpitudinis convertat in scoriam? prudentiæ gloriam deglorìet livor inglorius?

Remedia contra invidiam.

Si quis tamen livoris rubiginem, invidiæ tineam a mentis thesauro velit proscribere, in alieno dolore suum dolorem inveniat condolendo, alienum gaudium suum faciat congaudendo, in alienis opibus suas penset divitias, in aliena paupertate suam lugeat paupertatem. Si alienam probitatem videas famæ solemniis celebrari, festum præconii diem nulla facias detractione profestum, sed tuæ declarationis meridie, alienæ probitatis lucerna in commune deducta clarius elucescat. Si quos in titulos alienæ famæ detractionum latratibus videas indulgere, a grege latrantium canum te excipias, aut admonitionis objecto [62], detrahentes linguas hebetes, corrosionis dentes conteras, detractionum demordeas morsus.

De adulatione.

Huic prætexato vitiorum symbolo, suæ malignitatis portionem adnectit adulatio. Hujus pestilentia percutiuntur principum laterales, palatini canes, adulationis artifices, fabri laudum, figuli falsitatis. Hi sunt qui magniloqua commendationis tuba in divitum auribus clangunt; qui mellitæ adulationis favos foras eructant; qui, ut emungant munera, caput divitis oleo adulationis inungunt; prælatorum auribus pulvinaria laudum subjiciunt, qui ab eorumdem palliis aut fictitium excutiunt pulverem, aut tunicam sophistice **311** deplumant implumem. Isti divitum actus in quos favor famæ conspuit indignantis, suffragiis laudum redimunt mendicatis. Isti penes munera laudes, penes dona favores, penes pretium præconia famæ blandientis constituunt. Nam si in domo divitis prodigalitatis torrens eniteat, adulator in prodigalitatis laudem totus effunditur; si vero hiemalis avaritiæ torporem divitis munus redoleat, adulator avarus in laude commendationis, algescit in munere: sed si munus antonomastice videatur laudum tympana postulare, adulationis poeta stylo commendationis turget altiloquo. Si vero muneris pauperies famæ mendicat suffragia, humiliori stylo famæ depauperat dignitatem; quoniam ubi muneris perorat altitudo, adulator hypocriticas laudes, famas umbratiles, de thesauro sui cordis eructat. Nam si ille pro quo munus eloquitur, tanta fuerit turpitudinis tempestate dejectus, ut in eo vix naturalium donorum fragmenta resultent, ei pulchritudinis prærogativam adulationis poemata somniabunt: minimas pusillanimitatis [63] angustias, magnanimitatis mentientur esse palatia; humiles etiam torpentis avaritiæ latebras, prodigalitatis proferent in excessum; humilitatem etiam plebescentis generis, titulo Cæsareæ nobilitatis mentientur augustam. Quid amplius? Si apud aliquem nulla virtute a vitiis excusatum castrametetur scelerum multitudo [64], dum munus mediator occurrit, laudum mercenarius adulator, superficiali commendationis tunica vitiorum tenuiter colorat aspectum. E contrario vero, si totius decoris meridies alicujus hilarescat in facie, lingua argenteis eloquentiæ resplendeat margaritis, mentis thalamus virtutum fulguret ornamentis, tamen, si adulationis artifex muneris gratiam non exspectet, tantæ honestatis luci cum vitiorum fastigiis, nebulas immiscere laborat. Quid est igitur adulationis inunctio, nisi donorum emunctio? Quid commendationis allusio, nisi prælatorum illusio? Quid laudis arrisio, nisi eorumdem derisio? Nam cum loquela, fidelis intellectus interpres, verbaque fideles animi picturæ vultus voluntatis signaculum, lingua mentis soleat esse propheta, adulatores a voluntate vultum, ab animo verbum, a mente linguam, ab intellectu loquelam, amplo discessionis intervallo diffibulant [65]. Plerisque etenim forinseca dealbationis laude arrident, quos interna mentis subsannatione derident, plerosque exterius plausibiliter applaudendo collaudant, quos interius contradictoria derisione defraudant. Foris vultu applaudunt virgineo, intus scorpionis pungunt aculeo; foris mellitos adulationis compluunt [66] imbres, intus detractionis evomunt tempestates.

Supplicat Alanus Naturæ.

Tunc ego continuæ narrationis aurigationem refrenans, dixi: Vellem ut rationabilibus tuæ disciplinationis propugnaculis contra furiales istorum vitiorum exercitus, meæ mentis roborares oppidulum.

Tunc illa:

Remedia contra vitia.

Ne te gulosæ Scylla voraginis

VARIÆ LECTIONES.

[61] Corrixationis. [62] Objectu. [63] Pusillanimi cordis. [64] Plenitudo. [65] Disjungunt. [66] Fundunt.

Mergat profunda nocte libidinum
Præbe palato frena modestiæ,
Ventri tributum solve modestius,
Imbrem Lyæi semita gutturis
Libet modeste Bacchica pocula :
Pota parumper, ut quasi poculis
Bacchi putetur os dare basia.
Frangat Lyæi lympha superbiam,
Bacchi furorem flumina temperent :
Nuptam Lyæo se Thetis offerat,
Frenet mariti nupta tyrannidem.
Plebæa, simplex, rara comestio
Carnis superbæ murmura [67] conterat.
Ut te tyrannus parcius urgeat,
Semper in ista carne superbiens,
Lentus Cupido sic aget otia,
Frenentur in te frena libidinis,
Languens stupescat carnis aculeus,
Ancilla fiet sic caro spiritus :
Largire visus pessula januæ,
Frenes ocellos, ne nimis improbe
Venentur extra luminis impetus,
Prædamque menti nuntius offerat.
Si quos habendi fervor inebriat,
312 Exire cogant, mente pecuniam,
Mentis triumphum sentiat ambitus,
Victi premantur colla Cupidinis.
Non in crumenis ipsa pecunia
Clausis moretur, pigraque dormiat,
Nulli vacando, sed magis excubet,
Custos honoris divitis usibus :
Si tempus adsit, si locus exigat,
Surgat sepultæ massa pecuniæ,
Nummos crumenæ funditus evomant.
Quævis honori munera militent.
Calcare si vis colla superbiæ,
Flatus tumoris, fulmina spiritus,
Pensa caducæ pondus originis,
Vitæ labores mortis et apocham [68].

Adventus Hymenæi.

Cum in hanc specialis disciplinæ semitam oratio Naturæ procederet, ecce vir subitæ apparitionis miraculo, sine omni nostræ præconsiderationis vexillo, suam præsentiam nostris conspectibus præsentavit. Qui nullius ætatis legi videretur obnoxius, nunc enim juventutis vere pubescebat, nunc maturioris ævi facies seria loquebatur, nunc vultus senectutis sulcis videbatur arari. Qui sicut multimodæ ætatis vicaria facie fluctuabat, sic ejus staturam ancipitem, nunc quantitas minor humilius dehumabat, nunc æquilibratæ mediocritatis libramina, staturæ ampliabant inopiam, nunc audaci proceritate quantitatis, giganteis contendebat excessibus. Hujus in facie nulla femineæ mollitiei vestigia resultabant, sed sola virilis dignitatis regnabat auctoritas. Hujus facies nec fletus imbribus compluta, nec risus erat lasciviis serenata,
A sed ab utroque feriata, modestius magis aspirabat in lacrymas. Cæsaries inducias adepta litigii, artificiosi pectinis fatebatur industriam, moderatæ tamen comptionis libramine jacebat ornata, ne si comptionibus vagaretur anomalis, in femineam demigrare videretur mollitiem. Et ne frontis aream comæ sepeliret nubecula, forficis morsum capillorum sentiebat extremitas. Hujus facies, prout virilis dignitas exposcebat, a nulla pulchritudinis gratia deviabat.

Hujus mentum nunc primam germinabat lanuginem, nunc ibidem herba fimbriat prolixior, nunc luxuriantis barbæ vellere silvescere videbatur. Nunc novaculæ severitas barbæ castigabat excessum. Annuli vero lapidum gemmati sideribus, ma-
B nus fulguratione serenantes eximia, solem reddebant novitium.

De vestibus Hymenæi.

Vestes vero nunc grossioris materiæ vulgari artificio plebescere, nunc subtilioris materiæ artificiosissima contextione crederes superbire. In quibus picturarum fabulæ, nuptiales somniabant eventus. Picturatas tamen imagines vetustatis fuligo fere coegerat aspirare. Ibi tabulam sacramentalem testimonii, finem matrimonii, connubii pacificam unitatem, nuptiarum inseparabile jugum, nubentium indissolubile vinculum, lingua picturæ fatebatur intextum. In picturæ etenim libro umbratiliter legebatur, quæ nuptiarum exsultationis applaudit
C solemnitas, quæ in nuptiis melodiæ solemnizet suavitas, quæ connubiis convivarum arrideat generalitas specialis, quæ matrimonia citharæ concludat jucunditas generalis. Organicorum quoque artificum decuriata pluralitas, prædicti hominis decorabat incessum. Ipsi vero artifices in se sui magistri figurantes tristitiam, suis silentium indixerant instrumentis. Unde, instrumentorum officinæ quas silentii torpor faciebat elingues, aspirare videbantur in gemitum. Igitur, postquam naturæ vicinitati eum localis viciniat affinitas, hæc illum signans ex nomine, cum salutis libamine, ei osculi libamen apposuit. Ex ipsius autem nominis signaculo, cæterarumque circumstantiarum loquentibus signis,
D Hymenæum qui venerat recognovi, quem natura sua locans in dextra, suæ dextræ dignitate donavit.

313 *Adventus Castitatis.*

Cum inter Naturam Hymenæumque quædam colloquii celebraretur festivitas, ecce virgo suæ pulchritudinis aurora blandiens universis, repentina sui adventus præsentia, sui directione itineris ad nostram aspirare videbatur præsentiam. In cujus pulchritudine tanti artificii resultabat solemnitas, ut in nullo naturæ polientis claudicaret digitus. Hujus facies nullius adventitii coloris mendicabat hypocrisim, sed rosam cum lilio disputantem in facie, mistione naturæ mirabili, plantaverat

VARIÆ LECTIONES.

[67] Jurgia. [68] Mortis itinera.

dextera Omnipotentis. Oculi, simplicitatis discipli- A nati modestia, nullius petulantiæ lasciviebant excursibus. Labia proprii retentiva vigoris, nec exhausta suaviis, nec osculis videbantur Veneris sensisse præludia. Hujus tamen faciem desudantem in lacrymas, lacrymarum flumine crederes naufragari. Sertum vero materialiter ex liliis decussatæ insertionis connubio fibulatis, sui capitis arriserat ornamentis. Cignei tamen crinis candor dedignatus liliorum supplicare candoribus, contradictoriam jactitabat albedinem. Vestes etiam suis verioribus albedinis argumentis nivibus conclusissent, nisi pictura varios commentata colores, earum fefellisset albedinem. In his etenim, sub commento picturæ, videbatur intextum, qualiter Hippolyti castitas muro vallata constantiæ, novercalis luxuriæ oppo- B sitionibus institit refellendo. Illic Daphnes, ne virginalis feræ jacturam sustineret, fuga Phœbi fugabat illecebras. Illic Lucretia fracti pudoris dispendium mortis excludebat compendio. Illic in speculo picturæ, castitatis speculum Penelopem poteram speculari. Et, ut brevi narrationis tramite subterfugienda picturæ multiloquia comprehendam, nullam nativitatis filiam suo commendationis ferculo, depictionis industria defraudavit. Aurei vero sigilli nobilitas, quæ ut jaspidum stellabat siderea multitudo, præfatæ virginis diescebat in dextera. Super sinistram autem residens turtur, sub facie elegiaci carminis, calamitosis ejulationibus, suæ vocis citharam adaptabat. Adolescentularum vero cohors, C ad itineris solatium et ad obsequiale ministerium, ejus adhærebat vestigiis. Quam postquam Natura prospexit sibi loci proximitate vicinam, solemni occursu ei obviam veniens, salutis proœmio, osculi præludio, amplexus connubio, mentalem foris depinxit affectum; dumque prædictæ virginis in præfatione salutis, nomen enituit, præsentialem agnovi Castitatis adventum.

Adventus Temperantiæ.

Cumque Natura eidem festivitate collocutionis applauderet, ecce matrona regulari modestia disciplinans incessum, ad nos videbatur sui itineris tramitem lineare. Hujus statura mediocritatis erat circumscripta limitibus. Ætas vero meridianam tendebat ad horam, vitæ tamen meridies in nullo D pulchritudinis obviabat amori [69]; ruina etiam senectutis, crinem suis nivibus tentabat aspergere, quem ipsa virgo humerorum spatio inordinaria fluctuatione non permiserat juvenari, sed sub disciplina ejus cogebat excessum. Vestes nec nobilis materiæ superbire gloria, nec vilitatis videbantur deflere jacturam; sed mediocritatis obedientes canonibus, nec nimiæ brevitatis decurtatione truncatæ, a terræ superficie peregrinantes evaserant, nec portionibus superfluis terræ faciem tunicabant, sed eam brevi osculi degustatione libabant: zona namque tunicæ moderando decursum, enormitatem revocabat in regulam. Monile autem sinus excubando vestibulis, manui negabat ingressum. In vestibus, pictura suarum litterarum fidelitate docebat, quæ in hominum verbis debeat esse circumcisio, quæ in factis circumspectio, quæ in habitu mediocritas, quæ in gestu severitas, quæ in cibis refrenatio oris, quæ in potu castigatio gutturis. Præfatam igitur virginem pedissequarum paucitate vallatam, festinæ obviationis applausu natura suscipiens, multiplici osculorum epilogo, specificatæque salutationis 314 auspicio, suæ dilectionis cumulum figuravit; expressaque proprii nominis expressio, Temperantiæ favorabilem ingessit adventum.

Adventus Largitatis.

Cumque amicæ salutationis munere Natura veneraretur præsentiam Temperantiæ, ecce mulier cujus pulchritudinis adjuta fulgore materialis dies, serenioris vultus speciem jactitabat, iter festinando maturans, ad nos sui gressus lineas visa est ordinare. Hujus statura dedignata pauperiem, humanæ staturæ regulam evadebat. Hujus caput non in terram humiliando depressum, faciem faciebat encliticam, sed erecta cervice ad superna suspendens intuitum, ad altiora visus legebat excursum. Hujus speciem Natura expolitione limata exsculpsit, ut in ea sui artificii industriam posset admirari. Diadema vero, non operis insignitate materiæ redimens paupertatem, nec ejusdem nobilitate materiæ vilitatem recuperans, sed in utroque singularem referens monarchiam, sine morsu peremptoriæ proprietatis ardebat in capite. Aureus tamen crinis gratiori igne flammantior, aureo diademati indignando videbatur præstare subsellia: qui nec forficis apocopatus industria, nec in tricaturæ manipulos colligatus, sed pigressiori excursione luxurians, limites humerorum transgrediens, terræ videbatur condescendere paupertati. Brachia, non brevitatis damnata pauperie, sed proceritatis excursu fluentia, non retro reciproca, sed in anteriora crederes transitura; manus, nullius complosionis arctationis reciprocæ, sed largæ expositionis explicatione productiles, largiendi affectabant officia. Vestes etiam ex aureis, sericisque filis insertionis osculo conjugatis materiam sortientes, ut a materiæ generositate operis commendata subtilitas, tanti artificii gratulabatur insignibus, ut non materialem, verum etiam cœlestem manum operi crederes insudasse. In quibus, imaginaria picturæ probabilitas sophistico procurationis suæ præstigio, homines notorio avaritiæ crimine laborantes, anathematis damnabat opprobrio; largitatis vero filios famæ præconiis titulatos, benedictionis gratia compensabat. Præfata igitur mulier solo asseclarum vallata ternario, cum sui gressus maturationi insisteret, ecce, Natura celebri occursu illius amicans incessus, osculum salutatione dimidians, salutationem osculo syncopabat. Ejus formæ specialis insignitas, habi-

VARIÆ LECTIONES.

[69] Bruma.

tus specificati curialitas, gestus individualitas, Largitatis dum promulgarent adventum, nomen in salutatione resultans, ejusdem rei fidem a nube dubitationis excepi.

Adventus Humilitatis.

Dum Natura Largitati primitivæ salutationis, amicæque applausionis jura persolveret, ecce puella lentitudine pigritantis gressus morosior, columbini vultus placiditate serenior, modicitate staturæ castigatioris humilior, ad nos divertere testudinei gressus modestia, videbatur. Staturæ tamen humilitati, gratia pulchritudinis venerat in patronum: quæ mechanicis humani artificii usurpata fallaciis, sed vivo fonte naturæ scaturientis, totum corpus decoris afflaverat ornamento. Hujus crinis tanta fuerat forficis demorsione succisus, ut apocopationis figura fere in vitium transmigraret. Capillos vero quodam exorbitationis diversiclinio devagantes, inexplicabili intricatione complicitos, inter se crederes litigare. Caput demissione profunda dejectum, humiliter encleticabat in terram. Vestes non a nativo colore materiæ appositivi coloris adulteratione degeneris, suburbanæ materiæ vulgaritatem artificiosæ operationis defendebant subsidio. Ibi fabulosis picturæ commentis legebatur inscriptum, qualiter in virtutum catalogo Humilitas insignitatis vexillo præfulgeret; Superbia vero sacramentali virtutum synodo excommunicationis suspensa charactere, extremæ relegationis damnaretur excidio. Huic igitur adventanti, **315** Natura enixiori festinatione veniens in occursum, salutationis suæ ferculum osculorum melliniens condimento, vultum dilectionis exhibuit medullatæ. In specificationis vero personæ idiomatibus, mihi Humilitatis resultavit adventus.

Querulosa Naturæ collocutio cum Hymenæo, et virginibus prædictis.

Cum Hymenæus, prætaxatæque virgines in Naturæ facie, intestinæ conquestionis faciem exemplarent, internique doloris ideas in forinsecæ lacrymationis icones producere molirentur, ecce Natura verbis verba præveniens, ait: O sola humanæ tenebrositatis luminaria, occidentis mundi sidera matutina, naufragorum tabulæ speciales, Portus mundialium fluctuum singulares! radicatæ cognitionis maturitate cognosco quæ sit vestri conventus ratio, quæ adventus occasio, quæ lamentationis causa, quæ doloris exordia. Homines etenim sola humanitatis specie figurati, interius vero belluinæ enormitatis deformitate dejecti, quos humanitatis chlamide doleo investisse, a terrenæ inhabitationis patrimonio vos exhæredare conantur, sibi terrenum funditus usurpando dominium, vos ad cœleste domicilium repatriare cogentes. Quoniam ergo res mea agitur, cum familiaris paries inflammatur incendio, vestræ compassioni compatiens, vestro dolori condolens, in vestro gemitu meum lego gemitum, in vestra adversitate meum invenio detrimentum. De contingentibus igitur nihil omittens,

A in me finem proprium consecuta, prout valeo brachium meæ potestatis extendere, eos vindicta vitio respondente percutiam. Sed quia excedere limitem meæ virtutis non valeo, nec meæ facultatis est, hujus pestilentiæ virus omnifariam exstirpare, meæ possibilitatis regulam prosecuta, homines prædictorum vitiorum anfractibus irretitos anathematis cauteriabo charactere.

Genium vero qui mihi in sacerdotali ancillatur officio, decens est suscitari, qui eos a naturalium rerum catalogo, a meæ jurisdictionis confinio, meæ judiciariæ potestatis assistente præsentia, vestræ assensionis conveniente gratia, pastorali virga excommunicationis eliminet. Cujus legationis Hymenæus erit probatissimus executor; penes quem B stellantis elocutionis astra lucescunt, penes quem examinatoris consilii locatur armarium.

Legatio Hymenæi cum Naturæ litteris ad Genium.

Tunc astantes a suæ conquestionis lacrymis feriantes, profunda capitum demissione, submisse gratiarum actiones naturæ abundanti professione solvunt; Hymenæus vero in præsentiali Naturæ conspectu sese genibus arcuatis humilians, destinatæ legationi sese fatebatur obnoxium. Tunc illa schedulam papyream hujusmodi exemplaris carminis inscriptione signavit.

Natura, Dei gratia, mundanæ civitatis prima vicaria procreatrix, Genio sibi alteri similem, eique per omnia serenatis fortunæ blanditiis amicari.

C Quoniam similia dissimilium aspersione, et similium sociali habitudine gratulantur, in te velut in speculo Naturæ radiante similitudine inveniendo me alteram, nodo dilectionis præcordialis astringor, aut in tuo profectu proficiens, aut in tuo defectu æqua lance deficiens, quare circularis debet esse dilectio, ut tu talione dilectionis respondeas. Patrati sceleris evidentia, clamoris gerens imaginem, humani generis naufragium tibi evidenter eloquitur. Vides enim qualiter homines originalis naturæ honestatem bestialibus illecebris inhonestent, humanitatis privilegialem exuentes naturam, in **316** bestias, morum degeneratione transmigrant, Veneris in consequentia affectus proprios D consequentes, gulositatis vorticibus naufragantes, cupiditatis vaporibus æstuantes, alis superbiæ ficticiis evolantes, invidiæ morsibus indulgentes, adulationis hypocrisi alios deaurantes. His vitiorum morbis nemo medicinalibus instat remediis; hunc scelerum torrentem nemo obice defensionis castigat: hos facinorum fluctus, nemo portus stabilitate refrenat. Virtutes etiam tantam hostilis conflictus ingruentiam sustinere non valentes, ad nos tantum defensionis asylum, et vitæ remedium confugiunt. Quoniam ergo res nostra communi degrassatione vexatur, et precibus melliens, tibi obedientiæ virtute præcipiens, et jubendo moneo, et monendo jubeo, quatenus omni excusationis sophismate relegato, ad nos matures accessum, ut mei

mearumque Virginum assistente præsentia, abominationis filios a sacramentali Ecclesiæ nostræ communione sejungens, cum debita officii solemnitate, severa excommunicationis virga percutias.

Post hæc, illa epistolam sigillari signaculo consignatam, in quo nomen imaginemque Naturæ peritia artificialis exsculpserat, legato tradidit delegandam. Tunc Hymenæus solemniori vultu lætitiæ gratiarum actiones epilogans, et legationem destinatam initians, suosque a sopore pigritiæ excitans consodales, jussit ut suis invigilantes organicis instrumentis, a somno silentii eadem excitarent, et ad harmonici melodiomatis modulos invitarent. Tunc illi quibusdam procemiis sua illicientes instrumenta, vocem deformiter uniformem, dissimilitudine similem, multiformi modulo picturabant :

Jam tuba terribili bellum clangore salutans
Intonuit, cognati loquens præludia belli,
Mugitu simili similem signando tumultum.
Aera lædebat mendaci vulnere cornu,
Devia vox hujus, vox hujus anormala nescit
Organicis patere modis, artique favere
Spernit, et effrenem miratur musica cantum.
Grataque vox citharæ serenans gratius istis
Mellitæ tribuit auri convivia vocis,
Quæ cantus varii faciem variando colorans,
Nunc lacrymas in voce parit, mentita dolorem;
Nunc falsi risus, sonitu mendacia pingit,
Et lyra quæ semper cantu philomenat amœno,
Dulcius alliciens, oculisque procemia somni
Lectitat, et sepelit offensæ murmura mentis
Fistula, quæ noctu solers vigil excubat, imo
Excubiis voce compensat damna soporis :
Auribus arrisit per quem fit cætera cordis
Saxea durities, mentisque liquescere duræ
Cogitur asperitas, propriumque fugare rigorem.
Hunc vocis cursum, tantumque volucris acumen
Obtusæ vocis tardabant tympana gressu.
Nec tamen omnino cantus fraudatur honore,
317 Verbere si quis ea subtili verberet ictu,
Suscitet atque manus tractu delibet amico,
Aeris exhausti tractu sociata profundo.
Cum dulci strepitu ructabant organa ventum,
Dividitur juncta, divisaque jungitur horum
Dispar comparitas cantus, concordia discors,
Imo dissimilis similis dissensio vocum.
Plebæo sonitu mendica voce sonabant,
Cymbala, quæ nostris nunquam clamando perorant
Auribus, auditus hominum vix digna mereri.
Nullus erat major, melior, vel gratior illo,
Quo concludebat prædictis cantibus unus,
Dulcis pentasonæ cantus, vestigia cujus,
Cujus adorabat vocem plebs æmula cantum.
Et quæ cum cithara discordi disputat ore,
Psalterii condita favo, mellita sapore,
Insonuit vox grata ferens munuscula cantus.
Sistra puellaris tactum poscentia dextræ,
A Linguæ femineæ, Martis belique prophetæ,
Vocis inauditæ miracula voce canebant.

Resumit Natura suam querulosam locutionem.

Igitur Hymenæo mysticæ legationis mysteriis indulgente, Natura ærumnosæ conquestionis elegiacam orationem contexens, illorum recensebat injurias, quorum ingruente flagitio, suæ reipublicæ majestas, profundi detrimenti abundantem senserat læsionem. Inter quos, unum præ cæteris accuratius stimulis reprehensionis arguebat, qui præ aliis incurialius certabat dedecorare Naturam. Cum quævis gratia nobilitatis blandiretur naturæ, cum suis muneribus amicaretur prudentia, cumque magnanimitas erigeret, largitas erudiret, tamen, quia
B universa massa modici fermenti asperitate laborabat, unius virtutis occidens, cæterarum virtutum orientem funditus nubilabat. Unius probitatis eclipsis, cæterarum probitatum sidera recessu ecliptico mori cogebat. Cumque Largitas ad suum alumnum ista spectare videret convitia, non audens defensionis pallio ejusdem vitia colorare, cum humili capitis demissione decidua, ad lacrymarum confugit remedia.

Natura consolatur Largitatem et Prodigalitatem reprobat.

Natura perpendens quid capitis demissio, quid lacrymarum figuraret emissio, ait : O Virgo, cujus præsignii architectatione humana mens virtutum destinatur palatium per quam homines favorabilis
C gratiæ præmia consequentur ; per quam ætatis aureæ antiquata sæcula reviviscunt ; per quam homines se glutino amicitiæ præcordialis astringunt ; æterna usia æternali suæ noys osculo generando producens, mihi sororem largita est uterinam. Non solum te mihi nativæ consanguinitatis zona counfibulat, verum etiam, perdux amoris nexus concatenat. Unde a meæ voluntatis examine, tuæ discretionis libra voluntatem tuam non patitur aberrare : tanta enim unio conformitatis **318**, imo, unitas unitionis fideli pace nostras mentes conciliat, ut non solum illa unio simulatoria, unitatis vestiatur imagine, verum etiam unitionis phantasia deposita, ad identitatis aspiret essentiam. Quare, in
D neutram alicujus injuria debacchatur, quæ non grassetur in alteram, neutri alicujus illecebra novercatur, quæ non inimicetur et alteri. Quare, qui impudicæ patrationis clamante blasphemia, meæ dignitatis titulum effeminare laborat, injuriosæ vexationis instantia, tuo honori derogare conatur. Ille etiam qui excedentis prodigalitatis effluxu naturæ donis abutitur, fortunæ muneribus damno nimiæ dilapidationis exuitur. Sic quoque prodigalitatis meretricata communitas, mentiendo largitatis profitetur honorem, divitiarumque torrens, paupertatis derivatur in aridum ; sapientiæ splendor fatuitatis deviat in occasum ; magnanimitatis rigor laxatur in temeritatis audaciam. Quadam ergo admiratione fatigor, cur in damnatione illius qui nos

cæteris damnosius damnificare contendit, lacrymarum diluvium non valeas refrenare.

Tunc Largitas, certiori remedio a regione vultus rivulum lacrymarum absentans, capitisque demissionem revocans ad superna, ait : O nativorum omnium originale principium ! O rerum omnium speciale subsidium ! O mundanæ regionis regina ! O suprema cœlestis principis fidelis vicaria, quæ sub imperatoris æterni auctoritate, fidelem administrationem nulla fermentatione corrumpis. Cui universitas mundialis originis speciei exigentia obedire tenetur, prout intimæ cognitionis expressa parilitas exigit, me tibi aurea dilectionis catena connectit.

Illi igitur qui suam naturam damno venundans, te insultu nimiæ rebellionis impugnat, mihi coequatæ concussionis importunitate repugnat. Qui, quamvis umbratili credulitatis deceptus imagine, meis se credat commilitare comitiis, hominesque histrionali prodigalitatis figuratione decepti, in eo Largitatis odorent vestigia, tamen a nostræ amicationis beneficio longa relegatione suspenditur. Sed, quia nostrum est erroneæ divagationis anfractibus compati condolendo, in ejus insensatæ voluntatis exhibitione pestifera, non valeo non moveri.

Adventus Genii.

Cum inter has virgines dragmaticæ collocutionis intercalaris celebraretur collatio, ecce Genius, organicorum instrumentorum applaudente lætitia, nova apparitionis resultatione comparuit. Cujus statura mediocritatis canone modificata decenter, nec de diminutione querebatur apheresis, nec de superfluitatis prothesi tristabatur, cujus caput pruinosis canitiei crinibus investitum, hiemalis senii gerebat signaculum : facies tamen juvenili expolita planitie, nulla erat senectutis exaratione sulcata. Vestes vero opere sequente naturam, hujus vel illius nescientes inopiam, videbantur nunc serenari hyacintho, nunc colore succendi coccineo ; nunc bysso expressius candidari : in quibus, rerum imagines momentanee viventes, toties exspirabant, ut a nostræ cognitionis laberentur indagine. Ille vero calamum papyreæ fragilitatis nunquam a suæ inscriptionis ministerio feriantem manu ferebat in dextera ; in sinistra vero, pellem novaculæ demorsione pileorum cæsarie denudatam, in qua styli obsequentis subsidio, imagines rerum ab umbra picturæ ad veritatem essentiæ transmigrantes, vita sui generis donabantur ; quibus deletionis morte sopitis, novæ nativitatis ortu, aliæ revocabantur ad vitam. Illic Helena, suo decore semidea, quæ mediante pulchritudine sua, pulchritudo poterat nuncupari. Illic in Turno fulmen audaciæ, vigor regnat in Hercule. Illic in Capaneo gigantea ascendebat proceritas ; in Ulysse vulpina vigebat calliditas. Illic Cato pudicæ sobrietatis nectare debriabatur mirabili. Plato ingenii splendore rutilabat sidereo. Illic stellata cauda Tulliani pavonis rutilabat. Illic Aristoteles sententias ænigmaticarum locutionum latibu-

A lis involvebat. Post hujus inscriptionis solemnitatem, dexteræ manui continuæ depictionis fatigatæ laboribus, sinistra manus **319** tanquam sorori fessæ subveniens, picturandi officium usurpabat ; dextera manu pugillaribus potita ; quæ ab orthographiæ semita falsigraphiæ claudicatione recedens, rerum figuras, imo, figurarum larvas umbratiles semiplena picturatione creabat. Illic Thersites turpitudinis pannositate vestitus, peritioris fabricæ solertiam postulabat. Illic Paris incestuosæ cupidinis mollitie figurabatur. Illic Ennii versus a sententiarum venustate jejuni, artem metricam effreni transgrediebantur licentia. Illic Pacuvius nesciens narrationis modificare curriculum, in retrograda serie sui tractatus locabat initium.

B *Quomodo Veritas comitabatur Genium.*

His ergo picturæ solertiis Genio solemniter operam impendenti, Veritas tanquam patri filia verecunda ancillatione obsequens assistebat, quæ non pruritu aphrodites promiscuo propagata, sed hoc solo Naturæ natique geniali osculo fuerat derivata, cum Ilem speculum formarum meditantem, æternalis salutavit idea, eam iconiæ interpretis interventu vicario osculata. Hujus in facie divinæ pulchritudinis deitas legebatur, nostræ mortalitatis aspernata naturam. Vestes vero cœlestis artificis dexteram eloquentes, indefessæ rutilationis splenditatibus inflammatæ, nullis poterant vetustatis tineis cancellari : quæ virgineo corpori tanta fuerant connexione conjunctæ, ut nulla exuitionis diæresis eas aliquando faceret virginali corpori C pharisæas. Aliæ autem tanquam adventitiæ naturæ, præcedentibus appendiciis, nunc oculis visus offerebant libamina, nunc oculorum sese figurabantur indagini. Ex opposito, veritati falsitas inimicans stabat attentior, cujus facies turpitudinis nubilata fuligine, nulla in se naturæ munera fatebatur, sed senectus faciem rugarum vallibus submittens, eam universaliter implicans collegerat. Caput nec crinis vestimento videbatur indutum, nec pepli velamentum excusabat calvitiem, sed panniculorum infinita pluralitas, quos filiorum pluralis infinitas ei texuerat vestimentum. Hæc autem, picturæ veritatis latenter insidians, quidquid illa conformiter D informabat, ista informiter deformabat.

Quomodo Natura occurrat Genio adventanti.

Natura igitur suo gressui laxiores concedens habenas, solemnem occursum solemniter exhibendo, oscula nullo illicitæ Veneris fermentata veneno, sed mystici signantia cupidinis amplexus, etiam mysticæ dilectionis concordiam figurantes, Genio exhibuit adventanti.

Alloquitur Genius Naturam.

Mutua gratulatione expletionis termino consummata, Genius induxit silentium, manu postulante silentia, consequenter vero in hanc locutionis formam suæ vocis monetavit materiam : O Natura, non sine internæ spirationis afflatione divina, a tuæ discretionis libra istud imperiale processit edi-

ctum, ut omnes qui abusiva desuetudine, nostras leges aboletas reddere moliuntur, et in nostræ solemnitatis feria feriantes, anathematis gladio feriantur. Et quia lex hujus promulgationis legitimæ, legem justitiæ non oppugnat, tuique libra judicii meæ discretionis sedet examini, tuæ edictionis regulam ocius roborare maturo. Quamvis enim mens mea hominum vitiis angustiata deformibus, in infernum tristitiæ peregrinans, lætitiæ nesciat paradisum, tamen in hoc amœnantis gaudii odorat primordia, quod te mecum videat ad debitæ vindictæ suspiria suspirare. Nec mirum, si nostrarum voluntatum unione conformi, concordiæ reperio melodiam, cum unius ideæ exemplaris notio nos in nativum esse produxerit, unius officialis administrationis conformet conditio, cum nostras mentes non superficiali dilectionis vinculo amor jungat hypocrita, sed interna animorum nostrorum **320** latibula, casti amoris pudor inhabitet. Dum hoc verborum compendio Genius suæ orationis formaret excursum, suæ exclamationis quasi aurora nascente, tristitiæ tenebras paulisper abstractans, salvo suæ dignitatis honore, Natura Genio gratiarum jura persolvit.

Hic promulgat Genius excommunicationem prætaxatis.

Tunc Genius post vulgaris vestimenti depositionem sacerdotalis indumenti ornamentis celebrioribus infulatus, sub hac verborum imagine, prætaxatam excommunicationis seriem a penetralibus mentis forinsecus evocavit, hoc locutionis præcedente curriculo : auctoritate superessentialis Usiæ, ejusque notionis æternæ, assensu cœlestis militiæ, naturæ etiam, cæterarumque virtutum ministerio

A suffragante, a supernæ dilectionis osculo separetur, ingratitudinis exigente merito, a naturæ gratia degradetur, a naturalium rerum uniformi concilio segregetur, omnis qui aut legitimum Veneris obliquat incessum, aut gulositatis incurrit naufragium, aut ebrietatis sentit insomnium, aut avaritiæ sitiens experitur incendium, aut insolentis arrogantiæ umbratile ascendit fastigium, aut præcordiale patitur livoris exitium, aut adulationis amorem communicat fictitium. Qui autem a regula Veneris exceptionem facit anormalam, Veneris privetur sigillo. Qui gulositatis mergitur in abysso, mendicitatis erubescentia castigetur. Qui ebrietatis lethæo flumine soporatur, perpetuatæ sitis vexetur incendiis. Ille in quo sitis incandescit habendi, perpe-

B tuatas egestates incurrat. Qui in præcipitio arrogantiæ exaltatus, spiritum elevationis eructat, in vallem dejectæ humilitatis ruinose descendat. Qui alienæ felicitatis divitias tinea detractionis invidendo demordet, primo se ibi hostem inveniat. Qui adulationis hypocrisi a divitibus venatur munuscula, sophistici meriti fraudetur præmio.

Postquam Genius hujus anathematis exterminio finem orationi concessit, huic imprecationi applaudens Virginum assistentia festino confirmationis verbo Genii roboravit edictum, lampadesque cereorum in manibus virginum suis meridiantes luminibus in terram cum quadam aspernatione et demissione, exstinctionis videbantur sopore de-

C jectæ.

Conclusio operis.

Hujus imaginariæ visionis subtracto speculo, me ab exstasi excitatum in somno, prior mysticæ apparitionis dereliquit aspectus.

ALANI DE INSULIS

ANTICLAUDIANUS

SIVE

DE OFFICIO VIRI BONI ET PERFECTI

LIBRI NOVEM

A R. D. Carolo de Visch, priore Dunensi, etc., recogniti et varie illustrati.

—

AD LECTOREM.

En tibi, Lector, Anticlaudianum exacta diversorum exemplarium collatione, castigatissimum, et auctori suo restitutum, cui illum subduxerat is qui, anno Domini 1611, eum Antuerpiæ in lucem protrusit, plane incultum et confusum, sine ulla capitum distinctione, sine auctoris præfationibus, quarum loco et titulo, partem aliquam reposuit summarii immediate sequentis, imo, sine ipsius auctoris nomine : quod tamen exprimunt communiter omnes, qui Alani scripta recensent, præferuntque antiquiora mss. exem-

plaria passim obvia. Sane, in sola Bibliotheca collegii soc. Jesu Lovanii, duo reperi, magnæ antiquitatis, operis hujus exemplaria, quorum alterum, Alani nomen expresse referebat. Tertium, in Bibliotheca S. Bertini, Audomaropoli, auctoris item nomine præsignitum. Quartum et quintum, apud Clarissimum virum Balthasarem Moretum, Antuerpiæ. Ex his unum tantæ erat antiquitatis, ut auctoris etiam ætatem attingere, characterum forma persuaderet; aliud, quod Alani quoque nomen exhibebat, nonnihil recentiori manu exaratum, attamen venerandæ etiam antiquitatis. Postrema hæc duo exemplaria usui meo concessa fuerunt, quorum lima impressum exemplar poliendo, nativo colori restitui. Imprimis namque, summario verum titulum, postremamque ejusdem partem injuste præcisam; ad hæc, auctoris nomen, ac duas ipsius præfationes reposui. Insuper, et menda plurima, quibus totum opus obfuscabatur, sustuli. Et quanquam, ubi sensus permisit, plura hinc inde verba reliquerim a mss. discrepantia, imo etiam, integros quandoque versus, exacte tamen in margine inferiori, diversitatem lectionis annotavi, hoc ordine : quando utrumque ms., exemplar discordabat ab impresso, scripsi; ms. V : ubi solum discordabat ms., antiquissimum, posui : ms. A.; ubi vero recentius, ms. R. Denique, majoris illustrationis gratia, marginales ubique annotationes adjunxi. Porro, opus est eruditum raroque acumine præditum, nec non ad veram pietatem aliasque virtutes lectorum animis infundendum aptissimum, et nihilominus, venusto lepore undique respersum. Quod proinde tanti olim fecit venerabilis Adamus de Basseya, canonicus Insulensis, vir, suo tempore doctrina clarissimus, qui circa annum 1400, vixisse creditur, ut illud ipsum tersis et politis versibus in compendium redegerit, et hinc inde digressionibus moralibus doctissimis, diversisque odis spiritualibus illustraverit. Quod opus ipsemet indigitavit : *Ludus Adæ de Basseya, in Anticlaudianum M. Alani de insula.* Exstat ms. Tornaci, in monasterio Sancti Martini, in duobus exemplaribus, quorum alterum aliquandiu apud me habui. In cujus prologo ita loquitur auctor : *Recreationis cujusvis solatio indigens, pratum famosissimi quondam viri et gratiæ excellentis, magistri Alani de insula, adii, ut in eo colligerem flores odoriferos et prædulces,* etc.

Cæterum, cur Alanus operi suo Anticlaudiani nomen imposuerit, rationem hanc affert Thomas Demsterus *Historia Ecclesiastica* gentis Scotorum, anno 1627 Bononiæ impressa, quod ad imitationem Claudiani scriptum sit, non vero contra Claudianum. Quomodo, inquit, Ennodius Ticinensis episcopus, dum imitari vult Claudiani epigramma, epigraphen suo epigrammati fecit : *Adversus Claudianum de Mulabus.* Hæc ille. Auctor vero summarii sequentis, censet vocari Anticlaudianum, ratione materiæ, quia ; cum Claudianus in principio sui libri introducat vitia ad deformandum, seu pervertendum Rufinum, in principio hujus libri introducuntur virtutes, ad formandum hominem beatum. Pro cujus rationis majori luce, sciendum est Rufinum, in quem Claudianus poeta invectivas suas scripsit, fuisse a Theodosio seniore imperatore præfectum provinciis aliquot orientalibus imperii, pro tutela Honorii et Arcadii filiorum. Verum, cum regni cupiditate incensus, in principes suos arma sumpsisset, ab his devictum, misere periisse. Itaque, Claudianus tragœdiam hanc descripturus, introducit furiam infernalem, in concilio Vitiorum graviter conquerentem de pace, et regno Virtutum, tempore Theodosii imperatoris, incitatque omnia et singula Vitia, ad pacis hujus turbationem et Virtutum expulsionem. Id quod fieri posse judicat, per Rufinum. Quem proinde diversa invadentes Vitia, facile expugnarunt, et per eum, gravem perturbationem in imperio concitarunt. Econtra, Alanus producit Naturam in concilio Virtutum conquerentem de humani generis depravatione, et regno Vitiorum per universum orbem ; decreto autem concilii, ad Deum ablegatur Prudentia, sollicitatura creationem hominis perfecti, qui expugnatis vitiis, virtutes orbi restituat. Quæ, quomodo postea contigerint, pulcherrime describit Alanus noster. Atque hinc patet, ratione materiæ, opus hoc esse vere contrarium operi Claudiani, adeoque recte vocari Anticlaudianum, tametsi quo ad modum procedendi, aliqualiter etiam inter se conveniant. Interim, tu Lector candide, libros hos si vel semel attente legere non pigeat, eorumdem elegantiam mox percipies, animumque tuum mire oblectabis. Nam, ut recte adnotarunt Basileenses, qui, anno 1536, hoc primo publicarunt, singulari festivitate lepore, et elegantia præditi sunt, non credibili doctrina, ordine et brevitate complectentes humanas divinasque res omnes, in quibus quivis homo occupari, meditarique debet, quasque quemlibet scire, aut certe per omnia admirari, et suspicere oportet. Vale.

Fr. Carolus de Visch
prior Dunensis.

ANTICLAUDIANI

SEU

LIBRORUM DE OFFICIO VIRI BONI ET PERFECTI

SUMMARIUM

Ex antiquo codice ms. desumptum,

In quo elucet insignis totius operis peritia.

Quia in hoc opere agitur de quatuor artificibus, Deo, Natura, Fortuna, Vitio; primi autem artificis, id est, Dei, quatuor sunt opera : opus in mente, opus in materia, opus in forma, opus in gubernatione; Naturæ vero, duo : unum in pura natura consideratum, ab omni corruptione alienum, quale opus nec fuit ante peccatum ; aliud vero, varia corruptione privatum : Fortunæ etiam duo : unum prosperitatis, alterum ad-

versitatis; unum vero vitii, scilicet, depravationis; liber iste in quo de his agitur, non inconsequenter novem distinctionibus completur. Prius autem agitur in hoc opere de operibus naturæ, quam de operibus Dei, quia per ea quæ facta sunt, invisibilia Dei conspiciuntur. Secundo autem de opere divino. Tertio, de opere fortunæ. Quarto, de opere vitii. Initio autem primi libri, auctor more recte scribentis, proponit, non tamen in ipsa propositione materiam, de qua tractaturus est, prælibat, ad insinuandum materiam ipsam quasi ineffabilem esse, et ad vitandam arrogantiam, ne si de ineffabilibus se tractaturum proponeret, arrogantiæ suspicionem ingereret; secundo invocat. Tertio, inducit Naturam deliberantem de tali homine procreando, qualis futurus esset homo, si in nullo errasset. Sed quia talis hominis perfectio non solum in natura, verum etiam in virtutibus consistit, introducitur Virtutum concilium, cum quibus Natura deliberat; unaquæque autem secundum proprium statum describitur. Consequenter etiam describitur locus amœnissimus, floribus stellatus, arboribus consitus, fontis irriguo fecundatus. In cujus supercilio locata regia Naturæ regio describitur, auro, argento, variisque instincta lapidibus, multiplici hominum pictura refulgens. Ad hanc aulam virtutum convocatur exercitus, sua utitur consultatione Natura, suam adhibet sententiam Prudentia, Ratio utramque collaudat Naturæ parti magis assentiens. Consulit ut Prudentia delegetur in cœlum, quæ Naturæ Virtutumque Deo vota præsentet: ad quarum preces Deus animam mundam demittat in terras, et ejus animæ corporisque consortio, mediante Natura, Virtutumque ministerio, beatus homo procreetur in terris. Sed quia non subitanee his verbis assentit Prudentia, suum consilium annectit Concordia, cujus consilio illa satisfaciens, septem ancillis suis imperat, ut talis sibi fabricetur currus, quo celeriter possit ad cœlestia devehi, suamque legationem explere: cujus præceptum sine mora ancillæ complere conantur. Unde prima temonem excudit; secunda axem instituit; tertia temonem axemque gemmis et floribus inscribit. Reliquæ quatuor rotis fabricandis invigilant. Curru igitur completo, Prudentia residente in curru, quinque equis, Ratione auriga, quadriga in cœlum deducitur. Ascendenti autem Prudentiæ, variæ rerum occurrunt naturæ. Intuetur enim quæ causæ nubium, quæ nivium, vel grandinum origo, quis ortus fulminum. Videt etiam dæmones discurrentes per aera, qui tumore superbiæ a cœlo dilapsi, in caliginosam hujus aeris noctem, humanis insidiantur profectibus. Speculatur etiam diversos sui ascensus, varios planetarum anfractus. Ad ultimum in cœlum devehitur, ubi varias stellarum naturas intuetur. Sed cum ultra non pateat ei aditus, cum et Ratio viam ignoret, et equi ultra ascendere non valeant, in ambiguo fluctuat Prudentia quid actura sit: sed dum in hoc errat incerto, puellam videt stantem in supercilio cœli, cujus ducatu usque ad empyreum cœlum perduceretur, uni insidens equo, cæteris cum auriga Ratione in cœlo relictis.

Sed inter agendum aquas super firmamentum sitas miratur, nec eas fluxu labiles, vel in æthere suspensas, sed potius crystallino rigore solidatas esse perpendit. In cœlo vero empyreo collocata, ordines angelorum et opera considerat; miratur sanctorum gloriam, beatam Virginem super alios collocatam, ibique humanam Christi regnare naturam. Sed nimio fulgore percussa, in lethargum delabitur, dux ejus patienti compatitur, suaque accersita sorore quadam supercœlesti portione, sororis interventu Prudentiam liberat a languore. Tunc tres simul in cœlum Trinitatis ascendunt, Prudentiaque in præsentia Dei, Naturæ Virtutumque votum exponit. Deus vero earum petitioni assentiens, juxta æternum mentis exemplar animam creat, creatam Prudentiæ commendat, monens ut eam caute in terras deducat, ne eam malevolentia alicujus planetæ sævientis corrumpat. Prudentia igitur cum hilaritate ad inferiora descendens, animam Naturæ Virtutumque manibus deponit. Natura corpus excudit; Concordia spiritum unit; cæteræ vero virtutes pro jure suo hominem creatum exornant. Nobilitas vero ultima, quia ex se nihil proprium habet, a matre fortuna quod largiatur exquirit. Inde sumpta occasione, habitatio, domus, habitus, et rota Fortunæ describitur. Ad matris igitur domum Nobilitas perveniens, a matre petit, ne virtutum munera defraudans, ei se subtrahat, sed dicta sua cum aliis novo naturæ operi conferat. Ad cujus petitionem fortuna iter arripiens, ad domum naturæ pervenit, suumque munus impendit; cui danti assistit Ratio, ne Fortuna, aliquo livore ducta, aliquid fermenti interserat. Completa igitur hominis illius perfectione, ad aures Alecto de hoc opere fama pervenit. Alecto exercitum colligit, cum quo in hominem illum ejusque comites parat insultum. Cum Vitiis homo ille congreditur: sed tandem Vitiis subjugatis, homini illi victoria datur. Ex his liquet quæ sit materia hujus auctoris in hoc opere. Est tamen materia duplex: una historialis, alia mystica. Quod satis diligenti liquet lectori. Et quia circa materiam versatur intentio, per materiam intentionis comparatur notitia. Liber vero nulli philosophiæ speciei tenetur obnoxius, nunc ethicam tangens, nunc philosophicam delibans, nunc mathematicæ subtilitatem ascendens, nunc theologiæ profundum aggrediens. Causa vero suscepti operis, duplex: Una per se considerata; altera collativa. Sui enim causa auctor, aggreditur hoc opus, ut suum exerceat ingenium; et aliorum, ut desudet profectibus eorum. Finis vero utilitas est, humanæ naturæ cognitio. Per hunc enim librum cognoscit homo quid ex Deo habeat, quid a natura ministrante accipiat, quid a fortuna suscipiat, quid a vitio contrahat. Libri hæc est inscriptio: « Incipit Anticlaudianus Alani, de Antirufino. » *In hac inscriptione, et auctor operis exprimitur, cum dicitur,* Alani: *Et opus auctoris, cum annectitur,* Anticlaudianus. *Dicitur autem liber iste Anticlaudianus, ratione materiæ, quia materia hujus libri contraria est principio materiæ Claudiani. Cum etenim in principio sui libri Claudianus introducat vitia ad pervertendum Rufinum, in principio hujus operis introducuntur virtutes, ad formandum hominem beatum. Unde, et homo ille de quo agitur in hoc libro, vocatur Antirufinus, quasi contrarius Rufino.*

PRÆFATIO IPSIUS AUCTORIS.

—

321 Cum fulminis impetus vires suas expendere dedignetur in virgulas, verum audaces provectarum arborum expugnet excessus; imperiosa venti rabies iras non expendat in calamum, verum in altissimarum supercilia rerum vesani flatus invectiones excitet furiosas; penuriosam operis mei humilitatem invidiæ flamma non fulminet, mei libelli de- A pressam pauperiem detractionis flatus non deprimat ubi potius miseriæ naufragium, misericordiæ portum expostulat, quam felicitas livoris exposcat aculeum. In quo lector non latratu corrixationis insaniens, verum lima correctionis emendans, circumcidat superfluum, compleat diminutum, quatenus illimatum revertatur ad limam, impolitum re-

ducatur ad fabricam, inartificiosum suo referatur artifici, male totum propriæ reddatur incudi. Et quamvis artificii enormitas imperitiam accuset artificis, ac in adulterino opere, imperitiæ vestigium manus relinquat opificis, opus tamen, sui veniam deprecatur erroris, cum tenuis rationis igniculus multis ignorantiæ nubiletur erroribus, humani ingenii scintilla multas erroris evanescat in nebulas. Quare, ad hoc opus non nauseantis animi fastidio ductus, non indignationis tumore percussus, sed delectatione novitatis illectus, lector accedat. Quamvis enim liber vernantis eloquii purpuramento non floreat, et fulgurantis sententiæ sidere non clarescat, tamen in fragilis calami tenuitate, mellis poterit suavitas inveniri, et arescentis rivuli modicitate, sitis ariditas temperari. In hoc etiam nulla vilitate plebescat, nullos reprehensionis morsus sustineat, quasi modernorum redoleat ruditatem, sed ingenii præferatur flos, et diligentiæ præ efferatur dignitas, cum pigmæa humilitas excessui superposita giganteo, altitudine gigantem præveniat; et rivus a fonte scaturiens, in torrentem multiplicatus excrescat. Hoc igitur opus fastidire non audeant, qui adhuc vagientes in cunis inferioris disciplinæ, nutricum lactantur uberibus. Huic operi derogare non tentent qui altioris scientiæ militiam spondent. Huic operi abrogare non præsumant, qui cœlum philosophiæ vertice pulsant. In hoc etenim opere, litteralis sensus suavitas puerilem demulcebit auditum; moralis instructio proficientem imbuet sensum; acutior allegoriæ subtilitas perficientem acuet intellectum. Ab hujus ergo operis arceantur ingressu, qui solis sensuum speculis deditì, rationis non auriganiur incessu; qui solam sensualitatis assequentes imaginem, rationis non appetunt **322** veritatem, ne sanctum canibus prostitutum sordescat, ne porcorum pedibus conculcata margarita depereat; aut derogetur secretis, si eorum majestas divulgetur indignis.

Quoniam igitur in hoc opere [70] resultat gratiose syntaxeos regula, dialecticæ lepos, maxima oratoriæ theseos, communis semita arithmeticæ, matheseos paradoxa, musicæ melos, axioma geometriæ, grammaticæ theorema, astronomicæ hebdomadis excellentia, theophaniæ cœlestis emblema, infruniti homines [71] in hoc opus sensus proprios non impingant, qui ultra metas sensuum, rationis non extendant curriculum; qui juxta imaginationis somnia, aut recordantur visa, aut figmentorum artifices commententur incognita. Sed hi qui suæ rationis materiale in turpibus imaginibus non permittunt quiescere, sed ad intuitum super cœlestium formarum audent attollere, mei operis ingrediantur angustias, certa discretionis libra pensantes quod sit dignum in aures publicas promulgari, vel silentio penitus sepeliri. Sicut enim quorumdam gregarios detractionis assultus non timeo, sic favorabilem commendationis auram ab aliis non exspecto. Non enim timor superbiæ intus erectuans, ut exiret in publicum, me hujus operis coegit ad fabricam, vel favor popularis applausus insolentem invitavit ad operam, sed ne meus sermo contraheret de curæ raritate rubiginem, aliorumque profectibus labore mei studii desudarem.

EJUSDEM PRÆFATIO ALTERA.

[72] Auctoris mendico stylum, phalerasque poetæ,
Ne mea segnitiæ Clio dejecta senescat:
Ne jaceat calamus, scabra rubigine torpens.
Scribendi novitate vetus juvenescere charta
Gaudet, et antiquas cupiens exire latebras,
Ridet, et in tenui lascivit arundine musa.
Fonte tuo sic, Phœbe, tuum perfunde poetam,
Ut compluta tuo mens arida flumine, germen
Donet, et in fructum concludat germinis usum.

ANTICLAUDIANI

LIBER PRIMUS.

323 CAPUT PRIMUM.

Natura, sui corruptionem in hominibus perpenaens, optat creari hominem omnino perfectum. Convocat Virtutes. Processus Virtutum in domum Naturæ.

Ut sibi [73] juncta magis Naturæ dona resultent,

VARIÆ LECTIONES.

[70] *Exemplar impressum Basileæ anno 1536, typis Henrici Petri, sequentia sic legit:* in hoc opere resultat grammaticæ syntaxeos regula, dialecticæ lexeos maxima, oratoris theseos communis sententia, arithmeticæ matheseos paradoxa, musici melos axioma, geometrici grammatis theorema, astrologici dogmatis excellentia, theologiæ cœlestis emblema. [71] *Idem exemplar habet:* Imperiti homines. [72] *Aliud exemplar habet*, actoris. [73] *Ms. antiquum habet*, tibi.

Et proprium donet donis mistura pavorem,
Solers Naturæ studium, quæ singula sparsim
Munera contulerat aliis, concludit in unum;
Cudit opus, per quod operi concluditur omni.
Pristina sic operum peccata repensat in uno,
Ut quod deliquit alias, compenset in isto.
Supplicat huic operi, famulans opus omne decoris;
Et tanta cupiens vestiri dote favoris,
Incudis deposcit opem; sed fessa laborat
Incus, quæ tantos vires expendit in usus,
Ultra sese posse studet Natura, suumque
Supra se metitur opus, sic vincere fertur
Artifices alios, quod se superare fatetur.
Nec subitos animi motus perpessa, repente
Currit ad hæc opera; sed ad hæc deliberat utrum
Possit, et ad libram rationis singula pensat.
Protinus ergo suas vocat in sua vota sorores,
A quibus emeriti descendat tramite recto
Regula consilii, mentisque coerceat æstum.
Ut sic freta suæ scalpro rationis, in ipsos
Effectus operum mentis deducat ideas,
Aut lima meliore diu concepta recidat.
Ergo consilii non aspernata rigorem,
Concilium cœleste vocat; peregrinat ab alto
Militiæ cœlestis honor, terramque serenat
Luce sua, dignatus humum vestire beatis
Gressibus, et nostri tolerans fastidia mundi.
A splendore suo descendit regia cœli,
Dum lumen proprium terræ concedit ad horam.
Jam nova miratur tellus vestigia, ferre
Gaudet onus, sed vis oneris pensatur honore.

CAPUT II.

Concilium virtutum.

Pacis alumna movet primos Concordia gressus,
Et pleno cuncta perfundens Copia cornu,
Et Favor, et multo perfusa favore Juventus,
Et Risus nostræ proscribens nubila mentis,
Et Pudor, et certo contenta Modestia fine,
Et Ratio mensura boni, quam semper adhærens
Felici gressu felix comitatur Honestas,
Et Decus, et cuncta trutinans Prudentia libra,
Et Pietas, et vera Fides, quæ fraudis in umbra
324 Nobis hypocritam mentiri nescit amorem:
Et virtus quæ spargit opes, quæ munera fundit,
Quam penes ignorat ignavam gaza quietem,
Nec dormire potest thesauri massa sepulti,
Sed mutat varios toties peregrina magistros.
Ultima Nobilitas, et formæ laude secunda
A longe sequitur harum vestigia, quamvis
Nescio quid præsigne gerat, tamen hujus ad unguem
Non poterat reliquis facies æquare decorem:
Munere fortunæ melior; sed parcius ipsa
Gratia naturæ dotes effundit in illam.
Hæc superum soboles gressus maturat in arcem
Naturæ, proprioque domum chorus afflat honore.

CAPUT III.

Quo sita erat domus Naturæ. Descriptio silvæ in qua erat domus Naturæ et fontis qui ibidem erat.

Est locus a nostro secretus climate tractu
A Longo, nostrorum ridens fermenta jocorum.
Iste potest solus quidquid loca cætera possunt.
Quod minus in reliquis, melius suppletur in uno,
Quid prælarga manus Naturæ possit, et in quo
Gratius effundat dotes, exponit in isto:
In quo pubescens tenera lanugine florum
Sideribus stellata suis, succensa rosarum
Murice, terra novum contendit pingere cœlum.
Non ibi nascentis exspirat gratia floris,
Nascendo moriens: nec enim rosa mane puella
Vespere languet anus; sed vultu semper eodem,
Gaudens æterni juvenescit munere veris.
Hunc florem non urit hiems, non decoquit æstas,
Non ibi bacchantis boreæ furit ira, nec illic
Fulminat aura noti, nec spicula grandinis instant.
B Quidquid depascit oculos, vel inebriat aures,
Seducit gustus, nares suspendit odore,
Demulcet tactum, retinet locus iste locorum:
Iste parit nullo vexatus vomere, quidquid
Militat adversum morbos, nostramque renodat
Instantis morbi proscripta peste salutem.
Non rerum vulgus, verum miracula gignens
Sponte, nec externo tellus adjuta colono,
Naturæ contenta manu, zephyrique favore
Parturit, et tanta natorum prole superbit.
Flore novo gaudens, folio crinita virenti,
Non demorsa situ, non iram passa securis,
Non dejecta solo, sparsis non devia ramis,
Ambit silva locum, muri mentita figuram.
C Non florum prædatur opes foliique capillum
Tondet hiems, teneram florum depasta juventam;
Exsilium patitur arbor, quæcunque tributum
Germinis et fructus naturæ solvere nescit.
Cujus mercari fructu meliore favorem
Contendens, aliasque suo præcellere dono
325 Quælibet et semper de partu cogitat arbor.
Syrenes nemorum, citharistæ veris, in illum
Convenere locum, mellitaque carmina sparsim
Commentantur aves, dum gutturis organa pulsant.
Pingunt ore lyram, dum cantus imbibit istos
Auditus, dulces offert sonus auribus escas.
In medio lacrymatur humus, fletuque beato
Producens lacrymas, fontem sudore perenni
Parturit, et dulces potus singultat aquarum.
D Exuit ingenitas fæces argenteus amnis,
Ad puri remeans elementi jura, nitore
Fulgurat in proprio peregrina fæce solutus:
Prægnantis gremium telluris inebriat iste
Potus, et ad partus invitat vota parentis.
Arboribus similes tellus non invida potus
Donat, et affectum pariendi suggerit illis.

CAPUT IV.

Domus Naturæ in monte sita. Picturæ domus. Pictura imitatur logicam. Aristoteles, Plato, Seneca, Ptolomæus, Tullius, Virgilius.

In medio nemoris evadit in aera montis
Ardua planities et nubibus oscula donat.
Hic domus erigitur naturæ, si tamen isto
Nomine censeri fas sit, cum numine possit

Sidereas superare domos, superumque penates,
Nec sibi dignetur conferre palatia regum,
A nostris laribus excepta beatior aula.
Aera metitur altis suspensa columnis;
Sidere gemmarum præfulgurat, ardet in auro,
Nec minus argenti proprio donatur honore.
Non ibi materies quæ sit demissior istis
Jura tenet, propriaque potest plebescere forma.
Hic hominum mores picturæ gratia scribit,
Sic operi proprio scriptura fideliter hæret,
Ut res picta minus a vero deviet esse.
O nova picturæ miracula, transit ad esse
Quod nihil esse potest! picturaque simia veri,
Arte nova ludens, in res umbracula rerum
Vertit, et in verum mendacia singula mutat.
Sic logicæ vires artis subtiliter hujus
Argumenta premunt, logicæque sophismata vincunt.
Hæc probat, ista facit: hæc disputat, impetrat ista
Omne quod esse potest: sic utraque vera videri
Falsa cupit; sed ad hæc pictura fidelius instat.
Illic arma parat logico, logicæque palæstram
Pingit Aristoteles; sed eo divinius ipsa
Somniat arcana rerum, cœlique profunda
Mente Plato, sensumque Dei perquirere tentat.
More suo Seneca mores ratione monetat,
Optimus excultor morum, mentisque colonus.
Divitis ingenii vena Ptolomæus inundans,
Devectus superas curru rationis in arces,
Colligit astrorum numeros, loca, tempora, cursus.
326 Verbi pauperiem redimit splendore colorum
Tullius, et dictis ornatus fulgura donat.
Virgilii musa mendacia multa colorat,
Et facie veri contexit pallia falso.
Hic vigor et sensus æquali munera lance
Pensant. Alciden vigor armat, sensus Ulyssem.
Ne mentem fermentet opum convictus, abunde
Fundit opem virtus [74], et munera cogit abire.
Militat instantis fervens audacia Turni
Ense tonans, ignara metus, et prodiga vitæ,
Hippolytique pudor Veneris subductus habenis,
Gaudet et excepto luget Cytheræa pudore [75].

CAPUT V.

Mævius, Neronis crudelitas, Ajax, Paris, Davus. Elementorum concordia.

Has species rerumque tropos, et somnia veri,
Regia picta tenet, tanto festiva decore.
Sed minus in vultu gestans insigne pudoris [76],
Postremos subtristis habet pictura penates.
Vel lusisse parum, vel saltem somnia passam
Credas, vel tenues iræ sensisse procellas;
Vel magis oblitam facti præsentis in illa
Naturam peccasse putes, delira videtur
Picturæ facies meliorem poscere formam.
Sed neque gemmarum radius splendore diescens,
Nec nitor argenti, nec fulgure gratius aurum,
A Excusare potest picturæ crimen adultum,
Quin pictura suo languens pallescat in auro.
Illic pannoso plebescit carmine noster
Ennius, et Priami fortunas intonat; illic
Mævius in cœlos audens os ponere mutum,
Gesta ducis Macedum tenebrosi carminis umbra
Pingere dum tentat, in primo limine fessus
Hæret, et ignavam queritur torpescere musam.
Illic præcipiti Nero fulmine concutit orbem,
Indulgens sceleri, cogit plus velle furorem,
Quam furor ipse velit: quidquid distillat ab illo
Nequitiæ, totum sese partitur in orbem.
Illic dives eget, sitit aurum totus in auro
Midas, nec metas animo concedit habendi.
Militis excedit legem, plus milite miles
B Ajax, militiæque modus decurrit in iram.
Fractus amore Paris, Veneris decoctus in igne,
Militat in Venere, dum militis exuit actus:
Damnose compensat in hac quod perdit in armis.
In Davo propriam miratur noctua formam,
Et vultus peccata sui solatur in illo.
Ergo naturæ quidquid munuscula pleni [77]
Pectoris [78], aut ejus modicam subterfugit artem,
Inscriptum thalamis picturæ gratia [79] monstrat.
327 Singula decernens sensu Natura profundo,
Sedibus his sua jura tenet, legesque figurat
Provida, quas toto sparsim promulgat in orbe;
Scrutatur rerum causas, et semina mundi:
Quis chaos antiquum vultu meliore redemit,
C Dum formæ melioris opem vultusque decorem
Quæreret, atque suum lugeret silva tumultum:
Quis fidei nexu civilia bella refrenans,
Et fratrum rixas, elementis oscula pacis
Indidit, et numeri nodo meliore ligavit.
Terrarum motus, mugitum fulminis, iras
Oceani, ventorum prælia mente fideli
Conspicit, et certa solers indagine claudit
Temporis excursus; cur contristata pruinis
Luget hiems canis [80], ridet ver, æstuat æstas,
Effluit autumnus rerum torrente profundo,
Vel cur terra sedet, fluit amnis, profluit aer,
Flamma volat, reliquisque fidem non invida servat,
Non audens violare fidem, cur fœdera terris
Labilis unda tenet, certo contenta meatu.

D

CAPUT VI.

Natura loquitur et depravatos hominum mores deplorat.

Postquam cœlestis aurata sedilia cœtus
Implevit, tantaque nitens deitate refulsit
Ipsa domus, tanti lucem mirata diei:
Concilii stetit in medio Natura, parumper
In terram demissa caput, concepta severis
Vultibus exponens, extraque silentia dictans,
Suspendens animos voces exivit in istas:
Sæpe, diu, multum solerti mente retracto

VARIÆ LECTIONES.

[74] *Ms.* opes Titus. [75] *Ms. habent* exceptum luget Cytheræa pudorem. [76] *Utrumque ms.* decoris. [77] *Utrumque ms.* plene. [78] Non capit. [79] *Ms.* fabula. [80] *Utrumque ms.* cana.

Singula, quæ nostræ pinxit solertia dextræ:
Sed nihil invenio quod in omni parte beate
Vivat, quin multas nobis deferre querelas
Possit, si nostram velit accusare Minervam.
Sed nostras errasse manus quia pœnitet, error
Haud nocet, et nostros denigrat parcius actus.
Nec tamen hærentes maculas abstergere possum,
Quas habitus firmi præscriptio longa tuetur.
Nam medicina silet, vi morbi causa senescit [31]:
Nec morbi veteres molimina tarda requirunt.
Unica conjecto tantæ solatia pestis,
Quæ tamen effectu describere nolo, priusquam
Norma judicii vestri mens nostra probetur.
Hoc in mente diu scriptum mihi sedet, ut omne
Et simul instanter, caute, solerter, ad unum
Desudemus opus: in quo tot munera fundat
Quælibet, ut post has dotes videatur egere,
Nostrorum crimen operum redimatur in uno,
Unius probitas multorum crimina penset,
Unaque quam plures exterminet unda lituras
328 Non terræ fæcem redolens, non materialis,
Sed divinus homo, nostro molimine terras
Incolat, et nostris donet solatia damnis.
Insideat cœlis animo, sed corpore terris.
In terris humanus erit, divinus in astris.
Sic homo, sicque Deus fiet, sic factus uterque
Quod neuter, mediaque via tutissimus ibit.
In quo nostra manus et munera nostra loquantur.
Sit speculum nobis, ut nos speculemur in illo;
Quæ sit nostra fides, quæ nostra potentia, virtus
Quæ sit, et in quantum melius procedere possit.
Si labor accusat nostros in munere tanto
Defectus, onerique [32] manus succumbere nostro:
Hoc decus excusat, solvens objecta laboris.
Si natura negat, animi succurrere robur
Debet, et affectus effectu claudere nostro.
Nam quod nulla valet per se, supplebit in unum
Conjurata manus, ut quæ non singula prosunt,
Multa juvent collecta simul. Nam plurimus amnem
Rivulus excrescens gignit, scintillaque flammam
Multa parit, multusque lapis concludit acervum.
Heu [33], pudeat nostra terris decreta silere;
Quod nostri languescit amor, quod fama tepescens
Torpet, et a toto viles proscribimur orbe;
Quod laxas mundo sceleris concedit habenas
Tesiphone, nostraque sibi de gente triumphans
Gaudet, et a nostro sugit gaudia luctu.
Vincimur, et victas pedibus submittit Erinnys,
Et gravibus nostra castigat colla catenis.

CAPUT VII.

Prudentiæ pulchritudo, vestimenta.

Sic natura suo mentem sermone figurans,
Fine dato verbis orantis fine perorat.
Gaudet et assentit naturæ curia, votum
Laudat, et a voto non distant vota sororum:
A Surgit ad hæc placidi vultus, gestusque modesti
Circum scripta modis Prudentia, colla pererrat
Aurea cæsaries, sed acus mediata refrenat
Litigium crinis, et regula pectinis instat.
Ordo supercilii justo libramine ductus,
Nec nimis exhaustus, nec multa nube pilorum
Luxurians, sese geminos exemplat in arcus.
Luminis astra jubar, frons lilia, balsama naris,
Dens ebur, osque rosam, parit, offert, reddit, adæquat.
Spirat in ore color vivus, nec candor adulter
Turpiter effingit tanti phantasma decoris.
Sidereum vultus castigavere ruborem
Lilia nupta rosis; et ne palloris obumbrent
Nubila candorem, defendit flamma ruboris,
B 329 Clarior argento, fulvo conspectior auro,
Lucidior glacie, crystallo gratior omni.
Menti planities roseo non derogat ori.
Non male colla sedent, humeris non insidet alta
Cervix, at spatio surgit distincta modesto.
Poma mamillarum modico suspensa tumore,
Nulla mollitie dependent fracta, sed ipsa
Duritie proprii describunt signa pudoris.
Explicat explicito tractu junctura lacertos,
Amplexusque suos deposcere brachia credas.
Imaque consiliat summis, extremaque primis
Convallis laterum, modulo submissa decenti.
Cætera quis nescit meliora latere sub istis,
Quorum sola gerunt placidi præludia vultus?
Canone sub certo dimensio nulla retardat
C Corporis excursum, vel certo fine refrenat.
Nunc magis evadens cœlestia vertice pulsat,
Nunc oculos frustrans cœlestibus insidet, ad nos
Nunc redit, et nostra sese castigat habena.
Vestis erat filo tenui contexta, colorem
Non mentita suum, nulloque sophismate visum
Decipit, imo rubor nativus inebriat illam.
Non ibi materies formæ suffragia quærit,
Nec formæ peccata sibi velamina quærunt:
Materiæ neutra succumbit, neutra sorori
Cedit, et ex æquo cernant, utra vincere possit.
Somniat hic rerum species pictura resultans,
Quas tamen ex parte jubet exspirare vetustas·
Et formæ veteris vestigia pauca supersunt.
Sed tamen in partes vestem diffibulat istam
D In variis scissura locis, lugere videtur
Vestis, et illata sibimet convicia flere.
Dextra manus librat trutinam, qua singula pensat
In numero, forma, mensura, pondere, causa.
His ornata modis, isto festiva paratu
Verba parat solers prudentia, cujus ab ore
Curia dependet, currunt instanter ad illam
Visus et auditus, sed voto dispare certant.
Visus ut in specie tanta convivia quærat,
Auditusque favos verborum fugat ab ore.
His igitur verbis mentem Prudentia pingit,

VARIÆ LECTIONES.

[31] *Ms.*, ubi morbi causa senescit. [32] *Ms.* hominumque. [33] *Ms. duos hic interponunt versus sequentes:*
Heu pudeat nostrum toties errasse laborem,
Et toties fructum male respondisse labori.

Dum tenet intentas attentio tanta sorores.

CAPUT VIII.

Prudentia orationem Naturæ approbat.

Nil nisi divinum sapit hæc sententia, tanti
Provida consilii, quæ sic rationis in igne
Decoquitur, quod nulla manent vestigia fæcis,
Non fluidum redolet animum, non mentis obesæ
Segnitiem loquitur, subitis non motibus instat,
A summis exsputa labris; sed mentis ab alto
Prominet, et nostris offert medicamina morbis.
330 Trans hominem mens ista sapit, condita sapore
Divinæ mentis, de cujus fonte profundo
Rivulus emanat, animi discretio vestri.
Non igitur jacet exanimis, non indiga recti,
Non rationis inops, non mens effrenis oberrat,
Non agitur casu, tanto suffulta patrono.
Quæ tantam mentem detractio mordeat? aut quis
Urgeat invidiæ stimulus? quis nubila livor
Misceat, aut odium, cum limes regius illam
Dirigat, et recto producat calle viantem?
Ne vestræ faciat conceptio mentis abortum,
Ne res tanta ruat, ne lux moriatur in umbra:
Sed magis exposita profulguret: exeat istud
In commune bonum, melius sub luce patebit.
Namque bonum quod sæpe latet, splendore minori
Degenerat, lucetque magis, si luce fruatur.
Sic flos in fructus, in flumen rivus inundans
Ibit, et in mensem pinguis procedet arista.
Quid melius sperare potest? quid majus? et ultra
Quid poterit velle conceptus mentis honestæ?
Si bonus est, huc usque licet, defigat in isto
Gressus proposito, nec longius ire laboret.
Sed tamen hoc superet quod mentem concutit, obstat
Proposito, vexat animum, concepta retardat.
Quod tanti vires operis, tot pondera rerum
Tantum nescit opus, operas suspirat ad istas
Nostra manus, quæ sic hominem conducit ad esse.
Quod non perducit, facit hunc, nec perficit ipsum.
Semper ad esse movet, sed nunquam promovet illum.
Ejus [84] ad esse valet, nec ad ejus prævalet ortum.
Dispar natura, dispar substantia, forma
Discors, esse duplex, hominis concurrit ad esse;
Una sapit terras, cœlum sapit altera, cœlis
Insidet hæc, illa terris, mortique tributum
Cogitur ista dare, mortis lex excipit illam.
Hæc manet, illa fluit [85], hæc durat, deperit illa;
Essendi nomen gerit hæc, gerit altera numen.
Corpus habet terras, cœlestia spiritus: ergo
Terram terra tenet, retinent cœlestia cœli.
Incudem nostram corpus mortale fatetur.
Artifices nostros, et nostram postulat artem;
Artifices alios animæ natale requirit.
A Artificis melioris opem cœlestis origo
Postulat, et nostram fugit ejus forma monetam,
Divinique loquens operis miracula, nostrum
Spernit opus, ridens artis vulgaria nostræ.

CAPUT IX.

Qualiter ex nihilo, sine forma, semine, causa,
Materia, motu, sensu, ductore, magistro,
331 Ingenitum, simplex, animabile, mobile, purum,
Prodeat exterius, nullo mediante patrono:
Sola Dei novit Prudentia, cujus ab alto
Pectore procedit quidquid procedit in esse.
Hic elementa silent, languescunt semina rerum,
Sidus hebet, natura jacet, virtusque planetæ
Deficit, et propria miratur jura silere.
B Ergo cum nostra geniturain regula talem
Nesciat, et tantam stupeat pictura [86] figuram,
Occasumque manus talem patiatur ad ortum;
Non video, non concupio, non judico memet
Scire modos, causas, rationes, semina, formas,
Instrumenta, quibus nostra mediante Minerva
Ortus cœlestis animæ ducatur ad ortum.
Ergo consilii super his libramina ferre
Nescio, non valeo, dubito, desisto, retardor,
Consilio, ratione, fide, mea causa jacebit
Orphana, nec certo claudetur fine voluntas,
Singula ni ratio trutina meliore repenset.
Quam penes obscurum fluitans, mutabile, cassum,
Ignotum, mendax, nihil est, cui singula lucent,
C Cuncta patent, dubiumque nihil, non alta videntur
Astra, nec obscurus aer, pelagusque profundum.
Sol animi, mentis oculus, lumenque viantis
Proscripti patria, mortis solamen, origo
Justitiæ, virtutum regula, linea recti,
Subducat dubia certis, mendacia veris,
In certo figat animum, dubiumque recidat,
Erroris tergat tenebras, verique serenet
Luce diem mentis, et falsi nubila pellat.
Menti concussæ dubiorum fluctibus, aura
Gratior applaudat rationis, flamine leni
Concilians æstus animi, fluctusque retardans.
Segnitiemque meam non tanti massa laboris
Accusare potest: non tanto victa labore
D Cedo, nec ignavæ mendico quietis asylum.
Aggrediar quidquid ratio dictaverit, imo
Jusserit, atque nihil de contingentibus ipsa
Transgrediar, finem proprium pro posse secuta.
Sed quia principia nullo concludere fine,
Vel dare principiis fines aliunde profectos,
Ut primo medium, medio non consonet imum,
Censetur turpe, fluitans, mutabile, stultum;
Cedere principiis malo, quam cedere fini.

CAPUT X.

Ratio loquitur. Ejus descriptio.

Sic ait, et tanto dubiorum turbine tota
Curia concutitur, turbataque turba sororum

VARIÆ LECTIONES

[84] *Ms.*, Semper. [85] *Ms.*, fugit. [86] *Ms.*, natura.

Fluctuat in dubiis, alta cum voce fluentes
Suspendens animos, et murmura sola pererrans:
332 Qualiter aura fremit, fluit aer, fluctuat unda,
Quam primo zephyrus cum planat flamine leni,
Si maris excutiat borealis turbo soporem,
Vel maris instantes cogat vigilare procellas:
Sic animi fluitant, et mentes mentibus instant,
Quas Natura prius leni perflaverat aura,
Perflat majori flatu Prudentia mentes :
Erigitur Ratio, poscitque silentia nutu,
Voce, manu, facie; pacis tranquilla meretur
Vultus, et ad nutum morientia murmura nutant
Virginis in facie; Prudentia plurima vultu
Paret, et expressi sequitur vestigia vultus.
Suntque relativæ facies : gerit altera formam
Alterius, seseque sibi conformat in illa.
Una sibi facies faciem præsentat utramque :
Vultus diversi, facies diversa duorum ;
Non adversa tamen, quales decet esse sororum.
Par facies, habitusque pares, par gestus in illis,
Par modus atque decor, sed dispar vultus in annis,
Nam potior [87] Ratio, senii vexilla gerebat,
Plenior ætate, plenis maturior annis.
Dextra manus speculi triplicis flammata nitore
Splendet, et in triplici speculo triplicata resultat
Vitrea mollities, quæ tactus abdicat omnem
Insultum, digitique leves vix sustinet ictus.
Unius speculi sese concedit in usum,
Attente Ratio speculo speculatur in isto
Causarum seriem, rerum scrutatur abyssum,
Subjecti formæque videt connubia, cernit
Oscula, quæ miscet concretio, quæve propinat
Unio nativa [88], formis subjecta maritans,
Subjecti quæ forma facit, quæ perficit esse,
Quæ rem conducit, vel quæ perducit ad esse :
Quæ generat, quæ mutat eam, quæ servat in esse,
Quid sit, vel quanta, qualis, vel quomodo sese
Res habeat, reliquosque status perquirit in illa.
Argenti facies fæces exuta metalli,
Infra se splendore diem stellasque relinquens,
Exsultat, speculi formam vestita secundi.
Hic subjecta videt formis viduata reverti
A Ad chaos antiquum, propriamque requirere matrem,
Inque statu proprio puram juvenescere formam,
Nec sua degeneris subjecti tædia flere,
Quomodo forma suo gaudens requiescit in esse;
Nec varios fluctus subjecti naufraga sentit,
Qualiter ad proprium peregrina revertitur ortum,
Subjecti fugit occasus et funera vitat.
Subjecti senio non deflorata juventus,
Formarum formas semper facit esse puellas.
Cernit inoffenso vultu, mentisque profundo,
333 Quomodo compositum simplex, cœleste caducum,
Diversum fit idem, gravidum leve, mobile certum,
Obscurum lucens, pretiosum vile, jocosum
B Flebile, perpetuum mortale, volubile fixum.
Auri nobilitas, auro decoctior omni,
Vixque suum dignata genus speciemque fateri,
In speculi transit speciem, quæ tertia rerum
Umbras mentiri nescit, sed singula monstrat
Tersius [89], et specie meliori cuncta figurat.
Hic rerum fontem, mundi genus, orbis ideam,
Exemplar, speciem, causam, primordia, finem,
Conspicit, et certis metitur singula causis :
Qua ratione, quibus causis, cur, quomodo, quando,
Instabilis, genitus, fluitans, mutabilis, iste
Mundus, ab ingenito, stabili, certoque figuram,
Esse, statum, speciem, vitam contraxit et ortum.
Quomodo terrestrem formam cœlestis idea
C Gignit, et in nostram sobolem transscribit abyssum.
Mittit in auxilium [90] formas, quas destinat orbi.
A patre degenerat proles, faciemque paternam
Exuit, antiqui vultus oblita parentis,
Qualiter in mundo phantasma resultat ideæ,
Cujus inoffensus splendor sentitur in umbra,
Qualiter a fonte formarum rivus aberrans
Ingenitum perdit subjecti labe nitorem.
Quid cogat fatum, quod casu defluat, aut quid
Arbitrii possit medio librata potestas :
Se totam ratio speculis expendit in istis.
Sed magis ad præsens visus indulget habenis,
Mentem sollicitat, animum diffundit, ut intus
Hauriat a speculis aliquid [91] ratione probatum,
Quod digne ferri tantas mereatur ad aures.

334 LIBER SECUNDUS.

CAPUT PRIMUM.

Voluntas auriga visus. Rationis discursus. Ratio se humilians petit veniam. Approbat consilium Naturæ. Hominem virtutibus omnibus perfectum in terris optat.

Regia tota silet, exspirat murmur, in altum
Cum visu placidos delegat curia vultus.
D Cum visu currit animus, visumque volantem
Anticipare cupit visus auriga voluntas.
Evocat ergo foras mentem rationis inundans
Eloquium, sermoque modum decurrit in istum.
Plusquam posse meum possit, me posse jubetis,
Dum vestram cogor indocta docere Minervam.

VARIÆ LECTIONES.

[87] *Ms.*, senior, [88] Natura. [89] *Ms.*, certius. [90] *Ms.*, exsilium. [91] Verbum.

Sic myrti præsunt lauris, oleaster olivis,
Sic saliunca rosis, vilis sic alga hyacinthis
Præfertur, gemmisque lutum, violisque cicuta.
Sic ovis a capra mendicat velleris usum,
Sic tumidus torrens a rivo postulat undam,
Sic solet a dauco narcissus quærere formam,
Sic addit lucem candelæ flamma diei.
Sed quoniam cogit, jubet, instat vestra voluntas,
Ut super his quæ vestra modo discretio movit,
Mendicata mei tandem suffragia dentur
Consilii; plene vestris obsistere votis
Nolo, sicque mea vobiscum velle voluntas
Incipit, ut tandem cupiat quodcunque necesse est.
Defæcata minus, aliamque rogantia formam
Consilii secreta mei deponere vobis
Malo, quam votis vulgata fronte repugnem,
Aut mea conjectent suspecta silentia fastum.
Ergo precor veniam, veniæ non tarda sequatur
Gratia delictum, relevet compassio morbum,
Si minus excoctas rationes verba propinent,
Vel rationis inops jejunus sermo laboret.
Nec stupor invadat vestræ munimina [92] mentis,
Si sibi sermo meus maculas erroris adoptat [93] :
Error in humanis comes indefessus oberrat.
Denigrare solet fermenti copia, quidquid
Humanus sermo vel mens humana volutat.
Si tamen officio finis respondeat, alter
Non est orantis error, non culpa medentis,
Si primus finis fraudetur fine secundo.
Non ferit assidue, telum quicunque minatur :
Non semper medicus sanat, non ipse perorat
Rhetor, non logicus ad metam pervenit, imo
Sæpe jacens calle medio defessus anhelat.
Discretum, prudens, cautum, laudabile, tutum,
Utile consilium Naturæ judico, votum
335 Approbo, propositum laudo, molimen adoro,
Ut novus in mundo peregrinet Lucifer, in quo
Nullius labis occasus nubilet ortum.
Sol novus in terris oriatur, cujus in ortu
Sol vetus occasus proprios lugere putetur.
Possideat solus, quidquid possedimus omnes :
Omnis homo sic unus erit, sic omne quod unum :
Unus in esse suo, sed erit virtutibus omnis.
Solis in occasu sol alter proferat ortum ;
Sit [94] contra vitia quæ nos exstinguere tentant,
Tutor, defensor, judex, athleta, patronus,
A nostris laribus cum nos exterminet orbis,
Hic noster thalamus, nostrum firmetur asylum.

CAPUT II.

Non tamen inficior uterinæ verba sororis,
Quæ tanti limam sapiunt examinis, imo
Verius hæc eadem possunt examina dici,
Cum nostrum fateatur opus, nostramque requirat
Incudem, fluitans humanæ machina molis.
Corpus ad esse suum vocat artis regula nostræ :
Excipit hæc hominis animam, quæ semper ab istis
A Legibus excipitur, meliori pollice ducta.
Non tamen a tanto debet secedere voto
Instans propositum, nec citra prælia vinci,
Quamvis ad tantas operas, tantumque laborem
Naturæ suspiret opus, citraque residat;
Supplebit tamen ipsa manus divina, quod infra
Perfecti normam naturæ norma relinquet.
Quod natura facit, divinus perficit auctor [95] ;
Divinum creat ex nihilo, natura caducum
Procreat ex aliquo : Deus imperat, illa ministrat.
Hic regit, illa facit; hic instruit, illa docetur
Ergo si nostris, quæ sunt indigna favore,
Votis aspirat, suspiria nostra relaxans
Plenius applaudet istis, quæ sola perorant.
B Nec candore precum vestiri cultius orant
Vota, tamen precibus nostris mellita mereri
Plus poterunt, tali melius condita sapore.
Ergo vota, preces, animos fundamus in illum,
Ut nostris faveat votis, ut vota secundet,
Qui solus complere potest; nec tarda sequetur
Mens divina, preces si mens legaverit extra :
Quam non rhetoricis oratio picta figuris,
Non ignavus opum cumulus, non musa Maronis,
Non amor hypocrita, nec honor venator amoris
Demulcet, sed sola precum dulcedo perorat.
Si tamen a fonte cordis deducta madescat
Restat in ambiguo, nec certa luce patescit,
Quæ nostrum quibus auxiliis, quo calle viarum
336 In superas devecta domos, donetur honore
C Legati, quæ vota Deo præsentet, et instans
Imbre precum, precibus divinas compluat aures.
Sed tamen ut proprie mentis sententia dictat.

CAPUT III.

Prudentia aptissima indicatur ut ad Deum mittatur. Cœlorum secreta rimatur.

Nulla potest melius istius muneris usum
Amplecti, quam nostra soror Prudentia, cujus
Debellare nequit virtutem turba laborum :
Cujus iter, gressus, obstacula nulla retardant,
Non strepitus, non ira maris, non vallis abyssus,
Non juga, non celsi præceps audacia montis,
Asperitasque viæ saxis callosa [96], nec ipsæ
Limitis ambages, desertaque nescia gressus
Non rabies venti, non imbribus ebria nubes,
D Non tonitrus horrenda lues, non nubilus aer,
Quin Superos adeat, quin visitet astra, Deique
Imbibat arcanum, divino fonte madescens.
Cernit in arcanis superum, quis Conditor orbis,
Quid Deus ipse velit, quid mundo præparet, aut quid
Prævideat, vel provideat, vel destinet orbi;
Quid possint cœli secreta, quid astra loquantur;
Cur cœli cursus motu nugetur eodem,
Semper in occasum vergens; contraque planeta [97]
Militet [98] adverso motu, cœlumque refrenet.
Morbida Saturni quid mundo stella minetur,
Quamve salutis ovem Jovialis [99] gratia mundo

VARIÆ LECTIONES.

[92] *Ms. A.* Medicamina. [93] Adaptet. [94] Sic. [95] Actor. [96] Collosa. [97] Planetas. [98] Militat. [99] Iliemalis.

Nuntiet, aut Martis sidus quæ bella prophetet.
Quo duce, qua causa, quo fomite, quove patrono,
Temperie, motu, vita, splendore, meatu,
Providet, applaudit, blanditur, consulit orbi
Sol, oculus mundi, fons vitæ, cereus orbis:
Quas Venus illecebras, quæ tristia gaudia, tristes
Lætitias, mala dulcia, pocula fellea terris
Offert, et felle mellito compluit orbem :
Quo nexu, qua lege meant, quo fœdere juncti
Lucifer et nostri Cyllenius assecla solis
Nascentis vexilla gerunt; famulantur eunti,
Alternantque vices, sibi quas partitus uterque,
Alter in alterius usum transcribitur, alter
Solis in occasu splendescit, solis in ortu
Alter, et alterni sibi mutua nomina donant;
Hesperus occasum comitatus, Lucifer ortum.
Quomodo mendicat alienum luna decorem,
Cur a luce sua Prœbe demissa, parumper
Detrimenta suæ deploret lucis, at infra
Plenius exhausta totius luminis amplam
Jacturam queritur, sed rursus fratris in igne
Ardescens, nutrit attriti damna decoris,
Perfectos tandem circumfert plena nitores;
337 Quis liget in nube pluviam, cur mugiat aer,
Quis pariat ventos, quis eorum seminet [100] iras
Cur in tot facies exit substantia nubis,
Nunc pluviæ plenæ lacrymis, nunc cana pruinis,
Nunc vestita nivis facie, nunc grandinis arma
Suscipit, et cœli miratur terra sagittas.
Ergo quæ melius legati munus inibit,
Quam Phronesis (28)? cui cuncta Dei secreta loquuntur.
Ergo si nostris vult condescendere votis,
Omnia provenient ut lex deposcit, et ordo
Postulat; et certis claudentur singula metis.
Nec puto quod tanta rerum molimina, tantos
Conatus animi, tanti momenta favoris
Defraudare velit, tantosque refellere quæstus.
Nil dubii superest his concurrentibus; omnes
Aggrediamur opus; melior fortuna sequetur.
Dimidium qui cœpit habet; finisque beati
Gratia principiis semper respondet honestis.

CAPUT IV.

Concordia describitur. Ejus formæ valor, potestas, etc.

Sic animos captat Ratio, mentesque sororum
Allicit, et turbam cogit plus velle volentem.
Sed tamen assensum Prudentia sola minorem
Donat, seque parem tanto negat esse labori.
Cogitur [1-2], illa negat, meruitque negatio cogi.
Fluctuat hæc, se nolle negat, nec velle fatetur :
Inter utrumque volat, nec vult, et nolle veretur.
Dum sic in dubio mens pendet, fluctuat, hæret,
In medium cuncta medians Concordia sese
A Profert, in cujus facie deitatis imago
Splendet, et humani fastidit tædia vultus.
Pacem sponte tenet crinis, flammantior auro,
Se sibi conciliat, nec opem sibi pectinis optat,
Sed sibi sufficiens in tanta pace quiescit;
Ut nec perflantis boreæ suspiria crinem
Sollicitare queant, litisque creare tumultum.
Forma, figura, modus, numerus, junctura [3] decenter
Membris aptatur, et debita munera solvit.
Sic sibi respondent concordi pace ligata
Membra, quod in nullo discors junctura videtur.
Unius vultus, uno contenta colore
Vestis, in ornatum membrorum transit; eisdem
Sic foris aptata, quod eis inscripta putetur.
B Illic arte sua vitam pictura secundam
Donat eis, quos castus amor, concordia simplex,
Pura fides, vera pietas conjunxit, et unum
Esse duos fecit, purgati fœdus amoris.
Nam David et Jonathas ibi sunt duo, sunt tamen unum :
Cum sunt diversi, non sunt duo mente, sed unus.
Dimidiant animas, sibi se partitur uterque,
338 Ut sibi Pirithous se reddat, redditus orbi,
Theseus inferni loca, monstra, pericula tentat,
Vivere posse negat in se, nisi vivat in illo.
Tydeus arma rapit, ut regnet Tydeus alter :
In Polynice suo pugnat, seseque secundum
Dum regnare cupit, sibi poscere regna videtur.
Alter in Euryalo comparet Nisus, et alter
C Euryalus viget in Niso : sic alter utrumque
Reddit, et ex uno comitum pensatur uterque.
Atrides furit in furiis, ejusque furorem
Indicat esse suum Pylades, patiturque Megæram,
Ne patiatur idem Pylades suus alter et idem.
Hæc pictura suis loquitur mysteria signis,
Nec res ipsa magis nec lingua fidelius unquam
Talia depingit, talique sophismate visum
Decipiens oculis, rerum concludit in umbra,
Queis præco solet esse boni pacisque figura.
Virginis in dextra foliorum crine comatus,
Flore tumens, fructus exspectans, ramus oliva
Pubescit, nec matris humi solatia quærit,
Quo mediante vices, nexus, et vincula rerum,
D Fœdus, amicitiam, pacem, concordia nectit,
Verborumque [4] notis [5] succurrens, nutibus illis
Prodit in hæc, verbisque sonum sententia dictat.

CAPUT V.

Concordia loquitur. Enumerantur plurima mala quæ in mundo contigerunt defectu concordiæ.

Si mea jura, meas leges, mea fœdera, mundus
Olim servasset, vel adhuc servaret amoris
Vincula, non tantis gemeret sub cladibus orbis.

VARIÆ LECTIONES.

[100] *Ms. V.*, Terminet. [1-2] Poscitur. [3] Mensura. [4] *Ms. V. sequentem hic interserit versum*
Ad virgæ nutum pacem sibi postulat illa.

[5] Votis.

NOTÆ.

(28) Id est Prudentia.

Non cœnam fratrum, non cœnæ flesset abusum
Phœbus, et errantis naturæ crimina lugens
Noctis abusivæ tenebras legasset in orbem;
Non rex Thebanus, Polynicis frater et hostis,
Exutus fratrem sese mutasset in hostem;
Non patriæ commenta dolos, exuta parentem,
Proprietate scelus redolens, pro matre novercam,
In sua degenerem vertisset viscera dextram.
Trojæ nobilitas, Trojæ decus, inclyta Trojæ
Fama vireret [6] adhuc, nec laudis flore careret;
Non auri potum sitiens, non ebrius auro
Aurum potasset Crassus, male potus in auro;
Non olim civile nefas, non Cæsaris arma,
Non pueri regis animum, non fœdera regni,
Non mortis servile genus, servosque probasset
Magnus, et exanimis, truncatus, nudus honore
Funeris, in nuda solus jacuisset arena.
Post tantos belli strepitus, post fulmina Martis,
Post gladii furias, post tot discrimina, Cæsar
Non fraudes, pugnamque styli sensisset inertem.
339 Cæsaris insultus, belli momenta, furorem
Fortunæ, casusque vices, Antonius olim
De facili posset vitasse, nec uxor adoptans [7]
Mammis serpentes, colubros lactasset (29), et ipsos
Uberibus potans, potasset in ubere mortem.
Ni stabili nexu, concordi fœdere, pace
Perpetua, vicibusque meis elementa ligassem,
Intestinus adhuc strepitus primordia rerum
Dissona concuteret, germanaque bella moveret;
Officiis excepta suis, ignara meatus,
Scabra situ, confusa locis, permista figuris,
Fortuitis agitata modis, elementa jacerent.
Et nisi sponte meis obnoxia legibus essent
Astra poli, cœlique vices, septemque planetæ,
Ordine, pace, fide, numero, nexuque ligati,
Omnia fortuitis fluerent incerta ruinis.
Ni mea corporibus animas junctura ligasset
Dedignans habitare casas, ergastula carnis
Spiritus egrediens proprios remearet in ortus.
Hæc probat, hæc fatur, hæc disputat, hæc docet, ista
Ostendit ratio quod nil servatur in esse,
Quod servare meas leges et jura recuset.
Nos ergo liget unus amor, liget una voluntas,
Unum velle liget, liget unum nolle, sorores.
Cætera sic pacis normam servare tenentur
Nos magis, ad quarum nutum disponitur orbis,
Quas penes arbitrium, jus est, et regula mundi.
Quis nexus, quis verus amor, quod fœdus amoris,
Quæ pietas, quæ pura fides, quæ linea recti,
In rebus reliquis saltem vestigia pacis
Servabit, si nostra manet concordia discors?
Defluet in membra capitis jactura dolentis.
Defluet in ramos vitium radicis amaræ.
A Defluet in rivos tabes cognata fluento.
Quis lunæ splendor, si solis lumen oberrat?
Quis rivi fluctus, si copia fluminis aret?
Quis grani fructus, si torrens [8] languet arista?
Si nostram pacem discordia dissuit, imo
Rumpit, nostra perit virtus; nam stare negatur
Occasum patiens, in se divisa potestas.
Cum nobis donet consensus [9] robur adultum,
Dissensus noster vires exhauriet istas.
Effectus medicina suos divisa recusat.
Quem sibi distribuunt rivi, minus amnis inundat,
Vel divisa minus candescit flamma camini.
Acrior insultus vitiorum pugnaque major
Nobis incumbet, si nos diviserit error.
B Postquam cæmenti rumpit discordia muros,
Hostili pugnæ muros exponit inermes.
Acrius insultat sævitque profundius ensis,
340 Consertæ partes vi nulla repagula donant,
Nec series harum conserta recalcitrat ensi.
Acrius in volucrem Jovialis fulminat ales,
Cum plebem volucrum venientis disgregat horror.
Uberius torrens effunditur, obice nullo
Defendente viam, fluvioque negante meatum.
Ergo concordes votum curramus in unum,
Quod natura petit, ratio commendat, honestas
Approbat, imo cupit, pietas deposcit et optat.
Nec phronesis sola, distans, contraria, discors [10],
Nos omnes pacis conformi lege jugatas
Dividet in partes, ut amoris vincla relaxet:
C Sed potius constans, congaudens, consona, concors
In nostram veniet mentem, ne victa labore
Cedere credatur citra præludia luctæ;
Vel tumido flatu perflare superbia mentem,
Vel sibi livor edax animi mordere recessus.
An quæ sola solet bona poscere, sola recidet
Hoc commune bonum? nostrum decus? utile votum?
Nos omnes quæ sola libens, et sponte movere
In tantum deberet opus, tantumque favorem,
Si flammata minus torperet nostra voluntas,
Nec tantum vellet animus conscendere noster.

CAPUT VI.

D *Prudentia verbis Concordiæ accensa, legationem assumit. Currus ædificari ordinatur. Septem designantur artes liberales.*

His verbis accensa magis Prudentia mentem
Sistit, et in certo figit vestigia mentis.
Tempestas animi moritur, fluctusque recedunt,
Velle suum commune facit cum velle sororum.
Cogitat, exquirit, studet, invenit, eligit: ergo
Quæ via, quis callis, quæ semita, rectius ipsam
Deferet ad superos, arcanaque regna Tonantis?
Utque minus possit gressus vexare viantis

VARIÆ LECTIONES.

[6] Vigeret. [7] Adaptans. [8] *Ms. V.* Torpens. [9] Assensus. [10] Distans contraria, dissona, discors.

NOTÆ.

(29) Cleopatra designatur.

Limitis asperitas, pes scandala nesciat, imo
Ut citius possit munus complere quod instat,
In quo percurrat cœlum, mare, sidera, currum
Imperat excudi sapientia, nec pede lento
Affectum sequitur affectus, sed simul instant.
Nascitur effectus, cum nascitur ipsa voluntas.
Sic matri prolique simul conceditur ortus.
Cautæ, prudentes, pulchræ, similesque puellæ
Septem, quæ vultum sub septem vultibus unum
Reddunt, quas facies, genus, ætas, forma, potestas
Una tenet, tenet una fides, tenet una voluntas,
Assistunt Phronesi, Phronesis decreta sequuntur,
Ejus in obsequio semper fervere paratæ.
Tot dotes in eas effundunt dona sophiæ,
Quot sese totam prudentia fundit in illas,
Se partitur eis, sibi thesaurizat in illis.
Sic divisa, tamen manet integra, sparsaque tandem
341 Colligitur, diffusa redit cum fœnore multo.
Delegans vultus in eam mentisque latebras,
In vultu velut in speculo chorus iste sororum
Conspicit, attendit, discit, notat, atque docetur,
Quidquid charta tenet, quidquid mens concipit, audet
Lingua loqui, totamque bibit sine fine sophiam.
Quod manus artificis, pictoris gratia, fabri
Dextera, sculptoris solers industria poscit.
Ut Zeuxis pingit chorus hic, ut Milo figurat,
Ut Fabius loquitur, ut Tullius ipse perorat,
Ut Samius sentit, sapit ut Plato, quærit ut Hermes,
Dividit ut Socrates, ut Zeno colligit, instat
Ut Brisso, studet ut Crisias, speculatur ut Argus,
Temporis excursus ut Cæsar cogit, ut Atlas
Sidera perquirit, ut Zetus pondera librat,
Tanquam Chrysippus numerat, metitur ut alter
Euclides, canit ut Phœbus, citharizat ut Orpheus,
Circinat ut Perdix, ut Dædalus erigit arces,
Fabricat ut Cyclops, ut Lemnius arma monetat,
Instruit ut Seneca, blanditur ut Appius, urget
Ut Cato, succendit ut Curio, velat ut alter
Persius, ut Crassus simulans, ut Julius alter
Dissimulans, ut Soldius implicat [11], explicat idem
Ut Naso, vernat ut Statius, ut Maro dictat.
Concipit, exponit, imitatur, gestat, adimplet
Mercurii sensus, nostri Demosthenis iras,
Ovidii flumen, Lucani fulmen, abyssum
Virgilii, morsus Satyræ, Solonis asylum.

CAPUT VII.

Artes liberales designantur. Artibus liberalibus injungitur ædificatio currus Prudentiæ. Grammatica facit temonem in curru Prudentiæ. Grammaticæ fructus. Grammaticæ natura et usus.

Ergo Minerva [12] videns tanto splendore Sophiæ,
A Tot donis, tantisque datis, splendere sorores,
Ordinat, injungit, jubet, imperat, orat, ut instans
Quælibet istarum comitum, comitante Sophia,
Corpore, mente, fide, studeat, desudet, anhelet,
Instet, et efficiat, ut currus currat ad esse,
Quo terræ spatium, mare, nubila, sidera, cœlum,
Transeat, et trini superato cardine cœli
Scrutetur secreta noys (30), sensusque profundos
Hauriat, et summi perquirat velle magistri.
Vix satis expressit votum, cum vota jubentis
Certatim complere student, seseque sorores
Accingunt operi, non mens discordat ab actu,
Non a mente manus, sed eam delegat in actum
Affectus mentis : manus ergo prædicat extra
Quod mens intus habet ; sic mentis lingua fidelis
B Fit manus, et proprio mentem depingit in actu.
Harum prima studet, ut temo præambulus axis,
Et quasi venturi quædam præfatio currus,
342 Prodeat, ut tanti sit pars primæva laboris.
Illa vigil, studiosa, libens, attenta, laborans,
Indulgens operi, mentem deducit in actum.
Non habitu vilis, non vultu sordida, gestu
Degener, incompta verbis, vel barbara factis :
Sed tamen in vultu præscribit signa laboris
Pallor ; sed modicus, qui non proscribit in ore [13]
Purpureos ignes, niveique caloris [14] honorem,
Cum flos virgineus non defloretur in illa,
Nec proprium frangit [15] Veneris fractura pudorem:
Sunt tamen in multo lactis torrente natantes
C Mammæ, subducti mentitæ damna pudoris.
Dum suspirat adhuc lactantis ad ubera matris,
Infantem cibat iste cibus, liquidoque fovetur,
Quem solidum non pascit adhuc, dum pocula lactis
Lactea delibat ætas, potuque sub uno
Et cibus et potus in solo lacte resudat.
Asperat illa manum scutica, qua punit abusus,
Quos de more suo puerilis combibit ætas.
Verberibus sic asperat ubera, verbera mollit
Uberibus ; facto pater est et mater eodem.
Verbere compensat patrem, gerit ubere matrem.
Officio scalpri servit manus altera, dentes
Liberat a scabie, dum buxum dentis in ipsum
Vertit ebur, rursusque suo candore venustat.
D Vel si dens aliquis aliorum de grege solus
Deviet, excessum sub justa lance recidit.
Infantes docet illa loqui, linguasque ligatas
Solvit, et in propriam deducit verba monetam.
Candida Niliaco vestis contexta papyro
Vestit eam, formæ non detrahit illa, nec illi
Forma nocet : cultus formæ connubia gratæ
Nectunt, et sese proprio venerantur honore.
Vestibus his inscripta manent, descripta resultant

VARIÆ LECTIONES.

[11] *Ms. R.*, Sol dum duplicat. [12] Minerva, disciplinarum Dea, vulgo Pallas. Sumitur etiam pro ingenio, vel natura, ut, invita Minerva, aliquid facere repugnante natura. [13] *Ms.*, ab ore. [14] Coloris. [15] Frenat.

NOTÆ.

(30) *Intellectus* seu *intelligentia*.

Artis grammaticæ virtus, natura, potestas,
Ordo, materies, pars, finis, nomen, et auctor,
Officium, species, genus, instrumenta, facultas.
Illic imperium datur arti, regula regnat,
Exsilium patitur vitium, veniamque mereri
Nescit, grammaticæ patiens sine fine repulsam
Defendens sese propria ratione figura
Excubat ante fores artis, veniamque precatur :
Ars admittit eam, veniam largita precanti,
Nec fovet in gremio, sed tantum sustinet illam.
Hic docet ars, monstrat ratio, doctrina fatetur,
Littera cur simplex, cur indivisa vocetur,
Cur sibi mendicet elementi littera nomen,
Vel tropice soleat elementum littera dici ;
Quæ pingant elementa notæ, quæ nomina signent,
Quis claudat numerus, quis congruat ordo, potestas
343 Quæ sit, et has species certo sub canone claudit :
Cur tenui dejecta sono poscentia vocem,
Cætera mutescant, verum vocalis aperte
Clamitet, et reliquis vocis spiramina donet ;
Qua ratione, quibus causis, *h*, littera non sit,
Cum sibi prætendat scripturam, nomen, et usum ;
Sed cifri loca possideat, solaque figura
Jus sibi defendens elementi præferat umbram :
Qualiter in metro secum rixata liquescat
Vocalis, vocisque suum deperdat honorem.
Qualiter in metro nativas littera vires
Perdit, et ad tempus languet præscripta potestas.
Qualiter in metro vires et jura duarum
Vindicat una sibi, redimendo damna sororum.
Quomodo diversas species vox induit una,
Quam gravis accentus infra demittit, acutus
Erigit, in gyrum fert circumflexus eamdem.
Quidve sibi proprium defendit littera, quidve
Syllaba, quid proprii juris sibi dictio servat,
Quid proprie proprium nomen sibi vindicat, aut quid
Appropriat verbum sibi, quid pronomen adoptat,
Quid reliquæ partes proprio sibi jure reservant.
Quid nomen proprie designat, quid peregrine
Insinuat, quid verba notant, pronomina signant,
Cum subjecta notent, cur sic pronomina formæ
Dedignentur opem, quod demonstratio sola
Subveniat formæque vicem compenset in illis.
Qua ratione regat pars partem, quave regatur.
Cur nomen substans aliis, vel cætera pingens
Materiæ gerat officium, formamve figuret,
Verbi cur redeat in se vel transeat actus.
Fœdus amicitiæ cur verbis nomina servent,
Et verbo junctum solvat sua debita nomen,
Quæ nisi conveniat, oratio muta tacebit [16],
Nec plenos sensus vox decurtata loquetur.
Cur partem capiens ab utroque dependat utrique
A Dictio quod debetur ei, sic reddit utrumque
Quod neutrum, mediumque tenens mediatur utrimque,
Cur reliquæ partes istas venerentur et istis
Sese submittant, nec eis servire recusent.
Hæc artis series seriatim picta propinat
Delicias oculis, et menti fercula donat.
Nam pictor prædoctus eam descripserat, imo
Plus pictore potens picturaque clamitat illum.

CAPUT VIII.

Grammatica rudem materiam adaptat operi. Grammaticæ auctores. Donatus. Aristarchus. Priscianus. Grammatici solo cortice gaudent.

B Aggrediens proprium virgo præfata laborem,
Non oneris concussa metu, non fracta labore,
Ad proprium desudat opus, multumque rebellis
Materies tandem sequitur superata volentem.
344 Nam prædicta jacent ad tempus, et otia servant.
Instrumenta, quibus pueriles excolit annos,
Et mentita fabrum fabrilibus utitur armis,
Materiæ fluxum superat, cogitque negantem
Materiam servire sibi, lignique rigorem
Edomat, et lignum temonis imagine vestit.
Hic ortu sculptura novo, vitaque recenti
Grammaticæ locat artifices, et cudere cogit.
Illic Donatus rhetor [17], patronus, et hæres,
Grammaticæ præcepta docens, vitiumque recidens,
C Doctrina, verbis, studio, ratione, figura,
Ampliat, extollit, ditat, defendit, honestat,
Grammaticam, nomenque sibi speciale meretur,
Ut non grammaticus dicatur : at emphasis ipsam
Grammaticam vocat hunc, signans sub nomine numen.
Noster Aristarchus donaria fundit in artem
Grammaticam, cujus thesauros ampliat, auget
Divitias, viresque suas mensurat in illa.
Partes grammaticæ dissutas cogit in unum
Dindimus, et propriis describit singula formis.
Grammaticæ tractus pertractat apostata noster,
Pigrius in dictis torporis somnia passus,
In scriptis errans propriis aut ebrius esse,
Aut magis insanus, aut dormitare putatur.
D Claudicat ille fide, ne fama claudicet ejus
Tractatus, venditque fidem, ne præmia libri
Depereant, erratque fides ne rumor aberret.
Solos artifices quos fama beavit adulta
Laude, nec a fama discessit gloria facti,
Hæc sculptura tenet, minime dignata fateri
Grammaticos humiles, qui solo cortice gaudent :
Quos non admittit intus pinguedo medullæ,
Sed foris exposcunt fragmenta, putamine solo
Contenti nuclei nequeunt gustare [18] saporem.

VARIÆ LECTIONES.

[16] *Ms. A.*, tabescit. [17] Rector. [18] Libare.

345 LIBER TERTIUS.

CAPUT PRIMUM.

Virgo secunda Logica est. Logica axim facit in curru Prudentiæ. Logicæ facies, habitus, etc. Logicæ ars qualis. Sophista fraudes detegit. Logicæ usus. Quomodo ex ferro axim conficiat. Auctores logicæ: Porphyrius, Aristoteles, Zeno, Boetius.

Latius intendens [19], solers, studiosa, laborans,
Virgo secunda studet, intrat penetralia mentis,
Sollicitatque manum, mentem manus excitat, urget
Ingenium, sensus proprios invitat, ut axis
Effigiet speciem, multoque secundet honore;
Ut nec materiæ, nec formæ laude secundus
Cum temone suo contendens disputet axis,
Imo præcellens specie concludat eidem [20].
Et decor et species afflasset virginis artus,
Sicut præsignis membrorum disserit ordo,
Ni facies quadam macie respersa jaceret.
Vallat eam macies, macie vallata profunde
Subsidet, et nudis cutis ossibus arida nubit.
Hæc habitu, gestu, macie, pallore, figurat
Insomnes animi motus, vigilemque Minervam
Prædicat, et secum vigiles vigilasse [21] lucernas.
Quodam litigio contendens crinis in ima
Deviat, et secum pugnans rixatur inepte.
Non pecten castigat eum, non forcipis urget
Morsus, tonsuræ non mordet apocopa finem.
Dum stellis oculi certant, ardere putantur,
Succumbunt aquilæ visus, et lyncis adorant
Intuitus, oculos tales seseque fatentur
Devictos, et eis sese conferre verentur.
Dextra manus floris donatur honore, sinistram
Scorpius incidens caudæ mucrone minatur.
Mel sapit ista manus, fellis gerit illa saporem.
Hæc spondet risum, fletu concluditur illa.
Hæc capit, illa fugat; hæc afficit, inficit illa.
Hæc ferit, hæc mulcet; hæc ungit, pungitur illa.
Non sordis squalore jacens, non luce superba,
Vestis erat medium retinens, utrimque reducta [22].
Illic arte nova pictor novus, histrio veri,
Monstrat elenchorum pugnas, logicæque duellum:
Qualiter ancipiti gladii mucrone coruscans
Vis logicæ veri facie tunicata recidit
Falsa, negans falsum veri latitare sub umbra.
Cur pseudologicus artis fur, artis adulter,
Falsus et hypocrita, furtivus prædo, sophista,
Mentitur logicæ vultum, fretusque quibusdam
Prodigiis tentat pro vero vendere falsum.
Quid locus in logica dicatur, quidve localis
346 Congruitas, quid causa loci, quid maxima, [quid sit
A Vis argumenti, manans a fonte locali.
Cur argumentum firmet locus, armet elenchum
Maxima, quæ vires proprias largitur elencho.
Quomodo materia vel forma peccat elenchus,
Et sola facie larvam prætendit elenchi.
Cur ex præmissis conclusio nata loquendo
Quæ præmissa velint vultu signetur eorum.
Cur liget extremos medius mediator eorum
Terminus, et firmo confibulet omnia nexu.
Cur decurtati species nascatur elenchi,
Quando vel apheresis vel syncopa curtat elenchum.
Qualiter usurpans vires et robur elenchi.
Singula percurrit inductio, colligit omne,
Sed tamen inferior sese submittit elencho.
Qualiter exemplum de se parit, imo recisa
B Parte sui curtata parens sibi pignora gignit.
Qualiter est munita locis ars ipsa localis;
Nec tamen est conclusa loco, cum non loca quærat,
Imo locum, capiatque locos ignara locorum.
Quomodo definit, partitur, colligit, unit
Singula, quæ gremio complectitur illa capaci.
Quomodo res pingens descriptio claudit easdem,
Nec sinit in varios descriptum currere vultus.
Quid genus in species divisum separat, aut quid
Dividit in partes totum, rursumque renodat,
Quæ sunt sparsa prius, divisaque cogit in unum.
Qualiter ars logicæ tanquam via, janua, clavis,
Ostendit, reserat, aperit secreta sophiæ.
Qualiter arma gerit, et in omni militat arte,
C Ascribitque sibi causas et damna sororum.
Qualiter hæc reliquas defendit, ditat egentes,
Roborat infirmas, elingues instruit, ornat
Incomptas, torpentes excitat, armat inermes.
Qualiter hæc purgat vitium, fæcemque repellit,
Si quid inest fæcis, vitium ne deroget arti.
Qualiter incudem servat, ne falsa monetet
Argumenta sibi furtiva fraude sophista.
Hæc expressa tenet [23] inscriptio vestis, ut artem
Et proprios pugiles et luctam poscere credas.
Hunc habitum, gestum, formam, speciemque puella
Prætextata gerit, sed florem dextra resignat
Ad præsens, aliisque vacat, serpensque sinistram
Exit, et ad majus urget manus utraque votum.
Virginis ergo manus ne torpor inebriet, assunt
D Instrumenta fabri manibus, quæ Lemnius [24] ipse
Commodat, et propriis illi deservit in armis.
Ergo se totam concedens virgo labori
Duritiem ferri tentat mollire, rigorem
Flectere, torporem delere, fugare stuporem,
347 Ut ferri delicta domans exemplet in axem.

VARIÆ LECTIONES.

[19] *Ms. R.*, eundem. [20] *Ms.*, inquirens. [21] *Ms. R.*, vigilare. [22] Redacta. [23] *A. Ms. R.*, descriptio.
[24] Lemnius dicitur Vulcanus.

Materiam ferri vultu meliore figurans.
Nunc ignis demollit eam, nunc malleus ipsam
Flectit, et ad cultum ferri suspirat uterque.
Sic ferrum ferro contendit, ut excolat illud,
Ut socium venerans sese veneretur in illo.
Post multum sudoris opus, post prælia luctæ
Insultum ferri vincit labor improbus, aufert
Nequitiam, motumque ligat, rixamque retundit,
Materiem ferit in formam, vestitque figura:
Et quæ jam fuerat discors, rudis, hispida, torpens,
Temperiem, formam, cultum, motumque resumit
Materies, axisque gerit formata figuram.
Picturæ series cum fama prædicat illic
Auctores logicæ, quos donat fama perenni
Vita, nec sepelit illos quos terra sepultos
Velat, sed recolens defunctos suscitat orbi.
Illic Porphyrius directo tramite pontem
Dirigit, et monstrat callem quo lector abyssum
Intrat Aristotelis, penetrans penetralia libri.
Illic Porphyrius arcana resolvit, ut alter
Œdipodes nostri solvens ænigmata sphingos.
Verborum turbator adest, et turbine multos
Turbat Aristoteles noster, gaudetque latere.
Sic logica tractat quod non tractasse videtur;
Non quod aberret in hoc, sed quod velamine verbi
Omnia sic velat, quod vix labor ista revelet.
Qui tamen idcirco vestit sua dicta latebris,
Ne sua prosternat secreta, suumque relinquens
Arcanum vulgo tandem vilescere cogat.
Nam sua secreti majestas vilet, et omni
Privatur splendore sui, si publica fiat:
Nam res vulgatæ semper fastidia gignunt.
Ex re vulgata contemptus nausea surgit.
Zeno pugil logicus, logices athleta, sophiæ
Rex et ductor adest, logicæ sibi prælia quærens,
Illius nudat latebras imosque recessus.
In lucem tenebrosa refert, nova ducit in usum,
Excusatque tropos, in normam schema reducit,
Exerit ambiguum Severinus; quo duce linquens
Natalem linguam, nostri peregrinat in usum
Sermonis logicæ virtus, dicatque Latinum.

CAPUT II.

Virgo tertia est Rhetorica. Rhetorica describitur. In dextra gerit tubam, in sinistra cornu. Rhetoricæ officium et usus. Rhetoricæ orationis partes. Cicero, de Rhetorica optime meritus.

Non cultu facieque minor, non arte secunda
Tertia virgo, suo non fraudat munere currum.
Evocat exterius mentem, studioque vocatam
Destinat, atque manus animo ducente gubernat,
Supremasque manus apponit, opusque sororum
Perficit, atque semel factum perfectius ornat.
Excolit illa gradu supremo, quæ positivo
348 Facta gradu fuerant, sed non augmenta su- [perni
Finis contigerant, gradibus contenta secundis.
Nec mirum, si facta prius perfectius ornans
Perficit, et factum cultu meliore venustat,
Cui magis arridet species et gratia formæ,
A Quæ comites multa pictoris prævenit arte,
Totam pictoris artem sub pectore claudens.
Exemplans auri speciem, miraque politus
Arte jacet crinis, investit colla capillus,
In vultuque natat color igneus, ignis in ore
Purpureus roseo vultum splendore colorat.
Sed parti vultus candor peregrinus inhæret,
Nativoque suum certat miscere colorem.
Nunc vario fluctu lacrymarum vultus inundat,
Nunc vultum varii risus aurora serenat,
Abstergens fletus lacrymas; nunc virgo severos
Prætendit vultus cum majestate rigoris.
Nunc oculus sursum lumen delegat, in imum
Nunc cadit hujus apex, nunc totum lucis acumen
In latus obliquans anfractus quærit et umbram.
B In dextra gerit illa tubam, cornuque sinistram
Donat, et in cornu signat præludia belli.
Claudit eam vestis, quæ picturata colore
Multiplici ridet varios induta colores.
Hic pictoris ope splendet pictura coloris
Rhetorici, sic picturam pictura colorat.
Hic velut in libro legitur quis finis et auctor,
Forma, vel officium, quæ causa, quis ordo, quod [artis
Rhetoricæ proprium, quæ virtus, qualiter instans,
Nunc tonat illa minis, nunc verbi luce coruscat,
Nunc pluit illa preces, nunc laudibus imbuit au- [rem.
Quid causæ genus efficiat, quo tendat, et ad quem
C Deveniens finem deliberet utile, justum
Judicet, affirmet rectum, demonstret honestum,
Quæ partes artis, quis earum texitur ordo.
Qualiter in primis ars invenit, ipsaque tandem
Ordinat, eloquitur, memorat, pronuntiat, ut sic
Ordine legitimo sibimet respondeat ordo.
Quas vel quot partes oratio rhetoris in se
Contineat, vel qua serie texantur in illa.
Quomodo principium mentem movet, erigit aurem,
Excitat auditum, cor judicis apparat illi,
Quo magis attentus, docilis magis, atque benignus
Redditur auditor, et mentem dedicat auri.
Quomodo sub brevibus verbis narratio verum
Explicat, aut latitans veri sub imagine falsum.
Qualiter in summa partitio colligit omne
D Quod sequitur, dispersa legens, diffusa coarctans.
Qualiter in partem faciens assertio nostram
Argumenta notat, probat, exprimit, astruit, infert.
Qualiter appositam ferit infirmatio partem,
349 Destruit, infirmat, dissolvit, dissipat, urget.
Quomodo concludens conclusio singula, fine
Legitimo claudit, sistens sermonis habenas;
Quæ factum, factique genus, nomenque requirat
Quæstio, diversis rationum nixa columnis;
Quæ lis de facto certet, quæ quæstio juris,
Quæ vel quot species, quæ simplex, quæve relata,
Quæve relativæ partes; cur astruat illa
Criminis objectum, hæc transferat, illa repellat,
Comparet hæc, æqua librans incommoda lance;
Qualiter assumat contentio robur utrinque,

Cum lex rixatur sociæ contraria legi,
Vel contra scriptum discors sententia pugnat,
Vel parit in scripto dubium sententia duplex;
Vel quando nomen describi possit, ut ipsum
Nominis ambiguum descriptio certa resignet;
Vel cum jure loci, personæ, temporis ipsa
Quæstio se transfert, alios motura tumultus;
Vel si contendat contentio nescia certæ
Legis, et a simili rationis robora sumat;
Quomodo personis accommoda roboris arma
Dant argumentis, sed falso robore nutant
Nomen, natura, virtus [25], fortunaque vultus
Prætendens dubios, habitus, affectio, fallax
Consilium, studia, casus, oratio, factum.
Eventum quæ contineant, quid gestio facti
Contineat, facto quæ sint adjuncta, vel ipsum
Ut res deposcit solito de more sequantur.
Quis modus in facto, vel quæ complexio facti,
Quis locus, aut tempus, occasio, causa, facultas,
Hanc artis gerit effigiem pars unica vestis.
Sed tamen artificum loquitur pars altera formas.
Illic rhetoricam sibi soli Marcus adoptat,
Imo parit, quare Ciceronis filia dici
Ars merito poterit quam gignit Tullius, a quo
Ars ortum ducens censeri Tullia posset.

CAPUT III.

Rhetoricæ auctores alii : Quintilianus, Symmachus, Sidonius. Rhetorica temonem in curru Prudentiæ ornat gemmis et argento. Axi quoque varios flores insculpit.

Illic multiplici præsignit carmina flore,
Sermonisque notas enodius effricat omnes.
Quintilianus adest, quadam sub imagine veri
Causarum velans umbras, litesque novellas
Fingit, et in litem cogit sine lite venire.
Symmachus in verbis parcus, sed mente profundus;
Prodigus in sensu, verbis angustus; abundans
Mente, sed ore minor, fructu non fronde beatus,
Sensus divitias verbi brevitate coarctat.
Illic Sidonii trabeatus sermo refulgens
Sidere multiplici splendet, gemmisque colorum
Lucet, et in dictis depictus pavo resultat.
350 Nunc tenuem gracili meditatur arundine musam,
Nec tamen exsanguis sermo jejunia luget;
Nunc mediam, nec in ima ruens, nec in ardua turgens.
Nunc tonat altiloquis describens seria verbis,
Nec tamen inflato tumidus crepat ille boatu.
Hoc cultu festiva suam non detrahit artem
Virgo, sed in cultus ejus factura redundat.
Gemmis stellatam speciem temonis inignit,
Argento sparsim temonem vestit, et ipsi
Ligni materiæ, quæ pollet honore minori,
Externus succurrit honor, redimitque minorem.
Ligni primævos ortus, omnesque querelas
A Splendor adoptivus sepelit, lignique venustas
Exsulat, et primos sic obliviscitur ortus.
Ergo temonem gemmarum sidus inaurat,
Imo diem verum reddit lux ista, diesque
Materiæ debet; nam lux nativa diei
Lumen adoptivum ligni miratur adorans.
A simili variis inscribit floribus axem
Virgo, flore novo cogens juvenescere ferrum.
Et quamvis ferrum soleat torpere rigore
Frigoris, et brumæ soleat redolere pruinam;
Hoc hiemem nescit, frigus natale relinquens,
Usurpatque sibi risus et gaudia veris,
Et faciem prati prætendit imagine florum.
Dum sic temonem gemmis, et floribus axem
Exhilarat virgo, cumulum largita decoris;
B Pingentis calamo cedit tuba, cedit et ipsum
Cornu, sicque duo sumunt sibi jura duorum.

CAPUT IV.

Quarta soror est Arithmetica. Ejus forma, opus, etc. Ejus vestimenta. Arithmeticæ usus. Arithmetica conficit primam rotam in curru Prudentiæ. Arithmeticæ auctores : Nicomachus, Gilbertus, Pythagoras, Chrysippus.

Quarta soror sequitur, quartæ rota prima sororis
Est opus, huic operas operose dedicat illa.
Et quamvis hæc quarta foret, tamen esse secundam
Se negat in facto, contendens prima vocari.
Ergo decora, decens, gracilis, subtilis, acuta,
Pollet, et in vultu monstratur copia mentis.
C Nam vultus noster liber est, et littera cordis
Nuntius, interpres verax, animique figura.
Solliciti vultus, animi prudentis, honesti
Cultus, attenti speciem formamque modesti
Hoc gerit, et sexum transcendit mente virili.
Non ejus roseos hic incolit [26] advena vultus,
Sed color indigena regnat, nec purpura vultus,
Secum furtivi patitur fermenta coloris.
Demittit caput in terram, nec lubrica sensus
Venatur, menti cedens agit otia visus.
Mensam Pythagoræ, quæ menti pabula donat,
Delicias animi sapiens, non corporis escas,
Sustinet una manus, pugnas manus altera monstrat.
351 Agmina disponit numerorum, prælia fingit
D Indicat insultus varios, numerosque rebelles,
Tandem, subtili concludit bella triumpho.
Ex bysso contexta, suo vestita decore
Vestis sidereos investit virginis artus.
Materies subtilis erat, subtilius ipsam
Materiam præcellit opus, sic prævenit usus
Naturæ vires, naturaque vincitur arte.
Hic pictura loquens scripto, clamansque figuris,
Muta tamen totam numerandi prædicat artem :
Quæ numeri virtus, quæ lex, quis nexus, et ordo,
Nodus, amor, ratio, fœdus, concordia, limes.
Quomodo concordi numerus ligat omnia nexu,
Singula componit, mundum regit, ordinat orbem,

VARIÆ LECTIONES.

[25] *Ms. V.*, victu. [26] *Ms. R.*, color incolit.

Astra movens, elementa ligans, animasque maritans
Corporibus, terras cœlis, cœleste caducis.
Quomodo nascendi [27] mundo rebusque creandis
Principium, finis, exemplar, forma, sigillum.
Hic erat, ad cujus formam deitatis idea
Impressit rebus formas, mundoque figuram.
Quomodo principium numeri, fons, mater, origo,
Est monas, et numeri de se parit unica turbam.
Quomodo Virgo parit, gignens manet integra, simplex
Sese multiplicat, de sese gignit, et in se
Incorrupta manet, partus imitata parentis.
Quis numerus numerans censetur, quis numeratus,
Quis repetit, quis distribuit, quis colligit, aufert,
Addit, et a primo radices extrahit ortu.
Quo juris merito, vel qua ratione vocetur
Femina par numerus, impar mas, virgo Minerva,
Cur animam cœlum, rationem gaudia, vitam
Impare sub numero prudentum dogma figuret;
Cur corpus, terram, sensum, lacrymabile, mortem,
Par numerus signet, pejoraque fata loquatur.
Quis numerus punctum, quis linea, quisve figura
Plana, vel æquorum laterum, quis sphæra vocatur,
Quis quadrus, vel quis solidus, quis pyramis, aut quis
Cyclicus est, a se qui circumflectitur in se.
Quis numerus propriis completur ductibus [28], aut quis
Vel partes superat, vel ab his superatus abundat.
Quæ numerum numero concordia nectit, et unde
Provenit, ut vicibus mediis extrema ligentur.
Cur quo quadrati medio nectantur in uno,
Vel solidos nectat mediis junctura duobus.
Hoc igitur cultu virgo præculta, laboris
Pondera non fugiens, ne pondere pondus honoris
Effugiat, dum vitat onus ne vitet honorem.
Robur virgineum cumulo virtutis et arte
Transgrediens superat, vir sensu, femina sexu.
Sic vir, sic mulier, animo non illa, sed ille est.
352 Nec motu subito quod concipit, exprimit actu,
Nec quod mens gignit, subitos [29] deducit in actus:
Ne sic conceptum pariat mens ipsa, priusquam
Formam suscipiat conceptus mentis in alvo,
Vel firmum capiat mentis matrice sigillum;
Nutritumque diu rationis fomite vivat;
Fetus abortivus subitum decurret in ortum,
Nec vita dignus proprio morietur in ortu,
Vel vivens saltem lugebit crimina formæ.
Ergo legitimo ne partus mentis ab ortu
Deviet, et nullam dicat de matre querelam,
Mens gignit, nutrit ratio, quod parturit actus,
Fabricat in thalamo mentis mentale, priusquam
A Materiale foras opus evocet, ergo labore
Mentis, et artificis animi, studiique favore
Erigitur rota mentalis, post materiali
Effigie describit eam; sic mente priorem
Concipit ut pariat, actu parit illa secundam.
Instrumenta prius manibus præfecta relinquens
Ingreditur latomi studium, domat arte rigorem
Marmoris, et primum partes complanat ad unguem.
Scrupulus in planum descendit, surgit in æquum
Vallis, et in curvum demittitur angulus, orbis
Planitiem claudit, planumque reducit in orbem.
Sed tumor in medio surgens supereminet, imo
Sic in supremum tendens non deserit imum.
B Partibus in curvum ferro mediante redactis
Exhaurit partes virgo, marmorque fenestris
Distinguens, totum spatiis intersecat orbem,
Collocat in medio centrum, mediumque coronat
[30] Multiplici radio, quem latus circinat orbis.
Hic pictura docet auctores, qui numerandi
Invenere vias, artem docuere jacentem.
Illic Nicomachus prædicta ludit in arte,
Et quasi per numeros rerum secreta prophetat.
Illic castra tenet, et eadem miles in arte
Gilbertus saltu fallaci transilit artem.
Pythagoras propriæ menti convivia donans,
Non carni; satians animos, non corpora pascens,
Certis ascribit numerorum legibus ortus,
Esse, vices, causas, motus, et vincula rerum.
C Indulget numeris tanto Chrysippus amore,
Ejus ut in verbo numerus factisque resultet
Semper, et in somnis illum numerare putares.

CAPUT V.

Musica est quinta soror. Musicæ habitus. Musicæ auctores. Musicæ efficacia. Musica secundam rotam facit in curru Prudentiæ. Michalus doctor musices.

Quinta soror quartæ similis, gerit ore priorem.
Pingit eam cultu, factoque recurrit in illam.
353 Nec vacat a simili studio, sequiturque sororem.
In studiis exemplat eam, factumque sororis
Respiciens ejus facto sua facta sigillat;
Et quam jamdudum fecit natura sororem,
D Fit soror in facto, cumulans jus omne sororis [31].
Namque docet ratio, jus postulat, exigit ordo,
Ut fateatur opus id quod natura fatetur.
Pro speculo vultum gerit hæc, præclara tuenti.
Nam quicunque videt vultum, se visus in illo
Cernit, et in speculo vultus [32] epulatur ocellus.
Dum citharam manus una gerit, manus altera chordas
Sollicitat, dulcemque soni parit illa saporem,
Auri dans epulas, oculisque procœmia somni.

VARIÆ LECTIONES

[27] *Ms. A.*, nascenti. [28] *Ms. V.*, partibus. [29] *Ms. A.*, subito. [30] *Ms. A., hic interserit novemdecim versus qui habentur infra capite* v *in fine; convenientius tamen ibidem relinquimus, cum ms. R.* [31] *Ms. A.*, decoris. [32] Vultum speculatur.

Quo cantu lapides mollescere, currere silvas,
Flumina stare, feras mitescere, cedere lites,
Jussit Threicius vates, fractoque rigore
Compulit Eumenides lacrymis, Ditemque coegit
Esse pium, Furiasque suum nescire furorem.
Quo cantu Tyrios montes in mœnia vertit
Amphion sic saxa domans; quod nulla securis
Edomuit rigidas cautes, quas sola domare
Vox citharæ meruit, tenuitque silentia ferrum.
Insigni vestita toga se pacis alumnam
Esse puella docet, nec quærere fulgura belli.
Illic picturæ ridens lascivia ludit,
Schemate sub vario monstrans quid musica possit,
Quæ sint vincla, quibus compaginet omnia nodis,
Quæ species artis, quæ musica colligit horas,
Distinguit menses, locat anni tempora, cogit
Excursus, elementa ligat, jungitque planetas,
Astra movet, variatque vices, quæ musica nectit
Corporis humani partes, mundumque minorem
Ordinat, et specie mundi melioris honorat :
Ut sic pygmæus fraterculus esse gigantis,
Majorisque minor mereatur imagine pingi.
Quæ partes animæ sociat, quæ fœderat illam
Euphrosyne, firmatque fidem [32*], quæ musica voces
Dividit, et numerus variat discrimina vocum.
Quæ ratio, cur omne melos, dulcesque sonorum
Cantus, non gignit vox una, sed unio vocum.
Dissimilis, similisque sonus, diversus et idem,
Unicus et simplex, duplex, difformis et alter.
Quomodo mutato se mutat musica cantu,
Cum lacrymis risus, cum ludis seria texens.
Nunc inharmonice resonat, nunc tristia fingens
Ditonico cantu luget, nunc chromate ludit.
Quæ vox ad vocem sit dupla, vel in diapason
Quis resonet cantus, vel quis sesqualter ad illum
Sit sonus, aut illi concors sonet in diapente ;
354 Quæ vocum junctura parit diatesseron, in qua
Cum tribus una sonans vox litigat, imo jocatur.
[33*] Qua ratione toni pars altera semper abundet,
Transgrediens partem reliquam, non possit in æquas
Distribui partes tonus integer, imo parumper
Excedat pars una toni, superetque minorem,
Et proprio vincat pars altera chromate lima,
Nec tamen æquali sectas libramine partes,
In duo divisum diasimata chroma recuset.
Hoc igitur splendens habitu, cultuque decoris
Virgo nitens, usum citharæ deponit ad horam ;
Dum subit officium fabri, lapidemque caloris
Imperio convertit in æs ex ære secundam
Fabricat illa rotam, quæ formæ laude priorem
Demonstrans primæ se prædicat esse sororem.
Et quamvis diversa foret quæ dividit illas
Materies, has forma tamen facit esse gemellas.
Illic artifices, quos musica gaudet habere
A Consortes, vel quos proprii dignatur honore
Nominis amplecti, scripturæ fama perennat.
Melitæ vocis Milesius exerit usum,
Et veluti quædam cantus encænia donat
Auribus, et tali mentes effeminat arte.
Alter ab opposito cantus fastidia lenti,
Obtusæ vocis rixam, cantusque rebelles,
Qui magis impugnant aures [33] quam voce salutent,
Invenit, et nostras offendit cantibus aures.
Navigat in medio, partemque relinquit utramque
Gregorius noster, refugitque pericula vocum,
Cantus Syrenum fugiens vitansque Charybdim
Musica lætatur Michalo doctore, suosque
Corrigit errores, tali dictante magistro.

B

CAPUT IV.

Geometria sexta soror est. Geometriæ habitus. Ejus opus.

Instat [34] sexta soror operi, se funditus urget
Ad studium, studio reliquis studiosius hærens.
Certatim gestus, habitus decor, hujus honorem
Accumulant, pariter ejus pro laude loquentes.
Encleticum gerit illa caput, nec corporis ullam
Jacturam patitur, sed lumen legat in imum [35],
Ut quibus insideat mens, enclesis ipsa loquatur [36].
Exponit mentem facies, animumque fatetur;
Virgam virgo gerit, qua totum circuit orbem,
Qua terræ spatium metitur, qua mare claudit
Limitibus certis, qua circinat ardua cœli.
C Et quamvis ejus vestis respersa minuti
Pulveris imbre foret, non denigratur honestas
Materiæ, formæque decor, sed grammate multo
Picturata nitet, multoque superbit honore.
Hic artem totam picturæ lingua recenset,
Quæ mensurandi doctrinam fundit, et usum
Edocet, immensum claudit, spatiosa refrenat,
355 Parvaque consequitur, metitur magna, pro fundum
Scrutatur, valles habitat, conscendit in altum.
Hic legitur quid sit punctus [37], quæ linea curva,
Recta vel æqualis, vel circumflexa vocetur,
Quæve superficies plano contenta, profundum
Ignorans, altoque carens decurrit in æquum.
Quid sit tertagonus, quid forma triangula, quid sit
D Mensura triplici clausum, quid sterion, aut quid
Circumducta suo describat linea centro.
Cur centrum sedet in medio, cur angulus omnis
Aut obtusus hebet, aut sursum tendit acutus,
Obtusoque minor sit rectus, major acuto.
Cur juxta leges artis normamque datorum
Supra gamma datum procedens tramite recto,
Æquorum laterum trigonus describitur, in quo
Sese prosternens partem data linea donat.
Qualiter a puncto ducatur linea compar
Propositæ, reddensque datam ; cur linea major

VARIÆ LECTIONES.

[32*] *Ms. V., pro* Euphrosyne, *etc., habet* carni, confirmatque fidem, *etc.* [33] *Sequentes versus 19 in A ms. habentur supra cap. præcedenti. In alio tamen ms. habentur hic, et aptius.* [33*] *Ms. R.,* animum. [34] *Ms. A., restat ; ms. R.,* instans. [35] *Ms. V.,* unum. [36] Locatur. [37] *Ms. A.,* punctum quid sit.

De se producat abscisso fine minorem.
Hujus tirones cur artis eleufuga terret,
Atque prius cogit illos exire, profundum
Quam littus subeant, labique quam in arte laborent [38].
Qua rationis ope sibi forma triangula formam
Repperit æqualem; cur linea partibus æquis
Scinditur, aut simili distinguitur angulus arte,
Inque duos unum divisio dividit una.

CAPUT VII.

Geometria rotam tertiam fabricat.

Hac igitur veste virgo nitet, imo virago
Glossat in hæc mentem, virgæ dans otia, fabrum
Induit, et sparsam mentem componit in unum.
Mente, manu, studiis, invadit, corrigit ipsam
Materiam plumbi, quam crebro malleus urget.
A Imprimit ad placitum formam, vetus exit, et intrans
Forma recens plumbi veteres excusat abusus.
Nascitur ex plumbo rota tertia, nata priores
Reddit, et in vultu formam capit illa priorum.
Illic artifices pictoris littera clamat.
Qui rerum tractus, mensuras, pondera, fines,
Limite sub certo claudentes aera, cœlum,
Astra, fretum, terras, simili ratione tuentur.
Hic geometra vagum sine motu præterit orbem
Aerii tractus, sine pennis transvolat æquor,
Oceani spatium sine remige transit, in astra
Absque gradu graditur, sine tractu tangit olympum.
In seriem præcepta ligans, artemque retexens
Euclydes, partes artis locat ordine justo;
B Quas veluti quodam rationis fune ligatas
Nectit, ut ex una reliquas exire putares.

856 LIBER QUARTUS.

CAPUT PRIMUM.

Astronomia virgo ultima. Astronomiæ vultus et habitus. Ejus dignitas et ars. Planetarum orbes, et motus. Rotam quartam fabricat Astronomia. Concordiæ partes currus disponit et unit.

Ultima subsequitur virgo, quæ prima decore,
Cultu prima, gerit primam sub pectore mentem
Non morbo, non tristitia, non mente magistra
Degenerat caput in terram; sed vultus in astris
Hæret, et arcanum cœli causasque fugaces
Venatur visus, mentisque præambulus illi
Nuntiat, et crebro mentem docet assecla mentis.
Ori fulgor adest, qui tanto fulgure nostrum
Verberat intuitum, dum visus fulgur adultum
Devitans, oculi tunicas exire veretur,
Implet sphæra manum: spheræ tamen umbra videri
Hæc melius posset, quæ solam suscipit umbram,
[39] Sed jacet in plano nullo promota tumore.
Vestis inardescit gemmis, auroque superbit
Et splendore suo stellas æquare videtur.
Hic viget, hic loquitur, hic instruit, hic docet, imo
Dat præcepta suis picturæ dote facultas,
Quæ docet astrorum leges, loca, tempora, motus,
Signa, potestates, discursus, nomina, causas.
Hic legitur quæ sit cœlestis sphæra, quis axis
In partes sphæram distinguat, quis polus axem
Terminet, aut sursum tendens aut mersus in imo.
Cur mundi sit forma teres, mundusque ligetur
Quinque parallelis cinctus, zonisve quibusdam
Sectus, in extremis rigeat, medio tenus æstu
Torreat, atque duas laterales temperet, harum
Excessu duplici, castigans frigore flammam.
Cur decurtatus concludat utrumque colurum
Circulus, et neuter ad puncta priora redire
C Possit, sed nomen abscissio donet utrique.
Cur obliqua means declivi limite ducta
Linea signiferi duodeno sidere cœlum
Pingat, et hospitium peregrino grata planetæ
Donet, et ipsius proprium communicet illi.
Qua ratione meant stellæ, qua lege planeta
Directum metitur iter, qua lege retrorsum
Aufugit, aut certa fixus statione moratur.
Qua ratione meant obliquo signa meatu,
Cur signum proprios directius exit in ortus,
Opposito sumens nascendi tempora, tempus
Perdit in occasu quod plus expendit in ortu.
Quis lunæ motus, quæ solis sphæra, quis orbis
857 Mercurii, Veneris quæ semita, quæ via Martis,
D Quæ mora Saturnum retinet, quo limite currit
Stella Jovis, motusque vagos quis circulus æquat.
Quis sursum tendens egressa cuspide terram
Exit, et in terra nescit defigere centrum.
Ergo puella gerens tanti solemnia cultus
Non animum sepelit, nec pigra per otia sese
Distrahit, aut animi vires effeminat, imo
Exercet studiis totam cum corpore mentem,
Exit sphæra manum, quoniam manus ipsa vocatur
Ad nova, quæ cudens fabri sibi vendicat artem.
Dum manus excudit aurum, massamque figurat,
Nascitur ex auro rota quarta, decoris honore
Hæc comites vincens primas facit esse secundas.
Illi scripturæ facies applaudit, et illos
Colligit in scripto, qui ducti remige mentis

VARIÆ LECTIONES.

[38] *Ms. utrumque hunc versum ita legit:*
Quam subeant, labique prius quam in arte laborent.

[39] *Utrumque ms. hunc interserit versum:*
Nec proprium spheræ retinens, hæc surgit in altum.

In superas abiere domos, secretaque cœli
Scrutati meruere sibi deitatis honorem
Illic astra, polos, cœlum, septemque planetas
Consulit Albumasar, terrisque reportat eorum
Consilium, terras armans, firmansque caduca
Contra cœlestes iras, superumque furorem.
Astraque sustentat, dum sustentatur ab astris
Atlantis virtus, cœli sine pondere pondus
Gestat, fert cœlum dum fertur, dumque ferendo
Sideribus cedit, cedenti sidera cedunt.
Has igitur currus partes ut norma requirit,
Ordo petit, poscit ratio, prudentia dictat,
Cudit et excudit, facit, imo perficit, ornat,
Exornatque simul lima meliore sororum
Prætextata cohors, nullumque relinquit in illis
Enormis formæ vultum, maculæve querelam,
Apponensque manum supremam, sine beato
Concludens operam, sparsas Concordia partes
Ordine, lege, loco, confœderat, unit, adæquat.
Ergo junctura, clavis, nexuque ligatæ
Partes effigiant currum, qui luce decoris
Præradians facie propria demonstrat in ipso
Divinam sudasse manum, superumque Minervam.

CAPUT II.

Ratio quinta equos jungit currui Prudentiæ, scilicet quinque sensus. Primus equus, visus est. Auditus, est secundus equus.

Tunc Ratio monitu Naturæ docta docentis
Quinque sibi præsentat equos, quos fœderat illa
Fœdere complacito, concordi pace, fideli
Connexu, cogitque jugo servire jugales
Indomitos, primis quos enutrivit ab annis
Gratia naturæ, quæ sic instruxit equinos
Mores his animi quædam vestigia donans,
Ut quamvis bruti, tamen hi venerentur alumnam.
Insuper in quantum patitur natura jugalis,
Horum quisque suæ naturæ munera jactat.
358 Nil cultus, formæque nihil peregrinat ab illis,
Quod plene possit speciem cumulare jugalis.
Primus equus cultu, forma, cursuque sodales
Prævenit, et reliquos proprio submittit honori.
Cultus, forma, color, species, audacia, cursus
Ditat eum, nec in hoc patitur sibi damna, quod illum
Respersus candore color subrufus inaurat.
Non meat, imo volat, nec enim discrimine passus
Inscribit terram, nec gramen curvat eundo;
Sed celeri cursu terram delibat euntis
Passus, et in terra vestigia nulla relinquit;
Sed levis aura suos stupet invenisse volatus,
Miraturque sui Boreas torpescere cursum.
Aura cadit, lentescit avis, volucrisque sagittæ.
Cursus hebescit, equi lentescunt omnia cursu.
Anticipat monitum calcaris, sponte meatum
Aggreditur, facilique tamen frenatur habena.
Præterea dotes nativas aggerat ipsa
A Nobilitas generis Pyroum [40]; namque parentem
Jactat, et in speculo prolis pater ipse resultat.
Hunc dedit in munus Jovialis gratia matri
Naturæ, cujus grates dantisque favorem
Accumulat doni meritum, quo munere majus
Nil potuit tantus tantæ conferre parenti.
His igitur, velut ipsius natura requirit,
Nobilitatur equi species, infraque secundus
Pollet equus, minor in specie, cultuque minori,
Cultus et inferior, cursuque remissior illo.
Et quamvis minor a primo, formaque secundus,
Est tamen in reliquis major, primusque decoris
Munere, sed reliquos superans superatur ab uno.
Et si non æquo passu contendere primo
Possit equo, non aura tamen fugitiva secundum
B Prævenit, imo pari cursu contendit eidem.
Se varians nullo præscribitur ille colore,
Sed vultum proprii mentitur sæpe coloris.
Intonat ille fremens, ignitibus aera crebris
Verberat, et tenuem sine vulneret vulnera auram [41].
A collo suspensa sonos crepitacula dulces
Reddunt, et multo perfundunt aera cantu.
In vultu gerit ille patrem, dum reddit Eoum
Gestibus huncque suum forma probat esse parentem.
Muneribus prælarga suis hoc munere vino
Naturæ cumulavit opes, meruitque favorem
Numinis, et proprium dono descripsit amorem.

CAPUT III.

C *Olfactus est tertius equus. Gustus est quartus equus. Tactus est quintus equus.*

Tertius a tanta speciei luce parumper
Obliquatur equus : nec enim sibi dona priorum
359 Vindicat, imo minus retinens suspirat ad illos.
Et quamvis hujus species tenebrescat eorum
Respectu, tamen ad reliquos collata nitorem
Exerit, et proprio non est fraudata decore.
Et quamvis agili cursu vincatur ab illis,
De quibus exivit sermo, tamen ipse triumphans
In reliquis victor gaudet, reliquosque volatu
Vincit, et in proprio motu concludit eosdem.
Subtilis respergit eum mistura coloris,
Sed fugiens oculos visum color ille recusat.
D Conserti floris series quasi veste decenti
Induit hunc, et ei proprios inspirat odores.
Flos violæ perfundit eum, rosa ebriat auras [42]
Affines, narisque thymi satiatur odore.
Nescia nativi coitus equa, flamine solo
Edidit hunc, ignara maris, contenta mariti
Aeris afflatu, Zephyro gravidata marito.
Hoc dono Zephyrus Naturæ matris amorem
Mercatus, proprium vectigal solvit eidem.
Degenerat, polletque minus, lentescit abunde
Quartus equus, formaque jacet, cursuque tepescit,
Prædictis famulans, illos quasi pronus adorat,

VARIÆ LECTIONES.

[40] *Pyrous a poetis fingitur esse unus ex equis Solis, est etiam Sidus Martis.* [41] *V. Ms.*, aurem. [42] Rosa debriat aures.

Anciliatur eis, nec se negat esse clientem
Horum, sed tanquam dominis ut verna ministrat.
Non tamen omnino naturam sentit avaram,
Imo et dote sua qua se tueatur abundat,
In nullo patiens eclipsim muneris hujus,
Quo de more solet natura beare jugalem.
Non violæ marcent, quamvis rosa floris honore
Splendeat, aut cultus componat lilia candor.
Non omnis delirus erit, cui sensus Ulyssis
Deficit; aut mutus, quem nescit musa Maronis.
Non nitor argenti livet, si fulgurat aurum;
Non minus arma rapit Hector, si plenior Ajax
Fulminat : a simili non omnis gloria quarto
Absentatur equo, quamvis gradus ille negetur
Emphaticæ laudis, in qua Natura priores
Sistit equos, non iste tamen dejectus ab omni
Munere naturæ queritur, sed gaudet in illa
Fortuna, qua dives eam natura beavit.
Glaucus ei color arridet, respergit eumdem
Imber, et irriguo ros compluit imbre jugalem.
Hoc speciale sibi retinet, propriumque reservat,
Quod celer ad potum non obliviscitur escam.
Potibus indulget, pro cunctis solus ad esum
Currit, et in potu defectus supplet equorum.
Hunc genuit Tritonis [43] equus; jurisque paterni
Hæredem statuens sese descripsit in illo.
Naturæ Triton dans intersigna favoris,
360 Contulit hoc munus, donans cum munere mentem.
Vix speciem defendet equi, formamque tenebit
Quintus equus, si quis tentet conferre priores
Isti, nam deponet equum, larvaque jugalis
Vestitus sapiet asinum, dejectus eadem
Segnitie, plene mores exutus equinos.
Si tamen ad reliquos collatio nulla redundet
Hujus equi, sed eum proprio scrutemur inesse,
Non erit a propriis exclusus dotibus ejus
Cultus, et in nullo formæ patietur abusum.
Quintus equus quartum redolet, partimque figurat;
Sed tamen in modico quintus demittitur, in quo
Parcius arrisit prædicto forma jugali,
Qui minus in terram sese demittit eundo :
Nec satis ad plenum caput erigit, imo caduco
Declinans vultu visus descendit in imum.
Vestit eum color obscurus, quem possidet ipsa
Nigredo, nullum secum passura colorem.
Nec plebeia jacet generis fortuna, sed Aethon [44]
Hunc genuit, qui solis equos se gaudet habere
Fratres, et fratrum sese defendit honore.
Ops [45] superum genitrix in signum fœderis isto
Naturam donavit equo, quo nodus amoris
Firmior effectus illarum vota ligavit.

CAPUT IV.

Ratio equos omnes regit, et currui jungit. Ratio auriga Sapientiæ et Prudentiæ. Prudentia monita Rationis, currum conscendit. Scrutatur aerem, ejusque naturam.

A Prædictos ratio propria Ratione magistra
Sub juga cogit equos, temoni fœderat, urget
Effrenes, ligat indomitos, frenatque vagantes.
Primum sternit equum, stratum conscendit, habenis
Corrigit excursus, in virga visitat, instat
Verbere, voce, minis, illum vix illa quietum
Reddit, sed tandem superatus vincitur; illi
Paret, et ad nutum rationis fessus anhelat
Sic primum componit equos auriga sophiæ,
Ne si quadrigam phronesis concendat, eadem
Indomiti spatientur equi, normamque relinquant,
Devia sectentur, laxent juga, vincula solvant :
Cuncta fluant, nutet currus, compago vacillet,
B Singula solvantur, laxetur nexus, habenæ
Depereant, et tota labet substantia currus.
Postquam compositus ordo per singula currens
Singula composuit, phronesis conscendere currum
Disponens talem sese componit in usum.
Assidet, applaudit, congaudet, complacet illi
Curia tota simul, multoque favore recessum
Virginis exhilarat, reditus felicius omen
Orat, et eventus reditu meliore serenos.
361 Oscula multiplicat repetens, et in ore sigillum
Imprimit expresso, complexu brachia nectens,
Colla ligans, animoque simul cum voce salutans
Illam, congeminans iterat repetitque salutem.
C Tunc monitu rationis adest Prudentia, currum
Conscendit, currusque decor cumulatus abundat
Plenius, et roseo flammatur sidere vultus.
Instat equis Ratio virga dictante, jugales
Aggrediuntur iter, currus subtollitur, exit
Terras, et tenuem currens evadit in auram.
Aeris ingrediens tractus Prudentia caute
Singula disquirit animo, quæ vindicat aer
Ipse sibi, scrutatur eum, penetratque fugacem.
Inquirit quæ materies, quæ nubis origo;
Quomodo terra madens proprio sudore resudat
In nubes, cœloque suos componit amictus.
Cur Phœbus sitiens æstuque caloris anhelus
Haurit ab Oceano potus, sua pocula vertit
In nubes, crasso suspendit in aere nimbi
D Nubila vasa, scyphos imbris, pluviæque lagenas.
Qualiter ignis hebet moriens in nube, paritque
Fulmina, dum moritur; sic morte nocivior instat
Quam vita, vivusque nequit quod mortuus infert.
Unde trahunt ortum venti, quæ semina rerum
Inspirent motum ventis, causasque movendi.
Cur auster pluvias pluviæ pincerna propinat
Terris, et plene largitur pocula mundo.
Qualiter austrinos Boreæ sitis ebibit imbres.
Emundatque vias pluviis quasi scopa viarum.
Qualiter agricola Zephyrus sine vomere terras
Excolit, et florum segetes extollit in hortis.

VARIÆ LECTIONES.

[43] *Triton, Deus est marinus, et Neptuni tubicen.* [44] *Aethon, a poetis dicitur equus Solis, latine autem interpretatur ardens.* [45] *Ops, mater fingitur fuisse deorum, et uxor Saturni.*

Cur volucris cæteri pennarum remige tuta
Plumas in remos, alas in carbasa fingens,
Transmeat aerium pelagus quasi navis imago,
Et sine naufragio talem pertransit abyssum,
Tuta, nec in tali pelago timet illa charybdim.

CAPUT V.

Prudentia considerat spiritus in aere vagantes.

Aeris occultos aditus, secreta, latebras
Altius inquirit phronesis, sensuque profundo
Vestigans videt intuitu meliore vagantes
Aerios cives, quibus aer carcer, abyssus
Pœna dolor risus, mors vivere, culpa triumphus;
Quorum mens humili livoris læsa veneno
In genus humanum virus transfundit, ut ipsum
Consimili sanie morboque laboret eodem.
Hi sunt qui semper in nos armantur, inermes
Dejiciunt, vincunt armatos, rarius ipsi
Cedunt, sed victi nequeunt iterare duellum.
Qui velut aerio vestiti corpore, nostram
Mentiti speciem, multo phantasmate brutos
362 Deludunt homines, falsi verique sophistæ.
In tenebris lucem simulant, in lite quietem,
Abscondunt sub pace dolos, in felle figurant
Dulcia, sub specie recti vitiata propinant.
Hos Deus esse deos fecit, quos lumine vero
Vera dies perfudit, quos ab origine prima
Vestivit deitatis honor, qui luce relicta
In tenebras abiere suas; qui fonte relicto
Inferni petiere lacus; qui veste decoris
Exuti, vestem gemitus, saccumque doloris
Injecere sibi; qui majestate superna
Dejecti, sine fine sibi meruere ruinam.
O gravis eventus, casus miser, unica pestis!
Jam servit qui liber erat, mendicat abundans
Qui fuit, exsilium patitur qui primus in aula
Regnabat, patitur pœnas a rege secundus.
Hoc casu fit gemma lutum, fit purpura saccus,
Lux tenebræ, species confusio, gloria casus,
Risus tristities, requies labor, alga hiacynthus.
Cœlestis sic stella cadit, sic Lucifer ortus
Nescius occasu premitur, sic civis olympi
Exsulat ejectus, nec temperat exsulis omen.
Spes reditus, spes omnis abest, ceditque timori
O fastus vitanda lues, fugienda charybdis,
Culpa gravis, morbus communis, publica pestis,
Janua peccati, vitiorum mater, origo
Nequitiæ, semen odii, venatio pugnæ!
Quæ cadit ascendens, elata perit, peritura
Erigitur, promota ruit, ruitura tumescit.
Quæ se ferre nequit, supra se lata, ruinam
Infra se patitur, nec sese sustinet, imo
Mole sua premitur, proprio sub pondere lapsa.
Extra se cogit hominem se quærere, dum se
Exit homo, factusque sibi contrarius a se
Discrepat, oblitusque sui se nescit, et ultra
Transgrediens evadit adhuc, plus esse laborans
Quam sit, nec propria contentus origine sese
A Esse cupit major, et se superare laborat,
Quod petit amittens, perdens postulat, optans
Quod sibi mentitur, falsum venatur honorem.
Hæc pestis rectum vitiat, deturpat honestum,
Fermentat mores, justum fugat, utile perdit.
Hæc saliunca rosas, hæc nubes nubilat astra
Virtutum, cujus tenebris patiuntur eclipsim.
Luce hac cœlestis regni proscriptus ab aula
Delictum luit exsilio, pœnaque reatum
Angelus a propria demissus sede, tumore
Fractus, dejectus fastu, livore solutus.

CAPUT VI.

Supremam aeris regionem visitat Prudentia. Arx solis describitur. Sphæra Veneris describitur. Stilbon est stella Mercurii. Sphæra Mercurii.

B Aeris excurso spatio, quo nubila cœli
Nocte sua texunt tenebras, quo pendula nubes
363 In se cogit aquas, quo grandinis ingruit imber,
Quo certant venti, quo fulminis ira tumescit.
Æthera transgreditur phronesis, quo gratia pacis
Summa viget, quo grata quies, quo gratior aura
Cuncta fovet, quo cuncta silent, quo purior æther
Ridet, et expellit fletum; quo nubilus aer
Ingemit, et totus arcano lumine floret.
Æthereæ lucis superatis tractatibus, illa
Altius ingreditur spatium, quo splendor et ignis
Jura tenent, lux grata micat, sed conjuga luci
Lucis blanditias retrahit vis ipsa caloris.
C Hic rerum novitas, rerum decus, unica rerum
Forma, decor mundi, visum demulcet euntis
Virginis, et cantus species nova inebriat [46] aurem.
Sed parco tamen auditu sonituque minore
Concipit illa sonum, certa tamen imbibit aure.
Qualiter hic sonitus citharæ cœlestis obesis
Vocibus exspirat, ubi lunæ sphæra remisso
Suspirat cantu, rauce sonat, imo sonando
Pene silet, languetque sonans, nervique jacentis
Inferius gerit illa vicem, chordamque minorem
Reddit, et in cithara sedem vix illa meretur.
Hic videt explicito visu prudentia lunæ
Detrimenta, vices, cursus, momenta, labores;
Quomodo junctus ei Phœbus depauperat illam
Luce, vel econtra Phœbo furatur honorem
D Luminis, et populos fallaci nocte timere
Cogit, et effigiem noctis sine nocte figurat.
Humores cur luna parit, æquora lunæ
Detrimenta luunt, vel eadem divite gaudent.
Quid notet in luna lunæ nota, quidve notando
Signet, nec tenuem possit delere lituram
Splendoris cumulus, dum fonti luminis instat
Parva lues, nec ei dignatur cedere, cum quo
Litigat, et radio lucis magna [47] umbra diescit
Altius evadens virgo conscendit in arcem,
Sol ubi jura tenet, ubi solis cereus ardet,
Scaturit et lucis fons vivus, vena caloris
Manat, splendorisque novi thesaurus abundat.

VARIÆ LECTIONES.

[46] *V. Ms.*, debriat. [47] magis.

Illic virgo videt quæ sit via, semita, cursus
Solis, et unde sui sumat fomenta vigoris [48]
Æthereæ lucis genitor, fons, pastor, origo.
Qualiter in stellis regnans arctansque planetas
Imperio servire suo, nunc stare meantes
Cogit, nunc tumidos sectari devia sola
Majestate jubet, nunc libertate meandi
Concessa motus reddit sua jura planetis.
Qualiter alternans vultus ætatis in ortu
Fit puer, inque die medio juvenescit adultus,
Mentiturque virum tandem, totusque senescit
364 Vespere; sic varias species ætatis ad horam
Sol profert, unusque dies complectitur ævum.
Jam lunæ sonitum fastidit virginis auris,
Quam dulcis meliorque sonus seducit inescans
Aurem, nec cantus memorem sinit esse prioris.
Hunc cantum Syrena parit, quæ solis adhæret
Motibus, citharam vocis dulcore fatetur.
Vox omnis miratur eam, veneratur adorans,
Totiusque sonus citharæ suspirat ad illam.
Egrediens solis regnum maturat in altum
Gressus virgo suos, sed gressum præpedit ipsa
Limitis anfractus anceps, multæque viarum
Ambages, tandem superato calle [49], laboris
Pondere, cautelæ studio, regione potitur,
Qua Venus et Stilbon complexis nexibus hærent.
Illic præcursor solis præcoque diei
Lucifer exsultat, terris solatia lucis
Præsignans ortuque suo præludit ad ortum
Solis, et auroram proprio prædicit in ortu.
Gressibus his Stilbon comes indivisus adhæret,
Tanquam verna sui comitans vestigia solis,
Obnubensque comas radiis solaribus, ignes
Temperat, et solis obnubilat astra galero.
Sphæraque Luciferi motu levis, ocior aura,
Motu parturiens sonitum, lascivit acuta
Voce, nec in cithara Veneris plebeia putatur
Musa, sed auditus assensum jure meretur.
Voce pari, similique modo, cantuque propinquo
Mercurii Syrena canit, Venerisque camœnam
Reddit, et ex æquo sonitu citharizat amico.

CAPUT VII.

Palatium Martis describitur. Jovis regio describitur. Stella Jovis, bona est.

Progreditur phronesis flammata palatia Martis
Ingrediens, stupet insultus, irasque caloris,
Quem parit ille locus, qui totus in igne vaporans
Nil novit nisi fervores ignisque procellas.
Non ibi luget hiems, non veris gratia ridet,
Non tumet autumnus, sed tantum fulminat æstas.
Imperat hic Mars igne calens, fecundus in ira,
Bella serens, sitiens lites, nostrique sititor
Sanguinis, excutiens pacem, fœdusque redicens.
Qui regni violare fidem, mutare potentes
Gaudet, flammantis vestitus crine cometæ;
Qui parat arma viris, cogit sperare furentes,
A Seminat insultus, parit iras, laxat amores.
Quid gerat interius, facies docet ipsa rubore
Prædicat interni rabiem pestemque furoris.
Tabe sua vitiat comitem, sociumque planetam
Vel sævum sævire magis, vel forte benignum
Nequitia docet esse trucem, læditque veneno.
Cujus sphæra ruens torrentis more, tonando
Clamat, et altiloquos resonat clamore boatus.
365 Altius exclamat reliquis Syrena tonantis
Martis, sed cantus dulcedo remittitur ipsa
Tempestate soni languens, minuitque favorem
Asperitas, vocisque rigor, fert damna favori.
Et jam lemniacos vomitus ignisque vapores
Virgineus labor evadit, nec flamma viantem
Contigit, aut ejus ausa est contingere crinem.
B Tunc Jovis innocuos ignes, lucisque serenæ
Lætitiam, risusque poli pertentat eundo.
Hæc regio stellæ Jovialis lampade tota
Splendet, et æterno lætatur vere beata.
Hic sidus Joviale micat, mundoque salutem
Nuntiat, et Martis iram Martisque furorem
Sistit, et occurrit tranquilla pace furenti.
Cui si stella mali prænuntia, prævia casus
Jungitur; ille tamen inimicum sidus amicat,
Alternansque vices in risus tristia planctum
In plausus, fletusque graves in gaudia mutat.
Vel si forte Jovi societur stella salutis
Numia, stella Jovis vultu meliore salutem
Auget, et eventus melioris duplicat omen,
Fœdus amans, pacisque sator nutritor amoris,
C Exstirpans iras, proscribens bella, furores
Compescens, delens lites, Martemque refrenans.
Qui motu generans sonitum non verberat auram
Cantibus, et dulcem philomelam reddit amœnans
Musa Jovis, tantoque soni lætatur alumno
Musica, qui propriæ thesauros aggerat artis.

CAPUT VIII.

Saturni Sphæra describitur. Tarde movetur. Stella Saturni mala.

Ulterius progressa suos prudentia gressus
Dirigit ad superos, superans Jovis atria cursu,
Saturnique domos, tractu majore jacentes
Intrat et algores hiemis brumæque pruinas
Horret et ignavum frigus miratur in æstu.
D Illic fervet hiems, æstas algescit, et æstus
Friget, delirat splendor dum flamma tepescit.
Hic tenebræ lucent, hic lux tenebrescit, et illic
Nox cum luce viget, et lux cum nocte diescit.
Illic Saturnus spatium percurrit avaro
Motu, progressuque gravi, longaque dieta [50].
Hic algore suo prædatur gaudia veris,
Furaturque decus pratis, et sidera florum,
Algescitque calens, frigens fervescit, inundat
Aridus, obscurus lucet, juvenisque senescit.
Nec tamen a cantu sonus ejus degener errat,
Sed comitum voces vox prævenit hujus adulto.

VARIÆ LECTIONES.

[48] *Ms. A.*, caloris. [49] colle. [50] *A Ms.*, serecta.

Concentu, quem non cantus obtusio reddit
Insipidum, cui dat vocis dulcedo saporem.
A Hic dolor et gemitus, lacrymæ, discordia terror,
Tristities, pallor, planctus, injuria regnant.

366 LIBER QUINTUS.

CAPUT PRIMUM.

Firmamentum ascendit Prudentia. Zodiacus cum suis signis describitur.

Lucis inoffensæ spatium fontemque nitoris
[81] Obtuso cantu, sed dulcibus allicit aurem,
Quo radiant stellæ, quo certant fulgure multo
Astra poli, propriumque diem sine fine pererrant.
Quo cœli faciem depingunt sidera, virgo
Exhilarata subit, hausto pro parte laboris
Pondere, lætaturque poli perflata sereno.
In stellis ibi præradiant, cœloque fruuntur,
Quos vel fama bonos facto [82], vel fabula verbo
Effinxit, retinentque sibi sine numine nomen.
Hic novus Alcides cœlo submittitur, illic
Perseus ardentis gladio metit ora Medusæ;
Illic ense carens, ensem mentitus Orion
Sub pugnæ facie sine bello bella minatur.
Hæmoniusque senex arcu dictante sagittam
Excitat ad motum, nullo tamen illa volatu
Effugit aut monitus arcus evadit eundo.
Hic proles Ledæa micat, nec pignus amoris
Quem prius in terris gessit deponit in astris.
Vertitur in sidus stellatus sidere famæ
Hic, cujus dono medicinæ stella caducis
Illuxit, contra morbos dans arma salutis.
Ablatos redimit vultus, et damna pudoris
Parrhasis, in cœlum translata, repensat eidem
Jupiter ablatum florem, pro flore pudoris
Æterno largitus ei florere nitore.
Præterea variis stellis inscribitur aula
Cœli, quas vario titulavit nomine quondam
Musa poetarum, veri sub imagine ludens.
Signorum duodena cohors præfulget in astris,
Excepto fulgore nitens, infraque relinquit
Stellarum vulgus, reliquasque supervenit astro.
Hic ardet Cancer, urit Leo, Virgo resultat,
Æquat Libra diem, crudescit Scorpius, alget
Chiron, Capra riget, diffunditur Urna, madescunt.
Pisces, exsultat Aries, vexilla gerendo
Veris prædicit Taurus, Geminique Lacones.
Hanc cœli speciem phronesis delibat ocellus,
Quam penetrare nequit visus, notamque requirit [83]
Materiem tantæque stupet miracula lucis.

367 CAPUT II.

Equi, sive sensus externi, cœli secreta penetrare nequeunt.

Postquam cœlestes aditus, cœlique profundum,
Astrorumque vagos redditus emensa reliquit,
Inque supercilio mundi stetit, anxia mente
Fluctuat, in varios motus deducitur, hæret
Mens, animusque fluit, dubitat cum mente voluntas
Ipsa, nec in certo defigitur anchora mentis.
Namque timet, dubitatque, timens ambage locorum
Seduci, quos ulterius via porrigit anceps;
Quæ nullos hominum gressus, volucrumque volatus
B Noscit, ab incursu rerum stepituque viantum
Funditus excipitur nullo vexata tumultu.
Hic hominis gressus nutans peccaret eundo,
Ebrius erraret pes ipse, pedisque lucerna
Otia visus hebens ageret, pedibusque negaret
Ducatum, lumenque foret sub lumine cæcum.
Non quod regnet ibi noctis caligo, sed illam
Emphaticæ [84] lucis splendor purgatus inignit.
Difficilis conscensus ad hanc facilisque recessus;
Accessus paucis, casus patet omnibus, in quam
Vix aliquis transire valet, valet omnis ab illa
Declinare via, quæ paucis pervia, multis
Clauditur, arcta nimis virtuti, larga ruinæ.
Non huc nobilitas generis, non gratia formæ,
Non gazæ dejectus amor, non gloria rerum,
C Non mundanus apex, non virtus corporis, audax
Improbitas hominis, præceps audacia tendit:
Sed solum virtus animi, constantia mentis,
Factaque nobilitas, non nata, sed insita menti,
Interior species, virtutum copia, morum
Regula, paupertas mundi, contemptus honoris.
Difficiles igitur aditus, facilemque ruinam
Cum phronesis videat, magno succenditur æstu
Sollicitæ mentis, victique labore jugales,
Ne juga ferre velint, nec solvere jura magistro,
Ignarique viæ callem mirentur ineptum
Gressibus, et pedibus gradiendi jura negantem;
Nec ratio sursum deflectere possit habenas,
Quas retinent instanter equi, dominæque repugnant,
D Effrenes, ultraque negant servire jubenti.
Dum mentem phronesis anceps sententia, motus
Distrahit in varios, nec prætentare locorum
Abdita sola potest, nisi quis præmonstret eidem,
Vel conducat eam, gressum moderatus euntis;

CAPUT III.

Theologiæ ornatus. Librum in dextra gerit, sceptrum in sinistra.

Ecce puella (31) poli residens in culmine, cœlum-
Despiciens, sursum delegans lumina, quiddam

VARIÆ LECTIONES.

[81] *Totus hic versus desideratur in utroque Ms.* [82] *Ms. A.*, Deos fecit : *Ms. R.*, Deos facto. [83] *Ms. A.*, ocellis. [84] *Ms. V.*, euphaticæ.

NOTÆ.

(31) *Hæc Theologiam designat.*

Extramundanum toto conamine visus
368 Vestigans, nil corporeum venata, sed ultra
Transscendens incorporei scrutata latentem
Causam, principium rerum finemque requirens
Visibus offertur phronesis, visumque nitore
Luminis offendens mentem novitate relaxat.
Nec mirum, quoniam tanto fulgore decoris
Præeminet, ut stellas præditet fulgure, lumen
Lumine multiplicans, et lucem luce, nec ipsi
Lumen adoptivum largiri cesset olympo.
Nil terrestre gerens facie, nil ore caducum
Insinuans, mortale nihil, genitumque puellæ
Demonstrat facies, tantum cœleste, quod offert
Forma puellaris : hanc argumenta decoris
Esse deam monstrant; instantia nulla refellit,
Quod decor ipse probat, faciesque simillima cœlo.
Inflammat diadema caput, lampade multa
Gemmarum radians auro flammatur, et extra
Scintillans lapidum duodeno sidere fulget.
Librum dextra gerit, sceptrum regale sinistra
Gestat, et ad librum plerumque recurrit ocellus.
Sed raro redit ad virgam, tandemque revertens
Circuit ille manum sollers, ne læva vacillet
Succumbens oneri virgæ, sceptrumque resignet.
Claudit eam vestis auro perfusa, refulgens
Argento, plus veste decens, habituque decenti
Gratior, et puro cœli fulgentior astro,
Quam divina manus, et sollers dextra Minervæ
Texuit, ut formæ nobis exponit honestas.
Hic arcana Dei, divinæ mentis abyssum,
Subtilis describit acus, formaque figurat
Informem, locat immensum, monstratque latentem.
Incircumscriptum describit, visibus offert
Invisum, quod lingua nequit, pictura [55] fatetur.
Quomodo naturæ subjectus sermo stupescit,
Dum tentat divina loqui, viresque loquendi
Perdit, et ad veterem cupit ille recurrere sensum,
Mutescuntque soni vix balbutire valentes,
Deque novo sensu deponunt verba querelam.
Qualiter ipse Deus in se capit omnia rerum
Nomina, quæ non ipsa Dei natura recusat;
Cuncta tamen mediante tropo, dictante figura
Sustinet, et voces puras sine rebus adoptat.
Ens justum sine justitia, vivens sine vita;
Principium sine principio, finis sine fine;
Immensus sine mensura, sine robore fortis;
Absque vigore potens, sine motu cuncta gubernans;
Absque loco loca cuncta replens, sine tempore durans;
Absque situ residens, habitus ignarus habendo
Cuncta simul, sine voce loquens, sine pace quietus;
Absque novo splendore nitens, sine luce coruscans.
369 Nec solum justus vera ratione, sed ipsa
Justitia est, nec solum lucidus ipse, sed ipsa
Lux est nocte carens, nec solum nomine solo
Dicitur immensus, verum mensura, caduca
A Singula describens, et certis finibus aptans.
Nec fortis sola dicti ratione, sed ipsum
Robur subsistit, æterno robore [56] nitens.
Solus jure potens, qui summa potentia, solus
Cuncta potest, a quo procedit posse potentum.
Nec solum loca cuncta replet, sed singula solus
Infra se claudit, quasi meta locusque locorum.
Hic legitur, tamen obscure, tenuique figura,
Qualiter una, manens, simplex, æterna, potestas,
Fons, splendor, species, via, virtus, finis, origo,
Ingenitus genior, vivens Deus, unicus auctor,
Unus in usia, personis trinus, in uno
Unicus esse manet, quæ trina relatio trinum
Reddit, et in trino manet unus, trinus in uno :
Qua ratione Patris speculum, lux, splendor, imago.
B Filius est, a Patre Deo, Deus unus et idem,
Principium de principio, de lumine lumen,
Sol de sole micans, splendor productus ab igne,
A simili similis, a vero verus, ab uno
Unus, ab æterno nascens æternus, ab æquo
Æqualis, bonus a summo, sublimis ab alto :
Qualiter ardor, amor, concordia, forma, duorum
Spiritus est, in quo proprie Pater oscula proli
Donat, et in nato sese Pater invenit, in quo
Se videt ipse parens, dum de se nascitur ipse
Alter, et ingenito splendet gignentis imago.

CAPUT IV.

C *Prudentia Theologiam salutat. Ejus ducatum requirit. Itineris causam pandit. Hominem beatum formari desiderat Natura. Naturæ potestas limitata. Anima petitur virtutibus omnibus prædita.*

Cultibus his afflata poli regina caduca
Deserit, atque Dei secretum consulit, hæret
Divinis, mentem terrenis excitat [57], ipsam
Haurit mente noym, divini fluminis haustu
Ebria sed potius dicatur sobria : namque
Ebrietas nascens ex tali nectare plena
Sobrietate viget, nec mentem cogit ab usu
Degenerare suo; verum generosius ipsam
Erigit, exercens [58] nostræ contagia sordis.
Hanc humili gressu, vultu submissa, modesta
Gestibus, assequitur phronesis, primoque salutem
Delibans tali pingit concepta loquela :
O regina poli, cœli dea, filia summi
D Artificis : nec enim facies divina caducam
Te docet, aut nostri generis deferre lituram.
Quam probat esse Deam vultus, sceptrumque fatetur.
Reginam, natamque Deo tua gloria monstrat;
Cui superum sedes, cœli via, limes olympi,
370 Extramundanus orbis, regioque Tonantis
Tota patent, soliumque Dei, fatumque quod ultra est;
Me moderare vagam, stupidam rege, siste timentem,
Indoctamque doce, fluitantem corripe, tristem
Lætifica, gaudens peregrino consule, cœptum
Effice, nutantem firma; succurre cadenti

VARIÆ LECTIONES.

[55] *Ms. A.*, scriptura. [56] *Ms. A.*, sistens. [57] *Ms. V.*, exuit. [58] Elimans

Nam vaga sum, tremebunda, stupens, indocta, laborans A
Deficiens, ignara loci, peregrina, fatiscens :
Quæ nitens superare polos, sedesque supernas
Invadens penetrale Deï thalamumque Tonantis,
Consiliumque Jovis, nutans, vaga, sola, pererrans
Aggredior, cœlique vias pertento latentes.
Nec tamen inconstans, præceps, improvida, casu
Præcipitante vias, istos invado labores :
Sed precibus cedens, et tandem velle coacta
Naturæ monitu, virtutum numine, nutu
Præcipue rationis ad hos ego mittor, ut ipsa
Naturæ summo præsentem vota Tonanti.
In multis errasse manum natura recordans,
Erratum revocare volens, culpasque priores
Tergere, vel veteres operis novitate beati
Excusare notas, hominem formare, beatum
Cudere, perfectum complere, creare modestum
Tentat, quo possit veteres velare reatus.
Erranti mundo dans de tot millibus unum,
Qui rectum sibi defendat, scrutetur honestum,
Damnet avaritiam, diffundat munera, vitet
Excessus, medium teneat, proscribat abusus.
Nec sine consiliis, nutu, moderamine, voto,
Virtutum decernit opus, sed tota sororum
Concio conceptus assensu nutrit eosdem [59],
Sed quoniam tantum circa terrena potentis
Naturæ viget officium, languetque potestas
In Superis nil juris habens, animamque creare
Nescia, quam sola pictoris dextra superni
Format, et in nullo naturæ jura requirit :
Hac ratione diu nitens, multumque reluctans
Huc agor, et superos perquiro sola recessus,
Quo possim deferre [60] Deo quod concipit ipsa
Naturæ ratio, quod virtus optat, ut ipsum
Velle Dei vestrum confortet velle [61], precesque
Audiat, et nostris aspiret gratia votis.
Ut divina manus animam demittat ab alio,
Quæ sit mente sagax, virtute referta, pudore
Prædita, præsignita fide, pietate refulgens,
Quæ carnis vestita toga, sic visitet orbem
Quod facinus redimat pietas, virtusque reatum.
Incestumque pudor, fraudem vis, gloria casum.
Quæ superet terrena domus, vis terrea, vestis
371 Corporæ massæ, corpus mortale, potentis
Naturæ ditatur opus, sic dote beandum
Multiplici, nullo fraudatum munere formæ
Ut jam corporeum non dedignetur habere
Spiritus hospitium, nec tantus defleat hospes
Hospitii tabem, sed carnis regnet in aula.
Ergo mihi describe viam, qua callis ad arcem
Supremi Jovis erigitur, ne devia passim
Errabunda ferat, ne nostrum devius error
Propositum perdat, viduans mercede laborem.

CAPUT V.

Theologia se comitem offert Prudentiæ, modo currum et equos deserat. Prudentiæ in cœlum tendenti, conceditur equus secundus Auditus. Auctoris oratio piissima ad Deum.

His verbis gavisa poli regina benigno
Reddidit affatu, quod se præberet eunti
Consortem, callisque ducem, gressusque magistram.
Sed soli phronesi ducatum spondet, et ipsi
Consulit instanter, præcepti robur eidem
Consilio miscens, ut currum deserat, ipsos
In cœlo deponat equos, comitemque relinquat
Inferius, quæ sit stabilis custodia tanti
Depositi, currum sistens, frenansque jugales :
Ne si currus, equi, ratio, nitantur in altum
Tendere, nec talem dignetur habere viantem
Semita cœlestis, alios experta meatus ;
B Erret equus, nutet ratio, currusque vacillet.
Explentur præcepta deæ, votisque favetur,
Stat ratio, sistuntur equi, quadriga quiescit.
Omnibus exclusis solum regina secundum
Consorti concedit equum, qui parcius ipsum
Admirantur iter, nec multum denegat ipsos
Ascensu fractus [62] freni melioris habena.
Fertur equo phronesis, se fert regina, volatu
Fertur equus, dea certat equo, gressuque volantem
Prævenit, et comiti prætentat prævia gressum.
Hactenus insonuit tenui mea Musa susurro ;
Hactenus in fragili lusit mea pagina versu,
Phœbæa resonante chely : sed parva resignans
Majorem nunc tendo lyram, totumque poetam
C Deponens, usurpo mihi nova verba prophetæ.
Cœlesti musæ terrenus cedet Apollo,
Musa Jovi, verbisque poli parentia cedent
Verba soli, tellusque locum concedet olympo.
Carminis hujus ero calamus vel scriba [63], vel auctor,
Æs resonans, reticens [64] scriptoris charta, canentis
Fistula, sculptoris scalprum, vel musa loquentis,
Spina rosam gestans, calamus nova mella propinans,
Nox aliunde nitens, luteum vas, nectare manans.
Summe parens, æterne Deus, vivensque potestas,
Unica forma boni, recti via, limes honesti,
Fons vitæ, sol justitiæ, pietatis asylum,
D **372** Principium, finisque modus, mensura, sigillum.
Rerum causa, manens ratio, noys alma, sophia
Vera, dies verus, lux nescia noctis, origo
Summa, decor mundi perfectus, vita perennis,
Nata regens, ventura serens, nascentia servans
Omnia sub numero claudens, sub pondere sistens
Singula, sub stabili mensura cuncta coercens
Qui rerum species, et mundi sensilis umbram
Ducis ab exemplo mundi mentalis, eumdem
Exterius pingens terrestris imagine formæ ;
Qui veterem massam de vultus sorde querentem
Investis meliore toga, formæque sigillo

VARIÆ LECTIONES.

[59] *Ms. A.*, eodem. [60] perferre Deo quod percipit ipsa. [61] *Ms. V.*, nostrum. [62] *Ms. R.*, fretus. [63] non scriba. [64] *Ms. A.*, retinens.

Signans excludis [65] nexu mediante tumultum.
Efficiens causa, dum rem producis ad esse;
Formalis, dum pingis eam; finalis, in esse
Dum rem conservans certo sub fine coarctas.
Tu mihi præradia divina luce. meamque
Plenius irrorans divino nectare mentem,
Complue, terge notas animi, tenebrasque recidens
Discute, meque tuæ lucis splendore serena.
Tu repara calamum, purga rubigine linguam,
Da, quæso, tua verba loqui, mutoque loquelam
Præbe, da fontem sitienti, dirige callem
Erranti, duc nauta ratem, portumque timenti
Dona, cœlesti perflans mea carbasa vento.

CAPUT VI.

Prudentia aquas crystallinas miratur. Elementorum miratur concordiam. Aquarum crystallinarum naturam examinat. Rerum super lunarium exacta cognitio naturæ vires excedit.

Jam Phronesis dictante dea superaverat arces
Sidereas, callemque novum, nodosque viarum
Mirans, quæ tantæ quereretur pondera molis,
Ni proprios visus rerum novitate foveret,
Et proprii partem ferret regina laboris.
Dum transit miratur aquas, quas fœderat igni
Indivisa loci series, nec flamma liquorem
Impedit, aut flamma certat liquor ille repugnans:
Sed potius sua deponunt certaminis arma.
Nec jam nativos curant memorare tumultus,
Quos ligat assensus discors, discordia concors,
Pax inimica, fides phantastica, falsus amoris
Nexus, amicitia fallax, umbratile fœdus.
Figit in his visum mentemque sophia, sagaci
Perquirens animo, quis pacem fecit adesse,
Pax ubi nulla manet; quis Martem jussit abesse,
Mars ubi jura tenet; quis fœdus nexuit illic,
Fœdus ubi nullum; quis pacem miscuit iræ,
Litigio fœdus, liti conjunxit amorem.
Altius inquirit Phronesis ferventius instans,
An liquor ille fluat, sibi quem vicina maritat
Flamma poli, flammæque truces contemperet iras;
An nebulæ faciem gestans, formamque vaporis
373 In speciem nubis expansus in æthere summo
Pendeat, et donet sitienti pocula flammæ;
An glaciem gerat in specie, reddatque figuram
Chrystalli, perdatque suum liquor ipse liquorem.
Sed tamen a Phronesi viva ratione probatur,
Quod nullos illic possit torquere recursus
Humor, nec proprio valeat discurrere fluctu,
Cum gremium nullus ibi præbeat alveus illi,
Nec matrix terrena sinus expandat eidem,
Nec centrum repetens nativo pondere tractus
Humor ad ima ruat, propriæ gravitatis amicus,
Descensum cum flamma neget, sursumque manere
Cogat aquas, supraque liget quasi carcere clausas.
Nam qui furtivo lapsu quasi nesciat ignis
A superis rorem descendere, somniat ille
Philosophus, ratione caret, falsumque prophetat,

A Otia sectatur, nubes et inania captat,
In scirpo nodum ponens, in lumine fumum,
In plano scrupulum fingens, in luce tenebras.
Hac etiam ratione probat, quod nullus ibidem
Exhalat vapor in nebulas, nec pendulus humor
Æthera velat aquis, ubi nullas evomit auras
Terra, nec ignis ibi suspendit in æthere nubes.
Ex his concludit Phronesis, quod cœlicus humor
Crystalli retinet speciem, glaciemque figurat;
Quæ glacies ignara gelu, nec conscia brumæ,
Æstatem magis agnoscit, cœlique calores
Ad vultus ignis minime dignata liquari.
Hoc solo magis illa stupet, meliusque movetur,
Qua nexus mediante fide, quo fœdere pacis
Frigida conveniant calidis, fluitantia pigris.
B Hic ubi nullus adest pacis mediator, et omne
Fœdus abest extrema ligans, quod pace reperta
Deleat hostiles rixas, pugnamque recidat.
Deficit inquirens, quærendo vincitur illa,
Quæsitu superata suo, sed victa querelis
Defectus queritur proprios: sic ista querela
Quæstio fit, Phronesi suspiria sola relinquens.
Nec mirum si cedit ad hæc prudentia, quæ sic
Excedunt matris naturæ jura, quod ejus
Exsuperant cursus, ad quæ mens deficit, hæret
Intellectus, hebet ratio, sapientia nutat,
Tullius ipse silet, rancescit lingua Maronis,
Languet Aristoteles, Ptolomæi sensus aberrat.

CAPUT VII.

Cœli empyrei deliciæ.

C Ulterius producit iter prudentia, gressum
Informans gressu comitis, tandemque labore
Magno, multiplici visu, conamine multo
Ascendit loca lætitiæ, loca plena favoris,
Cœlesti loca grata Deo, loca grata Tonanti.
374 Hic risus sine tristitia, sine nube serenum,
Deliciæ sine defectu, sine fine voluptas,
Pax expers odii, requies ignara laboris,
Lux semper rutilans, sol veri luminis, ortus
Nescius occasus, gratum sine vespere mane.
Hic splendor noctem, saties fastidia nescit,
Gaudia plena vigent, nullo respersa dolore.
Non hic ambiguo graditur fortuna meatu,
Non risum lacrymis, adversis prospera, læta
D Tristibus infirmat, non mel corrumpit aceto,
Aspera commiscens blandis, tenebrosa serenis,
Connectens luci tenebras, funesta jocosis:
Sed requies tranquilla manet, quam fine carentem
Fortunæ casus in nubila vertere nescit.
Hic sua præradiat cœlestis regia solis,
Quæ sordes hominum, mundi contagia spernit.
Extramundanus orbis mundique beata
Portio, munda magis quam mundus, purior ipso
Pudor, lucidior claro, fulgentior auro,
Quæ blando splendore micat, quæ fulgurat igne
Innocuo, fervore carens, fulgore abundans,
Blanditias splendoris habens, fervoris abhorrens

VARIÆ LECTIONES.

[65] *Ms. A.*, excludens.

Nequitiam splendore fovet, nec verberat æstu.
Hic ignis minus igne calet, plus igne nitescit,
Sicque manens unus minor est, et major eodem.
Sed quoniam totus scintillat in igne beato
Hic locus, et flammæ nutu blanditur amico;
Censetur polus empyreus, cui flamma benignis
Ignibus arridet, aulamque nitoribus ornat.
Hic habitant cives superi, proceresque Tonantis,
Angelici cœtus, divinaque numina, mundi
Rectores, turmæ cœlestes, agmina cœli,
Excubiæ nostri, varius quos dividit ordo,
Munus, et officium, virtus diversa, potestas
Plurima, dissimilisque gradus, distantia facti.
Hic ardent seraphin, flammata calore supernæ
Lucis, et æterni solis radiata nitore;
Divini fontis cherubin satiata liquore
Plus sapiunt, mentique Dei perfectius hærent.
Inque thronis librata Dei censura resultat,
In quibus ipse Deus residens examina librat.
Nomen ab officio dominantia numina sumunt.
Quæ sicut superis cedunt, sic ceditur ipsis
A reliquis, pariterque jubent, parentque jubenti.
Princeps turma suos disponit in ordine cives,
Atque suis votis astringit vota suorum.
Aeris istius rectores, imo tyrannos
Turba potestatum vincit cœlestibus armis.
Legibus occurrunt naturæ, juraque solvunt
Virtutes, formisque novis antiqua reformant.
Mystica denudat, aperit secreta, revelat
375 Abdita, quæve magis latitant, archangelus orbi
Nuntia, et cœli pandit mysteria terris.
Major in obsequiis, sed ei virtutibus impar
Angelicæ plebis exercitus omnibus istis
Persolvit jus obsequii, mundoque minora
Prædicat, et varios nobis discurrit in usus.
Hic cives habitant supremi regis in urbe;
Civibus his servanda datur respublica cœli,
Inter quos hæc lex sancitur, ut imperet unus,
Hic operetur agens, reliquis obtemperet ille.
Quilibet in libro divinæ mentis agenda
Discit, ibique legit quæ sint ventura, Deumque
Consulit, in speculo deitatis singula cernens.
Nec solus tantam sibi vendicat angelus urbem.

CAPUT VIII.

Sancti de terra assumpti cœlum incolunt. Sanctorum diversa merita.

Hic habitat, quem vita pium virtusque beatum
Fecit, et in terris meruit sibi numen olympi:
Corpore terrenus, cœlestis mente, caducus
Carne, Deus vita, vivens divinitus, extra
Terrenum sapiens, intus divina repensans.
Quem non erexit fastus, non gloria rerum,
Non mundi dejecit amor, non lubrica fregit
Luxuries, non luxus opum, non ardor habendi
Succendit, non livor edax, non anxia fœdæ
A Pestis avaritia, non laudis cæca Cupido:
Sed potius demisit eum patientia mundi
Contemptus, rerum paupertas, arctaque victus
Regula, despectus carnis [66], directio vitæ.
Qui calcavit opes animo victore, malignum
Devicit, carnemque sibi servire coegit.
Cœtibus angelicis tales ascribit honestas
Vitæ, virtutis meritum, mercesque laboris,
Quos vel virgineus candor, vel purpura vestit
Martyrii, vel doctoris sua laurea ditat;
Vel quos aureolæ munus non excipit, omnes
Laurea communi fretos mercede coronat.
Cum sint diversi merito, meritusque resultet
Splendor inæqualis, lux dispar, gaudia cunctos
Æqua manent, risusque pares ubi dissona merces.
B Nec mirum si lætitiæ par gratia cunctos
Exspectat, quibus una datur pro munere vita,
In quibus ipse Deus est omnibus omnia, donum
Et donans, dans uni plurima pluribus unum.

CAPUT IX.

Mariæ Virginis laudes et prærogativa.

Hic superos cives proprio præcellit honore
Virgo, quæ proprium pariendi lege pudorem
Non perdens, matris meruit cum virgine nomen.
In qua concordant duo nomina, lite sepulta,
376 Quæ secum pugnare solent, litesque moveret
Nec jam discordant mater virgoque, sed ipsis
C Litibus exclusis se pacis ad oscula vertunt.
Hic natura silet, logicæ vis exsulat, omnis
Rhetoricæ perit arbitrium, ratioque vacillat.
Hæc est quæ miro divini muneris usu
Nata patrem, natumque parens concepit, honorem
Virgineum retinens, nec perdens jura parentis
In cujus ventris thalamo sibi summa paravit
Hospitium deitas, tunicam sibi texuit ipse
Filius artificis summi, nostræque salutis
Induit ipse togam nostro [67] vestitus amictu.
Hæc est stella maris, vitæ via, porta salutis.
Regula justitiæ, limes pietatis, origo
Virtutis, veniæ mater, thalamusque pudoris,
Hortus conclusus, fons consignatus, oliva,
Fructificans, cedrus redolens, paradisus amœnans,
D Virgula pigmenti, vinaria cella, liquore
Prædita cœlesti, nectar cœleste propinans
Nescia spineti florens rosa, nescia culpæ
Gratia, fons expers limi, lux nubila pellens,
Spes miseris, medicina reis, tutela beatis,
Proscriptis reditus, erranti semita, cæcis
Lumen, dejectis requies, pausatio fessis
Hæc est quæ primos casus primæque parentis
Abstersit maculas, vincens virtute reatum,
Diruta restituens, reddens ablata, rependens
Perdita, restaurans amissa, fugata repensans,
Post vespertinos gemitus nova gaudia donans,
Post mortis tenebras vitæ novitate relucens;

VARIÆ LECTIONES.

[66] *Ms. V.*, dejectio. [67] *Ms. A.*, carnis.

Cujus ad adventum redit ætas aurea mundo,
Post facinus pietas, post culpam gratia, virtus
Post vitium, pax post odium, post triste jocosum.
Ut rosa spineti compensat flore rigorem,
Ut dulcore suo fructum radicis amaræ
Ramus adoptivus redimit; sic crimina matris
Ista luit, matremque facit sua nata renasci,
Ut sic munda ream, corruptam virgo, pudica
Effrontem, miseram felix, humilisque superbam
Abluat, et vitæ pariat sua filia matrem.
Hujus ab imperio cœlestis curia pendet,
Hujus ad imperium devota mente parata,
Cum qua cœlestis regni moderatur habenas,
Qui pater et proles ejusdem natus et auctor,
Cuncta regit, sine fine regens, quo rege triumpha
In cœlo miles, in terra militat exsul.
Hic est qui carnis intrans ergastula nostræ
Se pœna vinxit [68], ut cunctos solveret; æger
Factus, ut ægrotos sanaret; pauper, ut ipsis
A 377 Pauperibus conferret opem; defunctus, ut ipsa
Vita donaret defunctos; exsulis omen
Passus, ut exsilio miseros subduceret exsul.
Sic livore perit livor, sic vulnere vulnus:
Sic morbus damnat morbum, mors morte fugatur:
Sic moritur vivens, ut vivat mortuus; hæres
Exsulat, ut servos hæredes reddat; egenus
Fit dives, pauperque potens, ut ditet egenos.
Sic liber servit, ut servos liberet: imum
Summa petunt, ut sic ascendat infima summum.
Ut nox splendescat, splendor tenebrescit; eclipsi
Sol verus languescit, ut astra reducat ad ortum.
Ægrotat medicus, ut sanet morbidus ægrum.
Se cœlum terræ conformat, cedrus hyssopo,
B Ipse gigas nano, fumo lux, dives egeno,
Ægroto sanus, servo rex, purpura sacco.
Hic est qui nostram sortem miseratus, ab aula
Æterni patris egrediens, fastidia nostræ
Sustinuit sortis, sine crimine, criminis in se
Defigens pœnas, et nostri damna reatus.

378 LIBER SEXTUS.

CAPUT PRIMUM.

Prudentia splendorem cœli Empyrei ferre non valet. Theologia illam confortat. Theologia implorat auxilium Fidei. Theologia articulos fidei docet.

Post [69] virgo soliumque Dei sedesque supernas
Ingrediens, voluit nova prælibare videndo:
Offendit splendor oculos, mentemque stupore
Percussit rerum novitas, defecit in illis
Visus, et interior mens caligavit ad illas.
Sic sopor invasit vigilem, sic somnus adulter
Oppressit Phronesis animum, somnoque soporans
Exstasis ipsa suo mentem servire [70] coegit.
Et jam præcipitem pateretur lapsa ruinam,
Ni comes occurrens manibus complexa cadentem
Sisteret, et blando complexu virginis artus
Confortans, tantos lapsus eluderet, ipsam
Mitibus aggrediens verbis, mentisque stuporem
Demulcens; mens plena tamen non redditur illi.
Sed postquam nulla valuit ratione stuporis
Exstirpare malum, totamque reducere mentem,
Ut Phronesi ferat auxilium, totumque soporem
Excutiens reddat mentem, cogatque reverti;
Sollicitat precibus propriam regina sororem,
Quæ superum solio residens cœleste profundum
Scrutatur, solisque Dei penetralibus hæret.
Cui ratio nihil affirmat, cui sufficit ipsa
Credulitas, et sola fides ratione remota.
C Ipsam namque fidem ratio non prævenit, imo
Ipsa fides hanc anticipat, fideique docenti
Obsequitur tandem ratio, sequiturque docentem.
Articulos fidei divinaque symbola chartis
Inserit hæc, scribens animo quod arundine pingit.
Purpureus elata notis niveumque colorem [71]
Intermista rubet vestis candore represso,
Qua mulier prædicta nitet, cultusque fatetur
Arbitrium mentis, mens ipsa videtur in illo.
Picturæ cedit vestis, quæ tota figuris
Scribitur, et formam prætendit scripta libelli.
Hic renovat veteres vivens pictura magistros,
Per quos nostra fides totum diffusa per orbem
Claruit, et laudum titulis præclara refulsit.
Hic [72] Abraham nostræ fidei pater exuit actus
D Patris, dum summo Patri parere libenti
Contendens animo, nato pater esse recusat.
In quo discordes natura fidesque duellum
379 Exercent, unamque trahunt in dissona mentem.
Nam natura docet genitorem parcere nato.
Econtra stat firma fides, quæ spernere natum
Imperat, ut summo faveat natura parenti.
Quod non vult, cupit ergo pater, nunc parcere tentans
Nunc offerre volens, tandem negat ipse quod optat.
Ergo succumbit fidei natura, dolensque

VARIÆ LECTIONES.

[68] *Ms. V.*, se pœnæ vinxit, ut vinctos solveret. [69] *V. Ms.:* Postquam virgo Dei, solum, sedesque supernas. [70] *Ms. R.*, dormire. [71] *Ms. R.*, niveoque colore. [72] *Ms. R.*, sic.

Cedit victrici, quod non vult velle coacta.
In robur fidei virtutum luce coruscat
Petrus, et ipsius virtus splendescit in umbra.
Armatus vitæ meritis, et dote sophiæ
Blanditiis, ratione, minis, virtutibus instat
Paulus, et introitum fidei gentilibus offert.
Nec solum signis, verum ratione rebelles
Vincit; nec satis est concesso calle meare,
Plus cupit, atque viam gaudet ratione parare.
Illic blanda, minas, ergastula, verbera, mortes,
Expugnat fidei clypeo protectus, et armis
Justitiæ, superatque suos Laurentius ignes.
Par pugnæ meritis, et iisdem miles in armis
Mundum devincens Vincentius, omnia victor
Calcat, et in vivos pugnans in morte triumphat.
Hunc habitum quamvis scripturæ pingat honestas,
Nulla tamen vestem lascivia deprimit, imo
Talis erat, qualem matronæ postulat ætas,
Quæ senii metas attingit, plena dierum,
Canitie respersa caput, seniique pruina,
Nec tamen illius faciem matura senectus
Exarat in sulcos, facies discordat ab ævo.
Quæ juvenile docet ævum, contraque loquuntur
Cani, cum canis sic vultus gratia certat.

CAPUT II.

Fides, hortatu Theologiæ, accedit Prudentiam, eamque ab exstasi liberat. Exstasis describitur. Prudentiæ languenti datur cœlestis potio. Fides offert Prudentiæ speculum, in quo omnia cernat, quæ in cœlo sunt, licet nonnisi obscure.

Hæc mulier motu proprio precibusque sororis
Tacta, movet gressus illuc, ubi læsa sapore
Lethargi, languet Phronesis, mortisque figuram
Exemplans moritur vivens, et mortua vivit.
Sed postquam veniens signis dictantibus illam
Agnovit, vidit stupidam, stupuitque jacentem;
Ilos casus miserata dolet, mentisque rigorem
Exuit, in gemitus erumpens, fracta parumper
Majestas animi mollescere cogitur, exit
Durities, et sola tenet miseratio mentem.
Hæc igitur magis accedit, propiusque jacentem
Visitat, et quærit languoris semina, tentat
Cuncta, locum, tempus, causas, syntomata morbi
Caute disquirens, cujus vestigia tandem
Invenit, et Phronesim lethargi somnia passam
Noscit, ut exterius languoris signa fatentur.
Inventa radice mali, morbique reperta
Materie, disquirit adhuc quæ causa salutis
380 Languoris causas valeat secludere, pestem
Perdere, supplantare luem, morbumque fugare.
Ergo minis, precibus, pulsu, clamore, soporem
Expugnare parat, sed talis somnus obaudit.
Nec mirum si somnus ad hæc contendit abire;
Non erat iste sopor somni, sed mortis imago,
Quæ vitæ tenebret lucem, vitamque soporat
Plus somno, sed morte minus; majorque sopore,
Morte minor, sed fida tamen præfatio mortis

A Cum talis nequeat medicina refellere morbum,
Nec tantum valeat morbi superare vigorem;
Cœlesti confecta manu, condita sapore
Mellifluo, gustu mellita, suavis odore,
Secretas redolens species, terrena repellens
Condimenta, novum cœli thymiana propinans,
Exquisita datur languenti potio, totum
Quæ corpus peragit, vitali circuit, intrat
Venas, disquirit nervos, penetratque medullas.
Hujus ad adventum Phronesis sibi redditur ad se
Dum redit, et totus mentis secluditur error.
Hoc stupor ipse stupet medicinam posse, fugatus
Miratur talem medicinæ cedere morbum.
Sed quamvis oculus mentis resplendeat intra,
Languescit, tamen exterior, nec ferre nitorem
B Sustinet empyreum, nec tantum fulgur olympi.
Ergo suam sollers matrona recurrit ad artem,
Et præsigne, decens, rutilans, imitabile [73], tersum
Grandi diffusum spatio, scriptumque figuris
Præsentat Phronesi speculum, quo cuncta resultant,
Quæ locus empyreus in se capit, omnia lucens
Quæ mundus cœlestis habet; sed dissona rerum
Paret in his facies, hic res, hic umbra videtur,
Hic spes [74], hic species, hic lux, ubi lucis imago.
Retinet hoc speculum mentem, visumque sophiæ
Sistit, ne major oculis lux obviet, illos
Offendens, visumque simul cum mente fatiget.
Hoc speculum mediator adest, ne copia lucis
Empyreæ radians visus depauperet usum.
C Visus in hoc speculo respirat, lumen amicum
Invenit, et gaudet fulgens in lumine lumen.
Cernit in hoc speculo visu speculante sophia,
Quidquid divinus in se complectitur orbis.
Dum nova quæque videt, miratur ad omnia, gaudet
Cunctis, et novitas rerum nova gaudia gignit,
Ejus cum visu mens delectatur, et omnes
Exuit erroris nebulas, et gaudia mentem
Perfundunt, perit omne sui syntoma doloris
Si qua minus plene cognoscit, plenius illam
Assistens matrona docet, suppletque minorem
Intuitum, panditque latens, aperitque reclusum.
381 Hic videt angelicæ plebis superique senatus
Militiam, palmamque simul, dulcesque triumphos
D Sanctorum, meritum dispar, fructusque laborum.
Virginis illius meritum miratur, adorat
Partum, quæ peperit non marcescente pudoris
Flore, nec attrito fervente libidinis æstu.
Conceptus partusque modum, floremque pudoris
Intactum stupet admirans, non invenit unde
Sit mater, quæ nulla viri commercia novit.
Confugit ad logicæ leges; huic ergo parentis
Jura negat, cui virginitas concedit honorem
Virginis, a simili vult supplantare pudorem,
Virgineum matri, quæ disputat esse parentem
Partus, et ad matrem nativo jure refertur.
Ista tamen ratio nutat, cum virgine matrem

VARIÆ LECTIONES.

[73] *Ms. Utr.*, mirabile. [74] *Ms. A.*, res.

Invenit, et logicæ videt argumenta jacere.
Amplius admirans magis hæsitat, amplius hærens
Inquirit quo jure poli, qua lege beata
Nata patrem, terrena Deum, casura manentem,
Flos cedrum, sidus solem, scintilla caminum
Proferat, et mellis desudet petra liquorem.
Miraturque Deum nostram vestire figuram,
Et nostras habitare casas, flammantis olympi
Rectorem, floremque rosæ latitare sub alga,
Et gemma vestire lutum, violamque cicuta
Velari, vitamque mori, tenebrescere solem,
Qui gummi, quæ juncturæ, quis nexus, et unde
Connectant humana Deo, divina caduco
Consocient, hominique Deum quis fœderet ordo.
Singula dum Phronesis miratur, et omnia tentat
Vestigare suæ rationis legibus, illam.

CAPUT III.

Assistens matrona monet ne somniet illic
Humanas leges, mundanaque fœdera, cursus
Naturæ, nostrasque vices, ubi nulla potestas
Illius, sed cuncta silent decreta, pavescunt
Leges, jura stupent, ubi regnat sola voluntas
Artificis summi, quæ vult a canone nostro
Excipiens, ubi jura favent, et regula cedit
Artifici, canonque silet dictante magistro.
Non ratio, sed sola fides ibi quæritur, illic
Transcendit causas cœlestis causa minores
Exsuperat leges lex summa, et regula legum.
Ergo fides ibi sufficiat, disquirere cesset
Hic ratio, sistatque fides rationis habenas.

CAPUT IV.

Prudentia rejecto Rationis ductu, fidem sequitur. Fides, theologiam etiam assumit in comitem, Prudentia comitata fide et theologia cœlestia loca ingreditur. Speculo armat oculos. Prædestinationis causas rimatur. Varia Dei inducia perpendit. Alia cœli empyrei mirabilia considerat.

His monitis fert assensum prudentia, cedit
Doctrinæ, sequiturque fidem, totumque superno
Deputat auctori, quod nostram vincere legem
382 Cernit, et excepti juris ratione moveri.
His edocta viam maturius arripit, ejus
Informat regina gradum, gressumque sigillat
Incessu proprio : sed ne locus abditus, anceps
Callis, distortus limes, via dissona, gressus
Virginis impediat, comitem sibi destinat illam,
Quæ Phronesi mentem proscriptam reddidit, ejus
Restituens usum, cui cessit abusio morbi.
Quam via nulla latet, nullus locus abditus illi,
[78] Non delirus obest limes, non semita fallit,
His comitata viæ Phronesis securius instat,
Ancipitesque vias transit, loca dissona, calles
Ignotos ; nec jam posset superare locorum
Anfractus, sed nutanti soror utraque vires
Suppeditat, firmatque gradum, gressusque recidit
Pondus, et extenuans pœnam fastidia tollit.
Oblatum phronesi visum defendit ab omni
A Luminis occursu speculum, ne debriet illum
Cœlestis splendor, oculosque reverberet ignis.
Tandem fessa, tremens, admirans virgo dictam
Explet, et æterni suprema palatia regis
Intrat, et expleti superata mole laboris
Lætatur ; sed cuncta stupet quæ nuntius offert
In speculo visus, ubi nil mortale, caducum,
Deficiens, terrestre micat ; solumque refulget
Æternum, cœleste, manens, immobile, certum.
Hic videt ingenitas species, speculatur ideas
Cœlestes, hominum formas, primordia rerum,
Causarum causas, rationum semina, leges
Parcarum, fati seriem, mentemque Tonantis :
Cur Deus hos reprobat, illos prædestinat, istum
Præparat ad vitam, sua munera subtrahit illi.
B Cur alios humilis paupertas urget, egenos
Comprimit, et solis lacrymis satiatur egestas.
Cur aliis prædives opum pluit alveus omnis
Divitias, divesque natat secundus in auro.
Cur istos ditat sapientia, nubilat illos
Sensus inops, animus pauper, mendica voluntas.
Cur formæ species purgata serenat Adonim,
Danus abusivam speciem gerit, Hector in armis
Fulgurat, ingenii radio scintillat Ulysses.
Cur Cicero rhetor, cur Typhis navita, pictor
Milo, pugil Pollux, rigidus Cato, Naso poeta.
Non hæc sola favent Phronesis conspectibus, ultra
Progrediens visus alia novitate videntem
Demulcet, redituque suo miranda reportat.
C Hic videt irrigui fontis radiare nitorem,
Qui prædives aquis reliquo conspectior amne
Sidera luce domat, præcellit, mella sapore ;
383 Cujus deliciis cedit paradisus, odore
Balsama vincuntur, nardus submittitur illi.
A quo procedens rivus, non immemor horum
Quæ fons ille gerit, totum sibi fontis honorem
Assumit, fontique pari respondet honore ;
Nec tamen irriguum minor afflat gratia fontem.
Ergo fons rivum, rivus cum fonte fluentum
Producit, retinens fontis rivique saporem.
Cum sint distincti, fons, rivus, flumen, in unum
Conveniunt, eademque trium substantia, simplex
Esse, sapor similis, color unus, splendor in illis
Unicus, et vultus horum conformis et idem,
D Ad speciem fontis sol vincens lumine solem.
Hic radium fundit, quem sol mundanus adorat,
Cui cœlum stellæque favent, et supplicat orbis.
Occasum nunquam patitur sol iste, nec ullam
Sustinet eclipsim, nec nubis nubila sentit.
A quo procedens radius splendoris adæquat
Luce patrem, loquiturque suo splendore parentem.
Idem sol, species eadem, lux una, coævus
Splendor, nequaquam proprio declivis ab ortu.
Sol alius, sed non aliud, sol unus, et unum
Cum gignente manens, lux luci consona, fulgor
Fulgori, splendorque sui non immemor ignis.

VARIÆ LECTIONES.

[78] *Ms. A., hunc versum ita legit :* Non durus limes, non devia semita fallit.

De se producit radius cum sole calorem,
Qui mulcens urit, urendo mulcet, et ardens
Mitigat, incendens demulcet, temperat urens.
Iste calor siccat vitiorum flumina, sordes
Purgat, et a vitio virtutis decoquit aurum.
Iste calor perimit peccati frigora, flammas
Iræ, temporis hiemes, Venerisque calorem.
Sic calor expugnat ignem, sic flamma repelli
Flammam, sic æstus æstum, splendorque caminum.
Pullulat in flores mens isto tacta calore,
Et terram mentis virtutum flore beato
Purpurat iste calor, dum ver cœleste reducit.

CAPUT V.

Prudentia freta comitibus suis, Fide et Theologia, arcem Dei conscendit. Prosternit se Deo. A Deo erigitur, et confortatur.

Hæc mirata diu Phronesis, multumque retractans
Singula quæ visus prægustat, freta sororum
Ducatu, summi regis conscendit in arcem,
Qua residet rex ille poli, qui cuncta coercet
Legibus imperii, qui numine numina cœli
Constringit, cujus nutu cœlestia nutant.
Hæc igitur vicina Deo vix sustinet hujus
Immortale jubar, vix majestatis inundans
Exspectat lumen, sed eam defendit ab isto
Fulgure planities speculi, quam visibus offert
Illa suis, lucem speculo mediante retardans.
Tunc virgo genibus flexis et supplice vultu
Submissæ vocis modulo gestuque timentis
384 Supplicat æterno regi, verbumque salutis
Prælibat, mixtaque tremunt formidine verba.
Sed superum genitor reddens sua jura saluti
Erigit hanc, et stare jubet, motusque timoris
Sistere, ne terror animum vocemque retardet
Erigitur, mentemque regit, partimque retardat
Virgo metum, stat mens cum corpore, corporis [æquat
Mens erecta situm; sic vox submissa resumit
Vires, erectam mentem sua verba sequuntur.
Exit in has voces animus, verbisque redundat:

CAPUT VI.

Deum alloquitur cum omni humilitate. Causam legationis suæ exponit. Conqueritur mundum totum in maligno positum esse. Naturæ petit succurri formatione hominis novi. Naturæ necessitatem pergit exaggerare. Qualitates exponit novi hominis quem requirit a Deo.

Si nostros gemitus et nostræ tædia sortis,
Mundanos casus, mundanaque fata, caducos
Ortus, instantes obitus, vitæque propinquos
Lapsus, et nostræ pensemus originis omen;
Quæ nostrum tantos fastus invadat, ut ante
Conspectum faciemque Dei præsumat habere
Colloquium? noctisque lues, cum luce loquatur?
Conveniat regem servus; pauperque potentem?
Factorique suo moveat factura querelam?
Sed quia te fontem pietatis novimus, a quo
Livoris stimulum bonitas innata relegat;
A Cujus justitiæ pietas adjuncta rigorem
Temperat, et multum discurrere non sinit illam:
Ad te confugimus proscriptæ, quas fugat orbis,
Persequitur mundus, homo respuit, improbat om- [nis
Vivens: sicque tuis, si fas est dicere, mundus
Legibus excipitur, dum nostri jura nefandis
Actibus expugnat, et sic tibi bella minatur.
Nam tua res agitur, paries dum proximus ardet.
Hos casus natura videt, lapsusque cadentis
Mundi, virtutem vitio succumbere, fraudi
Fœdus, amicitiam liti, pacemque furori.
Hos gemit excessus, errores luget, abusus
Deplorat, mundumque dolet sub nocte jacere.
In multis etiam damnat sua facta reatus
B Excusare volens facto meliore, novisque
Artibus, atque nova medicina tergere morbum.
Qualiter ergo malum superet, morbumque recidat,
Putrida membra secet, ne pars sincera trahatur
Occurrat vitio, ne totum diruat orbem.
Vix cognoscit adhuc, sed tandem freta sororum
Colloquio, meliore via procedit, in istud
Consilium veniens, ut totis viribus unum
Cudat opus, per quod proprio succurrat honori.
Quo veteres operum possit pensare ruinas,
Vult hominem formare novum, qui sidere formæ
Et morum forma reliquos transcendat, et omnes
Excessus resecans regali limite gressum
Producat, mediumque tenens extrema relinquat;
C 385 Ut saltem mundo sidus præfulguret unum,
Qui jacet errorum tenebrosa nocte sepultus:
Ut sic respiret virtus, excuset in isto
Errores natura suos, et conferat uni
Quod multis conferre nequit, meritumque favoris
Et laudum titulos saltem lucretur in uno.
Quæ jacet in multis damnata, suumque decorem
Amittit, dum sola sui jam restat imago.
Sed nullo firmata manent concepta tenore,
Ni tua conceptis applaudat gratia, cœptum
Roboret, atque tuo confirmet numine votum
Natura langueret opus, penitusque jaceret
Incultum [76], veteris retinens fastidia massæ,
Ni tua naturæ firmaret dextera factum,
Infirmamque manum regeret, conduceret hujus
D Scribentis calamum, lapsum suppleret euntis.
Corporis effigiem sibi deputat, exigit a te
Quod superet natura bonum, munusque quod ipse
Solus habes, animamque petit, quæ sola superni
Postulat artificis sensum, limamque requirit.
Nostras namque manus terrestris fabrica tantum
Exposcit, sed eas animæ cœlestis origo
Ignorat, solique suum tibi [77] deputat ortum
Ergo tuo nutu numen cœleste caduca
Visitet, et corpus cœlestis spiritus intret,
In terra positus, in cœlo mente beata
Vivat, et in terris peregrinet corpore solo.
Virtutum dives opibus, fecundus amore

VARIÆ LECTIONES.

[76] *Ms. A.*, congestum. [77] *Ms. V.*, sic.

Cœlesti, carnisque domet ratione tyrannum :
Teque tuum fateatur opus, quis fecerit auctor
Prædicet, artificemque suum factura loquatur.
Sic ad nos divinus homo descendat, ut ipsis
Virtutum titulis aliorum moribus instet.
Te saltem moveant naturæ damna, pudoris
Exsilium, jactura boni, dejectio morum,
Error honestatis, fidei proscriptio, legum
Contemptus, nostræque preces : si pondera rerum
Vel momenta sumus, noli confundere dudum
Confusas ; fuimus et nos quandoque beatæ.
Si te nulla movent rerum discrimina, saltem
Te gratis moveat tua gratia, suscipe vota
Quæ damus, et precibus devotis pondera dona.
Si nos a patris proscriptas sedibus omni
Destituis voto, desertæ vincimur, omne
Perdimus officium, nostrasque relinquimus artes.
His precibus donat assensus arbiter aulæ
Cœlestis, mentemque foras vox provocat ista :

386 CAPUT VII.

Deus consolatur Prudentiam. Petitioni ejus assensum præbet. Misericordia supereminet judicio. Anima promittitur nova, virtutibus omnibus decorata.

Virgo parens rerum, superum germana, mihique
Filia, cœlestis ortu, tamen incola terræ,
In terris quæ sola sapis divina, meæque
Exemplum deitatis habes, fastidio mundi
Quæ relevas, fletusque tuo solamine tergis ;
Non tua degenerat a summa mente voluntas:
Nam patris ad votum suspirat nata, parentem
In voto sequitur patri non dissona proles.
Hoc mihi jampridem ratio dictavit, ut uno
Munere respicerem terras, mundumque bearem
Numine cœlestis hominis, qui solus haberet
Tot virtutis opes, tot munera digna favore,
Tot dotes animæ quo saltem mundus aberrans
Floreret, vitiis aliorum marcidus, imo
Jam defloratus in flore resurgeret uno.
Si terræ vitium, scelus orbis, crimina mundi
Ad meritum pensans vellem persolvere pœnas,
Aut iterum terras velarem fluctibus, undis
Vestirem montes iterum, totumque periret
Diluvio genus humanum, nec fluctibus ullum
Exciperet vitæ meritum, nec viveret alter
Deucalion, alterque Noe conduceret arcam ;
Sed potius mundus, qui crimine vivit in uno,
Ad vitæ meritum pœna moreretur in una:
Aut terræ delicta novus consumeret ignis,
Involvens homines una sub clade, nec ullum
Exciperet tantæ generalis regula cladis :
Aut scelerum pestes alia sub peste perirent.
Sed quia justitiæ vincit miseratio normam
Judiciisque [78] rigor cedit pietate remissus;
Non pœnas æquabo malis non præmia culpis,
Non ferro purgabo luem, non vulnere morbum :
Sed victus dulcore precum, vestrique misertus

A Exilii, meliora dabo medicamina mundo.
Munere divino, donis cœlestibus auctus
Spiritus a cœlo terris demissus in orbe
Terreno peregrinus erit, carnisque receptus
Hospitio luteum tegmen novus hospes habebit.
Hoc superest ut vestra manus concedat honestum
Huic animæ thalamum, regi respondeat aula,
Ne novus hospitii contagia sentiat hospes;
Ne nucleum lædat testæ putredo, saporem
Corrupti vasis sibi res contenta maritet.

CAPUT VIII.

Prudentia Deo gratias agit. Deus promissum implet. Noys præparat ideam animæ creandæ. Deus animam creatam Prudentiæ commendat. Anima unguento perfunditur contra peccata. Prudentiæ voti compos revertitur, cui occurrit Ratio. B *Natura miratur perfectiones animæ recenter creatæ, et a Prudentia sibi oblata.*

His hilarata magis propriumque oblita laborem
Virgo, nec ulterius pondus conquesta viarum
Persolvit grates, et cœli numen adorat.
Ipse Deus rem prosequitur, producit in actum
387 Quod pepigit : vocat ergo noym [79] quæ præparet illi
Numinis exemplar, humanæ mentis ideam.
Ad cujus formam formetur spiritus, omni
Munere virtutum dives, qui nube caducæ
Carnis obumbratus veletur corporis umbra.
Tunc noys ad regis præceptum singula rerum
Vestigans exempla novam perquirit ideam.
C Inter tot species speciem vix invenit illam
Quam petit; offertur tandem quæsita petenti.
In cujus speculo locat omnis gratia sedem
Forma Joseph, sensus Judith, patienti justi
Job, Zelus Phinees, Mosique modestia, Jacob
Simplicitas. Abrahamque fides, pietasque Tobiæ.
Hanc formam noys ipsa Deo præsentat, ut ejus
Formet ad exemplar animam : tunc ille sigillum
Sumit, ad ipsius formæ vestigia formam
Dans animæ, vultum qualem deposcit idea,
Imprimit exemplo, totas usurpat imago
Exemplaris opes, loquiturque figura sigillum
Adsunt factori Parcæ, cumulantque decorem
Facturæ, non invidiæ livore retractæ
A donis animæ, sed multa dote salutant
D Ortam, felici claudentes omine fatum.
His donis ditans facturam factor, eamdem
Commendat phronesi; movet hanc, et præcipit addens
Præceptis monitisque minas, ne tanta remisse
Conservet commissa sibi, sed cautius illam
Conducat, meliore via moderata meatum ;
Ne vel Saturni glaciali frigore tacta
Sentiat algorem nimium, vel Martis in æstu
Torreat, aut dulci pruritu læsa Diones
Langueat, aut lunæ fluitet torrentibus acta.
Tunc noys unguenti specie, quæ funditus omnem

VARIÆ LECTIONES.

[78] *Ms. V.* Judiciique. [79] Noys, *id est*, intellectus.

Aeris insultum sistat, morbique procellam,
Frigus avaritiæ, fedeque libidinis æstum:
Invidiæ sedet stimulum, contemperet iram,
Perfundens animam cœlesti rore perungit.
Ergo potens voti cœlo demittitur alto
Virgo, gradum properat, illucque revertitur unde
Venerat; in cœlum stellis radiantibus ardens
Pervenit, occurrit ratio, votoque potitam
Laudat, et auctoris miratur dona superni.
Tunc comites, quarum ductu prudentia sursum
Evasit, reddens grates, solvensque salutem,
Deserit, ad currum rursus, solitumque recurrens
Aurigam veteremque viam gavisa resumit.
Tunc loca pertransit Saturno proxima; caute
A Decipit illa senem, gressum secludit, et illi
Se procul absentat fugiens, callemque remotum
Intrat, ut illius queat expugnare furorem.
388 Saturnique tamen sensisset spiritus iram,
Ni liquor unguenti circa [80] pugnasset, et illum
Vincens fervorem superasset cœlicus imber.
Sic Veneris pestes, sic Martis decipit æstus,
Lunaremque globum: quæ tandem singula vincens
Immensum consummat [81] iter, votisque sororum
Exspectata diu prudentia redditur; offert
Naturæ cœleste datum; miratur in illo
Artificis natura manum, manusque beatum
Laudat, et in dono laudatur gratia dantis.

---

389 LIBER SEPTIMUS.

CAPUT PRIMUM.

Prudentiæ revertenti a Deo occurrunt virtutes. Natura ex elementis nobile corpus format. Corporis formati pulchritudo.

Occurrit Phronesi virtutum turba, suoque
Pendet in amplexu, collum ligat, oscula præbet.
Felicem laudat reditum, cum grata labori
Reddatur merces, felici fine laborem
Concludens, nec jam risus et gaudia vendat
Spem timor offendens, cum res sperata timorem
Sorbeat, et longo succedant gaudia voto.
Ergo sollerti studio natura requirit
Materiem summam, de qua præsigne figuret
Hospitium, carnisque domum, quam spiritus intret
Cœlestis, radietque suo domus hospite digna.
Excipit a terra quidquid purgatius in se
Terra tenet, quidquid puri sibi vindicat humor.
Quidve magis purum purus sibi destinat aer,
Vel defæcatum retinet sibi purior ignis.
Dividit a toto, divisaque rursus in unum
Colligit in summam commiscens, dumque futurum
Sic prælibat opus, humani corporis aptat
Materiem, signans operis vexilla futuri.
Ergo materiam choleræ vis ignea donat,
Quæ quamvis soleat totam turbare quietem
Corporis, et bellum plusquam civile movere;
Hic pacata jacet, nullos motura tumultus.
Materiam purus traducit ab aere sanguis,
Nec jam luxuriat proprio torrente superbus;
Sed pacem servat reliquis humoribus humor
Sanguineus, nullasque movet cum fratribus iras.
Illis inferior infra decurrit aquosus
Humor, et in morbos jam declinare recusat;
Quamvis germanæ soleat putredinis esse
Proximus, et varias languoris gignere pestes
Hic fæx humorum fæcem deponit, et omnes
Ingenitos mores melius morata recidit.
B Ex his materiem ductam natura monetat
In speciem, vultus humani corporis aptans
Materiæ, cujus miratur terra decorem,
Parque suum stupet in terris decor ipse decorum.
Omnes divitias formæ diffundit in illo
Naturæ prælarga manus, post munera pauper
Pene fuit natura parens, quæ dona decoris
Formæ thesauros vultu deponit in uno.
Spirat in hac forma Narcissus, et alter Adonis
Spirat in hac specie, quæ sit Venus [82] altera rursum
390 Cerneret, in solitum decurreret illa furorem.
Hoc simul in signum speciei donaque formæ
Cedit, quod nulla corpus pinguedine surgit,
Sed magis in maciem tendit: sic omnia juste
Possidet, in nullo decor ejus claudicat, imo:
C Nil majus conferre potest natura vel ultra.
Hæc igitur species tantum prætendit honorem,
Ut sese possit tute committere laudi
Invidiæ, laudemque suo mereatur ab hoste.

CAPUT II.

Concordia fœderat animam corpori. Arithmetica et Musica cooperantur conjunctioni animæ et corporis.

Postquam materiam naturæ dextra beavit,
Vultibus humanis animam concordia carni
Fœderat, et stabili connectit dissona nexu,
Junctura tenui, gumphis subtilibus aptat,
Composito simplex, hebeti subtile, ligatque
Fœdere complacito, carni divina maritat.
D Sic nocti lucem connectit, et æthera terræ:
Sic diversa tenent pacem, sic dissona litem
Deponunt propriam, nec jam caro bella minatur,
Spiritui cedens, sed non sine murmure multo.
Nec jam corpoream vestem fastidit abhorrens
Spiritus, hospitio tali lætatur et umbra,
Ut melius concludat opus concordia, virgo
Quæ nobis numeri doctrinam spondet, et illa

VARIÆ LECTIONES.

[80] *Ms. V.*, contra. [81] *Ms. A.*, superavit. [82] *Ms. V.*. quam si Venus.

Quæ monstrat vocum nexus et vincla sonorum,
Assistunt operi cœpto, firmantque duorum
Connubium, numerisque ligant, et fœdere certo
Nectunt, ut carni nubat substantia cœli.
Ergo novus formatur homo, miratur in illo
Se tantum potuisse potens natura, stupensque
Vix opus esse suum credit quod fecerat ipsa
Accumulat dotes præditas copia pleno
Perfundens cornu naturæ munera, nullam
Mensuræ metam retinens in munere tanto.
Et cornu quod nulla prius munuscula, nullum
Exhausit munus, totum diffunditur, in quo
Se probat, et quantum possit metitur in illo,
Accedit favor in dotem, ne tanta priorum
Munera perfectæ perdant præconia laudis.
His favet ergo favor, donans ut dona placere
Possint, et celeri perflat tot munera fama :
Quæ quamvis soleat verum corrumpere falso;
Hic nescit nisi vera loqui, moresque vetustos
Exuit, et de se retinet sibi nomina famæ.
Non ibi laus sine re, nec res sine laude, suamque
Curat ab hypocrisi laudem res digna favore.
Munera lætitiæ largitur grata juventus.
Et quamvis hujus soleat lascivia semper
Esse comes, deponit eam, moresque severos
Induit, atque senis imitatur moribus ævum.
391 In senium transit morum gravitate juventus.
Sic ætate viret juvenis, quod mente senescit
Ætatem superat sensus, primordia floris
Anticipat fructus, et rivum prævenit amnis.
Ævo concludit animus, dum dispare ritu
Pugnant : hæc juvenem loquitur, probat ille se-[nectam.
Risus adest; non ille tamen quem sæpe maligna
Gignit abortivum derisio, livor ab intus
Parturit, aut extra falsi describit amoris
Forma, vel instabili cerebro lascivia pingit :
Sed multum gravitatis habens, vultumque modeste
Inscribens [83], nullo deformans ora cachinno.
Talis erat risus nullo corruptus abusu,
Qualem causa, locus, tempus, persona requirit.
His pudor accedit, longe fomenta relegans
Luxuriæ, Veneris declinans dulce venenum,
Incestamque sitim redeuntem grata pudoris
Exstinguit saties [84], fluctusque libidinis a se
Depellit, vincitque, fuga, non Marte Dionem.

CAPUT III.

Pudicitiæ et modestiæ dona.

Hippolytus redit in vitam, redit alter in orbem
Elias, veteremque Joseph novus alter adæquat.
Forma pudicitiæ, custosque modestia, dotes
Apponit proprias, et donum cætera vincens
Dona, nec in dando mensuram deserit, imo
Singula describit certi moderamine finis.
Totum componit hominem, contemperat actus,
A Verbaque mentitur [85], libratque silentia, gestus
Ponderat, appendit habitus, sensusque refrenat.
Admonet instanter, ut nil agat una [86] pudendum,
Unde pudor frontem signet, mentemque reatus
Torqueat, aut famæ titulos infamia lædat.
Demonstrat quæ verba, quibus vel quando ta-[cenda,
Quæve loqui deceat, ne vel dicenda tacendo
Strangulet, aut nimio largus sermone tacenda
Evomat, atque seram diffuso subtrahat ori.
Describit gestum capitis, faciemque venuste
Suscitat ad recti libram, ne fronte supina
Ad superos tendens videatur spernere nostros
Mortales, nostram, dedignans visere terram;
Vel nimis in terram faciem demissus, inertem
B Desertumque notet animum : moderatius ergo
Erigitur; nec enim surgit vel decidit ultra
Mensuram signans mentem constantia vultus.
Scurriles prohibet gestus, nimiumque severos
Abdicat incessus, ne vel lascivia scurram
Prædicet, aut fastus nimius rigor exprimat ucum.
Et ne degeneres scurrili more lacertos
392 Exerat, et turpi vexet sua brachia gestu;
Aut fastum signans ulnas exemplet in arcum ;
Admonet illa virum; vel ne delibet eundo
Articulisque pedum terram, vix terrea tangens,
Ejus legitimo format vestigia gressu.
Ne cultu nimio crinis lascivus adæquet
Femineos luxus, sexusque recidat honorem :
C Aut nimis incomptus jaceat, squalore profundo
Degener, et juvenem proprii neglectus honoris
Philosophum nimis esse probet. tenet inter u-[trumque
Illa modum, proprioque locat de more capillos.
Non habitum cultus nimii splendore serenat,
Nec squalore premit, mediocriter omnia pensat.
Non vitanda foris oculus venatur, et auris
Mellifluæ vocis dulci seducta canore
Seducit mentem, deceptaque naris odore
Defluit in luxus, visum castigat et aurem,
Frenat odoratum : vel ne dulcore saporis
Desipiens gustus mentem nimium sapiendo
Decipiat, sensum gustus contemperat, usum
Tactus componit, ne devius erret, et intus
D Mentem sollicitet, Veneris præludia quærens
Exterius, nostræque ferens vexilla Diones.

CAPUT IV.

Rationis dona.

Non minor in donis ratio succedit, et omne
Diffundit munus nunc primo prodiga donis [87],
Jampridem quæ parca fuit, jam parcere dono
Desinit, ipsa tamen redeunt cum fœnore dona.
Illa monet juvenem monitu seniore, senisque
Largitur mores juveni ; docet ergo, repente
Ne quid agat, subitumve nihil præsumat, at omne
Factum præveniat animo, deliberet ante

VARIÆ LECTIONES.

[83] *Ms., Ant. habet* vultu que modeste subridens. [84] *Ms., A.*, macies. [85] *Ms., V.*, metitur. [86] *Ms., V.*, unde. [87] *Ms., A.*, propriis prodiga donis.

Quam faciat, primumque suos examinet actus;
Dividat a falso verum, secernat honestum
A turpi, vitium fugiens sectator honesti;
Promittat raro, det crebrius, imo petentem
Munere præveniat, ne sit res empta rogatu.
Si quid promittit, promissum munus adæquet,
Vel superet, ne re major spes gaudia vincat.
Promissum comitetur opus, ne tarda sequantur
Munera, ne doni merito dantisque favori
Detrahat, et donum minuat dilatio dantis.
Non fluat in motus varios, sed firmiter uni
Insistat mens fixa bono, ne singula tentans
Nil teneat, nec sic animus discurrat ubique,
Quod nusquam. Ne planta recens translata frequenter
Areat, aut varii tentans medicaminis usum
Invaleat morbus; ne mens sic omnibus adsit,
Ut nulli; sic cuncta probet, ut singula perdat.
393 Nec petat impelli populari laude, nec ipsam
Respuat oblatam, nisi sit velata colore
Hypocrisis, verbo quærens emungere lucrum.
Nam nimis austerum redolet, qui despicit omnem
Famam; mollescitque nimis qui singula famæ
Blandimenta petit, populari deditus auræ.
Non animo facili, non aure bibente favorem
Audiat hypocritas laudes, mendacia famæ,
Palponis phaleras, quæ verba sophistica pingit,
Et dulci laudum sonitu citharizat in aure
Divitis, et vendit laudes ad pondera doni.

CAPUT V.
Honestatis dona.

Post rationis opes et tantum munis, Honestas
Thesaurum reserat proprium, juvenemque suarum
Custodem decernit opum, deponit in illo
Quidquid habet, jus omne sui transfundit in illum.
Infames vitare monet, ne fama laboret,
Ne vicina bonos lædant contagia mores.
Ut vitium fugiat, naturam diligat, illud
Quod facinus peperit damnans, quod prava voluntas
Edidit; amplectens quidquid natura creavit.
Non homines, sed monstra cavens, et crimina vitans:
Sic instans vitio, quod rerum parcat honori:
In commune bonus, ne lux abscondita parce
Luceat, et fructus det virtus clausa minores:
Interius sibimet ut pauci vivat, et extra
Ut plures, intus sibi vivens, pluribus extra.
Ut mundo natum se credat, ut omnibus omnis
Pareat, et sapiens sese cognoscat in illo.
Ne loca denigrent famam, ne tempora reddant

A Suspectum, vitæque modus, rerumque facultas.
Prædictis succedit honor, prædicta colorans
Luce sua, nullamque sinit sentire lituram
Dedecoris, sed cuncta suo perlustrat honore
Muneris, et proprio cultu decus omnia vestit.
Non minus irradians aliarum facta sororum,
Quam rosa cognatos flores, quam Lucifer ignes
Sidereos, lapidumque jubar carbunculus auget;
Assistens Phronesis pluit omnia dicta [88] Sophiæ.
Non illas largitur opes, quæ sæpe potentum
Excæcant animos, et majestatis honorem
Inclinant, minuunt leges, et jura retardant;
Sed potius donat thesaurum mentis, et omnes
Divitias animi: quas qui semel accipit, ultra
Non eget, imo semel ditatus semper abundat.
B Quarum rectus amor, possessio nobilis, usus
Utilis, utilior largitio, fructus abundans.
Hæc est gaza poli, cœli thesaurus, inundans
Gratia, quæ doctos ditat, quæ prodiga largos
Vult possessores, et dedignatur avaros.
394 Clausa perit, diffusa redit; nisi publica fiat,
Labitur, et multas vires acquirit eundo.
Non istas depascit opes rubigo, nec ignis
Devorat, aut furis minuit subreptio, mergit
Naufragium, tollit prædo, depauperat hostis.
Nec solum phronesis confert sua dicta [89], sed ultra
Procedit, jubet ancillas [90] exponere quidquid
Possunt, et quodam certamine fundere dona.
C Grammaticæ doctrina prior præcepta Sophiæ
Complet, et in juvenem descendit tota, nec in se
Fit minor, imo magis crescens grandescit in illo.
Omne quod ipsius decernit regula, canon
Præcipit, et dictat artis censura magistræ,
In dotem juvenis confert, ne verba moneret
Citra grammaticam; ne verbo barbarus erret,
Barbaries quam nulla notat, sic ergo loquendi
Recte, scribendique viam sectatur, et artem
Assequitur, damnat vitium, toleratque figuram:
Perfundensque virum Pegasei nectare fontis,
Turba poetarum, docet illum verba ligare
Metris, et dulci carmen depingere rhythmo.

CAPUT VI.
D *Logicæ virtus. Rhetoricæ, arithmeticæ, musicæ, geometriæ, astrologiæ, theologiæ, pietatis dona.*

Succedit Logicæ virtus arguta, nec alget
Munere Pygmæo; verum contendit in illo
Spargere divitias, et dandi laxat habenam.
Hæc docet argutum Martem rationis inire,
Adversæ parti concludere, frangere vires
Oppositas, partemque suam ratione tueri:
Vestigare fugam veri, falsumque fugare,
Schismaticos logice, falsoque retundere fratres,
Et pseudologicos et denudare sophistas.
Adsunt rhetoricæ cultus floresque colorum,

VARIÆ LECTIONES.

[88] *Ms.* V., dona. [89] dona. [90] *Ancillæ, disciplinæ sunt humaniores, seu artes liberales.*

Verba quibus stellata nitent, et sermo decorem
Induit, et multa splendescit clausula luce.
Has sermonis opes cultus et sidera verbi
Copia Rhetoricæ jactat, juvenisque loquelam
Pingit, et in vario præsignit verba colore.
Succincte docet illa loqui, sensusque profundos
Sub sermone brevi concludere, claudere multa
Sub paucis, nec diffuso sermone vagari :
Ut breve sit verbum, dives sententia, sermo
Facundus, multi fecundus pondere sensus.
Vel si forte fluat sermo sub flumine verbi,
Fluminet uberior sententia, copia fructus
Excuset folii silvam, paleasque vagantes
Ubertas granis redimat, sensusque loquelam.
Donat opes ars illa suas quæ semina rerum,
Fœdera, complexus, causas, et vincula, certis
Legibus inquirit, numeros vestigat, et omnes
395 Discutit effectus, quibus omnia fixa tenen- [tur
Sub vicibus constricta suis, numerisque ligantur
Cuncta simul, pacemque tenent cessante tumultu.
Ergo viro sua denudat secreta Minerva,
Hæredem facit esse suum, juvenique revelat
Scibile quidquid habet, quidquid sua copia fundit,
Quæ ratio numeris, quæ virtus, quæve potestas
Insit, et in numeris quæ tanta potentia regnet,
Ut numeri nodo stabilis liget omnia nexus.
Musica divitias aperit, sua munera multo
Plena favore viro concedit, adoptat eumdem [91];
Omne suum velut hæredi delegat eidem.
Quæ vox displiceat voci, quæ consonet illi
Monstrat, amicitias vocum, rixasque sonorum
Edocet, et quæ vox turbet, quæ debriet aurem.
Explicitas in dona manus ars illa relaxat,
Quæ terræ spatium, tractus maris, aeris altos
Discursus, cœli fines metitur, et omne
Corpus sub certo describit fine, nec altum
Impedit, immensum tardat, retrahitque profun- [dum.
Illa virum docet in spatio concludere terram,
Aera metiri, mare sistere, claudere cœlum
Finibus, et teretem mundi describere formam.
Astrorum doctrina suum componit in illo
Hospitium, quo nulla magis sibi complacet aula.
Illa docet quis motus agit cœlestia, stellas
Excitat, aut cœli quis spiritus incitat orbem.
Hoc doni titulo mundi Sapientia ditat
Præsignitque virum; sed eum divinius afflans
Ars divina poli, veri schola, nescia falsi :
Ars quæ sola fide gaudet subnixa, nec arte
Nititur, humanæ fugiens rationis asylum :
Gratius arrisit, animam cum cœlicus ignis
In superis [92] retineret adhuc, splendorque serenus
Adspiraret ei, nec nostras ætheris imi
Pressuras pateretur adhuc, nec tædia mundi.
Illa docet cœleste sequi, vitare caducum,
Vivere lege poli, sursum suspendere mentem,
A Fastidire solum, cœlum conscendere mente,
Corporis insultus frenare, refellere luxus
Carnis, et illicitos rationi subdere motus.
Succedens Pietas se totam donat, et offert
In munus, tantumque viro committit, ut ipsa
Credatur Pietas, tantæ pietatis alumnus.
Hæc docet ut maculas animi complanet, et omnes
Deponat nubes odii, mens cerea fiat.
Si respersa semel fuerit pietatis olivo,
Sic tamen, ut nunquam firmæ constantia mentis
Deviet a recto, ne si pietate remissus
Mollescat juvenis, magnos effeminet actus
396 Mollities, perdatque viri mens fracta vigo- [rem.
B Hæc docet ut miseri lacrymas, incommoda, ca- [sus,
Judicet esse suos, nec se putet esse beatum,
Dum superesse videt in multis unde dolendum.
Defendat viduas, miseros soletur, egenos
Sustentet, pascat inopes, foveatque pupillos.

CAPUT VII.

Fidei dona.

Annectit sua dona Fides, in munere multo
Se probat esse Fidem, nec se sibi subtrahit, imo
Monstrat, et in dono se disputat esse fidelem.
Illa docet vitare dolos, contemnere fraudes,
Fœdus amicitiæ, fidei vim, pignus amoris,
Illæsa servare fide, nec nomine falso
Pseudo vel hypocritam simulare latenter amicum.
C Præterea monet illa virum, ne quærat amicos
Fortunæ comites, cum qua mutentur et adsint,
Vel fugiant, casusque vices et fata sequantur;
Qui cum fortunæ fugitivo vere recedant,
Adversi casus hiemes et nubila vitent.
Hæc juvenem docet, ut nunquam mereetur ami- [cum
Munere, nec doni merito venetur amorem.
Nam pretio quæsitus amor cum munere cedit,
Et quantum durat largitio, durat amicus.
Prostat talis amor, mensuram muneris implens.
Non ibi vera fides, ubi munus donat amorem.
Non donum largitur amor, dum pondus amoris
Ponderat ipsa dati merces, et copia doni.
Sed precis et pretii venali lege relicta,
D Quærat quem vero sic complectatur amore,
Illæsaque fide, quod amor lucretur amorem
Alterius, referatque novos novus alter amores;
Sitque relativa dilectio, mutuus adsit
Nexus amicitiæ, quam nec Fortuna novercans
Solvat, nec casus agitet, nec gloria frangat.
Quærat cui possit se totum credere, velle
Declarare suum, totamque exponere mentem.
Cui sua committat animi secreta latentis
Ut sibi, conservet thesaurum mentis in illo.
Nil sibi secretum quod non develet [93] eidem,
Ut suus in tali signo mensuret amicus
Pondus amicitiæ, quam lance rependat eadem.

VARIÆ LECTIONES.

[91] *Ms. A.*, adaptat eidem. [92] *Ms. A.*, in terris. [93] *Ms. A.*, revelet. *Ms. R.*, divulget.

Subsequitur virtus, quæ gaudet fundere dona,
Spargere divitias, et opum diffundere massam.
Quæ census nutrire vetat vel pascere nummos,
Nec sinit ignavam secum pigrescere [94] gazam :
Nec bursam satiat nummis, sed cogit eamdem
Ad vomitum, si quid census absorbuit unquam.
Olim parca viris nunc uni prodiga, sese
Transcendit, viresque suas excedit in uno.
Hæc docet ut mentem dono suspendat ab omni,
397 Excutiatque manum, nec opum succumbat amori,
Divitias animo calcans et mente triumphans.
Sic conculcet opes, ne conculcetur ab illis.
Ne manus ad donum currat, nexuque tenaci
Viscus avaritiæ munus constringat adeptum ;
Neve relativam mercedem munera quærant,
Nec lucrum sitiat, nec præmia munus adoret :
Sed sine spe reditus fundantur munera sparsim [95],
Solaque nobilitas et simplex gratia mentis
Informet munus, et doni condiat usum.

CAPUT VIII.

Nobilitas filia Fortunæ.

Post alias sua dona libens et læta dedisset
Filia Fortunæ, casûs cognata propinqui
Nobilitas, si quid proprium cessisset in ejus
Sortem, quod posset Naturæ lege tueri.
Sed quia nulla potest nisi quæ Fortuna ministrat,
Nil sine consilio Fortunæ perficit, imo
Matris adire domum disponit filia, gressum
Aggreditur, superatque viæ dispendia cursu.
Est rupes maris in medio, quam verberat æquor
Assidue, cum qua corrixans litigat unda ;
Quæ variis agitata modis, percussaque motu
Continuo, nunc tota latens sepelitur in undis,
Nunc exuta mari, superas respirat in auras :
Quæ nullam retinet formam, quam singula mutant
In varias momenta vices, quæ sidera florum
Jactat, et in multo lætatur gramine rupes,
Dum leni Zephyrus inspirat singula flatu.
Sed cito deflorat flores, et gramina sævus
Deperdit Boreas : ubi dum flos incipit esse,
Desinit [96], et florum [97] momento sistitur ætas.
Sicque furens Aquilo prædatur singula, flores
Frigoris ense metit, et pristina gaudia delet.
Hic nemus ambiguum, diversaque nascitur arbor.
Ista manet sterilis, hæc fructum parturit ; illa
Fronde nova gaudet, hæc frondibus orphana plorat.
Una viret, plures arescunt, unaque floret,
Efflorent aliæ ; quædam consurgit in altum,
Demittuntur humi reliquæ ; dum pullulat una,
Marcescunt aliæ. Varius sic alterat illas
Casus, et in varias [98] alternat motibus omnes.
Multa antiphrasim gerit illic alea casus,
Pygmea brevitate sedens, demissaque cedrus
A Desinit esse gigas, et nana myrica gigantem
Induit : alterius sic accipit [99] altera formam.
Marcescit laurus, myrtus parit, aret oliva,
Fit fecunda salix, sterilis pyrus, orphana fructu
Pomus, et in partu contendit vitibus ulmus.
398 Hic jaculis armata suis spineta minantur
Vulnus, et insultans manibus nocet hispida taxus.
Hic raro philomela canit, citharizat alauda :
Crebrius hic miseros eventus bubo prophetat,
Nuntius adversi casus, et præco doloris.
Hic duo decurrunt fluvii, quos dividit ortus
Dissimilis, dispar vultus, diversa coloris
Forma, sapor varius, distans substantia fontis.
Prædulces habet alter aquas, mellitaque donans
Pocula, melle suo multos seducit, et haustæ
B Plus sitiuntur aquæ ; potantes debriat, imo
Dum satiat, parit unda sitim, potusque sititur
Amnis, et innumeros hydropicat ille bibentes.
Murmure lascivit tenui, dulcique susurro
Murmurat, et placida rupem præterfuit unda.
Amnis in ingressu multi sistuntur, et ultra
Non patet accessus, qui dulces fluminis undas
Vix tangunt, libantque parum, tantoque sapore
Tacti, plus cupiunt, immergi plenius undis
Optant, et totos perfundi fluctibus artus.
Procedunt alii, quos alto gurgite mersos
Plenior amnis habet, et provehit altior unda.
Quos tamen imbutos tanta dulcedine fluctus
Ad ripam levis unda refert, terræque remittit.

C

CAPUT IX.

Adversitatis fluvius.

Præcipiti lapsu fluctus dilabitur alter,
Sulphureis tenebrosus aquis, absynthia gignit,
Unda sapore suo reddit fervore caminum :
Sicque color visum, gustum sapor, impetus aurem
Turbat, et insipidum fastidit naris odorem.
Non has crispat aquas Zephyrus, sed funditus illas
Evertens Boreas in montes erigit, undis
Indicens bellum, cognataque prælia miscens.
Fluminis in ripa lacrymarum flumina multos
Demergunt, qui demergi torrentis abysso
Amne furente timent, et fluctus ferre tumultum.
Multus in hunc amnem populus descendit, et altis
D Consepelitur aquis, tumidoque impellitur amne.
Absorbet nunc unda viros, nunc evomit ; istos
Fluctibus immergit, hos respirare parumper
Permittit : sed quam plures sic sorbet abyssus,
Quod revocare gradum, superasque evadere ad auras
Non licet, et reditus vestigia nulla [100] supersunt.
Hic fluvius variis currens anfractibus intrat
Torrentem prædulcis aquæ, cogitque fluentum
Degenerare, luemque suam partitur eidem.
Nubilus obtenebrat clarum, fermentat amarus
Prædulcem, tepidum calidus, fetosus odorum.

VARIÆ LECTIONES.

[94] *Ms. V.*, torpescere. [95] *Ms. A.*, passim. [96] *Ms. V.*, explicit. [97] *Ms. R.*, formæ. [98] *Ms. V.*, variis. [99] *Ms. J.*, induit. [100] *Ms. A.*, retrorsum.

LIBER OCTAVUS.

CAPUT PRIMUM.

399 *Fortunæ domus describitur. Fortuna nusquam stabilis.*

Rupis in abrupto suspensa, minansque ruinam,
Fortunæ domus in præceps descendit, et omnem
Ventorum patitur rabiem, cœlique procellas
Sustinet, et raro Zephyri mansueta serenat
Aura domum, fletusque Noti Boreæque rigorem
Parcius abstergit lenis clementia flatus.
Pars in monte tumet, pars altera vallis in imo
Subsidet, et casum tanquam lapsura minatur.
Fulgurat argento, gemmis scintillat, et auro
Resplendet pars una domus, pars altera vili
Materie dejecta jacet; pars ista superbit
Culmine sublimi, pars illa fatiscit hiatu.
Hic est Fortunæ sua mansio, si tamen usquam
Res manet instabilis, residet vaga, mobilis hæret:
Cujus tota quies lapsus, constantia motus,
Volvere, stare, situs decurrere, scandere casus:
Cui modus et ratio rationis egere, fidesque
Non servare fidem, pietas pietate carere.
Hæc est inconstans, incerta, volubilis, anceps,
Errans, instabilis, vaga, quæ dum stare putatur,
Occidit, et falso mentitur gaudia risu.
Aspera blanditiis, in lumine nubila, pauper
Et dives, mansueta, ferox, prædulcis, amara,
Ridendo plorans, stando vaga, cæca videndo,
In levitate manens, in lapsu firma, fidelis
In falso, levis in vero, stabilisque movendo.
Hoc firmum servans, quod nunquam firma; fidele
Hoc solum retinens, quod nesciat esse fidelis;
Hoc solo verax, quod semper falsa probetur;
Hoc solo stabilis, quod semper mobilis erret.
Ambiguo vultu seducit forma videntem.
Nam capitis pars anterior vestita capillis
Luxuriat, dum calvitiem pars altera luget.
Alter lascivit oculus, dum profluit alter
In lacrymas; hic languet hebes dum fulgurat ille.
Pars vultus vivit, vivo flammata colore,
Pars moritur, quam pallor habet, qua gratia vultus
Exspirat, languet facies, et forma liquescit.
Una manus donat, retrahit manus altera donum.
Ampliat hæc munus, hæc munera contrahit; illa
Porrigit, hæc aufert; hæc comprimit, illa relaxat.
Gressus inæqualis, [1] varius, retrogradus, errans,
400 Progrediens retrograditur, multumque recedit.
Procedens, pariter velox et lentus eundo.

A Nunc meliore toga splendet, nunc paupere cultu
Plebescens Fortuna jacet, nunc orphana veste
Prostat, et antiquos lugere videtur honores.
Præcipitem movet illa rotam, motusque laborem
Nulla quies [2] claudit, nec sistunt otia motum.
Nam cum sæpe manum dextram labor ille fatiget,
Læva manus succedit ei, fessæque sorori
Succurrit, motumque rotæ velocius urget.
Cujus turbo rapax, raptus celer, impetus anceps,
Involvens homines, a lapsus turbine nullum
Excipit, et cunctos fati ludibria ferre
Cogit, et in varios homines descendere casus.
Hos premit, hos relevat; hos dejicit, erigit illos.
B Summa rotæ dum Crœsus habet, tenet infima Codrus,
Julius ascendit, descendit Magnus, et infra
Sylla jacet, surgit Marius; sed cardine verso
Sylla redit, Marius premitur: sic cuncta vicissim
Turbo rapit, variatque vices fortuna voluntas.

CAPUT II.

Nobilitas domum Fortunæ, matris suæ, accedit; Fortuna et Nobilitas domum Naturæ adeunt. Nobilitatis dona parvi momenti sunt, respectu virtutum. Ratio assistit Fortunæ. Non sinit dare divitias, nisi mensurate.

Fortunæ loca prædicto signata paratu
Nobilitas festiva petit, matremque salutat
Adveniens, causamque viæ perstringit eidem
Sub brevibus verbis, et matri supplicat, orans
C Ut si quid præsigne gerat, dignumque favore,
Quod deceat virtutis opus, quod competat ipsi
Naturæ facto, non illud deneget illi;
Quem Natura creat, recreat nova gratia, formant
Mores, informat virtus, prudentia ditat,
Præditat pietas, afflat decus, ornat honestas,
Exornat ratio, species præsignit, et omnis
Virtutum cumulus ejus concurrit in usum.
His dictis modico risu Fortuna severos
Exhilarans vultus, hæc natæ verba rependit:
« Actus Naturæ, virtutis fabrica, nostrum
Non deposcit opus; nostro non indiget actu
Tam celebris factura Dei, quam singula ditant
Munera Naturæ, divinaque dona beatam
Efficiunt, nulloque caret virtutis honore.
D Quid poterit casus, ubi casu nulla reguntur?
Quid mea mobilitas, ubi rem constantia servat?
Quid levitas, ubi res stabilis? quid mobile, certa
Res ubi quæque manet? ferro non indiget aurum;
Non lumen tenebris: sic me non exigit actus
Naturæ, virtutis opus, factura superni

VARIÆ LECTIONES.

[1] *Ms. V.*, retrogradus, ebrius, errans. [2] *Ms. A.*, dies.

Artificis, nostræque manus non postulat usum.
Sed ne livoris stimulus videatur in istud
Desævire bonum, vel me suspendere fastus;
401 Dona feram, quæcunque tamen sint illa negare
Nolo, ne donans potius quam dona pudorem
Sustineat, donique notæ sint crimina danti.
Addam quæ mea sunt; si quæ tamen aut mea dici
Aut me posse decet alii conferre (quod absit !)
Ut dem, sed potius ad tempus præsto; nec unquam
Ulla dedi, nisi quæ pro velle resumere possem.
Sed tamen hic nostros conabor vincere lapsus,
Et vires inferre mihi, mutabo propinquas
Fraudes, atque mei deponam tædia casus.
Me reddam stabilem, motum pro parte recidens.
Incipiam solers, sapiens, discretaque, verax,
Et stabilis fieri; quæ stulta, improvida, mendax,
Et præceps huc usque fui, mutabo priores
Excessus, nostrasque manus mirabor ad horam. »
Arripit ancipites post hæc Fortuna meatus,
Et cœptum maturat iter, comitatur euntem
Nobilitas, sequiturque suæ vestigia matris.
Ergo viam superans incerto limite, gressu
Ambiguo, casu ductore, errore magistro,
Naturæ Fortuna domum perquirit, et illam
Vix tandem, fluitans, vaga, præceps, mobilis, errans
Invenit; adventum cujus mirata stupescit
Curia. Sed quamvis habitus mutatio, vultus
Degener, inconstans gestus, terrere videntem
Posset, et a recto stupidam divertere mentem :
Non tamen illa metu nutat, sed visa parumper
Miratur, nec mentis abest constantia firmæ.
Ergo Nobilitas dotes et munera profert.
Fortuna dictante modum, juvenemque beatum
Naturæ dono, virtutis munere, dote
Cœlesti, nulla peccati labe jacentem,
Afflat honore suo : tamen hujus dona minori
Luce micant donis adjuncta prioribus, imo
Vix aliquid splendoris habent; dum luce premuntur
Majori : sic flamma minor vicina camino
Languescit; sic stella latet contermina Phœbo.
Confertur tamen ad laudem titulumque favoris
Nobilitas augusta, genus præsigne, parentes
Ingenui, libertas libera, nobilis ortus.
Dum Fortuna parat alias apponere dotes,
Assistit danti ratio, ne forte priorum
Munera fermentet unius munus, et uno
Depereat vitio multarum gloria rerum.
Non sinit adversis respergere prospera, mœstis
Gaudia, Fortunam se fallere cogit, et aufert
Hanc sibi, mendacem veram facit esse, fidelem
Falsam, constantem fluidam, cæcamque videntem
Reddit, et ad tempus cogit cessare vagantem.
Ergo suas largitur opes Fortuna, nec ultra
A Mensuram citrave sinit decurrere donum,
402 Fortunæ ratio : sed opes metitur, et omnes
Librat divitias, ne si nimis effluat harum
Alveus, in præceps mentem deducat, et illam
Mergat opum torrens, animum declinet in usus
Illicitos, mentisque suos effeminet actus.

CAPUT III.

Alecto dolet hominem ad tantam perfectionem devenisse. Vitiorum congregatur concilium ad hominem impugnandum.

Jam perfectus erat in cunctis cœlicus ille
Et divinus homo, jam lubrica fama per orbem
Naturæ clamabat opus, jam rumor in aures
Multorum dilapsus erat; cum tristis ad istos
Horruit Alecto rumores, nec tamen illis
B Præbuit assensus faciles, sed credere tandem
Cogitur invita, cum res et fama peroret.
Ergo domos languere dolet, gemitusque silere
Ingemit, atque suos luget torpescere luctus.
Cum lætetur homo plorat; cum rideat orbis,
Luget, languescit; cum mundus floreat, aret.
Cum vireat virtus, cum res humana virescat,
Marcescit; cum regnet homo, proscribitur illa.
Ergo suas pestes pestis prædicta repente
Convocat : ad cujus nutus glomerantur in unum
Tartarei proceres, rectores noctis, alumni
Nequitiæ, fabri scelerum, culpæque magistri,
Damna, doli, fraudes, perjuria, furta, rapinæ,
Impetus, ira, furor, odium, discordia, pugnæ,
C Morbus, tristities, lascivia, luxus, egestas,
Luxuries, fastus, livor, formido, senectus.
Is scelerum turbo, vitiorum turba, malorum
Conventus, numerosa lues et publica pestis,
Tartareas ruit in sedes, ubi regnat Erynnys,
Imperat Alecto, leges dictante Megæra.

CAPUT IV.

Alecto Fastum alloquitur. Conqueritur de conversione hominum. Hominem impugnandum decernit.

Postquam turba furens, gens dissona, concio discors,
Plebs dispar, populus difformis, sedibus illis
Insedit, dum murmur adhuc percurreret aures;
Dans tumidas voces, et verba loquentia Fastum,
D Alecto prorupit in hæc : « Quæ jura, quis ordo,
Quis modus, unde quies, quæ tanta licentia pacis,
Ut nostras natura velit proscribere leges,
Et mundum servire sibi, damnare nocentes,
Et justos salvare velit, cum nostra potestas
Ejus præveniat vires, nostroque senatu
Plebescat Natura minor, totiesque subacta
Legibus imperii nostri, mutire valebit
Amplius, et nostris subducere colla catenis?
Proh pudor ! incestus aberit regnante pudore?
Languescet facinus mundum pietate regente?
Cedet avaritia [1], si munera fundat ubique

VARIÆ LECTIONES.

[1] *Ms. R.*, avarities.

403 Hostis avaritiæ? fraudis censura silebit
Regna tenente fide? feret ira silentia pacis?
Jus nostrum pax subripiet? quod tempore tanto
Defendens nobis præscriptio vindicat? usus
Confert? et justo titulo collata tuetur?
Sed pudeat nos jura sequi, quas vivere justè
Non decet, aut precibus uti. Pro legibus ergo
Sumendæ vires, vis pro virtute feratur.
Nos pro jure decet assumere robur, et armis
Res dictare novas, et sanguine scribere leges.
In nos maturas ævo, [4] bellique potentes,
In numero plures, majores viribus, unum
Expertem belli puerum, virtute minorem
Armavit Natura parens: sic sævit in ursum
Hinnulus, in quercus armatur virgula, vallis
In montes, lepus in catulos, in tigrida damæ.
Si forti fortem, clavoque retundere clavum
Vellemus; nunquid [5] uni concludere posset
E nostris unus, primo quem fovit ab ævo
Tisiphone? quem lacte suo potavit Erinnys?
Nunquid Sylla novus, alter Nero, vertere posset
Leges? antiquos rursus renovare furores
Rufinus? Catilina novus pervertere mundum?
Sed melius gens nostra simul collecta novellos
Naturæ teret insultus, fastusque recentes
Demittet, veteri reddens elata ruinæ.
Ergo pari strepitu, concordi Marte, furore
Æquali, lites et bella geramus in illum,
Qui solus, puer, et belli malè conscius, in nos
Armatur, cedrosque cupit delere miryca.

CAPUT V.

Vitia conspirant in hominem. Prima bellum sitit Discordia famulis suis, seu livore, rabie, furore, lite ira, etc. Discordiæ comites alii recensentur.

His dictis plebs tota suos clamore fatetur
Assensus, dominamque sequi, quocunque feratur,
Spondet, et ad votum confestim facta sequuntur.
Prima sitit bellum Discordia, prima tumultus
Appetit, et primùm præludia Martis inire
Præparat: assistunt famuli, complentque jubentis
Præceptum, dominæque parant insignia belli.
Livor equos, rabies currus, furor arma ministrat.
Impetus auriga, lis armiger, ira maniplus
Prævenit incessum dominæ; sed terror euntis
Assistit dextro lateri, damnumque sinistro
Hæret, defectus sequitur, mors ultima gressus
Arripit occiduos, et mortis fidus Achates
Pallor, et assiduo cædes comitata dolore.
Hos comites trahit ad pugnam Discordia, cunctos
Excitat, et sociis infundit Martis amorem.
Sed post arma rapit humili de plebe creata
Pauperies, facie dejecta, et paupere cultu,
404 Incessu tristi gradiens; sed prodiga vitæ,
Nec mortis concussa metu, nec fracta timore,
Irruit, et vendens in multo funere vitam
Plus audet, dum nescit inops pauperque timere.
It pedes innumera peditum vallante corona,
A Cujus in arma ruit plebeiæ turba cohortis,
Pœna, labor, sitis, esuries, jejunia, curæ.
Subsequitur vallata suis infamia monstris.
Illius vexilla gerunt contagia vitæ,
Factaque digna notis, et vita notabilis actu.
Despectus comitatur eam, pudor hæret eunti.
Serpit ibi murmur, currunt convicia, laudem
Fama per antiphrasim fundit, risumque cachinni.
Morbida, mœsta, tremens, fragilis, longæva senectus,
Innitens baculo, nec mentis robore firma,
Bella movet, bellique novo juvenescit in æstu.
Debilitas, morbi, languores, tædia, lapsus,
Illius comitantur iter; qui Martis amore
Succensi, pugna cupiunt incidere vitam,
B Ardet in arma furens scisso velatus amictu
Luctus, et irrorans lacrymis arat unguibus ora.
Tristities, pressura, dolor, lamenta, ruinæ,
Ejus in obsequium fervent, dominique fatentur
Militiam, belloque calent cum rege ministri.
Martis in ardorem nativos excitat ignes
Ignea luxuries, multo comitata cliente:
Ejus in auxilium jurant perjuria, spondet
Falsus amor, levitas animi, lascivia mendax,
Insipidus dulcor, sapidus dolor, ægra [6] voluntas,
Prosperitas adversa, locus lugubris, amara
Gaudia, dives paupertas, opulentia pauper.
Post alios in bella furens et pronus in arma,
Sublimis provectus equo, gestuque superbus,
Excedens habitu, verbòque superfluus, actu
C Degenorans excessus adest, bellique furorem
Prævenit, et cunctis bellandi suggerit iras:
Quo duce signa gerit, et bellum voce minatur
Ebrietas, fastus, jactantia, crapula, luxus.

CAPUT VI.

Stultitiæ bellum. Ejus comites. Impietatis comites, Avaritia, furia infernalis, et ejus sequela. Vitiis strenue se opponunt virtutes hominemque defendunt.

Assiduus scelerum fomes carnisque tyrannus,
Peccati stimulus, delicti flamma, reatus
Principium prædo nostræ rationis et hostis,
In tantam pugnæ rabiem bellique furores
Currit, in auxilium cujus movet arma reatus,
D Velle malum, calor illicitus, damnosa voluntas.
Stultitiam non turba minor, non rarior [7] armat
Conventus procerum: comes est ignavia, ludi,
Segnities, nugæ, garritus, otia, somni.
Non minus impietas sævit, multoque superba
405 Milite, majori voto sitit arma, nec ullam
Gaudet habere viam, nisi fusi sanguinis unda.
Ejus castra tenent, illamque fatentur in armis,
Nequitiæ, strages, facinus, violentia, clades.
In pharetris sua tela gerens arcuque doloso,
Fraus armata furit; comes est fallacia, duplex
Calliditas, dolus illiciens, versutia fallax.
Pejor avaritiam comitatur turba clientum,
Cura frequens, usura vorax, turpisque rapina;

VARIÆ LECTIONES.

[4] Ms. A. [illegible] loque. [5] Ms. R., unum. [6] Ms. R., voluptas. [7] Ms. A., ornat.

Quæ vigili cura, studiosa mente recenset,
Qui numini venantur opes, quis segnis in arca
Pigritat, et nullos domino deservit in usus.
Hanc ignobilitas sequitur, gressumque sequentis
Dedecus assequitur, hæret dejectio, verber
Assidet, applaudit angustia, casus adhæret.
Quæ quamvis onerosa foret, dejecta, malignans,
Plus sibi conciliaus Fortunæ matris amorem,
Plusque placet matri, tantoque remissior alget
Nobilitatis amor; et jam mutare priora
Facta cupit Fortuna parens, prolique secundæ
Tota favet, tentatque prius decidere factum :
Nuntia fama volat, et veris falsa maritans,
In superos furias, in cœlum regna silentum
Conspirasse refert manes, Erebique tyrannum
Tartareum reserasse chaos, fratrique negare
Regna, nec ulterius pacem concedere mundo ;
Monstraque mentitur monstris majora loquendo,
Dum sceleri scelus accumulat, furiisque furorem
Addit, et Eumenides solito plus posse fatetur.
Tisiphones cumulat iras, augetque Megæram ;
Sævior assurgit Pluto, fit major Erinnys,
Desinit esse triceps inferni janitor, ora
Mille capit, proprios Alecto duplicat angues.
Proposito stat fixa suo natura, nec ullo
Concutitur vexata metu, sed mente timorem
Expugnat : crescit animus, bellique voluntas
Surgit, et affectus virtutibus insidet idem.
Armatur cœlestis homo, superumque beata
Progenies, quæ tanta novi discrimina Martis
Sola subit; dant arma viro, viresque ministrant
Virtutes, unumque suis insignibus armant.
Pax ocreas donat, probitas calcaria confert,
Loricam pietas, galeam prudentia, telum
Vera fides, ensem ratio, constantia scutum.
Spes largitur equos, castus timor addit habenas,
Armigeri gerit officium concordia, præco
Fama canit, cumulatque viri præconia laude.
Militat à dextris ratio, constantia lævam
Assequitur partem, totamque modestia plebem
A Ordinat, et peditum strepitum prudentia frenat.
406 Quælibet a simili virtus gerit arma viroque
Jurat in auxilium ; quæ totum Martis honorem
Dat juveni, cui bella movet Natura, suamque
Donat ei belli palmam, pugnæque laborem.

CAPUT VII.

Vitia magno impetu in orbem prorumpunt. Conflictus virtutum et vitiorum præludium.

Jam pestes Erebi, scelerum contagia, monstra
Inferni, cives Plutonis, noctis alumni,
Tartareum chaos egressi funduntur in orbem :
Jamque diem nostrum multa caligine noctis
Involvunt, mundique jubar delere laborant.
Insultus lux ipsa novos miratur, et ipsam
Noctem plus solito jam posse, magisque morari,
B Nec proprias servare vices, nec cedere Phœbo.
Sed tamen hoc solo pensat sua damna, quod illic
Lux æterna manet, nullis decisa tenebris,
Continuusque dies ; ubi cœlicus ille senatus,
Turmaque virtutum Naturæ militat agmen.
Jam se prospiciunt acies, jam prospicit hostem
Hostis, et aspectus animos succendit in iras.
Ignescunt animi, mentes audacia major
Erigit, exsurgunt iræ ; jam mente cohortes
Se superant, animi jam mutua vulnera [8] fingunt.
Mens ardore prius pugnat, quam dextera ferro,
Impatiensque moræ vitiorum turba priores
Arripit insultus pugnæ, primumque furorem
Excitat, et magnis clamoribus intonat iras
C Tota cohors, verboque prius consurgit in hostem,
Quam ferro ; verbis bellum prælibat, et illi
Gestu, voce, minis, insultat ; nec tamen illum
Gestus, verba, minæ frangunt : sed fixus in alto
Mentis proposito juvenis constanter ad ista
Erigitur ; vincitque metum constantia mentis.
Sed postquam sua verba, minæ, gestusque vigoris
Nil habuere, locum dant verba, nec amplius illis
Est locus, imo minis factum succedit, et armis
Cedunt verborum pugnæ : jam mystica [9] bella
[10] Rem sapiunt, pugnas animi res ipsa fatetur.

407 LIBER NONUS

CAPUT PRIMUM.

Pugnæ descriptio insignis. Discordia pugnam inchoat. Homo justus strenue sese vitiis opponit. Discordiam primo aggreditur, et obtruncat. Cætera quoque vitia perimit vel fugat.

Jam pedites in bella ruunt, jam sanguinis audent
Fundere primitias, jam libamenta cruoris
Prima dare affectant, primævaque funera belli.
Pulveris insurgunt nebulæ, novus imber inundat
In terris, dum tela pluunt, dum pulveris imber
D Funditur, et cœlum cœlorum nubila velant,
Et ferri splendore novo nova fulgura lucent.
Mente calens, fervens animo, flammata furore,
Prima viro movet assultus [11] Discordia, primum
Aggreditur Martem, primo casura tumultu.
Impetus urget equos, lis suggerit arma, sagittam
Ira ministrat ei, furor arcum præparat, ensem
Livor, et ad pugnam reliquis ferventius ardet.
Ergo sagitta volat prænuntia Martis [12], et hostem
Impetuosa petit, quam totis viribus actam

VARIÆ LECTIONES.

[8] *Ms. A.*, figunt. [9] *Ms. V.*, verba. [10] *Ms. R.*, res. [11] *Ms. V.* insultus. [12] *Ms. R.* mortis.

Dirigit in juvenem Discordia, nec tamen ictus
Dextræ mittenti respondet, parma sagittam
Respuit, et totos objectus umbo refellit.
Tunc animi vires et totum robur in unum
Colligit, et Marti se totum devovet ille.
Indulget freno juvenis, calcaribus urget
Cornipedem, nec segnis, hebes, pigredine lassus
Lentescit sonipes, sed eodem Martis amore
Militat, hostiles frangens cum milite turmas.
Adversas igitur partes invadit, et ipsis
Hostibus occurrens vagina liberat ensem.
Nec tonat ille minis, sed solo fulminat ense.
Ferro cuncta probat, nec verbis disputat, imo
Verberibus, multisque modis concluditur hosti [13].
Excipit a reliquis illam quæ prima furoris
Causa fuit, quæ prima dedit fomenta malorum.
Hanc igitur mucrone petens, a corpore vitam
Extorquet, cogitque mori quam vivere mundo
Mors erat, et mundi mortem mors una retardat.
Nec satis est vidisse mori, plus exigit hostis :
Ense metens caput a trunco diffibulat ora.
Et merito caput a trunco discordat in illa,
Per quam lis, odium, rabies, dissensio, rixa
Prima fuit ; per quam primo conflictus, et iræ,
Primævique metus, et belli prima cupido.
Ergo solo jacet exanimis, quæ reddidit olim
Exanimes alios ; sed ea moriente suorum
408 Emoritur virtus, unus pœna redundat
In multos, morbus capitis discurrit in omnes.
Jam timor ipse timet, lis subticet, ira tepescit,
Mutescit rabies, cadit impetus, occidit ipse
Livor, languescit odium, furor arma resignat.
Adsunt Virtutes juveni, quæ Martis eodem
Succensæ stimulo, reliquos armantur in hostes.
Hos perimunt, illosque fugant, bellatur in omnes.
Vera fides odium perimit, concordia litem,
Pax iram, rabiem constantia, spesque timorem,

CAPUT II.

Paupertatis arma. Invadit hominem. Sodales ad pugnam urget. Sodales Paupertatis recensentur. Paupertas sternitur. Ejus fugantur sodales.

Non minor ad pugnam, sed major surgit in iras
Pauperies, non ense tumens, non fulgure teli
Bella minans, nulla loricæ veste refulgens,
Nec clypeo munita latus, nec casside vultum ;
Sed nodis variis callosa, nec arte polita.
Sed vultus veteres retinens · primamque figuram
Clava vicem gerit armorum, sed quæ minus arma
Dant, supplent animi, dat mens quod perdit in armis.
Pauperies ruit in juvenem, clavaque minatur
Funera, librat eam, librata percutit ; ictum
Ille stupet, tanto dum cassis subsidet ictu :
Sed tamen instantis ictus constantia partem
Eludit mucrone suo ; magis ergo furore
Uritur, et magno strepitu bacchatur egestas,
Dum videt incassum clavam sævire, nec illam
A Respondere sibi : tunc ictus duplicat, imo
Multiplicat ; sed clava suo nugatur in ictu.
Nam quoties clavæ paupertas objicit ictum,
Argumenta suo Virtus mucrone refellit.
Sed postquam sua bella videt nil posse, ministros
Acrius ad pugnam stimulat : labor irruit, instat
Esuries, sitis insultat, jejunia pugnant.
Insurgunt vigiles curæ, dant arma labori
Gleba, lapis, fustes, telum de stipite querno.
Esuries armata rapit carecta, ministrant
Tela siti, reliquæ paribus bacchantur in armis.
Sed juvenis prior occurrit, prior obviat hosti,
Pauperiem prior aggreditur, celerique volatu
Cornipedis, pariterque suo conamine nitens,
Accumulat vires hastæ, qua dejicit illam,
B Quæ terræ dejecta jacet : petit ergo jacentem ;
Nec tamen illius scrutatur viscera ferro,
Nec rotat ense caput, nec inebriat arma cruore,
Funere famoso dedignans claudere vitam
Hostis, et insigni leto pensare ruinam :
Sed conculcat eam, confundens ora jacentis,
Dejectamque solo pedibus triturat [14] equinis.
Cogitur ergo mori jamdudum mortua mundo
409 Pauperies, nec mors animum prædatur in illa ;
Sed potius mens una manet, languetque repressa
Mors a mente minor, multumque diuque resistit
Mens morti, tandemque simul cum morte recedit.
Dum sic in fatum concedit, juraque fati
Paupertas, proprium moriens depauperat agmen.
C Cœtus eget qui dives erat dum vixit egestas ;
Ejus divitiæ pereunt, omnisque facultas
Pauperie pereunte perit : coguntur egere
Concives, quos illa prius ditavit egendo.
Languescit labor exhaustus, sitis effugit, arma
Dejicit esuries, fugiunt jejunia, curæ
Depereunt : sic turba minor majore ruina
Deprimitur, populusque perit pereunte magistro.
Ergo quies pœnam, saties jejunia, curas
Pax fugat, esuriem devincit copia, languet
Ubertate sitis, et victa carentia cedit.

CAPUT III.

Infamia oppugnat hominem. Repellitur. Infamiæ comites. Infamia sternitur. Comites fugiunt.

Tunc comitum supplere volens, Infamia, casus,
D Fortior assurgit, sociorum vendere mortem
Tentat, et hostili leto satiare dolorem.
Irruit in juvenem, sed verbo prævenit ictum,
Et verbis acuens convicia : « Proh pudor! inquit,
Gens ævo, sensu, cautela, viribus, armis
Pollens, unius juvenis succumbet inermi
Militiæ? nostraque feret de gente triumphum
Iste puer? » Nec plura loquens delegat in illum
Telum, demonstrans facto quod voce minatur.
Missile decurrens cum verbo verberat auram ;
Nec vice legati pacem denuntiat, imo
Bella gerit, cursuque ruens Infamia telum
Insequitur, telo cursu contendit, et hostem

VARIÆ LECTIONES.

[13] *Ms. R.* hostis, [14] *Ms. A.* conculcat.

Ense petit, mucrone volens succurrere telo :
Ut si forte viri deludant arma sagittam,
Vel modica teli rabies desæviat ira,
Teli mucro furens algentes suppleat iras.
Ergo sagitta memor dextræ, quæ miserat illam,
Insilit in frontem juvenis ; sed cassis euntem
Sistit, eam retinet, gressum negat, obstat eunti.
Sed teli supplere volens Infamia lapsum,
Succurrit telo, nudo mucrone ; sed ictum
Excipit a galea medius favor, ensis ab ictu
Decidit, et comitis male supplet damna sagittæ.
Sed postquam ducis insultus nil posse clientum
Turba videt, magis in rabiem succenditur : ergo
Fortius arma rapit, pugnant contagia, murmur
Irruit, insurgunt convicia, dedecus instat.
Sed juvenis nec mente jacet, nec frangitur hoste,
Nec terrore pavet, nec vulnere læsus oberrat ;
Sed cornu famosa suæ præconia laudis
410 Intonat, ad tempus famæ subdicit, et hostem
Hoc mucrone ferit, vires in vulnere multo
Monstrat, et egressus cerebro reseratur in ictu.
Hostis in occasu pudor occidit, arma reponit
Murmur, mutescunt convicia, dedecus iram
Nescit, contemptus moritur, contagia cedunt.
Dedecus ergo favor exstinguit, fama pudorem,
Gloria supplantant murmur, convicia laudes,
Contemptum prædatur honor, contagia virtus.

CAPUT IV.

Senectutis impetus. Luctando invadit hominem. Senectutis arma. Senectus sine vulnere vincitur. Victa fugit, armis dejectis, contenta baculo.

Quamvis pigra foret, quamvis ignava, Senectus,
Quamvis delirans, quamvis torpore fatiscens ;
Prona tamen calet in bello, juvenescit in armis,
Nec baculi jam quærit opem suffulta furore,
Nec regimen poscit, quæ sustentatur ab ira,
Debilitate potens, morbo robusta, dolore
Dives: segnitie fortis, pigredine prompta.
Ergo propinqua neci, morti vicina, propinqua
Florida canitie, rugis sulcata senectus,
Oppositum ruit in juvenem, nec primitus instat
Ense, nec aggreditur telo, nec cuspide pulsat ;
Sed quadam luctæ specie conatur, ut illum
In terram demittat, equum subducat, et armis
Exutum, liber gladius grassetur in hostem.
Sed monitu calcaris equus succensus, in illam
Irruit, et miseram terræ deponit ; at illa
Exsurgens vires pariter cum mente resumit.
Vertit ad arma manus, et spem deponit in armis ;
Sed cassis torpore jacet, squalore senescit,
Atque situ scabre morsum rubiginis horret.
Parma suum multa rubigine computat ævum,
Nec vetat ingressum nudata crate sagittis.
Loricæ fragiles mordens rubigo catenas
Dissuit, et juvenis [15] addit divortia squamis,
Pigritat affixus vaginæ mucro, nec extra
A De facili prodit, longo torpore quiescens :
Quem Senium nudare parat, sed degener ensis
Respuit egressus istos, dextræque monenti
Denegat obsequium, malens torpore quietis
Uti, quam varios belli sentire tumultus.
Sed tamen a loculo tandem producitur ensis
Segnis, hebes squalore jacens, nec jam memor iræ
Bellorum ; pacemque magis quam tela requirit
Hic mucro, si mucro tamen de jure vocari
Debeat hic gladius, et non mucronis imago.
Impetit ergo virum gladio munita Senectus.
Vulnus ab ense petit, sed vulneris immemor ensis
In cassum pulsans aditus ad vulnera nescit ;
Sed stupet ad galeam vario delirus in ictu [16].
B **411** Ergo Senecta videns proprium nil posse furorem,
Miratur, seseque dolet sine vulnere vinci,
Et quamvis esset morti vicina, propinquam
Maturare volens, hostis sibi provocat ensem.
Sed juvenis miseratus eam, nec digna rependens
Hosti pro meritis, nolenti vivere, vitam
Concedit, fatumque negat sua fata volenti.
Sistit equum, frenum retinet, sermone Senectam
Aggrediens, animosque truces et vota retardans
Prodit in hæc ; « Cur fata paras, cui proxima fatur
Mors finem? cui vita mori? cui vivere fatum ?
Cur quæris tibi concessum ? cur poscis inepte,
Quod natura parat? quod mors vicina minatur ?
Utere quæ restat vita, nec quære propinquos
C Anticipare dies : vitæ compendia mortem
Solentur, mortis dispendia vita repenset. »
Ergo victa fugit, belloque renuntiat, ensem
Dejicit, expellit clypeum galeamque Senectus
Exuit, et solo baculo contenta recedit.
Debilitas perdit vires, belloque recedens
Languescit morbus, languor fit morbidus, hærent
Lapsus, labuntur defectus, tædia languent.

CAPUT V.

Fletus ulturus matrem armatur in hominem. Vincitur per risum. Venus fortiori impetu hominem aggreditur. Ejus arma. Homo fugiendo sagittam vibrat, Veneremque perimit. Fugiendo fugatur Libido. Libido potentiam suam jactat, et victorias recenset.

D Jam comites errare videns et cedere pugnæ,
Fletus adest, matremque suam succumbere bello
Luget, et abscisso mœret velamine luctus.
Utque erat impatiens, gressum maturat, et hostem
Impetuosus adit, galeæque resolvere nodos
Tentat, ut ad vulnus ingressum præparet ensi.
Sed Risus succurrit ad hæc, mucrone lacertum
Dissuit a trunco, galeæ manus hæsitat, hærens
Emoritur, proprioque stupet privata vigore.
Jam gemitus sua damna gemit, jam luctus inundans
Assumit sibi se, Fletus lacrymatur, et omnis

VARIÆ LECTIONES.

[15] *Ms.* V. victis. [16] *Ms.* A, varios delirus in ictis.

Turba comes, mœret planctus, lacrymæque madescunt.
Jam dolor ipse dolet, perdens fomenta doloris,
Deprimitur pressura, cadunt lamenta, ruinæ
Depereunt, omnisque perit violentia luctus.
Gaudia tristitiem, pressuram gloria, planctum
Prosperitas, lamenta jocus, felicia casum
Exsuperant, vincitque mali fastidia risus.
At Venus ipsa furit, cui fortior ira, nefasque
Majus, et insultus pejor, graviorque potestas;
Dum comitum languere manus, rarescere pugnam
Luget, et hostiles animoque manuque catervas
Crescere; jamque suos dolet exspirare furores:
Ignitam tamen illa facem, quæ fulminis ipsam
Metitur speciem, qua saxa resolvere, cautes
Extenuare solet, ferrum mollescere, rupes
412 Inflammare, rapit instanter, vibrat in hostem.
Has pugnas, hæc bella tremens, hæc prælia vitans
Exspectare timet juvenis, fuga consulit illi,
Consilioque fugæ venientes effugit ictus.
Fax ignita cadit, exspirat in aere, vires
Amittit, dum nulla manent fomenta caloris.
Hic tamen a tergo Parthorum more sagittam
Dirigit in Venerem; nec fallitur illa, sed ictum
Primo proponit, assumit vulnus, et inde
Mortem concludit: nec ad hæc instare Libido
Argumenta potest, dum sic concluditur illi.
Sic juveni sub Marte novo nova laurea [17] cedit.
Dum fugit ergo fugat; dum cedit ceditur illi.
Dum cadit erigitur, vincit dum vincitur, audet
Dum timet, expugnat dum pugnam deserit, absens
Instat, et in bello præventus prævenit hostem.
Dum moritur, sua facta stupet Cytheræa, nec ipsam
Credit adesse necem, quamvis mors ipsa loquatur.
Cum per eam soleant alii succumbere leto,
Vix credit se posse mori; sed proxima tandem
Fata videns, prorumpit in has moritura querelas:
« Heu! toties victrix uno delirat in actu [18]
Nostra manus! toties vincens nunc victa fatiscit;
Quæ falli nescit, nec quam fortuna fefellit!
Nunc alget meus, ille meus calor, imo caminus,
Qui solis flammas urit, succendit in undis
Neptunum, Bacchum bacchari cogit, et ipsum
Fulminat igne Jovem, superis furatur honorem
Numinis, et multos cogit servire potentes.
Nunc mea tela jacent, quibus olim victus Achilles
Cessit, degeneri mentitus veste puellam.
Inque colum clavam vertens, in pensa sagittas,
In fusum pharetras, Alcides degener armis,
Totus femineos male degeneravit in actus. »
Hæc ait, et vitam pariter cum voce reliquit.

CAPUT VI.

Excessus hominem oppugnat. Vincitur a Moderantia. Luxum vincit Sobrietas. Gula expugnatur. Carnis stimulum debellat Ratio. Imprudentiæ bellum; vincitur a Prudentia.

Jam timet Excessus, jam bello cedere quærit,
A Jam mens alta cadit, jam mente decidit ardor;
Dum comitis videt occasum; quæ maxima belli
Pars erat, et prima totius Martis origo.
Hasta tamen vibrata volat, sed deviat hostem,
Dum petit hæc; mittensque manus male consulit illi
Quæ male dum regitur, errans declinat ab hoste,
Nec saltem clypei partem prælibat eundo.
Tunc juveni delegat opem Moderantia; ferrum
Nudat, et hostilem turbat frangitque catervam.
Pugnat in Excessum Moderantia, sobria Fastum
Aggreditur Ratio, Pœnam Tolerantia, Luxum
Sobrietas; sed pugna favet virtutibus, harum
413 Defendit partem victoria, vincitur ergo
Fastus, Luxus abit, cessat Gula, Crapula cedit.
B Tunc carnis stimulus furtivo Marte reluctans
Impetit a tergo juvenem, tentatque latenter
Insultare viro; tamen istos provida sentit
Insultus Ratio, nec torpet pigra, sed illi
Obviat, indomitum retinet, sistitque furentem.
Sed tamen ille diu Rationis viribus obstans,
Ex quo contendit illi, multumque repugnat
Luctans, et tandem victus submittitur hosti;
Acrius in pugnam volat Imprudentia, nullam
Bellandi servat legem; sed turbine belli
Turbida, nil animo retinet nisi Martis amorem.
Mole sua fixum summa de rupe molarem
Extorquere cupit, sub quo nutaret Achilles,
Alcides gemeret, totusque fatisceret Atlas.
C Sed vires oneri cedunt, et pondere victa
Vis hebet, atque gravem patitur sub mole ruinam.
Obstat ei Phronesis, et jam sub pondere victam
Vincit, et in victam feriari cogit ab armis.
Segnitiem superat Solertia, Seria Ludum,
Utilitas Damnum, Studium fugat Otia, Sensus
Stultitiam damnat, Nugasque Silentia vincunt.

CAPUT VII.

Impietatis bellum. Impietas non movetur blanditiis, Proprio labore fatiscit. Fraudis bellum. Adulatione tentat superare hominem. Fides Fraudem superat.

Non ultra retinet iras mentisque tumultus
Impietas, sese bellando prædicat, et se
Rixando loquitur, verbis rixatur, et ictu
Consummat rixas; probat ense quod ore fatetur.
D Errat in errore Martis, bellique furore
Plus furit, inque via Martis fit devia, legem
Bellandi sine lege tenens, sine fœdere fœdus.
Dum minus in vulnus desævit mucro, securim
Arripit, ut redimat gladii delicta securi.
Ergo virum ferit, et vires consumit in illo
Sed juvenis stat securus sub mole securis
Assistens Pietas ferro non militat, imo
Blanditiis precibusque cupit mollescere bellum.
Sed tamen imbre precum gravius succenditur ardor
Bellandi, donantque preces fomenta furori.
Sed postquam nil blanditiæ, nil verba favoris,
Nil valuere preces; Pietas mellita resignat

VARIÆ LECTIONES.

[17] *Ms. V.* gloria. [18] *Ms. V.*, ictu.

Verba, rapit ferrum, belluinque recplllere bello
Incipit, et ferrum ferro, fallitque securim
Objecto clypei, variosque reverberat ictus.
Sed tandem proprio devicta labore, fatiscit
Impietas, Marti cedens sine Marte subacta.
Quæ restat, Fraus sola sibi solatia pugnæ
Quærit, et ad veteres latebras fraudesque recurrit,
Degeneri pugna, servili Marte, doloso
Insultu, belli furias molitur in hostem.
414 Blanditiis non blanda tamen Fraus allicit [illum.
Has ergo vomit illa preces, et dulcibus afflat
Verbis, et phaleris dictorum palliat artem :
« O juvenis cui terra favet, cui militat æther,
Cui Deus arridet, cœlum famulatur, et omnis
Applaudit mundus, et totus supplicat orbis;
Relliquiis belli, quæ vix et forte supersunt,
Parce, nec in victos desæviat ira leonis.
Vincere cur victos tentas? cur bella movere
Quæris in imbelles? satis est potuisse, nec ultra
Nobilitas animi quærat, nisi vincere posse. »
Dum blandis precibus mentitur verba precantis,
Evocat occulte gladium, maturius ensem
Nudat, et ingeminans ictus ad vulnera ferrum
Invitat; sed cassis ad hoc contendit, et ensem
Spernit, nec tali dignatur cedere ferro.
Econtra gerit arma Fides, Fraudisque refellit
Insidias, nudatque dolos, et furta revelat.
Sed postquam nil posse dolos et pallia fraudis
Fraus videt, exit bella, fugæ committitur, arma
Exuit, et partem vitæ lucratur eundo.

CAPUT VIII.

Avaritiæ bellum. Superatur a Largitate. Prosperitas. Homo auxilio Virtutum debellat Vitia. Homo beatus describitur et extollitur.

Restat Avaritiæ strepitus, cui tota furoris
Incumbit rabies, tantique pericula Martis
Solus habet, solusque furit, se pluribus offert
Unus, et in solo spem desperatio gignit.
Spicula quæ multus argenti fulgor inignit,
In juvenem vibrat atque instar [11] grandinis instant
Tela, pluunt hastæ, nubemque sagitta figurat.
Ergo telorum silvam pluresque sagittas
Plantat in hostili clypeo, vestitque sagittis
Pestis Avaritiæ; sed telum parcius intrat
Scutum, nec clypeo sua spicula firmiter hærent :
Sed virtus quæ dona pluit, quæ munera spargit,
Nec sepelit nummos, nec opes incarcerat arca,
Sed bene divitias fundit, sine spe redeundi,
Telorum nemus ense secat, silvamque recidit,
Instat Avaritiæ, pugnat constanter, et ensem
Quem tenet illa, rapit; armis hostilibus hostem
Vincit, et in dominam cogit sævire sagittas.
Ergo victa fugit; stat pugnæ sola superstes
Filia Fortunæ; sed eam Fortuna repellit
A bello, natamque monet ne bella movere
A Intestina velit, ne rixam nata parenti
Misceat, aut pugnam moveat germana sorori.
Ergo consilio matris concordat, et hostem
Deserit, ignorans cui justius arma movere
Possit : sic neutri cedens, famulatur utrique.
Jam scelerum superata cohors in regna silentum
415 Arma refert, et se victam miratur, et illud
Quod patitur, vix esse putat, nec creditur illi
Quod videt, et Stygias fugit indignata sub umbras.
Pugna cadit, cedit juveni victoria, surgit
Virtus, succumbit Vitium, Natura triumphat.
Regnat Amor, nusquam Discordia, Fœdus ubique.
Nam regnum mundi legum moderatur habenis
Ille beatus homo, quem non lascivia frangit,
Non superat fastus, facinus non inquinat, urget
B Luxuriæ stimulus, fraudis non inficit error,
In terris jam castra locant, et regna merentur
Virtutes, mundumque regunt, nec jam magis illis
Astra placent, sedesque poli quam terrenus orbis.
Jam cœlo contendit humus, jam terra nitorem
Induit æthereum, jam terram vestit Olympus.
Nec jam corrigitur rastro, nec vomere campus
Læditur, aut curvi deplorat vulnus aratri ;
Ut tellus avido quamvis invita colono
Pareat, et semen multo cum fœnore reddat.
Non arbor cultum quærit, non vinea falcem;
Sed fructus dat sponte novos, et vota coloni
Fertilitate premit; spes vincitur ubere fructu.
Gratis poma parit arbor, vitisque racemos,
C Et sine se natas miratur pampinus uvas;
Et tunicis egressa suis rosa purpurat hortos,
Nec spinam matrem redolet, sed sponte creata
Pullulat, atque novos sine semine prodit in ortus.
Sic flores alii rident, varioque colore
Depingit terram florum primæva juventus,

CAPUT IX.

Auctor munit opus suum contra Zoilorum dentes.

O mihi continuo multum sudata labore
Pagina, cujus adhuc minuit detractio famam;
Vive, nec antiquos tentes æquare poetas,
Sed potius veterum vestigia semper adorans
Subsequere, et lauris humiles submitte myricas.
D Jam ratis evadens Scyllam monstrumque Charybdis
Ad portus tranquilla meat, jam littore gaudet
Navita, jam metam cursor, tenet anchora portum ;
Nauta tamen tremebundus adhuc post æquoris [æstum
Terrenos timet insultus, ne, tutus in undis,
Naufragus in terra pereat; ne livor in illum
Sæviat, aut morsus detractio figat in illo :
Qui jam scribendi studium pondusque laboris
Exhausit, proprio concludens fine laborem.
Si tamen ad præsens fundit sua murmura livor
Et famam delere cupit, laudesque poetæ
Supplantare novas, saltem post fata silebit.

VARIÆ LECTIONES.

[11] *Ms. V.*, et ad instar.

416 A DEO SEMPER INCIPIENDUM ET IN EUMDEM DESINENDUM.

At quicunque Deum supplex affatur, ab illo
Incipiat, versoque in eumdem fine, quiescat.
Multa quidem huic studio subeunt meditanda, jacentem
Tollere quæ possint hinc ad cœlestia mentem :
Contemplator uti ex nihilo Deus omnia quondam
Protulerit, quæ vis, sapientia quanta, quis ardor
Artificis, quantum emineant, quantumque nitescant:
Omnia ne vero tantum admirere creata,
Usque Creatorem ut non mente animoque sequaris:
Ergo sub obtutum veniant quæcunque leguntur
Lumine, nequid iners proprio et sine munere degat.
Namque oculis multa occurrunt, quæ pabula cunctis
Sensibus indulgent. Terræ decor, ætheris ardor,
Undarum liquor, et vasti per inane meatus,
Tum cœli decus, atque ingentis lumina mundi
Sidera ; dein oculorum et mentis acumine cœli
Ambitus insinuet sese, vertigine cujus
Vallantur quæ corpus habent, tum cardinis ille
Impetus, assiduo qui summa volumine torquet.
Mox extremi orbes, totumque sub axe corusco
Perpendatur opus, motusque, ortusque, obitusque
Astrorum, variæque vices, annique recursus.
Terrenis quantum faveant cœlestia, quali
Audiat obsequio cœlestibus infima moles.
Ut lunæ quæcunque globo subjecta ferantur
Ordine nascendi, senioque absumpta fatiscant,
Præscriptoque nihil naturæ ab limite cedat.
Hinc quoque uti liqueat, quali furor incitet œstro
Pectora, quæ perhibent homini famularier astra;
Nec mundum ratione regi, sed ab impete verti
Fortunæ, varioque angi mortalia casu.
Nunc tamen haud locus hæc abstrusaque semina rerum
Scrutari, actæa toties discussa sub umbra ;
Ipsa sed a doctis jam vestigata sagaci
Ingenio, et jam scita, animo quærantur acuto :
Indoctis quantum indulget sua cuique Minerva,
Queis opere in tanto non desudare licebit.
Quippe rudeis crebro divina potentia mirum
Edocet, ut porro edoceant arcana professos ;
Qui gnari tamen, atque insignes munere tanto
Longius anteirent, summi cum gratia Patris
Excolat ingenium, non destruat, aut male vertat.
Ast hominum genus ancipitem speculantibus offert
417 Materiam : hinc animus divinæ conscius auræ,
Inde omni ratione carens, consorsque ferarum
Sensus adest, qui sæpe alto nos fraudat Olympo.
Id quoque succurrit volvendum sæpius, ut cum
Nos rerum in medio ceu mundi vincla locarit
Maximus ille Opifex : quanta ratione cavendum est,
A Ne genius stet noster iners, quantoque labore
Nos opus eniti, e superis quando ultima nobis
Est statio ; tum quo pugnanda sit ordine pugna,
Cum supra infraque inter se contraria bellent.
Quove modo est cuivis curandum, ut se intus ad unguem
Noscat, et ignaræ frangat conamina mentis :
Quandoquidem quid de extremis tenet, imminet ingens
Discrimen, ne dum alterius se credit amori,
Vergat in alterius partem, et ratione relicta
Sensibus obstrictus miser obmutescat, ut unde
Venerit, ignoret, et quo properare necesse est.
At quæ homine inferiora animo meditanda ministrant,
B Ut quæ se innumeris virtutibus inclyta tollunt,
Usque adeo servent vireis, quas intulit auctor,
Cum mens casta alios, alios vis acrior, illos
Aut animus sapiens, aut pulchra modestia tollat,
Quæ cuncta, ut proprium mortalibus inderet ignem,
Et Deus, et genitor magna pius extudit arte.
His animadversis mens sese accinget ad illa,
Quæ minime fiunt, sed sunt, velut ipsa Platonis
Verba canunt ; jamque a sensu nihil expetet, ipsas
Naturas rerum expendens, speciesque : deinde
Angelicos pervecta gradus, ascendet Olympum ;
Nec mortale tuens, sed jam divinitus atra
Nube procul pulsa radiant : lumine cernet,
Effectusque pii læta inspectabit amoris.
C Tum circumspiciens, supera infera cuncta videbit
Collaudare Deum, atque illi bona cuncta referre :
Præcipue si quæque oculis obnoxia nostris
Ingenio, fideique acie lustraverit acri.
Nam veluti sphæra cœli et rerum generantum,
Sic chorus ille sacer, manesque a morte redempti
Sunt quasi materie immunis, non visilis orbis.
Quæ si cuncta simul animo comprensa Tonanti
Æquipares, nil prorsus erunt : per se integer ille,
Pars idem, totusque idem, pars semper ubique,
Semper totus ubique, carens ortuque obituque.
Horum nil teres est, proprio nil robore constat.
In nihilum jam cuncta ruant, si maximus ille
Arbiter arcani fluxum neget ire vigoris.
D Hinc spectare licet vireisque, animumque, piamque
Artificis mentem ; quanquam inferiore sub orbe
Vis viget, in supero sapientia fulget, et ardet
Lux in supremo, bonitasque in quolibet horum :
Cuncta tamen meditari, et in omnibus omnia fas est.

MAGISTRI ALANI

DE INSULIS

DE INCARNATIONE CHRISTI

RHYTHMUS PERELEGANS

Quo divinum id opus omnes artium liberalium regulas aspernatum fuisse perquam ingeniose cecinit.

418 NOTA. — *Rhythmum hunc una cum alio subjuncto, defluxa hominis natura, ex Ms. codice Bibliothecæ abbatiæ Marchianensis, ord. S. Benedicti, publicavit Joannes Buzelinus, Societ. Jesu, in sua* Gallo Flandria, *tom. I, cap. 7, ubi recte advertit, duos hos Rhythmos Auctoris sui ingenium, ejusdemque pios animi sensus egregie patefacere.*

Grammatica.

A
Exceptivam actionem
Verbum Patris excipit,
Dum deludit rationem,
Dum naturam decipit:
Casualem dictionem
Substantivum recipit,
Actioque passionem
In hoc verbo concipit.
In hac Verbi copula
Stupet omnis regula.

Rhetorica.

Peregrinas a natura
Nominis positio
Cum in Dei transit jura
Hominis conditio.
B
Novus tropus in figura,
Nova fit translatio,
Novus color in junctura,
Nova fit constructio.
In hac Verbi copula
Stupet omnis regula.

Arithmetica.

Dum ab uno non recedit,
Alteratur unitas,
Dum in unum se concedit,
Unitur alteritas:
In diversum idem cedit,
In idem diversitas,
C
Suum tamen non excedit
Limitem simplicitas.
In hac Verbi copula
Stupet omnis regula.

Musica.

Dum Factoris et facturæ
Mira fit conjunctio,
Quis sit modus ligaturæ,
419 Quis ordo, quæ ratio,
Quæ sint vincla, quæ juncturæ
Qui gunphi, quæ unio,
Stupet sui fracto jure
Musica proportio.
In hac Verbi copula
Stupet omnis regula.

Geometria.

Suæ artis in censura
Geometra fallitur,
Dum immensus sub mensura
Terrenorum sistitur.
In directum curvatura
Circuli convertitur,
Sphæram claudit curvatura,
Et sub ipsa clauditur.
In hac Verbi copula
Stupet omnis regula.

Dialectica.

Inter locos locum nescit
Locus a contrariis,
Sui locum obmutescit
Exceptum ab aliis:
Fit elinguis, obstupescit,
Fallitur in propriis,
Et de suis erubescit
Logica fallaciis
In hac Verbi copula
Stupet omnis regula.

Astronomia.

Solis lumen nube tectum
Nubis sub velamine,
Nostræ carnis fert objectum,
Nec hebet in lumine:
Nostrum vergit in defectum
Sol ortus in Virgine.

In defectu dans effectum
Lumen in caligine.

In hac Verbi copula,
Stupet omnis regula.

Magistri Alani Rhythmus alter, quo graphice natura hominis fluxa et caduca depingitur.

Omnis mundi creatura,
Quasi liber, et pictura
Nobis est, et speculum.
Nostræ vitæ, nostræ mortis;
Nostri status, nostræ sortis
Fidele signaculum.
Nostrum statum pingit rosa,
Nostri status decens glosa,
Nostræ vitæ lectio.
Quæ dum primo mane floret,
Defloratus flos effloret
420 Vespertino senio.
Ergo spirans flos exspirat,
In pallorem dum delirat,
Oriendo moriens.
Simul vetus et novella,
Simul senex et puella
Rosa marcet oriens.
Sic ætatis ver humanæ
Juventutis primo mane
Reflorescit paululum.
Mane tamen hoc excludit
Vitæ vesper, dum concludit
Vitale crepusculum.
Cujus decor dum perorat
Ejus decus mox deflorat
Ætas, in qua defluit.

Fit flos fenum, gemma lutum,
Homo cinis, dum tributum
Homo morti tribuit.
Cujus vita, cujus esse,
Pœna, labor, et necesse
Vitam morte claudere.
Sic mors vitam, risum luctus,
Umbra diem, portum fluctus
Mane claudit vespere.
In nos primum dat insultum
Pœna mortis gerens vultum,
Labor mortis histrio.
Nos proponit in laborem,
Nos assumit in dolorem;
Mortis est conclusio.
Ergo clausum sub hac lege,
Statum tuum, homo, lege,
Tuum esse respice.
Quid fuisti nasciturus;
Quid sis præsens, quid futurus,
Diligenter inspice.
Luge pœnam, culpam plange,
Motus fræna, fastum frange,
Pone supercilia.
Mentis rector et auriga
Mentem rege, fluxus riga,
Ne fluant in devia.

NOTA. — *Rhythmus de BB. Virgine, qui scribitur haberi in Bibliotheca cœnobii S. Martini Tornaci, de verbo ad verbum habetur in fine libri* V *Anticlaudiani; ideoque hic non repetitur.*

DOCTRINALE MINUS

ALIAS

LIBER PARABOLARUM

MAGISTRI ALANI DE INSULIS.

AD LECTOREM.

421 *Libri hujus elegantiam, et utilitatem, sufficienter tibi, lector, probant multiplices ejus editiones et illustrationes; nam, cum primo Daventriæ, anno* 1492, *typis excusus, in lucem productus esset, tantam mox nominis claritatem consecutus est, ut eruditis commentariis Latinis, illustratus, anno* 1501, *Lugduni prœli beneficium obtinuerit, præfixo compendio Vitæ auctoris, magistri Alani de Insulis, in parvo folio. Anno iterum* 1516, *Lipsiæ impressus prodiit in quarto, sed sine commentariis. Denique, etiam in rhythmos Gallicos translatus, et commentariis moralibus ejusdem idiomatis honoratus, anno* 1536, *Parisiis excusus fuit, in* 16, *typis Dionysii Janot; idque in gratiam Caroli VIII Francorum regis, ut initio operis testatur ipsemet commentator: qui tamen nomen suum non exprimit, uti etiam nec commentator Latinus. Pro hac autem editione adornanda, omnium horum editionum exemplaria habui, præterquam Lipsiensis. Quæ, li-*

cet negligentia typographorum, seu correctorum et scriptorum, variis essen. respersa mendis, imo etiam, quorumdam temeritate aut ignorantia, hinc inde nonnihil alterata, tamen sedulo collata ad invicem, et ad antiquissimum ms. Bibliothecæ Sancti Martini Tornaci (quod perhumaniter mihi submisit R. dominus Ægidius du Quesne, ejusdem cœnobii Bibliothecarius) veram et genuinam lectionem subministrarunt, quam hic exhibeo : adnotata tamen in margine, lectionis varietate plurimorum verborum, et nonnullorum versuum, ubi præsertim utraque lectio perfectum aliquem sensum admittit (32).

F. CAROLUS DE VISCH
Prior Dunensis.

(32) Lectionum præterea varietatem, quam ex codice Helmstadiensi affert Leyserus in *Historia poetarum medii ævi* (Halæ Magdeb., 1721, in-8), pag. 1064, adnotavimus. EDIT PATR.

LIBER PARABOLARUM.

CAPUT PRIMUM.

A Phœbo Phœbe lumen capit; a sapiente
  Insipiens [20] sensum, quo quasi luce micat.
Nil aliud nisi [21] se valet ardens Æthna cremare;
  Sic se, non alios, invidus igne coquit.
Sus de sorde levat, saltem dum colligit escas,
  Cur nunquam surgit sorde volutus homo?
Utribus antiquis vinum committere noli,
  Nec senibus sensum quem retinere velis.
Nititur in vetitum quod in agros defluat æquor :
  Sic init illicitum, quam cito peccat homo.
422 Stultior est stulto, qui mandat balsama cribro,
  Et verbis pleno verba tacenda viro.
Sæpe viatorem nova non vetus orbita fallit,
  Sic socius socium, non vetus, imo novus.
Non est in speculo res quæ speculatur in illo;
  Eminet [22], et non est in muliere fides.
In sterili steriles aratrum facit aggere sulcos;
  Et labor in miseris est sine fruge scholis.
De minimis granis fit grandis [23] summa caballis :
  De brevibus mendis, non veniale malum
Non sibi sed reliquis aries sua vellera portat;
  Sic aliis unit semper avarus opes.
Non velli leviter valet unco quod tenet ille;
  Nec æs a loculo quem tenet arcta manus [24].
Mille viris pincerna potest præbere lyæum;
  Pocula doctrinæ pluribus unus homo.
Accipit et nunquam reddit mare Scylla receptum;
  Sic capit et retinet debitor æra malus.
Non leviter corio canis abstrahetur ab uncto [25] :
  Nec nebulo disco, dum satiatur eo.
Sub molli pastore cacat [26] lanam lupus : et grex
  Incustoditus dilaceratur eo.
Clarior est solito, post nubila plurima [27], Phœbus,
A Post inimicitias, clarior est et amor.
Loricam duram possunt penetrare sagittæ,
  Et cor derisus [28] et mala verba meum.
Firmiter in portu puppem tenet anchora morsu,
  Sic in proposito spes rata corda tenet.
Subtrahe ligna foco, si vis exstinguere flammas;
  Si carnis motus, otia, vina, dapes.
Ripa retentat aquas pelagi, ne migret in arva,
  Et [29] tenet irati frena modesta manus.
Sæpe cicatrices in vulnera prisca resurgunt,
  Ad mala facta sui gens male sana redit.
Fragrantes vicina rosas urtica perurit,
  Sic justos semper turbat iniquus homo.
In palea dum grana jacent, immunda videntur,
  Et [30] similis pravis, qui manet inter eos.
B Ictibus undarum rupes immota resistit,
  Et bonus assiduis fluctibus orbis [31], homo.
Mobile cum vento folium volat arbore raptum;
  Sic mens instabilis semper ut aura volat.
Stultus qui puppem sine remige ducit in altum;
  423 Et sine subsidio qui grave sumit onus.
Per patulas rimas sol lucens intrat in ædem,
  Corda per auriculas dogma docentis init.
Multoties captum trahit hamus ab æquore piscem;
  Sed bona verba mali nullus ab ore trahit.
Pauperat et ditat [32] talorum casibus ullum [33]
  Alea : sed multat [34] ut mage fiat inops.
Exstincti cineres vivent si sulphure tangas [35]
  Sic vetus apposita mente calescit amor.
Dira Charybdis aquas bibit et vomit omnibus horis;
C Sic dat, sic aufert sors sua dona viris.
Currere cogit equum sub milite calcar acutum,
  Et puerum studio virga vacare suo.
Non semper perit ipse sua qui navigat aura [36],
  Nec vir qui propria degere debet ope.

VARIÆ LECTIONES.

[20] *Editio Lugdunensis anni* 1501 *legit*, Incipiens. [21] *Ms.* quam. [22] Eminet, *id est*, apparet. [23] Maxima. [24] Nec res a loculo, quem manus arcta ligat. [25] Extorrebitur uncto. [26] *id est* fœdat. *Duæ editiones impressæ, legunt*, rapit. [27] Maxima. [28] Sic corderisum. [29] *Duo exemplaria habent*, sic. [30] *Alia exemplaria legunt*, est. [31] Omnis. [32] Divitat. [33] *Alia legunt*, Ulphum, *qui Ulphus, celebris olim fuit lusor alearum, qui propter lusum, sæpe erat dives, sed sæpius pauper.* [34] Vetat, *id est* ordinat. *Al.* vitet. [35] Ponas sulphura vivent. [36] *Alia duo exemplaria sic habent :* Non perit ipse sua propria qui navigat aura.

Tranquillum nequit esse fretum dum peste [37] moveture; A
Nec mansuetus homo, dum movet ira jecur.
Cur aperit portam, qui claudere non valet illam?
Cur mihi rem spondet qui modo non dat eam [38]?
Concipit ut pariat mulier dum venerit hora:
Tu quoque suscipiens des aliquando mihi.
Nulla quoque sedare sitim flagrantibus unda;
Copia nec cupidi cor satiare viri.
Vipera virus habet; quæ dum calet, evomit illud,
Claude sinum; prohibe ne calefiat ibi.
Futile vas fundit, sincerum vina retentat,
Sic audita tenet mens bona, fundit hebes.
De nuce fit corylus: de glande fit ardua quercus;
De parvo puero sæpe peritus homo.
In nihilum nix alta fluit, si desuper imber
Decidat; et vitio fama perempta perit.
Stratus humi palmes subeuntibus indiget ulmis;
Indiget auxilio divitis omnis inops.
Non possum prohibere canem quin latret ubique,
Nec queo mendaci claudere labra [39] viro.
Fumum non ignem jaculatur ab æde [40] caminus;
Colloquio [41] non re, livor obesse potest.
Non domus, at dominus laudetur, si bonus is sit,
Sin autem: dominum spernimus atque domum.
Non ibis rostrum, non ardea deserit amnem [42],
Non leviter vitium quod [43] facit illud homo.
Aufert sæpe solo nigra nubes lumina solis,
Et patris auxilium sæva noverca mihi.
424 Non semper moriuntur aves quibus insidiatur
Arcus: nec mihi sunt tela nec hasta minæ.
Sidera splendorem non possunt addere soli,
Cum superet solis lumina cuncta jubar.
Si Cato sis, et vis in candida vertere nigra,
Curia sit curæ [44]: dives et esse potes.
In viscum volucres ducit cum cantibus auceps,
In fraudem gentes blanda [45] loquela viri.
Impetus est fulvis [46] et vasta leonibus ira,
Et tamen inter se jus sociale tenent.
Post noctem sperare diem, post nubila solem,
Post lacrymas risum, lætitiamque potes.
Omnia Cæsar erat, sed gloria Cæsaris esse
Desiit: et tumulus vix erat [47] octo pedum.
Non ruit in rupes, nec in alta pericula navis
Quam maris in motus remige rector agit.

CAPUT II.

Luctatur cum nocte dies, cum nube serenum,
Cum tenebris lumen: cum nece vita vigens
Sic labor in nobis, nam spiritus et caro semper
Pugnant; et morimur si caro vincat eum.
Pondera portat equus, bos terram sulcat aratro,
Vestem tradit ovis [48]; servat ovile canis.
Omnia quippe suæ naturæ debita solvunt
Præter eum qui plus his rationis habet.
Æthereus motus movet omnia sidera præter
Unum; sed semper permanet illud idem.
Sic constans et fidus homo sine fine tenebit
Hunc in amore [49] modum, quem tenet ipse semel.
Phœbus ab occasu rursus raptatur ad ortum,
Quem prius huc illuc machina versa tulit:
Sic in amicitia mundus stat, flagrat et alget [50]
Corruit et surgit, quod magis odit, amat [51].
Tutior in terra locus est, quam turribus altis,
Qui jacet in terra, non habet unde cadat.
Impetus et venti, tonitrus et fulmina turres
Flatibus evertunt, stare sed ima sinunt.
Non possunt habitare simul, contraria cum sint
B Mors et vita: procul dissidet hæc ab ea:
Sic duo sunt quæ non possunt habitare [52] cor unum;
Hujus amor mundi vanus; amorque Dei [53].
Stratus humi non surgit, item dum poplite flexo
425 Portat onus grave quo præcipitatur equus:
Sic homo qui magna vitiorum mole gravatur,
Non nisi deposita mole levare potest.
Non quo nauta volet, sed quo vehit [54] aura, vehetur
Puppis, cum tumidi venerit unda maris.
Non quo propositum, sed quo sors tendit [55] eundum
Cuilibet est; omnes hac decet ire duce.
Apparet phantasma viris; sed rursus ab illis
C Vertitur in nihilum, quod fuit ante nihil:
Sic et adest, et abest fugitivi gloria mundi [56];
Non prius adventat, quam quasi somnus eat.
Dum calor est, et pulchra dies, formica laborat,
Ne pereat dum nix venerit alta, fame:
Sic juvenis dum tempus habet sudoribus aptum
Quærat quo possit lassa senecta frui.
Non adeo sublime levat levis ala volucrem,
Quin redeat rursus rura relicta petens.
Non ita subvectos rota surgens tollit in altum,
Quin vergens illos rursus ad ima ferat.
Ebrius ante bibit quam nauseat, ante ligurit
Quam vomat; ante levat quam pede firmus eat;
Non sic in nobis, non est sic ordo retentus,
Ante docere modo quam didicisse juvat.
D Non emitur care res legibus empta fororum;
Venditor et emptor sunt ibi merce [57] pares:
Sed nihil est quod sit sub cœlo carius emptum,
Quam quod emunt longæ fronte ruente [58] preces.
Dentibus atritas bos rursus ruminat herbas,
Ut toties tritæ, sint alimenta sibi:
Sic documenta tui si vis retinere magistri,
Sæpe recorderis quod semel aure capis.
Follibus inclusas faber improbus excitat auras,

VARIÆ LECTIONES.

[37] Peste, *id est* tempeste *pro* tempestate. [38] *Alia duo habent*: qui dare nequit eam. [39] Verba. [40] Ore. [41] Eloquio. [42] *Alia duo exemplaria habent*, anum *per quod commentator dicit intelligi debere* caudam. [43] Dum. [44] Curaque sit curæ. [45] *Leyser*, blæsa. [46] Sylvis. [47] *Leyser*, tumulum vix *habet*. [48] *Exemplaria alia legunt*: Vellera portat ovis. [49] *Leyser* more. [50] *Duo exemplaria habent* ardet. [51] Amat odit. [52] Intrare. [53] Vanus amor mundi, verus amorque Dei. [54] Volet. [55] *Exemplar unum habet*, ducit; *aliud*, docet. [56] *Aliud exemplar habet*, census [57] Mente [58] *Leyser*, rubente.

Dum ferrum durum molliat ipse focus :
Sic ortus furor intus agit præcordia stulti,
Dum molles reddit litis agone vires.
Voce molossorum latebris [59] arcentur onagri,
Exit et ipse canum dente domandus [59*] aper;
Sic et presbyteri vitiosos quærere debent,
Et nisi pœniteant, ense ferire Dei.
Et miser et dives fuit olim rex Mida [60], dives
426 Auro; sed vitæ conditione miser :
Sic custos census, sic omnis vivit avarus,
Dum nihil et multum possidet ipse boni.
Hesperius astrorum se profert [60*] vespere primum,
Et facit immensum quo micat ipse jubar :
Sic cito non tarde monstrat egentibus ille
Qui clarum gemini lumen amoris habet.
Æolus ingentes [61] ventorum temperat iras,
Et mare Neptunus sæpe tridente domat :
Sic sese dominus faciat feritate timeri,
Qui regimen magnæ gentis habere cupit.
Bella movet citius cui desunt cornua taurus,
Quam qui cornuta fronte ferire potest :
Sæpius in vico pueros pugnare videmus,
Quam validos homines queis solet esse vigor.
Impatiens animi [61*] si bos jungatur aratro,
Tortam, non rectam carpit arando viam :
Sic sunt qui retrahunt gradientes sæpe retrorsum,
Cum videant illos [62] carpere lucis iter.
Cum nive, cum pluvia, cum grandine vertere ca-[pras,
Ac niti contra fronte videmus oves :
Injustos fraus, ira, nefas, injuria raptant,
Sed justus toto corde resistit eis.
Non potis est pelagus leviter transcurrere lembus [62*]
Ni sit qui remis currere cogat eum.
Non valet ad metam cursum perducere cursor
Ni sibi spes et pes auxilientur ei [63].
Longius ille videt qui multis spectat ocellis,
Quam cui dat visum solus ocellus, homo :
Idcirco vaccam servandam tradidit Argo
Sponsa Jovis Juno, non, Polypheme, tibi.
Vim minus exercet qui late spargitur ignis,
Quam cui collectæ vim tribuere faces
Fortius invadit qui vires colligit hostem,
Quam qui dispersis viribus instat ei.
Pessimus est hostis qui cum bene feceris illi,
Fortius insurgit, bella movendo tibi :
Sic carni fac velle suum si bella moveri
Vis tibi : si pacem, colla domato [64] fame.

CAPUT III.

Non teneas aurum totum quod splendet ut aurum,
A Nec pulchrum pomum quodlibet esse bonum.
427 Non est in multis virtus quibus esse videtur
Decipiunt factis lumina nostra suis.
Plus aloes quam mellis habent in pectore tales
Quos sanctis similes simplicitate putes.
Morsibus aggreditur lignum capra cui religatur [65]
Cum sit nil aliud, quod sibi detur ibi [66].
Quamvis delicias cupiat sibi quisque; necesse est
Ut capiant omnes id quod habere queunt.
Nil prodest optare magis, vel quærere nobis
Quam quod vel quantum vult Deus ipse dare.
Ad vada Neptuni fontes et flumina currunt,
Et quocunque potest currere currit aqua
Per valles quas semper amat, dilabitur unda,
Et colles odio quos habet, illa fugit.
B Queis satis est, his plura fluunt : his undique fertur,
His datur, his emitur : pauper ubique jacet.
In Boream Zephyrum converti sæpe videmus,
Nomine mutato rursus et hunc in eum.
Non tamen admiror de tempore si varietur,
Cum sic cunctorum Conditor ipse velit :
Sed miror miranda nimis, vaga corda virorum,
Cur toties mutent se, prohibente Deo.
Non aliam legem patitur fur quam latro captus,
Quamvis nocte latro, fur eat ipse die.
Non minus hic peccat qui censum condit in agro,
Quam qui doctrinam claudit in ore suam.
Absit commissum sine lucro ferre talentum,
Ne servos nequam nos vocet ira Dei.
C Non opus est somno Syrenes ingredienti,
Nec sibi qui studio falsa cavere volet.
Sæpe stylum vertit, qui versum [67] vertere debet,
Dentibus est ungues, scalpit et ungue caput;
Quærit quæ primum, quæ postea ponere possit,
Non quævis apte verba locare potest.
Thersites numerum non vires auxit Achivis,
Inops virtutis, garrulitate potens :
Sic inter scacos alphinus inutilis exstat
Inter aves bubo, fucus et inter apes ;
Inter narrantes cifram, juvat esse figuras
Et vult multoties anticipare locum.
Separat instantes isthmus brevis insula fluctus,
Hæc pacem gemini continet unda [68] maris.
Non possunt tauri concurrere fronte minaci,
D Dum baculum pastor sublevat inter eos.
428 Apula gens et gens Lucania bella [69] minan-[tur,
Sed rabiem media gens Venusina vetat.
In cavea propria fit atrox et aspera vulpes,
Quæ prius aufugeret [70-71] si foret illa foris.
Improbus et mordax canis est in limine noto

VARIÆ LECTIONES.

[59] Sylvis. [59*] *Exemplar Lugdunense habet :* tenendus *Parisiense*, timendus. [60] Midas rex fuit Phrygum, de quo fabulantur poetæ : cum omnia quæ tangeret verterentur in aurum, etiam cibus et potus, fame interiisset, nisi dii illius miserti, eum liberassent. [60*] Præfert. [61] Ingratas. [61*] *Leyser*, aratri. [62] *Leyser*, alias. [62*] *Pro* transcurrere lembus, *alia exemplaria habent*, transire liburnus. [63] *Leyser*, ibid. [64] Domare. [65] Quo religatur. [66] *Duo exemplaria legunt :* Cum sibi nil detur quod lacerare queat. [67] *Leyser*, fingere. [68] *Leyser* una. [69] *Quædam exemplaria hunc versum ita legunt* : Apula gens, Lucanaque, semper bella minantur. [70-71] *Item* : Quæ potive fugeret, etc.

Dum videt auxilium vim sibi ferre canum :
Inter consortes audacior est homo nequam
Quam sit in externis hoste minante locis.
Inventum tarde leporem cito perdimus inter
Vepreculas, cum sit res fugitiva lepus.
Perdimus anguillam manibus dum stringimus illam,
Cujus labilitas fallit in amne manus;
Sic abit inventus nisi conservetur amicus,
Et nisi libertas mutua servet eum.
Non bene firmus erat, digito qui solvitur uno
Nodus : nec fortis, tam cito fracta fides.
Nunquam fidus erit, qui desinit esse fidelis,
Nunquam qui non est fidus, amicus erit
Ex quo conveniunt duo pectora pectus in unum;
Fas est ut maneant pectora pectus idem.
Mente minus sanus quam corpore creditur æger,
Qui medicos ejus fuste vel ense ferit.
Quis magis insanus quam cæcus in ardua ductus,
Si tunc contemnat felle tumente ducem ?
Lippo, non lusco collyria nigra medentur,
Qui semel est luscus, non nisi luscus erit.
Nolumus in scirpo, quo non est, quærere nodum,
Nec super infirmum ponere magna gradum :
Pasce canem, pastus tuus illum leniet, et te
Quamvis cædatur, cæsus amabit herum,
Fac servo nequam bona, semper et omne quod illi
Præbueris perdes ; cum sibi nullus amor.
Ridiculus mus est, qui muribus imperat : et qui
Tanquam rex horum sic [72] dominatur eis;
Non minor est risus de servo quando levatur
In dominum; quando voce manuque furit [73]
Asperius nil est humili cum surgit in altum;
Ringitur [74] in celsa simia sede sedens.
Diversis diversa valent medicamina morbis,
Ut variant morbi, sic variantur ea.
Non uno doctrina modo se mentibus infert,
His timor, his monitus, his adhibetur amor.
Quadrupedes adaquare nequis dum percutis il os,
429 Nec cogit pueros virga studere rudes.
Parvula venalem comprendit mantica telam,
Et jacet exiguo multiplicata loco :
Qui sic, quod cupidæ menti non sufficit orbis ?
Prædia terrarum, gloria, census, honor?
Jus est, ut penitus terræ sit homunculus expers;
Qui totam terram solus habere cupit.
Faucibus innocuis deserta leunculus ambit,
Cum nihil inveniat quod lacerare queat;
Non semper pungit serpens, nec fundit ubique
Virus, quod secum semper in ore gerit :
Non equidem stimulo, nec parceret ille veneno,
Si quid adesset quod lædere posset eo.

CAPUT IV.

Non bene de pedibus spinæ tribulique trahuntur,
Dum brevis interius spina relicta jacet [75] ;
Quo mora major erit, tanto mage vulnera putrent,
A Et tunc non possunt absque dolore trahi.
Qui culpas de corde trahit, trahat usque recenter
Et cunctas pariter, ne ferat una necem
Quid prodest medicum plagas sanasse ducentas,
Si maneat quædam qua moriatur homo ?
Arbor quæ late ramat [76], nisi firma sit imo [77],
Cum ramis facili corruit icta Noto.
Sed quæ radices habet in tellure profundas,
Obstat, et evelli [78] peste furente nequit.
Qui ramos famæ, non radices meritorum,
Extendit late, scito quod ipse cadet :
Non solum cœlo, qui talia vana profatur,
Ast etiam vitio displicet ille solo.
Non minus est dulcis parvo de fonte recepta
Quam quæ de magno flumine fertur aqua.
B Et cadus et dolium retinent quandoque Falernum,
Nec dolium melius quam brevis ipse cadus.
Nec magis egregio dulcescit potus in auro
Quam facit in vitro quod minus asse valet.
Quamvis quisque miser benedicat vel bona, nemo
Corpore pro misero vilia verba putet.
Visibus intentis scrutatur ab æthere terram [79]
Milvus : et a longe frusta [80] relicta videt :
Non, licet esuriat, statim descendit ab alto,
Sed variis gyris circuit usque locum.
Sunt nam qui laqueos posita dape ponere callent,
430 Ut sic incautæ decipiantur aves.
Denique percepto nihil aucupis artis adesse,
Unguibus accedit tutus et exta capit.
C Nonnihil exempli vermes de carne creati
Demonstrant oculis mortificantis [81] opus :
Dentibus invadunt acceptam morsibus illam,
Non quærunt aliam, dum sibi durat ea.
Consilii nihil est, nisi sal succurrere possit,
Sal positum large, mordet et arcet eos.
Vermibus hic mos est : nec solum linquitur illis,
Sunt in quos transit jam furor ille viri.
Non propter pennas laudat conviva volucrem,
Nec propter corium mango [82] disertus equum;
Non equidem, similis per singula cursitat usus,
Vestes non homines omnis honorat homo.
Hunc nova facta novum statuunt per sæcula morem [83],
Quod nihil excepto paupere vile jacet.
D Nil bene pauper agit : sed pro ratione tenetur
Quidquid agit dives, seu bene, sive male.
Sumpta quid esca valet quæ quam cito sumitur exit,
Nausea cor vexat, viscera laxa dolent :
Quando non patitur medicamina morbus in alvo,
Non signum vitæ, sed necis esse puto.
Ut dape venter eget, sic spiritus indiget illa,
Non bene pascuntur, cum nihil alter habet.
Non discunt quicunque scholas ubicunque frequentant,
Nam plures veniunt ut videantur ibi.

VARIÆ LECTIONES.

[72] Sit. [73] Ferit. [74] Pingitur. [75] *Leyser*, manet. [76] Frondet. [77] Una. [78] *Leyser*, everti. [79] *Leyser*, prædam. [80] Scruta. [81] Testificantis. [82] *Mango, vocatur ille qui merces polire novit ut pluris vendantur.* [83] *Leyser*, singula.

Bos semel est vitulus, canis semel ipse catellus,
Cur homo bis puer est, quem semel esse licet?
De puero natura senem facit, ut petit ordo,
Sed vitium puerum de sene reddit item.
Non est barbati plaustrello [84] jungere mures,
Nec casu tali multiplicare vices:
Bis puer est homo, vir semel est, quem viribus una
Cum sensu lassis, alba [85] senecta domat.
Sæpe molossus ovem tollit de fauce luporum,
Ut raptam comedat, non ut abire sinat:
Quid refert an ab hoste lupo comedatur an illo,
Cum dentes æque sint utriusque graves!
In multis similes ratio considerat actus
De quibus expertus dicere verba potest [86].
Res hominum sævus defendit ab hostibus Alcon;
Ut sibi non aliis res tueatur eas.
431 Simpliciter cæcus prohibetur ducere cæcum,
Ne cæcus cæcum ducat in antra suum [87];
Sed tamen insanum prohibere nequimus Alanum
Quin dubio cæcos ducere calle velit.
Non queritur quod turpe pedes offendat eundo,
Sed quod tam pauci nocte sequuntur eum.
Miror et admiror quod iter ducis [88] arripit ille;
Quem constat nunquam scisse vel isse viam.
Ad bellum qui [89] durus erat, migravit Achilles
Ægistho thalamos ingrediente domi.
Qui jacet in plumis, nil duri passus in illis [90],
Non valet ut suetus [91] vir tolerare malum.
Imbribus et ventis mutat gena lassa colorem,
Uritur et leviter sole tenella cutis.
Mollibus assuetus clypeum bene non gerit armus,
Nec retinet gladium firmiter uncta manus.
Non omnis socius fidus est, non omne fidele
Pectus, non omni me sociare volo:
Qui socius volet esse meus, non alter, at idem
Fiat ego: quia non est satis, alter ego.
An teneam socium [92] qui scit quod nescio, vel qui
Id quod non habeo cum precor [93], illud habet
Cum socio socius deliberat omnia doctus,
Cum sibi concordant consona corda duo.
Crastinus ingrato procrastinat omnia more,
Et de cras uno, cras mihi mille facit.
Cur hodie non multiplicat, qui multiplicat cras?
Nonne dies solem signat uterque suum?
Post hodie cras esse solet, cum sole reductum,
Sed non cras illud quod mihi spondet habet:
Cras illud nunquam, nec sol orietur in illo
Cum cras venturum sit sine fine suum.

CAPUT V.

Non sunt digna coli quæcunque coluntur in orbe
Jugera, nec fodi vinea quæque manu [94].
Quid prodest arare solum, vel fodere vitem,
Cum nihil hoc fructus nil ferat illa meri?
A Incultus requiescat ager sterilis, requiescat
Et vitis, nunquam vindemianda mihi:
A simili, cessare probo debere datorem,
Qui colit indignos, et sua tradit eis.
Qui sua dat dignis, serit et metit, unit et amplat,
Indignis vero res data tota perit.
432 Nos asinus ridere facit, dum more leonis
Pingitur, et vulpes subdola cogit idem.
Exuat hic pellem qua se putat esse leonem,
Ut patiens oneris jussa sequatur heri.
Hortor et ut vulpes propria sub pelle quiescat
Ne moveat risum pelle leonis ovans
Inflando se rana bovi par esse volebat,
Ulcisci pullos quos pede pressit aquis [95]:
Ast bos juravit ranunculus ante creparet
B Per medium quam par efficeretur ei.
Surgentem Drusus festinat radere barbam,
Ne noceat lippæ noctibus umbra genæ:
Apponit speculum, speculo monstrante relictos
Forficibus tollit, forpicibusque pilos;
Et ne prurigo caput occupet, omnibus horis,
Lotricem promptam quæ lavet illud habet
Præterea, faciebus aquam manibusque ministrat
Quotidie scopis, a scobe tecta piat [96].
Hoc facit exterius, sed sordes colligit intus,
Nec sibi crescentes radere curat eas.
Constat ut illa manus primo perpulchra lavetur,
Quæ sibi præsumit vasa lavare Dei;
Munda manus mundum vas quod lavat efficit illud:
C Sordida, sordidius quam fuit ante facit.
Tacta luto subducta sibi trahit instita [97] sordes,
Et nigra fit subito quæ prius alba fuit.
Non me verrucas juste reprehendit habentem,
Qui sibi portanti tubera parcit homo:
Ulceribus plenum primo se liberet ipsum,
Postea verrucas rideat ille meas.
Nemo potest pugilem nexu prosternere fortem,
Ni luctæ patiens, aggrediatur eum.
Nunquam formosæ cecidissent mœnia Trojæ
Ni cœptus fuerat quo cecidere labor.
Incipiat quicunque cupit bonus et pius esse;
Dimidium facti qui bene cœpit habet.
Quomodo fiet opus, nisi primitus incipiatur?
Omnia principium constat habere suum.
D Audaces fortuna juvat, nil grande cor audax
Terret: nil animi quidquid abhorret habet.
Non potis est magnus, gibbo prohibente, camelus
Pertransire brevis leve foramen acus:
Nec transire sinit locupletem janua cœli,
Dum cogit miserum sistere pondus opum.
433 Cur animæ mortem tam pravo [98] corde requirit,
Cur sibi quod tollit vivere, captat homo?

VARIÆ LECTIONES.

[84] Postello. [85] *Leyser*, laxis balba. [86] Vera potest. [87] *Leyser*, secum. [88] Lucis. [89] Quia. [90] *Leyser*, armis. [91] *Ed. De Visch.*, assuetus. [92] *Alia duo exemplaria habent:* Non teneo socium, etc. *sine interrogatione.* [93] *Leyser*, non habeo, forsitan illud, etc. *Leyser*, scindere. [94] quaque manu. [95] *Leyser* arans. [96] Lavat. [97] Insita. [98] *Leyser*, prono.

A Felix est pauper, quem pauperat ipsa voluntas:
Non est quod tergum, cum petit alta, gravet;
Nec latro, nec prædo, nec fur vafer insidiatur,
Dum carpit sumptas [99] absque timore vias.
Mille viæ ducunt homines per sæcula Romam,
Qui Dominum toto quærere corde volunt:
Est via quæ ducit montes directa per altos,
Vepribus et [100] spinis arduitate gravis:
Est quoque nonnullus callis quem calculus asper
Asperat, et plantas quotidianus arat;
Est via per pontum, via per deserta, per imas
Valles, per scopulos, per loca dura pedi:
Per nemus et latebras, per lustra timenda ferarum,
Per spinas, tribulos, per lutulenta vada.
Semper hiat corvus, semperque cadavera captat
Semper amat mortem, mors quoque [1] pascit eum.
Quem sua debilitas, et quem premit ipsa senectus,
Lætificant illum cum putat ipse mori.
Non solum corvus morituris insidiatur,
Maxima pars hominum jam facit illud idem.
Filius ante diem mortem patris optat, ut hæres
Fiat; et ut miseras lege capessat opes.
Proh dolor! in clerum transit dolor, et scelus illud;
Hic emit ecclesiam, dum tenet alter eam.
Bis bos percutitur, bis ferrum sentit acutum,
Si contra stimulum calcitret ipse suum:
Efficit ex uno duo vulnera, vulnere ferrum,
Ulterior primo pejor et ictus erit.
Cur igitur domino servi parere creati
In dominum rabie pectoris arma levant?
Hic furor, hæc rabies, hæc indignatio risum
Præbet, et invisum quærit habere malum.
Dum caput obstipum [2] domino stomachante tenebat,
Graviter evasit vincula Davus heri.
In dementato [3] non est modus immoderato,
Dum baratro donat quidquid habere potest.
Non minus excedit normam rationis avarus,
Dum nihil expendens, semper acervat opes.
Nemo sequatur eos, quoniam vitiosus uterque,
Est via quam virtus inter utrumque docet.
434 Hic canis, ille lupus, cum carnem devoret alter,
Ut lupus occultet [4], seu canis alter opes.
Frontibus adversis pugnantia crimina secum
Vitet, qui vitæ carpere curat iter.

CAPUT VI.

Si quis arare sibi fructuosum curat agellum,
Et mandare suum postea semen ei,
Primitus exstirpet spinas quæ frugibus obsunt,
Et vepres si quæ sint ibi, falce secet [5].
Obsunt et [6] filices, filices delere nocivas
Studet qui segetes purificare volet.
Non seges quodcunque solum cum semine profert,
Emergunt sordes luxuriante fimo.
Cura vigil bene curat agros, incuria quippe
Reddit eos steriles; unde poeta refert:
« Neglectis urende filix innascitur agris. »
Per filicem, vitium denotat ipse viri.
Nescit homo quid dulcis habet dulcedinis esca,
Qui nunquam didicit quid foret ipsa fames.
Post sitis ardorem, post esuriem, duo nobis,
Dulcia sunt valde, potus et ipse cibus.
Dulcius hærescunt humano mella palato,
Si malus hoc ipsum mordeat ante sapor.
Qui patitur frigus, calidos veneratur amictus,
Qui morbum magnum, sorte salutis ovat.
Qui bona falsa soli considerat, et bona cœli,
Falsa sinat penitus, et bona vera petat.
B Pectus ab illicitis et casibus exuat orbis,
Qui volet in cœlis anticipare locum.
Non bene vivit homo, quem rerum sollicitudo
Torquet: et exanimat [7] nocte dieque metus.
Non bene securus dormit, qui perdere vitam
Una cum rebus quas habet ipse timet.
Unde per exemplum legimus monstrasse tyrannum,
Quod non (ut dixit verna) beatus erat:
Ad mensam ducti supra caput ipsius ensem
Pendebat, tenui vix retinente filo;
Hunc, dape conjuncta, vesci præcepit: ut ausus
Non erat is, quoniam vidit ubique [8] necem;
« Sic ait, est de me, lapsum casumque timente,
In, certo, propria morte vel hoste mori. »
Ad mala facta malus socius socium trahit, et sic
C Fit malus et nequam, qui fuit ante bonus.
Nec mirum, quoniam velocior ad mala spes est,
Quam sit ad illud opus quod Deus optat agi.
435 Ima petit levius quam surgat in ardua pondus,
Quod vix de terra colla bovina trahunt,
Nonne boves qui plaustra trahunt, quandoque tra-
[huntur,
Dum rota declivo tramite mota ruit:
Cum trahit hic sursum quantum valet, illa deorsum,
Impedit hæc illum, retroque sæpe cadit.
Nam magis est pronum celso de vertice sumptum,
Quam quod ab occidua valle resurgit iter.
Advena silvarum si bestia forte caninam
Indicat in turbam, nonne peribit ibi?
Nonne chelindrorum moriuntur morsibus illi,
D Quos via vel casus protrahit inter eos?
Quis nisi sit serpens, serpentibus associatur,
Cum graviter pungant id quod adhæret [9] eis?
Marcescunt flores, et gramina mortificantur
Quæ solo tactu fusa venena cremant.
Hos inter pueros dubios gens Marsia ponit,
Utrum se geniti sint ita scire volens:
Illis nam solis parcunt, ut dicitur, angues,
Dum sibi blanditiis oris amicat eos.

VARIÆ LECTIONES.

[99] Capit assumptas. [100] *Leyser*, sentis. [1] *Leyser*, tero. [2] *Duo exemplaria habent* oppositum. [3] *Eadem exemplaria legunt*, immomentaneo. [4] Vulpes ut occultet. [5] Metat. [6] *duo exemplaria habent*, filices, *duo alia*, silices. *Est autem filix, herba nociva, quæ neglectis agris innascitur.* [7] *duo exemplaria legunt*, examinat. [8] utrinque. [9] Inhæret.

Dum curvare potes, vel curvam tendere virgam,
Fac sit ut ad libitum plantula ducta tuum [10].
Cum vetus in magnum fuerit solidata vigorem
Non leviter flectes imperiale caput.
Rursus, si tortam patiaris surgere primum,
Semper ut est primo torta manebit ea.
Sic homo dum puer est, doceatur recta tenere,
Ne cor assuetis imbuat ille malis.
Argillam figulus quamvis mutaverit udam,
Sed siccæ formam non adhibere potest.
Cervinam pellem latrat per tecta catellus
Primitus, ut silvas doctus inire queat.
Tres servos tribus usque modis servire videbis,
Non uni domino tres simul, imo tribus.
Est nam qui vitæ fidens mercede futuræ,
Subjacet imperiis, obsequiisque Dei:
Hic servus non est, quoniam qui frena salubris
Justitiæ patitur, liber et altus erit.
Est quoque qui misero subjectus paret homello,
Ut quondam primi constituere patres;
Non tamen hunc totum sibi subjugat imperiosus,
Interior vinclis non retinetur homo.
Tertius est servus, vitio qui semper obedit,
Hic penitus servus vivit utroque modo.
436 Ut perpendiculo paries æquetur, oportet
Ne domus hoc ipso deficiente ruat.
Quomodo stare potest titubantis machina muri,
Si fundamentum debile fallat onus?
A simili, si quis sublimes tendit ad artes,
Principio partes corde necesse sciat.
Artes post [11] partes veteres didicere poetæ [12],
Idcirco magnum promeruere decus.
A Primo dictantes, et postea versificantes.
Tendentes [13] ferulæ supposuere manus:
Partibus imbutos, sapientia duxit Athenas.
Quatrinum [14] trivio continuando sibi.
Illicitos, miserande puer, compesce furores,
Scito quod ad mortem commovet hostis eos.
Aufer ab his mentem, miserosque videto dolores;
Altera plus istis sunt meditanda tibi.
Esto memor quod pulvis eris, quod vermibus esca,
In gelida putris quando jacebis humo.
Non erit in mundo qui te velit ultra videre,
Cum tua rancidior fit cane rupta caro.
Cur proprio caput ense secas, cur sponte catenas
Dæmonis incurris? cur sua jussa facis;
B Motibus assidue surgentibus obvius obsta,
Nec superet qui te sic superare putat.
Heu! quid homo tantum quærit [15] dum transit ut umbra,
Qui nunc stare putat, nunc cadit ima petens.
Quid certum manet huic, nisi mors et mortis imago?
Hunc semper sequitur; hunc tenet, huncque trahit.
Heu! cur gaudet homo, cur ille superbit; et ad quid?
Cur ducit fastus [16], qui cinis est et erit?
Cur cupit, et metuit, et cur sibi subdere tentat
Omnia? cur semper vivere quærit ibi [17]?
Non sic, non; quoniam perit illa putatio jam jam [18],
C Ros cadit, et vitæ rursus ad ima ruit:
Sic stat homo; vel dic quo facto cætera constant,
Quidplus sunt? vanum singula, quæque nihil.

VARIÆ LECTIONES.

[10] *Duo exemplaria habent:* Fac sic ad libitum, stet tua plantatuum. [11] Per. [12] *Leyser,* magistri. [13] *Leyser,* gaudentis. [14] *Leyser* Quadravium. [15] Vacuus. [16] Statum. [17] *Alia exemplaria habent,* vivere posse putat. [18] Jam jam, *alia habent* vana.

AD OPERUM ALANI DE INSULIS EDITIONEM CURANTE CAROLO VISCHIO DATAM SUPPLEMENTUM.

DE ARTE SEU ARTICULIS CATHOLICÆ FIDEI.

MONITUM.

(D. Bern. PEZIUS, Dissert. isagog. ad tom. I *Anecdot.*, p. LXXIII.)

De vita et morte Alani Magni de Insulis, *sacræ theologiæ doctoris, cognomento Universalis, et gloriosi scholæ ecclesiasticæ Parisiensis moderatoris, humilis Cisterciensis conversi historicam Relationem* Carolus

Vischius conscripsit, eamque Alani operibus, quotquot quidem reperiri potuerunt, a se in-folio Antuerpiæ, anno 1654, editis præfixit. In ejusdem editionis propylæo habes catalogum operum Alani, quem auctiorem et accuratiorem repetiit idem eruditus Vischius in altera Bibliothecæ suæ Cisterciensis, quæ Coloniæ, anno 1656, prodiit, publicatione. Ex utroque autem certum habemus insignes et doctissimos hos *Quinque de Arte seu Articulis* (nam variant codices) *catholicæ fidei libellos* nunquam typos expertos esse. Carolus quidem Vischius in Bibliotheca *de Articulis fidei* non nisi lib. I recenset, qui apud canonicos regulares Tungris asservetur. Ast sequi præstat, præter fidem nostrorum codicum, Gemnicensis, inquam, et Emmeramniensis, qui membraneus in-8° quadringentorum annorum est, ipsum Alanum, qui in prologo *quinque libris hoc opus distinctum esse* testatur. Horum *primus agit de una omnium causa, id est de uno eodemque trino Deo; secundus de mundo, angeli et hominis creatione, et arbitrii libertate; tertius de Filio Dei incarnato pro homine redimendo; quartus de sacramentis Ecclesiæ; quintus de resurrectione mortuorum.* Quæ gravissima catholicæ fidei dogmata, singulorumque necessariam veritatem et consecutionem solis rationibus naturalibus demonstrare satagit Alanus, *ut qui prophetiæ et Evangelio acquiescere contemnunt, humanis saltem rationibus inducantur.* Cæterum hoc Alani opus etiam vidimus in codice Campililiensi, ubi ejusdem quoque scriptum *De intelligentiis*, nondum editum, exstat hoc initio : *Summa in hoc capitulo nostræ intentionis est rerum naturalium difficiliora breviter colligere.* Cod. membr., fol., manu sæculi XIV. Denique idem codex amplectitur et aliud Alani hactenus ineditum opus, cujus hic titulus et initium : *Paradoxæ de maximis generalibus : Sententia Platonis et Aristotelis est*, etc. Vischius hujus posterioris opusculi nusquam meminit. Præterea in bibliotheca monasterii Sanct-Crucensis habentur præstantes Alani sermones, nondum typis vulgati, *Speculum Ecclesiæ* inscripti (1). Codex est membraneus in-fol. ante quadringentos annos collectus. Incipit præfatio : *Cum primo in nostro conventu resideres, et verbum fratribus secundum datam tibi*, etc. Tum sequitur procemium, cujus principium : *Peritissimi pictores Ambrosius, Augustinus*, etc. In ejusdem bibliothecæ Crucensis codice membr., fol., ante quadringentos annos exarato, visitur Alani *Oculus sacræ Scripturæ*, sive *Compendium utriusque Testamenti* (2). Inc. præf. *Reverendissimo Patri et domino Ermengaudo, Dei gratia S. Ægidii abbati Alanus*, etc. Opus : *Quoniam juxta Aristotelicæ auctoritatis præconium, qui virtutum nominum sunt ignari*, etc. Postremo in bibliotheca Cremifanensi exstat Alani Magistri *Liber de diversis sermonibus dictionum theologicarum*. Inc : *Quisquis ad sacræ Scripturæ notitiam*, etc. Cod. chartac., fol., manu sæculi XIV. Quæ omnia eo fine a nobis hoc loco relata sunt, ut si quis olim auctiorem Operum Alani collectionem in se suscipiet, noscat unde codices depromendi sint.

(1) Non sunt Alani, sed Honorii Augustodunensis. *Speculum Ecclesiæ* editum est *Patrologiæ* tom. CLXXII, ex codice ms. monasterii B. Virginis Mariæ Rhenoviensis apud Helvetios. EDIT.

(2) Idem ac *Distinctiones dictionum theologicalium* quas infra recudimus juxta editionem Daventriensem anni 1477. EDIT.

DE ARTE
SEU ARTICULIS CATHOLICÆ FIDEI
LIBRI QUINQUE

(Ex codice ms. imperialis monasterii S. Emmerammi Ratisbon. et inclytæ carthusiæ Gemnicensis in Austria eruit. R. P. D. Bern. Pezius et edidit tom. I *Thesaur. Anecdot.*, p. 476.)

PROLOGUS.

Clemens papa, cujus rem nominis et vitæ sentiant A subjecti, et tu a Domino consequaris zelum scribentis hoc opus tuo devotum nomini, benignus attende. Partes occidentalis imperii tot sectarum corruptas hæresibus offensione contemplatus, ægre sustinui adeo invalescentem merito peccaminum in confessione Christi nominis corruptelam, cum ad instar cancri serpens, et palam jam se proferre (3) non formidans Ecclesiæ scandalum grave pariat et irrecuperabile detrimentum. Cæterum terræ orientalis incolæ ridiculosa Mahometi doctrina seducti his temporibus non præcipue solum, sed et armis professores Christianæ fidei persequuntur. Ego autem cum viribus corporis non possum resistere, tentavi malitiam eorum rationibus impugnare.

Porro sancti Patres Judæos a pertinacia, gentiles ab erroribus virtute miraculorum recedere facientes, auctoritatibus Veteris et Novi Testamenti productis in medium, comprobatam fidem ampliaverunt. Sed nec miraculorum gratia mihi collata, nec ad vincendas hæreses sufficit auctoritates inducere, cum illas moderni hæretici aut prorsus respuant, aut pervertant.

Probabiles igitur fidei nostræ rationes, quibus perspicax ingenium vix possit resistere, studiosius ordinavi, ut qui prophetiæ et Evangelio acquiescere

(3) Cod. Gemnicensis : *jam progredi.*

contemnunt, humanis saltem rationibus inducantur. Hæ vero rationes si homines ad credendum inducant, non tamen ad fidem capessendam plene sufficiunt usquequaque. Fides etenim non habet meritum, cui ratio humana ad plenum præbet experimentum. Hæc etenim erit gloria nostra, perfecta scientia comprehendere in patria, quod nunc quasi in ænigmate per speculum contemplamur.

Porro cum Christi vicarius sis, Petri apostoli successor, tua interest, in omnem terram semen verbi catholici propagare. Unde titulo tui nominis devovi istud opus ascribi, ut ubicunque lectum fuerit, excellentiæ meritis accrescens auctoritas efficacius moveat inspectores. Nempe editionem hanc *Artem catholicæ fidei* merito appello. In modum [enim] artis composita diffinitiones, distinctiones continet, et propositiones artificioso successu propositum comprobantes.

Quinque igitur libris hoc opus distinctum est : Primus agit de una omnium causa, id est de uno eodemque trino Deo; secundus de mundo, angeli et hominis creatione, et arbitrii libertate; tertius de Filio Dei incarnato pro homine redimendo; quartus de sacramentis Ecclesiæ; quintus de resurrectione mortuorum.

Descriptiones autem appositæ sunt hæc de causa, ut appareat, in quo sensu accommodis huic arti vocabulis sit utendum. Tres autem *petitiones* subjunctæ sunt; sic dictæ, quia, cum probari per alia non possint tanquam *maximæ* licet non adeo evidentes, verumtamen (4) ad probationem sequentium illas peto mihi concedi. *Communes* autem *animi conceptiones* sequuntur; sic dictæ, quia adeo sunt evidentes, quod eas auditas statim animus concipit esse veras. Hæ autem sunt ad probationem sequentium introductæ : *Causa* est per quam habet aliquid esse, quod dicitur creatum. *Substantia* est quæ constat ex substantia, materia vel forma. *Materia* est res discreta formæ susceptibilis. *Forma* est quæ ex concursu proprietatum adveniens a qualibet alia

A substantia facit suum subjectum aliud (5) esse.

Proprietas est alia substantialis, alia accidentalis. *Substantialis* est, quæ componitur (6) subjectæ materiæ ad complendam substantiam; *accidentalis* est, quæ est adventitiæ naturæ. *Accidens* est proprietas, quæ per subjectum existit, eidem esse non conferens, sed differre. *Differre* autem dicitur, quod informatum est proprietatibus, quarum collectio in alio inveniri non potest. *Differre* autem faciunt proprietates et formæ. *Discretum* autem est, quod differt, vel quod differre facit.

Motus est accidens, quod attenditur secundum aliquam subjecti mutationem.

Motus sex sunt species : *Generatio*, *corruptio*, *augmentum*, *diminutio*, *secundum locum mutatio*, B *alteratio*.

Item *actu esse* dicuntur, quæ non intellectu, sed actualiter in rerum numero deprehendimus. *Intellectus* est potentia animæ, adminiculo formæ rem comprehendens. *Nomina et verba* sunt voces ad significanda ea, quæ intellectu comprehendimus, significantes sub parte. *Numerus* est naturalis discretorum summa. Hæc tria sunt, quæ peto, seu *petitiones*. Primum, cujuslibet compositionis causam componentem esse; secundum, nullius rei causam in infinitum ascendere; tertium, quæ creatorum causis attribuimus, nec insunt per effectum, et causam illius attribui. *Communes* autem *conceptiones* sunt hæ : Prima, omnis res habet esse per illud, quod causam ejus perducit (7) ad esse; C secunda, omnis causa prior et dignior est suo causato; tertia, nihil est prius, vel dignius, vel altius seipso (8); quarta, si aliquis major possidet minorem se, minor se et ea, quæ penes ipsum sunt, in honorem et voluntatem majoris tenetur convertere ; quinta, injuriosus tanto majori dignus est pœna, quanto major est, cui infertur injuria; sexta, juxta dignitatem ejus, contra quem peccatum est, debet satisfactio compensari ; septima, audita efficaciter et visa efficacius animos movent.]

(4) Cod. Emmeram., *veræ tamen.*
(5) Cod. Gem., *aliquid.*
(6) Ib., *supponitur.*
(7) Cod. Gem., *producit.* Et sic semper in seqq.
(8) Cod. Emmer., *quam ipsa sit.*

LIBER PRIMUS.

437 I. *Quidquid est causa causæ, est causa causati.*

Causa est, per quam aliquid habet esse ex descriptione ipsius : et omnis res habet esse per istud, quod causam ejus ad esse perducit per primam communem animi conceptionem. Si ergo aliquid causam producit, constat quia et causatum producit. Unde si *a* est causa *b*, et *b* est causa *c*, manifestum est quod *a* est causa *c*. Si enim *a* est causa *b*, causa autem *b* sit *c*, *c* (9) habet esse per *b* secundum descriptionem causæ. Ex hypothesi *b* D habet esse per *a* : ejus enim est causa; et *c* habet esse per *b*. Sed secundum primam animi conceptionem omnis res habet esse per illud, quod causam ejus ad esse perducit. Sed *a* perducit *b* ad esse : est enim ejus causa. *B* autem est causa *c*. Ergo secundum illam animi conceptionem, *c* habet esse per *a*. Ergo a descriptione causæ, *a* est causa *c* : et sic patet propositum.

II. *Omnis causa subjecti est causa accidentis.*

Accidens enim ex descriptione ipsius habet esse

(9) Uterque cod., *a.*

per subjectum, ergo a descriptione causæ subjectum est causa accidentis. Sed (10) præcedens theorema est : Quidquid est causa causæ, est causa causati. Ergo omnis causa subjecti est causa accidentis.

III. *Nihil seipsum composuit, vel ad esse perduxit.*

Imo dicit adversarius : aliquid seipsum composuit, vel ad esse perduxit. Ergo ipsum habet esse per se : ergo est causa sui ipsius ex descriptione causæ : ergo est prius et dignius se ipso per secundam animi conceptionem. Sed hoc est contra tertiam communem animi conceptionem. Nihil enim est prius vel dignius seipso. Ergo impossibile est quod aliquid seipsum composuerit, vel ad esse perduxerit.

IV. *Neque subjecta materia sine forma, neque forma sine subjecta materia actu potest esse* (11).

Si enim subjecta materia est, ergo res discreta est : ergo a descriptione discreti differt, vel differre facit. Sed non differre facit, quia (12) neque est proprietas, neque forma ergo differt ; ergo a descriptione ejus, quod est differre, ipsa est informata proprietatibus ; ergo est formæ subjecta ; ergo non est sine forma.

Similiter est in descriptione formæ. Forma enim facit suum subjectum esse aliud a qualibet alia substantia. Ergo forma est in subjecto ; ergo in subjecta materia. Et sic habetur propositum.

V. *Compositionem formæ ad materiam esse causam substantiæ.*

Substantia enim constat ex materia et forma. Ergo materia et forma sunt causa substantiæ compositionis per primam petitionem. Item, nec forma, nisi componatur materiæ, nec materia, nisi componatur formæ, actu esse possunt, sicut prius probatum est. Ergo forma et materia actu habent esse per compositionem earum ; ergo compositio est causa existentiæ earum. Sed existentia earum est causa substantiæ : ergo per primum theorema compositio formæ ad materiam est causa substantiæ. Quidquid enim est causa causæ, est causa causati.

VI. *Cujuslibet substantiæ est triplex causa, scilicet materia et forma, et earum compago, quarum trium eadem est causa.*

Prima pars hujus theorematis ex præcedenti robur assumit. Secunda autem pars per primam petitionem probatur. Cum autem cujuslibet compositionis aliqua est causa componens, ergo compositionis formæ ad materiam aliqua est causa, ergo ipsa causa compositionis compaginisque et materiæ et formæ, quod mediante theoremate præcedenti probatur.

(10) Cod. Gem., *et.*
(11) Cod. Em., *neque subjectam materiam sine forma, neque formam sine subjecta materia actu posse esse opinandum est.*
(12) Cod. Em., addit, *subjectum.*
(13) Cod. Em., *et diff.*
(14) Cod. Gem., *nihil enim est*, etc.

A VII. *Quæcunque sub numero cadunt, differunt, vel differre faciunt* (13).

Numerus enim discretorum est summa. Ergo si cadunt sub numero, discreta sunt ; ergo a descriptione discreti differunt, vel differre faciunt.

VIII. *Nihil est causa sui* (14).

Hoc a tertio theoremate fidem accipit. Nihil enim seipsum composuit, vel ad esse perduxit. Ergo nihil est per se ; ergo nec est sui causa.

IX. *Cujuslibet inferioris esse est suprema causa* (15).

Nullius enim rei causæ in infinitum ascendunt, sicut secunda proponitur petitione.

X. *Causa suprema neque componitur alicui, neque ipsam aliqua componunt.*

Nam sive hoc, sive illud sit, compositionis illius B est aliqua causa componens per ipsam primam petitionem, quæ causa componens aut est ipsa causa, de qua agitur, aut alia. Sed illa (16), de qua agitur, esse non potest. Nihil enim est sui causa. Ergo alia est ab ea, de qua dicitur. Sed omnis causa est superior a suo causato per secundam communem animi conceptionem : ergo illa est superior, et suprema causa, quod est impossibile.

XI. *Causa suprema neque proprietas neque forma.*

Non enim componitur alicui : ergo nec est proprietas, neque forma.

XII. *Causam supremam simplicissimam esse oportet. Unde manifestum est unam tantum esse omnium causam supremam, quam ratiocinandi gratia dicimus Deum.*

C Veritas hujus propositionis per decimam satis apparet. Corollarium autem inductum probatur. Si enim adversarius dicat cum hæretico, manichæo, non unam tantum esse causam supremam, ponantur ergo plures : ergo duæ ad minus (17). Ergo subjacent binario, et cadunt sub numero ; ergo differunt vel differre faciunt per septimum theorema. Sed neutra differre facit, quia neutra est proprietas nec forma, ut præmissa docuit. Ergo differunt. Ergo per descriptionem ejus, quod est differre, causæ illæ sunt informatæ proprietatibus vel formis ; ergo illis impactæ (18) sunt formæ. Sed compositionis cujuslibet aliqua est causa suprema. Ergo habent aliquam causam vel aliquas causas ; D ergo non sunt supremæ causæ ; quod est contra hypothesim.

438 XIII. *In Deum nullum cadit accidens.*

Si enim in Deum cadit accidens, ergo Deus est subjectum accidentis (19). Sed accidens suum subjectum differre facit, sicut in accidentis (20) descriptione dictum est. Ergo Deus differt ab aliquo ; ergo proprietatibus informatur, quod est contra hypothesim.

(15) Cod. Em., *causæ est*, etc.
(16) Cod. Em., *alia.*
(17) Cod. Em., *ponatur ergo esse plures.*
(18) Cod. Gem., *incompactæ.*
(19) Cod. Gem., *ergo Deus est subjectum actu.*
(20) Cod. Em., *in antecedenti.*

XIV. *Deus nec alterari, nec augeri potest, nec minui, nec localiter moveri.*

Nullum enim accidens cadit in Deo. Ergo nec aliqua species motus.

XV. *Deus est æternus.*

Si enim incipit esse, ergo motus est generatione. Si desinit (21) esse, ergo movebitur corruptione, ergo accidens vel erit vel fuit in eo : quod est impossibile.

XVI. *Deus est immensus, incomprehensibilis, ineffabilis, innominabilis.*

Vere immensus est, quia in eo non certa quantitatis mensura : quantitatis enim expers est, in quem nullum cadit accidens. Eumdem etiam incomprehensibilem loco et tempore et intellectu esse quis ambigat? Non enim arctatur temporis intervallo, quia nullum initium habuit, nec fine etiam (22) claudetur. Similiter etiam loco comprehendi non potest. Si enim loco circumscriberetur, certis superficiebus ejus soliditas clauderetur, et sic expers non esset quantitatis et formæ : quod prius est improbatum. Item, Deus, qui omnimodam formam subterfugit, intellectu comprehensus esse non potest, cum intellectus naturalis nisi adminiculo formæ rem (23) non comprehendat, sicut apparet ex descriptione intellectus. Ergo Deus humano intellectu capi non potest.

Verum pari modo ineffabilis censetur, id est de quo fari recte non possumus. Cum enim circa duos terminos humanus sermo versetur, subjectum scilicet per quod exprimitur de quo fit sermo, et prædicatum quod subjecto copulat proprietatem vel formam, a divina natura est modus hic alienus, cum natura proprietati subjecta sit, nec ipsa proprietas est sine causa. Unde patet Deum innominatum esse. Cum enim nomina ad exprimendum tantum ea quæ intelliguntur sunt instituta, et Deus humano intellectu capi non possit, ergo nec nomine recte (24) significari.

XVII. *Deum nulla scientia, sed sola fide deprehendimus.*

Nihil enim sciri potest, quod non possit intelligi. Sed Deum non apprehendimus intellectu, sicut per præmissam (25) apparet. Ergo nec scientia. Deum igitur ipsum inducente nos ratione esse præsumimus, et non scimus, sed esse credimus. Fides enim est ex certis rationibus (26) ad scientiam non sufficientibus, orta præsumptio. Fides igitur utique super opinionem, sed infra scientiam.

XVIII. *Deus est in omni tempore, omni loco, omnia et quantalibet potens.*

Immensitas, quæ hoc nomine comprehenditur, creata vel concreata, et ea, quæ, si essent, creata vel concreata essent, solummodo comprehendit Sic ergo dicat falsigraphus : Deus non omnia potest. Ponat aliquid (27) esse creatum, vel concreatum, quod ipse non possit. Aut illud erit subjectum, vel proprietas, aut ex utraque compacta substantia. Sed quodcunque illorum sit, compaginis illius erit aliqua causa, quod per primam petitionem probatur. Cujuslibet autem inferioris causæ est (28) causa suprema, sicut ex nono theoremate probatur. Ergo suprema causa, quæ prius est, illius est causa, de qua propositum (29) est. Ergo illud habet per Deum; ergo Deus potest facere quod illud sit; ergo Deus potest illud : quod est contra hypothesim.

Pari modo si negetur Deum omni tempore omnia posse, ponatur aliquod tempus, vel aliquod, vel aliqua esse, quæ in illo tempore Deus non possit; et prædicto modo poterimus argumentari. Verum et sic arguendum est, si in omni loco omnia (30), et quantumlibet potens esse negetur Deus.

XIX. *Quæ in rerum creatione et dispositione commendabilia contemplamur (31), per effectum et causam attribuuntur Creatori. Unde quia potenter et bene potentia et bona creata sunt, Creatorem potentem et bonum dicimus esse; et quia in rerum dispositione charitas, justitia, misericordia, humilitas, pietas, et hujusmodi perpenduntur, ipsum pium, humilem, justum, misericordem dicimus et sapientem. Porro etiam notis similitudinibus dicitur lux (32), fons, oriens, lumen, vita, videns, aliisque ex omni genere linguarum vocabulis ad ejus magnitudinem prædicandam transumptis.*

Ad hujus probationem exigitur tertia petitio. Procul dubio per effectum et causam dicitur Deus bonus, sive bonitas, quia ab eo omne bonum procedit, et ipse efficit omne bonum. Justus etiam sive justitia nuncupatur, quia ab eo solo procedit justitia, qui omnium rerum est causa, sicut corollarium duodecimæ propositionis affirmat. Per quamdam enim similitudinem dicitur Fons. Quia sicut a fonte rivuli, ita ab eo cuncta procedunt. Sol etiam et Lumen asseritur, quia *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* (*Joan.* I). Et sic de singulis patet.

XX. *Deus est potentia, qua dicitur potens; sapientia, qua sapiens; charitas, qua diligens. Cæteraque nomina, quæ divinæ naturæ competunt, de Deo, sed improprie divinam prædicant essentiam.*

Nomina enim ista, potentia, potens, sapientia, sapiens neque formam, neque proprietatem, neque quidquid talium Deo attribuere possunt, cum simplicissimus Deus in sua natura nihil sit talium capax, quod per decimum theorema probatum est. Cum ergo ratiocinandi de Deo causa nomina nominibus copulamus, nihil, quod non sit ejus essentia,

(21) Cod. Em., *defuerit.*
(22) *Etiam* deest in cod. Em.
(23) Cod. Gem., *esse.*
(24) Cod. Em., *ergo nec nom. et ratione sig.*
(25) Cod. Em., *præmissa.*
(26) Ib., *notionibus.*

(27) Uterque cod., *aliud.*
(28) Cod. Em., *esse est.*
(29) Cod. Gem., *compositum.*
(30) *Omnia* deest in C. Em.
(31) Ib., *contemplantur.*
(32) Ib., deest, *lux.*

prædicamus, et si transumptis nominibus de Deo quid (33) credimus, improprie balbutimus, sicut per decimum sextum theorema constat esse probatum.

XXI. *Omnia in Deo, et Deus in omnibus, et omnia dicitur esse causative.*

Omnia siquidem in Deo sunt tanquam in sui causa. Deus enim in omnibus sicut causa in suis causatis. Deus etiam dicitur omnia esse per causam.

XXII. *Deus essentialiter est ubique, et nusquam localiter.*

Vere per decimum octavum theorema Deus dicitur esse in omni loco omnia potens. Sed hoc nomen, *potens*, prædicat divinam essentiam, sicut per vigesimum liquet: Ergo Deus est ubique existens. Deus igitur essentialiter est ubique : nusquam autem localiter. Incomprehensibilis enim est, sicut per decimum sextum theorema proponitur (34).

XXIII. *Cujuslibet substantiæ admiranda compago, quantus sit suus Auctor, ostendit.*

Cum enim nullam creaturam aliam posse creare noscamus, et cujuslibet facturæ causam superiorem esse nobis ratio dictet, admirabilem credimus esse omnem factorem.

XXIV. *Materia et forma, earumque compago tria prorsus diversa sunt, quæ in cujuslibet substantiæ creatione principaliter exiguntur. Unde manifestum est, quod in unius ejusdemque substantiæ creatione effectus in uno eodemque Creatore Trinitatem esse convincit. Et hæc Trinitas tres personæ dicuntur, prima Pater, secunda Filius, tertia Spiritus sanctus.*

Formam et materiam prorsus esse diversa earum descriptiones et naturæ demonstrant. Patet etiam quod neutra earum est sua compago, cum a compositis aliud sit componens. Quod autem hæc tria principaliter exigantur, et hoc ex descriptione substantiæ promptum est intelligere. Substantia enim constat ex materia et forma. Constare autem idem est quod componi. Corollarium autem per præmissam propositionem comprobatur. Cujuslibet enim substantiæ admiranda est compago.

XXV. *Licet in qualibet substantiæ creatione materiam Patri, formam Filio, compositionem Spiritui sancto possit congruus ordo destinare : tamen in quolibet trium totam Trinitatem necesse est operari.*

Materia primum substantiæ fundamentum congruit primæ Trinitatis personæ; formam, quæ innascitur, Filio attribuimus competenter; compositionem autem illarum, cui nisi tertiæ Trinitatis personæ, quæ Spiritus sanctus dicitur, deinde aptare possemus? Unde compositio illa non tantum juncturam extremorum continet, sed etiam ornatum. Cum autem quælibet istarum personarum sit Deus, qui unus omnium est artifex, restat, ut tota Trinitas prædicta tria indivisibiliter operetur.

439 XXVI. *Materiæ forma innata, et ex ipsis procedens compago Filium natum a Patre, et eorum nexum amoremque Spiritum sanctum ab utroque procedere nobis figuraliter pronuntiant* (35).

Intuentes enim illorum naturam, ipsam in exemplar sui auctoris (36) proponimus, et per creaturam Creatoris contemplantes naturam velut per speculum, in ænigmate substantiam dijudicantes, per figuram prædictam figuraliter intuemur, sicut per vigesimum tertium (37) et vicesimum quartum theorema patet.

XXVII. *Pater et Filius, et Spiritus sanctus æquales sunt potentia et natura.*

Natura enim æquales esse convincit, cum quilibet sit Deus, et ipsi tres unus Deus, quod ex corollario vigesimo quarto habemus. Potentia autem æquales esse vicesimum quintum convincit.

XXVIII. *Una est essentia trium personarum, quarum nulla est altera reliquarum.*

Prima pars hujus propositionis ex præmissis patet. Cum enim unus idemque Deus sint tres personæ, constat eas esse ejusdem essentiæ. Deinde personas istas prorsus prædicto modo possumus diversas persuadere. Sicut in creatione substantiæ tria esse diversa vigesimum quartum theorema proposuit, ita creantes personas perpendimus esse diversas. Idem (38) indirecte probatur. Nam si dicat quis Patrem esse Filium et Spiritum sanctum, ergo eadem persona illorum, ergo non sunt tres personæ : quod est contra vicesimum quartum theorema.

XXIX. *Quæcunque prædicant divinam essentiam, tribus personis conveniunt.*

Nihil enim sunt aliud tres personæ illæ, quam una divina essentia : quod præmissum theorema confirmat.

XXX. *Personarum Trinitas est unitas Deitatis* (39).

Trinitas enim est tres personæ (40), quæ sunt una Deitas. Quæ enim Deitas nihil aliud est, quam unitas Deitatis. Unde a primo Trinitas illa est unitas Deitatis.

(33) Cod. Gem., *quod.*
(34) Cod. Gem., *Sicut theorema* 16 *proponit.*
(35) Cod. Em., *prænuntiavit.*
(36) Cod. Gem., *ipsum in exemplar sui actoris,* etc.
(37) In eodem tantum citatur theorema 24.
(38) Cod. uterque, *item.*
(39) Cod. Em., *divinitatis.*
(40) Ib., est *terminus personæ.*

LIBER SECUNDUS.

Bonum est, quod utiliter habet esse. *Malum* est defectus et privatio boni. *Utile* est quod ex bona causa procedit. *Charitas* est, quod vult idem bonum aliis, quod sibi et efficit prout potest et debet.

Justitia est quæ bene merentes remunerat et malos punit, juxta quantitatem meriti meritum vel pœnam recompensans. *Bene mereri* proprie dicitur, qui nulla necessitate compulsus, ad alterius honorem vel commodum, facit quod facere non tenetur. *Male meretur* qui debitum ei cui debet non solvit, cum possit. *Humilitas* est quæ minimis maxima æquat. *Misericordia* est quæ ex pœna debita aliquid relaxat. *Gloria* est gaudium ex bonorum felicitate proveniens. *Gratia* est quæ non ex merito, sed gratis aliquid confert. *Satisfactio* peccati est [ad] honorem ejus, contra quem peccatum est, aliquid sufficienter factum, alias indebitum.

I. *Deus est summum bonum, nec in eo, nec ab eo malum.*

Deus est per effectum et causam bonus, ut ex decimo nono theoremate comprobatur (41), et nihil æque utiliter esse habet ut Deus. Ergo nihil est æque bonum ut Deus a descriptione boni; ergo summe bonus; ergo summum bonum.

Item, Deus est omnia quantumlibet, et quantalibet potens, sicut decimo octavo primi libri continetur : Ergo nulla est potentia in eo; ergo nullus defectus; ergo nec defectus boni est in eo; ergo nec malum est in eo a descriptione mali.

Item quidquid est ab eo, a bona causa est. Deus est enim bona causa. Ergo quidquid ab eo est, utile est a descriptione utilis; ergo quidquid ab eo est, utiliter habet esse; ergo quidquid ab eo est, bonum est; ergo ab eo non est malum : et sic tres partes propositionis probavimus.

II. *Quidlibet, sive substantia sive accidens sit, in sui esse natura bonum esse necesse est.*

Quidlibet enim est a Deo. Ergo utiliter habet esse; ergo est bonum. Vel aliter : A Deo nullum est malum, et quidlibet est ab eo : ergo quidlibet est bonum. Locus ab immediatis.

III. *Summa charitas, justitia, humilitas, misericordia perpenditur in Deo.*

Charitatem et humilitatem, etc., in Deo esse intelligas, sicut vigesimo primi libri declaratur. Quia vero est summum bonum nullius boni defectus est in eo. Ergo charitas et quælibet virtus summa est in eo.

IV. *Rem divinæ sapientiæ et gloriæ participem fuisse creandam divina charitas probat, et res illa spiritus rationalis dicitur.*

Charitatis descriptionem attendens considerabit Deum velle alii idem bonum quod sibi, et efficere, prout potest et debet, præsertim cum summa sit in eo charitas. Sed hoc non potuit esse, nisi aliud ab eo esset : quod bonum Dei participare posset. Oportuit ergo ut aliquid esset ab eo cui idem bonum vellet, quod sibi; nec tantum vellet, sed efficeret, prout posset et deberet. Potuit autem efficere, quia ipse est omnium potens, sicut ex primo patet. Debuit ergo suæ charitatis intuitu. Ergo aliud ab eo oportuit esse, quod bonum illud participaret. Sed aliud ab eo non potest esse, nisi per ejus creationem, sicut duodecimum primi libri convincit. Ergo oportuit talem rem creari, quæ divini boni particeps esset. Sed divinum bonum est sapientia et gloria, etc., supradicta. Ergo sapientiæ et gloriæ Dei et charitatis et cæterorum commendabilium particeps res fuit creanda : et sic patet propositum.

V. *Spiritus rationalis Deum timere, et servire tenetur, et in omni obedientia ministrare.*

Si quis quartam communem animi conceptionem attendit, propositionis hujus necessitatem inveniet. Nam cum minor majori teneatur in omnibus obedire, cum spiritus rationalis, quod vivit, quod sapit, quod potest, a Deo habet, in ipsius gloriam et honorem et laudem se, et quidquid habet, debet sine intermissione (42) convertere.

VI. *Machina mundi cum suis multiplicibus ornamentis in timoris et laudis et ministerii Dei, et comitandæ gloriæ materiam fuerat fabricanda.*

Cum enim spiritus rationalis Deo servire teneatur et administrare, sicut præmissa proposuit, prætendenda (43) ei fuit in rebus miranda potentia creatis materia ministrandi (44). Quocirca mundi artificio considerato habuit manifestam materiam, quo tam potentem et doctum timeret artificem et laudaret, et in ejus (45) gubernaculo et dispositione Domino ministraret, et ex cunctarum rerum scientia in suo auctore posset plenius gloriari.

VII. *Ob multiplices ministeriorum causas in machina mundi multos oportuit spiritus rationales creari : Ipsos autem Dei nuntios appellamus.*

Non enim tantis administrationibus unus posset sufficere, et tantum auctorem opportunum erat copiam ministrorum habere, et infinitæ charitatis munificentia voluit Deum auctorem multis suam gloriam erogare.

VIII. *Liberum arbitrium bene et male gerendi fuerat angelis de necessitate justitiæ conferendum.*

Porro cum in Deo dicamus justitiam, ex descriptione justitiæ sequitur, ut eum bene merentium remuneratorem, et malorum punitorem esse credamus. Si ergo de necessitate esset angelus astrictus Deo facere quod tenetur, non bene mereretur. Cum ergo bene mereri dicatur apud Deum, qui nulla necessitate compulsus libens facit Deo quod debet, etsi mereretur, non remuneraretur.

Pari modo si ipsum ad malum compelleret innata necessitas, ut debitum honorem solvere nequivisset, non esset ei imputandum, sed ei, qui talem creasset; nec ergo male mereretur, nec puniri deberet, quia liberum arbitrium (46) angelo fuerat de necessitate justitiæ conferendum. Nam cum justitia non nisi bene merentes remuneret, et malos tan-

(41) Cod. Gem., *declaratur.*
(42) Cod. Em., *intermisso.*
(43) Cod. Gem., *præcedenda.*
(44) Ib. *Charitas ministrandi.*
(45) Cod. Em., *cujus.*
(46) Cod. Em., *mereretur nec præmium, quando liberum*, etc.

tum (47) puniat, non bene meretur, nisi quia nulla necessitate, sed propria animi libertate se inclinat de malo ad bonum : et de malo similiter accideret. Quod si ex necessitate boni vel mali essent angeli, nec pro bono opere præmium reciperent, nec pro malo incurrerent pœnam, quod esset divinæ charitati vel justitiæ contrarium.

440 IX. *Angelorum naturam fortem et subtilem, et multiplici gratia ditatam fuisse credendum est.*

Angeli tantarum rerum ministeriis deputati, quanta tam sextum quam septimum theorema proposuit, non possent sufficere, nisi valde potentis essent naturæ. Præterea cum divinis secretis assistant, ut in supremis ministrent officiis, sapientes et cautos et providos angelos, libero arbitrio gaudentes esse necesse est. Et ita patet eos multiplicis gratiæ munere fuisse ditatos.

X. *Ut bene mereantur angeli, tenentur libero arbitrio uti ad bonum.*

Cum enim liberum arbitrium haberet. sicut octavum proposuit, de ratione subjectionis tenentur Deum timere, et illi deservire in omnibus, sicut in quinto probatum est. Ergo liberum arbitrium ad illud tenentur inflectere, et si ad aliud deflectunt et libentes, patet ex descriptione bene merendi apud Deum, quod bene meretur apud Deum angelus, qui libero arbitrio ad bonum utitur : et sic patet propositum.

XI. *Angeli utentes male libero arbitrio irremediabiliter fuere damnandi.*

Noni theorematis tenore perpenso cum fortitudine angelorum (nam posset et deberet peccato resistere) et ex multiplici gratiæ dono suo Auctori obedire propensius tenebantur. Ergo nullatenus fuere digni remedio, si Deum inhonorantes libero arbitrio essent abusi.

XII. *Charitas et humilitas Dei ad omnia protenduntur.*

Non enim potest charitas esse major, quam charitas Dei, quæ suprema est in Deo, sicut tertium hujus libri theorema proponit. Ergo in infinitum magna charitas est in Deo; ergo in infinitum est ampla; ergo protenditur ubique; ergo ad omnia. Et sic de humilitate argue, et sic habebis propositum.

XIII. *Cum omni re aliquid in sui* (48) *natura commune habens, sapientiæ et gloriæ Dei communicans, etiam* (49) *de vilissima materia fuerat procreandum : et illud hominem appellamus.*

Cum enim per præmissa charitatem Dei ad omnia protensam esse habeamus, oportuit quod omni rei, aut alicui habenti cum omni re commune naturam etiam gloriam suam communicaret. Sed omni non debuit hoc facere. Gloria enim Dei inutilis esset in insensatis et brutis. Ergo aliquid oportuit esse, quod haberet cum omni re aliquid commune ratione necessitatis ad illam gloriam capessendam. Sed cum amplissima (50) sit in Deo humilitas, ut probat theorema præmissum, ut minima maximis æquarentur, opportunum fuit, de vilissima materia rem illam fuisse plasmandam. Sed nulla est humilior quam terra. Ergo de terra formatus est homo rationalis ut angelus; cum inanimatis vivens : et constat ex quatuor elementis supremam gloriam suscepturus.

XIV. *Liberum arbitrium fuerat homini indulgendum.*

Probo hanc eodem modo quo probavi octavam.

XV. *Omnes cogitatus, sermones et actus humani ad Deum tanquam ad legitimum finem sunt ex debito dirigendi.*

Nam cum ex libero arbitrio homo possit, tenetur, quemadmodum quinto theoremate probatum est.

XVI. *Voluntati hominis cum effectu* (51), *quantum in ipsa est, præmium et pœnam æquum est compensari.*

Bona autem voluntas præmio; mala autem digna est pœna! quod ex descriptionibus bene vel male merendi apud Deum elicitur. Qui enim quod Deo facere tenetur, libens facit, bene meretur apud Deum. Ergo mediante descriptione justitiæ dignus est præmio. Sed voluntatem bonam interpretamur bene merentem apud Deum, id est quantum in ipsa est, ad Deum se dirigentem : quod probavit præmissa probatio. Ergo bona voluntas digna est præmio.

Sic contrarium probatur de mala. Præmium autem et pœna secundum majus et minus sunt inferenda, prout voluntas in bono vel malo fuerit intensa, sicut in descriptione justitiæ reperitur.

XVII. *Voluntas bene merendi perpetua digna est retributione perpetua.*

Cum enim sicut præmissa docent, voluntati præmium est (52) compensandum, si voluntatem habet homo perpetuo famulandi Deo cum effectu (53), quantum in ipso est, et non stat per eum, quin perpetuo vivat, recompensandum est præmium perpetuum suæ voluntati : et sic patet propositum.

XVIII. *Bene merentium apud Deum retributionem non mercedem, sed gratiam esse constat.*

Bene enim mereri proprie dicitur, qui sponte alicui benefacit, quod facere non tenetur. Sed nihil Deo facimus, quod non teneamur facere, sicut quinto hujus libri theoremate assertum est. Ergo meritum nostrum apud Deum non est proprie meritum, sed solutio debiti. Sed non est merces nisi meriti, vel debiti præcedentis. Sed non meremur proprie : Ergo quod dabitur a Deo, non erit proprie merces, sed gratia.

XIX. *Omnis res bene vel male merendo laborans præmio debet gaudere, vel pœna damnari.*

Si enim aliter esset, non esset in Deo justitia, quæ merentes remunerat, et punit damnandos.

(47) C. uterq., *tamen.*
(48) Cod. Gem., *sua.*
(49) Deest ib., *etiam.*
(50) Cod. Em., *simplicissima.*
(51) Cod. Em., *affectu.*
(52) Uterque cod. *esse.*
(53) Cod. Em., *Deo affectu.*

XX. *Bonum, quod in Deo est, bene merentibus confertur. Unde manifestum est Deum bene merentibus se ipsum conferre.*

Quarta et decima probavit istam præsentem. Nam homo et angelus ad divinam sapientiam percipiendam facti sunt; et sic percipere debent divinum bonum quod est in Deo. Et sic patet propositio. Nullum autem bonum est in Deo, quod non sit Deus, sicut vicesimum primi libri theorema, si bene meminimus, manifestat. Ergo bene merentibus Deus illud, quod Deus est, dat, et ita seipsum dat. Et ita patet corollarium.

XXI. *Humana fragilitas a bono statu facilem ruinam incurrit.*

Nam sicut decimo tertio theoremate probatum est, de vilissima materia homo factus est. Ergo de fragili, quia de terra; ergo de facili corrumpitur, et ad casum impellitur (54).

XXII. *Mentis inquinamentum ablui desiderat et abstergi.*

Cum enim mens vitiis est corrupta et sordida, ablui desiderat, et abstergi.

XXIII. *In cogitationibus, verbis, operibus malis corrigendis consilium est quærendum.*

Cum enim morbus in homine curandus est, sicut præmissa proposuit, quis ambigat super hoc medicum esse consulendum?

XXIV. *Corporis fragilitas indiget remedio sublevari.*

Hanc probo sicut ante præmissam.

XXV. *Multiplex morbi causa multiplici indiget remedio medicinæ.*

Cum enim fragilis naturæ sit homo, ut vicesimum primum proponit, et ob hoc male merendi morbum de facili incurrit, indiget remedio, ut in statum debitum revocetur. Sed multæ sunt morbi causæ. Morbum autem hunc dicimus malum, id est boni status defectum (55), sicut in præmissis apparet.

A Ergo ad multas causas multa adhibenda sunt remedia quod propositum est.

XXVI. *Creber casus crebrum expetit auxilium resurgendi.*

Hanc sicut præmissam probare potes

XXVII. *Ut homo sanior et fortior fiat, instandum est multiplicibus adjumentis.*

Ista propositio per vicesimum quintum apparet.

XXVIII. *Forma hominis per abusum deformis effecta indiget reformari.*

Si formæ descriptionem attendas in primo libro, invenies eam ex proprietatibus concurrentibus constare. Cum ergo homo motus suos cæterasque proprietates tam mentis quam corporis in Dei voluntatem minime convertit, male utitur eis. Ergo abutitur sua forma; ergo ipsam deformat; ergo ipsam
B corrumpit; ergo indiget in statum revocari debitum; ergo in pristinam formam; ergo indiget reformari.

XXIX. *Male merens apud Deum Deo injuriosus existit.*

Quemadmodum decimo quinto comprehensum est, homo se, et quidquid in eo est, in honorem Dei tenetur convertere ex debito, et si se, et quidquid in eo est, subtrahit Deo, Deum inhonorat. Ergo male merens Deo injuriosus existit. Sed se et sua Deo subtrahere est male mereri: ergo Deo injuriosus existit.

XXX. *Male merens in infinitum magna puniendus est pœna.*

C Male enim merens Deo injuriosus existit, sicut in præcedenti propositione assertum est, et juxta quintam animi conceptionem communem injuriosus tanto pœna majori dignus est, quanto major est, cui infertur injuria. Sed omni re in infinitum major est Deus. Ergo injuriosus Deo in infinitum magna dignus est pœna.

(54) Cod. Em., *impellimur.*

(55) Cod. Em., *dicimus malum bonitatis defectu.*

LIBER TERTIUS.

441 I. *Homo lapsus et pœnitens debuit divina misericordia visitari.*

Cum enim ex fragilitate propria sit homo in lubrico constitutus, sicut vicesimo primo libri secundi propositum est, si ceciderit et pœnitet, divinam misericordiam, id est de pœna debita relaxationem ipsum consequi pium et justum est.

II. *Lapsum hominem oportuit, ad percipiendam gloriam, reparari.*

Cum enim charitas et humilitas Dei humanæ naturæ fragile figmentum cum angelis in gloria congaudere decreverit, oportuit ut homo ad illam gloriam perveniret, sicut decimo tertio secundi libri declaratur. Sed si per peccatum lapsus est, et est indignus effectus ad illam beatitudinem pertingere, fragilitatis suæ intuitu per misericordiam debuit, sic-
D ut præmissum est, relevari. Ergo etsi lapsus esset, fuit ad prædestinatam gloriam reparandus. Et sic patet propositum.

III. *Hominis culpam debuit homo satisfactione delere.*

Justius enim fuit ut homo hominis culpam deleret, quam angelus vel alia creatura. Sed si divinam justitiam attenderis, quæ culpam impunitam nunquam dimitti, oportuit quod culpam satisfactio sequeretur. Ergo homo debuit satisfacere pro hominis culpa: et hoc erat propositum.

IV. *Satisfactione hominem reparare neque angelus neque homo purus potuit neque alia creatura.*

Conferenti prædicta veritas apparebit per trigesimum secundi libri: Male merens in infinitum magna puniendus est pœna. Sed homo vel alia crea-

tura ad tantum satisfactionem sufficere non potuisset: et ita patet propositum. Item; alio modo:

Quidquid potest homo unquam recte facere, in honorem et laudem Dei ex debito tenetur convertere, sicut decimo quinto secundi libri manifeste perpenditur. Sed juxta satisfactionis peccati descriptionem satisfactio est factum, quod non nisi propter reatum debetur, et juxta dignitatem ejus, contra quem peccatum est, debet satisfactio recompensari, sicut penultima communi animi conceptione proponitur. Deus autem in infinitum dignus est. Ergo quidquid potest facere homo, non est satisfactio sufficiens peccati; ergo homo non potest satisfacere sufficienter pro peccato: et sic neque alia creatura: et sic propositum patet. Item, etsi posset pro peccato satisfacere, non tamen posset ad prædestinatam gloriam reparare.

V. *Opportunum fuit Deum pro homine* (56) *satisfacere. Unde magnum est, Deum hominem factum reparaturum fuisse genus humanum.*

Opportunum (57) fuerat siquidem divinam gloriam fuisse homini communicandam, sicut vicesimo primo secundi libri probatum est. Sed peccaverat: ergo oportuit peccatum satisfactione deleri, sicut hujus libri tertio dicebatur. Sed creatura nulla satisfacere poterat ad plenum, sicut in quarto probatum est. Ergo constat a Deo hominem reparandum: et sic patet propositum. Sed æquum fuit a Deo hominis culpam deleri, sicut per tertium est conjectum. Ergo oportuit Deum esse hominem, qui satisfaceret pro creatura: et sic patet corollarium.

VI. *Secunda persona in Trinitate ad uniendum sibi humanam naturam fuit convenientius destinanda.*

Secunda persona in Trinitate est Filius, qui auctor est formæ, sicut patet vicesimo quinto primi libri. Attendas tenorem. Sed Deus debuit hominem per culpam deformem reformare, sicut vicesimo octavo primi libri propositum est. Convenientius ergo fuit ut auctor formæ, formam perditi hominis reformaturus, humanæ uniretur naturæ.

VII. *Homo reparator pro lapso homine Deo debuit se offerre.*

Nam cum homo, qui se, et quidquid potest, debet Deo, per peccatum et opera sua se Deo subtraxerit tendens ad alium finem quam ad Deum, sicut vicesimo quinto secundi libri propositum est, pro homine Deo subtracto debuit hominis reparator reddere (58) et offerre se Deo.

VIII. *Oblatio debita pro homine redimendo sincera debet esse, et ab omni peccati contagio aliena.*

Deus enim pro homine offertur, ut præmissa proponit, et ipse est Dei Patris Filius; ergo Deus, in quo nullum malum, quemadmodum disceptatum est in prima secundi libri. Ergo in eo nullum peccati contagium.

IX. *Ex muliere incorrupta carnem Dei Filius fuerat assumpturus; et ille dictus est Christus.*

Decuit enim ipsum mundam hostiam facturum ex mundo vase prodire et ex muliere, ut Redemptor Deus (59) peccantium genere nasceretur; et de Virgine, ne per virilis coitus peccatum labem tam sancta caro contraheret (60).

X. *Pro peccatis lapsorum contumelias et terrores et mortis pœnam Redemptorem decuit sustinere.*

Hæc per trigesimum secundi libri apparet. Cum enim pro peccato (61) unius hominis in infinitum magna deberetur pœna, multo magis pro tot hominum redimendorum tot peccatis Redemptor quanto majorem posset, pœnam sustinere debuit. Sed non est major in homine quam mors: ergo mortem, contumelias et terrores ad plene satisfaciendum debuit sustinere.

XI. *Hostia illa Deo Patri fuerat offerenda.*

Quod Deo fuerit offerenda, septimo comprobatur. Quod autem Patri: quia Filius, et quia creatura suo debuit satisfacere Creatori.

XII. *Hostia illa pro quorumlibet hominum quantislibet excessibus sufficiens est satisfacere Creatori.*

Ipse enim Deus, quantumlibet pretiosa est hostia. Ergo quantumlibet sufficiens ad delendum. Ergo pro quantislibet peccatis quorumlibet hominum; ergo et pro omnibus illis, qui fuerunt, et qui sunt, et qui erunt: et sic propositum patet

XIII. *Hostia hæc Deo Patri crebris est ministeriis offerenda.*

Hoc theorema vicesimi quinti et vicesimi sexti secundi libri opitulatione innuitur. Nam creber casus crebrum expetit auxilium resurgendi; nec majus est auxilium quam prædicta hostia, et ideo est nostris crebris casibus opponenda.

XIV. *Hoc remedium est inutile recusanti.*

Qui enim recusat hoc remedium, recusat adjutorem Deum. Ergo peccat; ergo puniendus est; ergo indignum se facit hoc remedio; ergo hoc remedium est illi inutile: quod propositum est.

442 XV. *Deus alio modo potuit humanum genus competenter redimere.*

Cum enim, sicut ex decimo octavo primi libri habetur, Deus sit omnia potens, potuit alium modum redemptionis reperire et bonum et competentem (62), quia quidquid ab eo est, bonum est, et nullum ab illo vel in illo malum est, sicut prima secundi libri declarat.

XVI. *Expertem hujus remedii ad gloriam nullatenus, sed ad pœnam potius pertinere.*

Cum enim in peccato natus sit homo, non est dignus divinam gloriam adipisci, nisi fuerit divino remedio reparatus, sicut secundum hujus libri theorema declarat.

(56) Cod. Em., *per hominem.*
(57) Id., *Optimum.*
(58) Cod. Em., *redire.*
(59) *Deus* deest in C. Em.
(60) Cod. Gem., *ne per viri, aut viriles coitus peccati labem contraheret.*
(61) Cod. Em., *enim peccato unius.*
(62) Cod. Em., *competenter.*

LIBER QUARTUS.

Prædicatio est oratio salutem animæ (63) persuadens. *Sacramentum* est res visibilis gratiam invisibilem per quamdam similitudinem repræsentans. *Baptismus* est ablutio aquæ per invocationem sanctæ Trinitatis sanctificatæ, peccati ablutionem signans. *Eucharistia* est sacramentum corporis Christi sub panis et vini specie existentis, cum panis in Christi carnem, et vinum sit translatum in sanguinem. Sub hac autem specie sacramentum hoc est institutum, ut, quemadmodum panis et vinum sunt principale corporis alimentum, ita corpus Christi est præ cæteris fortius animæ sustentamentum. *Matrimonium* est legitima conjunctio maris et feminæ, unionem Christi et Ecclesiæ repræsentans. *Pœnitentia* est pro peccatis contritio, ab eis cessare intendens, per oris confessionem expressa. *Dedicatio basilicarum* est in ipso ordine ministris Ecclesiæ multiplex. *Chrismatis* et *olei inunctio* et quædam alia sacra (64), quæ per exercitium devotionem excitant, et reddunt hominem sanctiorem. *Ecclesia* est congregatio fidelium confitentium Christum, et sacramentorum subsidium.

I. *Prædicatio et sacramenta Ecclesiæ necessaria sunt.*

Audita enim efficaciter, et visa efficacius animos movent, quæ ultima est animi conceptio. Quare prædicatio animum inflectit, et fortius sacramenta, quæ sunt exteriora signa. Et quia Ecclesia propter multiplicis peccati morbum eget multiplicis remedio medicinæ, sicut vicesima quinta secundi libri proponit, tam verbis quam signis excitandi sunt peccatores : nam si non prosunt singula, multa juvant (65). Ergo et prædicatione et sacramentis; quod propositum est.

II. *Baptismi causam inquirere.*

Cum ex massa corrupta carni in peccato conceptæ anima unita labem contrahat, exigit ob hoc remedium ablutionis spirituale, sicut vicesima secundi libri convicimus, qua dicitur quod mentis inquinamentum desiderat ablui et extergi, ad quod tollendum interius necessaria fuit ablutionis exterioris institutio, quæ per invocationem sanctæ Trinitatis sanctificata habet interioris mundationis effectum.

III. *Eucharistiæ causam scrutare.*

Homo per fidem et pœnitentiam de peccato resurgens efficaci remedio indigebat, quod gratiam perseverandi in bono conferret. Sed nulla efficacior erat, quam caro Christi. Ergo necessarium fuit homini carnem Christi communicare, quæ caro Christi sub specie panis et vini, sicut instituit ipse Christus, a dignis assumpta ad corporis et animæ salutem proficiens Christi membra efficit assumentes. Et ne redundet in nobis malitia, hæc hostia crebris est ministeriis offerenda, sicut decimo tertio tertii libri declaratur.

Porro in fide hac decesserunt universæ Ecclesiæ prælati post apostolos, et illi, quorum meritis magna et miranda miracula operatus est Deus. Non ergo fidelis abhorreat a Domino institutum primitus (66) sacramentum. Sed eum de simplici prece sollicitet, ut, quod nunc sub specie gerimus (67), in æterna gloria certa scientia comprehendamus.

IV. *Matrimonii causam investigare.*

Ad cultum Dei genus humanum fuit propagandum potius, quam carnis lascivia procreandum. Unde continere nolentibus indultum est hoc remedium commercii maritalis et commistio sive (68) conjunctio talis per bonum matrimonii excusetur, ut agnita parentela inter conjunctos linea consanguinitatis augeat charitatem, et ita corporis fragilitas sublevetur, sicut vicesimo tertio secundi libri propositum est.

V. *Pœnitentiæ causam rimare.*

Cum virtus baptismi baptizato characterem imprimat Christianum, qui nullo modo potest oblitterari reatu incurrente criminis recidivo, supervacuus esset baptismus iteratus. Nam actum agere esset, si, quod habet Christianus, iterum ei conferretur, et sic injuria fieret sacramento. Oportuit ergo ut post baptismum lapsus, corde contrito Deum et ore hominem consulendo, recidivo morbo adhiberet pœnitentiæ medicinam, sicut vicesimo tertio secundi libri proponitur.

VI. *Multiplicium in Ecclesia sacramentorum causas multiplices explicare.*

Ad reatus delendos, ad confirmandum hominem in bono, ad fragilitatis remedium, ad gratiam conferendam, ut decretum est, quædam inventa sunt sacramenta, sicut vicesima tertia secundi libri proponit. Propterea (69) et personas, quæ conferunt ea, et loca, in quibus conferuntur, sed et instrumenta, tam quibus utuntur, quam quibus (70) ea conficiunt, opportunum fuerat consecrari : et sic utile fuit sacramentum multiplex instaurare (71).

(63) Cod. Em., *animi.*
(64) Cod. Em., *sacramenta.*
(65) Cod. Gem., *nam quæ non prosunt singula, multis vivant ergo*, etc.
(66) Cod. Gem., *penitus.*
(67) Cod. Em., *nunc sæpe gerimus.*
(68) Cod. Gem., *sui.*
(69) Cod. Em., *præterea*
(70) Cod. Gem., *ex quibus,*
(71) Ib., *restaurare*

VII. *Fideles Christi sacramentorum fidem habere constat.*

Fideles enim Christi sunt Ecclesia Christi, et Ecclesia Christi est congregatio fidelium confitentium Christum et sacramentorum subsidium. Ergo habent fidem sacramentorum, quod erat propositum.

VIII. *Fides sacramentorum exigitur a bene merentibus apud Deum.*

Dicat ergo hæreticus: Falsum est (72). Ponatur ergo bene merentem apud Deum non habere fidem sacramentorum. Ergo non confitemur sacramentorum subsidium; ergo non est de Ecclesia a descriptione Ecclesiæ; ergo non est de fidelibus Christi; ergo non bene meretur, quod est contra hypothesim.

IX. *Alicui nondum baptizato nec recusanti, neque pravam conscientiam habenti collatus aliquid confert baptismus. Unde manifestum est, mente captis efficacem esse baptismum et parvulis.*

Propositio sic probatur: baptismus est sacramentum fidelium: ergo a descriptione sacramenti gratiam invisibilem et ablutionem interiorem designat; ergo collato digne recipienti signatur ablutio interior; ergo digne recipiens abluitur interius; ergo ei confert. Sed si aliquis recipiat baptismum, et non recipit digne, aut prius baptizatus est, aut recusat baptismum, aut cum prava conscientia accedit, a destructione consequentis non confert ei. Sed si recipit baptismum, neque talis est, recipit digne: ergo ei confert baptismus, quia neque recipit sane, neque malam conscientiam habens, neque talis est.

Sed corollarium probetur (73). Parvuli, vel mente capti non sunt tales: ergo eis efficax est baptismus. Baptizato autem non confert baptismus, ne si iterato fiat, fiat injuria sacramento. Recusanti autem non confert. Nam si recusat, non credit: si non credit, non est fidelis Christi, sicut septimo hujus libri probatum est. Ergo non confert ei. Item, pravam conscientiam habenti non valet ad præsens. Talis enim voluntas digna est pœna, sicut decimo sexto secundi libri proponitur. Ergo non est digna præmio; ergo non est digna ablutione peccati, etc.

(72) Cod. Em., *Ergo Tartarus.*

(73) Cod. Em., *Sed si recipit baptismum, neque talis, neque talis est. Recipit autem: ergo ei confert baptismus, quia neque talis, neque talis est: quod erat propositum.*

LIBER QUINTUS.

443 I. *Resurrectio est corporis et animæ morte separatorum iterata conjunctio, tam animæ quam corpori pro facti qualitate præmium vel pœnam conferendo.*

Utrumque enim bene vel male laborat merendo. Omnis autem res bene vel male merendo laborans præmio debet gaudere, vel pœna damnari, sicut vicesima octava secundi libri proponit. Ergo tam corpus quam anima, sicut propositum erat, pro qualitate facti, ut sibi sentiat compensari.

II. *Totus homo retributionem perpetuam consequitur.*

Totus quidem, quia corpus et anima, sicut præmissum est, retributionem perpetuam consequitur; aut quia voluntas hominis perpetua retributione congaudebit, sicut decima octava secundi libri astruitur. Idem autem probare poteris de retributione peccati.

III. *Homo resurget in carne, quam habuit, et cum anima sua pariter denuo uniendus.*

Nisi enim in eadem carne resurgeret, non recompensaretur ei toti retributio meritorum, cum totus, ut prædictum est, eam debeat obtinere. Caro enim nisi spiritu fuerit vegetata, damnationem vel gloriam sentire non poterit: ergo spiritui unietur. Sed in resurrectione hominis nova caro, quæ non meruit, non debet assumi, sed illa, in qua meruit, et idem spiritus pari modo. Nam si alia caro vel alius spiritus assumeretur, alius esset homo, qui nihil prius meruerat; et si caro, quæ meruerat, non resurgeret, nullam penitus retributionem obtineret: quod est contra decimum nonum secundi libri.

IV. *Ad omnes tam majores quam minores resurrectionem pertinere generaliter. Unde manifestum est Christum a mortuis resurrexisse.*

Si enim discretionem habet homo, bene vel male meretur, ergo ad præmium vel ad pœnam resurget. Si vero est minor vel mente captus, aut sacramentis est adjutus, aut non. Si sacramentis est adjutus, et non stat per eum, quin mereatur, nihilominus gloriam obtinebit, sicut ex quarto secundi libri et decimo tertio declaratur; si autem sacramentis non est adjutus, nihilominus resurget, id ad quod præfatus est obtenturus, sicut ultima tertii libri declarat. Quæ autem caro carne Christi gloriosior? Quæ magis meritis pollens? Unde haud dubium est illam in gloria resurrexisse.

V. *Corpus incorruptibile expersque defectus resurrectio captabit (74).*

Cum enim resurrectionem perpetuam consequitur, tale futurum est, ut corrumpi non queat aut solvi, cum debeat sine fine durare: et, si debeat sine fine damnari, cum incorruptibile sit, no

(74) Cod. Gem., *Corpus incor. expers est defectus resurrectionis captabit.*

potest deficere. Ergo videtur defectus in eo esse non posse.

VI. *Sancti in gloria perfectæ scientiæ charitatisque retributione gaudebunt.*

Gloria est gaudium ex bonorum felicitate proveniens. Deus autem suam communicaturus sanctis gloriam tam angelis quam hominibus, sicut quarta et decima tertia secundi libri proponit, ipsos bonis suis faciet abundare. Quæ autem majora bona sunt, quam sapientia et charitas? In illa siquidem gloria sancti, qui secundum vigesimam secundi libri Deum habebunt pro præmio, ipsum perpetuo facie ad faciem contemplabuntur, et quæ nunc imaginantur per speculum in ænigmate divina secreta, tunc plenitudine scientiæ apprehendent. Astricti etiam erunt in illo regno tanto charitatis affectu, ut minimus in maximo gloriam suam usque adeo esse gaudebit, ac si eamdem ipsemet obtineret. Quid mirum, cum Deus summa charitas, summa sapientia in ipsis erit, et ipsi in Deo? Erubescant ergo Machomitæ, qui mulierculas, et miri saporis cibos, delicias etiam bestiales et terrenas, non cœlestes, corpori, non animæ, surrecturo promittunt.

VII. *Tormento perpetuo damnatorum nulla major est pœna.*

Quod enim majus damnum, quam Deum amittere, ad cujus gloriam obtinendam factus est homo, sicut undecima secundi libri proponit? Et pœnarum levissima, si perpetua est, gravior est gravissima temporali. Vel quos vermis conscientiæ perpetuo remordebit, qui secundum ultimam secundi libri in infinitum magna puniendi sunt pœna: et sic propositum patet.

ALANI DE INSULIS

DOCTORIS UNIVERSALIS

THEOLOGICÆ REGULÆ.

(D. Joannes Aloysius MINGARELLIUS, *Anecdotorum Fasciculus*, pag. 171. Romæ 1756, in-4°, sumptibus Venantii Monaldini bibliopolæ in via Cursus.)

—

PRÆFATIO.

De theologicis Regulis dicturo opus mihi non est ut in investigando illarum auctore tempus teram; eas enim ab Alano Magno scriptas esse consentiunt eruditissimi viri, Carolus Vischius (75) in primis, qui pleraque ejus opera Antuerpiæ anno 1654 evulgavit; Casimirus Oudinus in *Commentariis de scriptoribus ecclesiasticis* (76), atque, ut de aliis sileam, Jo. Albertus Fabricius in *Bibliotheca mediæ et infimæ Latinitatis* (77). Quorum consensio cum magni mea quidem sententia hac in re facienda est, tum vero etiam veterum codicum ac librariorum auctoritate fulciri et confirmari potest: nam et in pluribus codicibus, quos in Brugensi, Camberonensi, Tornacensi apud Sanctum Martinum, et Pembrochiana Cantabrigiensi bibliotheca adhuc exstare Vischius testatur, atque Oudinus; et in eo quem nunc præ manibus habeo ipse, pervetusto codice Alani nomen a librario inscriptum est: tantam vero præfert codex iste vetustatem, ut eo ipso, quo fuit Alanus, sæculo scriptus merito videri queat.

Theologicas quas edimus Regulas multis modis a veteribus librariis inscribi testatur Oudinus; nonnunquam enim, ut ab altero quodam ipsius Alani opere secernantur, quod *Doctrinale minus* dicitur, *Doctrinale altum* appellantur: interdum vero hunc habent in vetustis codicibus titulum: *De maximis seu axiomatibus theologiæ liber;* aliquando etiam, si Fabricio fides habenda est, hunc alterum: *De doctrina liber:* in nostro demum codice sic inscribuntur: *Regulæ Alani de sacra theologia.* Nos nostri codicis inscriptionem retinuimus, idque eo libentius fecimus, quod Alanus ipse eam nobis indicasse, ac voluti tradidisse videatur, cum ea quæ hoc in opere colligit atque interpretatur effata, *Regulas* passim nuncupet.

Multa in hoc libello animadversione digna sunt, quæ si omnia enumerare velim, nimis longus sim. Illud tantum speciminis instar afferam, quod in regula 85 de attritione scribit Alanus. Joannes enim Morinus, quod hunc Alani librum non vidisset, *attritionis* vocabulum ab Alexandro primum Halensi adhibitum, ac post annum 1220 in scholas invectum non immerito scripserat in præclarissimo illo, quem *De pœnitentia* edidit, Commentario (78). « Nomen illud, inquit (nempe attritio) vulgari cœpit post annum 1220, centum et paucissimis annis post natam scholasticam. Sic autem attritionem inter et contritionem distinguebant, ut attritionem dicerent ex fide informi nasci, contritionem ex fide formata: attritionis principium esse timorem servilem, contritionis timorem initialem (79) » et quæ sequuntur. Verum ante 1220 annum tritum fuisse theologorum sermone attritionis vocabulum ex 85 regula intelligimus. Ibi enim ea voce iterum ac tertio utitur Alanus: neque vero ipsa ut nova quadam, et a se primum excogitata dictione, sed ut ea, quæ theologis nota esset, videtur uti. « Omne malum, inquit, meritorium

(75) In Bibliotheca Scriptorum ordinis Cisterciensis.

(76) Ad annum 1150, tom. II, pag. 1407.

(77) Tom. I, pag. 37, edit. Patav., ann. 1754.

(78) Lib. VIII, cap. 2, num. 14, pag. 548.

(79) Lege, si placet, quæ de hac re scripsit Milliavacca noster in opere Venetiis edito anno 1755, quod inscribitur *De idoneis ad baptismi, et pœnitentiæ sacramenta dispositionibus*, lib. I, cap. 15.

in homine aut continuando augetur, aut attritione remittitur, aut contritione dimittitur. » Et paulo post hæc subjungit : « Malum quod est in homine, ut fornicatio, vel aliud criminale peccatum, aut continuatione augetur... aut attritione remittitur; ut quando aliquis dolet se hoc commisisse cessans ab opere, quamvis non pœniteat perfecte; aut contritione dimittitur, quando plenarie de peccato convertitur. Sunt enim multi, qui dolent se peccasse, et corde atteruntur, non tamen plene conteruntur, nec firmum habent propositum non relabendi, nec ore confitentur. »

Verum duo quædam in hisce Regulis occurrent lectori loca, quæ fortasse aut reprehensionis aliquid, aut certe admirationis erunt habitura : de quibus proinde breviter nunc dicendum est. Ac primum quidem nihil unquam sibi Christum meruisse docet Alanus in regula 106. « Christus, inquit, nil sibi meruit operibus suis, sed quidquid meruit, meruit nobis operibus singulis... Quod ergo dicitur meruisse immortalitatem, et nomen quod est super omne nomen, non est referendum ad ipsum, sed ad nos; quia nobis meruit ut haberemus immortalitatem, et cognosceremus eum Patri æqualem. » Porro istam, quæ Alano arrisit, sententiam fateor equidem uno omnium theologorum consensu jam diu explosam esse : id quod ne ipse quidem Chamierus, homo Calvinianus, negat in opere quod מלחמות יהוה (*bella Domini*) (seu *Panstratiam Catholicam* inscripsit (80). Christum enim Servatorem nostrum etsi neque gratiam, neque scientiam, nec animæ beatitatem, nec divinitatem meruisse constet, sui tamen corporis gloriam, aliaque nonnulla ejusdem generis sibi promeritum esse constans est theologorum opinio. Ita sane sentit Petrus Lombardus in tertio *Sententiarum*, dist. 18; S. Thomas Aquinas III part., quæst. 19, art. 3; Cajetanus, Vasquezius, Hayus, ac, ne singulos memorem, Bellarminus, lib. V *De Christo mediatore*, cap. 9 : ut proinde merito impudentiæ et falsitatis accusetur Calvinus, quod in secundo *Institutionis Christianæ*, cap. 17, segmento 6, hæc scripserit : *Quærere an sibi meruerit* (Christus), *quod faciunt Lombardus et scholastici, non minus stulta est curiositas quam temeraria definitio, ubi hoc idem asserunt*, et reliqua deinceps : quæ ut falsa demonstrentur, neque ad hoc nostrum institutum pertinet, et a brevitate præfandi remotum est. Verum quamvis hæc ita se habeant, non continuo tamen aliqua temeritatis nota condemnandus est Alanus; quippe qui eo tempore scripserit, quo illa, quæ ipsi placuit sententia, tolerabilis videbatur. Petrus enim Lombardus, Alani æqualis, eam ipsam libri tertii distinctionem, in qua illam, quam secutus est Alanus, opinionem refellit, his verbis exorditur : « De merito etiam Christi prætermittendum non est, de quo quidam dicere solent, quod non sibi, sed membris tantum meruerit. » Istos tamen theologos, a quibus se dissentire profitetur, nulla censoriæ severitatis nota inurit Lombardus.

Nunc ad alterum e duobus, quos diximus, Alani locis pergamus, quem Joannes Launoius afferens in libro qui *De sacramento unctionis infirmorum* inscribitur (81), a Porretano nescio quo Alano scriptum dicit. Exstat his in regula 113, ubi de extrema, unctione sic loquitur Alanus noster : « Sunt qui dicunt de hoc sacramento, quod iterari non possit, sicut nec baptismus : sed quia sacramentum pœnitentiæ est, et pœnitentia potest iterari, probabile est hoc sacramentum posse iterari. « Mirum illud quoque hic cuipiam videri potest quod extremam unctionem iterari quidem posse concedat Alanus, sed eam tamen sententiam non ut certam, sed ut probabilem duntaxat amplectatur. Verum is mirari desinet, qui noverit Alani ætate rem hanc non omnino certam, sed dubiam controversamque fuisse, quod Petrus Lombardus indicat in quarto *Sententiarum*, dist. 23, Goffridum sane Vindocinensem, atque Ivonem Carnotensem in ea fuisse opinione censet Launoius, ut extremam unctionem uni eidemque homini ægroto ne diversorum quidem occasione morborum iterum conferri licere existimarent : quorum tamen verba an benignius accipienda sint, quam Launoius fecerit, ac Jueninus, non inquiram in præsens. Goffridus quidem in epistola ad Ivonem Carnotensem data, quæ est 19 libri secundi epistolarum ipsius Ivonis : « Ut cætera taceamus, inquit, in hoc, ut nobis videtur, non mediocriter errant, quod unctionem infirmorum, cum a sancta catholica et apostolica sede sacramentum vocetur, et cum nullum sacramentum iterari debeat, iterandum putant. » Ipse vero sanctus Ivo Goffrido rescribens (82) : « Unctionem, inquit, infirmorum non æstimo repetendam, quia, sicut ipse asseruisti, secundum institutum apostolicæ sedis genus est sacramenti. Qui autem sacramenta Christi et Ecclesiæ repetit, injuriam ipsis sacramentis ingerit. Unctio enim infirmorum publicæ pœnitentiæ est sacramentum, quam non esse repetendam, sicut nec baptismum, testatur Augustinus, testatur Ambrosius. » Eademque cum sancto Ivone senserunt alii, quos Petrus Cluniacensis abbas in epistolis refellit, lib. V, epist. 7. Verum hac de re legendum omnino est eximium illud omnique eruditione refertum opus, quod *De synodo diœcesana* sapientissimus pontifex Benedictus XIV edidit : ex quo nonnulla in rem meam hic exscribam. « Labente, inquit (83), sæculo XI, et ineunte XII, hac nonnulli imbuti erant opinione, ut illicitum reputarent, fidelem sancto oleo semel inunctum unquam deinceps eodem linire : et si vera narrarent Ciacconius et Ughellius, eadem opinio, saltem apud aliquos, etiam sæculo XV perseverasset.... Opinabantur alii extremam unctionem posse iterum eidem conferri, modo tamen a die qua semel inunctus fuerat tres integri anni effluxissent. Hanc falsam persuasionem sibi induxisse monachos Hirsaugienses, refert auctor *Veteris disciplinæ monasticæ, in præfat.*, cap. 128..... Censuerunt denique alii apud Petrum Cantorem in *Summ.*, cap. 132, et Durandum lib. I *Rational. divin. offic.*, cap. 8, num. 25, non licere extremam unctionem intra ejusdem anni spatium repetere, etiamsi contingeret, quempiam in periculosum morbum iterato incidere. » Jampridem vero dubitatio hac de re omnis sublata est a concilio primum Florentino (84), deinde a Tridentino, cujus hoc exstat decretum sessione XIV, cap. III : *Quod si infirmi post susceptam hanc unctionem convaluerint, iterum hujus sacramenti subsidio juvari poterunt, cum in aliud simile vitæ discrimen inciderint.*

Superest nunc duntaxat, ut de codice quo in hoc edendo Alani opusculo usus sum, pauca subjiciam. Membraneus est iste codex, ac Bononiæ in nostra S. Salvatoris bibliotheca asservatur, ex qua ut ad me mitti posset, summa Benedicti XIV pontificis O. M. benignitate factum est. Decem omnino continet opuscula (85), quorum nonum est Alani, quod sæculo XII, aut certe paulo post exscriptum puto.

(80) Tom. II, pag. 263.

(81) Pag. 353.

(82) Epist. 20, tom. XXI, Biblioth. Maximæ Patrum.

(83) Lib. VIII, cap. 8, num. 3, pag. 355.

(84) In decreto Armenis dato.

(85) Ea in codice sic inscribuntur : I. *Libellus editus a fratre Thoma ord. Prædicatorum contra invectivas Mag. Guillielmi de Sancto Amore factas contra quosdam religiosos*. Nomen vero *Fratris Thomæ*, expuncto, quod antea scriptum erat, a librario additum est. II. *Sermo B. Augustini episcopi de laudibus hujus psalmi* De profundis. III. *Sermo B. Augustini de Trinitate et Incarnatione Domini*. IV. *Opus Mag. Alexandri* De fato. V. *Tractatus* De miraculis, De summa Magistri Alexandri.

REGULÆ ALANI DE SACRA THEOLOGIA[86].

—

444 Omnis scientia suis nititur regulis velut propriis fundamentis : et ut de grammatica (87) taceamus, quæ tota est in hominis beneplacito, et in voluntate, et de ejus regulis, quæ sunt in sola hominum positione (88); cæteræ scientiæ proprias habent regulas, quibus nituntur, et quasi quibusdam terminis certis clauduntur, ut dialectica regulas habet quas maximas vocat, rhetorica locos communes, ethica generales sententias, physica aphorismos, arithmetica porismata (89), id est regulas subtiles, quæ speculanti quodam modo in præmium cedunt, propter subtilem eorum intelligentiam : unde porismata quasi præmia nuncupantur ; porisma enim Græce, Latine *præmium* dicitur. Sunt et axiomata musicorum, quæ sunt regulæ artis musicæ, quæ dicuntur axiomata, quia componderationes, id est consonantias speculantur. Axia (90) enim Grece, Latine pondus dicitur. Theoremata vero geometrarum regulæ sunt, quæ theoremata, id est speculationes nuncupantur; theoria (91) enim Græce, Latine est *speculatio*, quia per eas geometria veritatem eorum, quæ ad ipsam pertinent, speculatur. Suas etiam maximas habet astronomia, quas excellentias (92) vocat propter sui dignitatem, et intelligentiæ subtilitatem. Supercœlestis vero scientia, id est theologia, suis non fraudatur; habet enim regulas digniores, sui obscuritate et subtilitate cæteris præeminentes; et cum cæterarum regularum tota necessitas nutet, quia in consuetudine sola est consistens penes consuetum naturæ decursum; necessitas theologicarum maximarum absoluta est, et irrefragabi-

A lis, quia de his fidem faciunt quæ actu, vel natura mutari non possunt. Unde propter sui immutabilem necessitatem, et gloriosam sui subtilitatem a philosophis paradoxæ dicuntur, quasi gloriosæ rectæ (93); propter sui obscuritatem ænigmata; propter internum intelligentiæ splendorem dicuntur emblemata, quia puriore mentis acumine comprehenduntur; enthymemata quasi intus in mente latentia, ab *en*, quod est *intus*, *time*, vel *timos* (94), quod est *mens;* propter sui auctoritatem hebdomades, id est dignitates dicuntur (95). Hebdam enim Græce, Latine *dignitas*. Unde Boetius librum inscripsit *De hebdomadibus* (96), quasi de subtilissimis theologorum propositionibus. Istæ propositiones quanto intelligentiam habent altiorem, tanto magis peritum exigunt auditorem. Unde non sunt proponendæ rudi-

B bus, et introducendis. qui solis sensuum dediti sunt speculationibus, sed illis qui ductu purioris mentis ad ineffabilia conscendunt, et puriori oculo philosophiæ secreta perspiciunt. Hæ propositiones in pleniori sinu theologiæ absconduntur, et solis sapientibus colloquuntur. Tractaturi igitur de theologicis maximis, a fonte, et quasi omnium maximarum sinu, id est a generalissima maxima, nostri tractatus sumamus initium. Communis animi conceptio est enarratio (97), quam quisque intellectus probat auditam (98). Hæc omnes maximas sua generalitate, cujuscunque sint facultatis, complectitur. Eleganter autem dicitur, *communis animi*, id est multorum animorum : ad hoc enim ut sit maxima,

C oportet ut ex natura, vel artificio in plurium noti-

VI. *Incipit prologus super Summam quamdam compilatam a fratre Bonaventura de ordine Fratrum Minorum de veritate Theologiæ.* Post prologum sequitur summa. VII. *Tractatus de ente et essentia.* Nomen auctoris desideratur. VIII. *Incipit prologus in lib. qui dicitur* Admiratio Christi, *seu Lamentum de Ecclesiæ ministris.* Post prologum sequitur ipsum Lamentum. IX. *Regulæ Alani de Sacra Theologia.* X. *Incipit breve Compendium super Psalterium.* Nomen auctoris desideratur.

(86) Ita inscribitur in nostro codice hoc opusculum, ut supra dixi.

(87) Codex habet *gramatica.* Alia hujusmodi menda, quæ in eo passim occurrunt, notare supervacaneum esset.

(88) Vel *opinione :* codex enim habet *pone* cum superscripta compendii nota.

(89) Πορίσματα ab Euclide dicuntur quæ a Latinis geometris *corollaria* dici solent : πορίζεσθαι enim est aliquid ex iis, quæ demonstrata sunt, inferre.

(90) Codex mendose habet hic *anxi*, et paulo superius *anxiomata.* Sed legendum est *axiomata*, et *axia*, seu ἀξία, etsi vox isthæc ἀξία *pretii* potius ac dignitatis significationem habeat, quam *ponderis.*

(91) Codex mendose habet *Theorin.*

(92) Hanc vocis *excellentia* significationem non memorat Ducangius in Glossario.

(93) Παράδοξον dicitur, quod est παρὰ δόξαν, id est *præter opinionem* hominum, et admirabile. Itaque vox παράδοξος nullam *recti* significationem habet.

(94) Ita scriptum est in codice; sed legendum in hunc modum : « ab *en* (ἐν), quod est *intus*, *thymos* (θυμος), quod est *mens.* »

(95) Vox *hebdomas*, seu ἑβδομὰς *dignitatem* profecto non significat, multoque minus vox *hebdam*, quam Græcus sermo omnino non habet : sed quæ Aristoteles ἀξιώματα vocat, seu *axiomata*, ea a veteribus Aristotelis interpretibus vocantur : *digni-*

D *tates.*

(96) Boetii liber *De hebdomadibus* sic etiam inscribitur : *An omne quod est, bonum sit.* Initio hujus libelli axiomata quædam proponit Boetius, quæ ab ipso dicuntur *hebdomades*, quod scilicet, ut equidem suspicor, ea sint omnino *septem.*

(97) Lege *enuntiatio.*

(98) Hac definitio ex Boetii libello *De hebdomadibus* desumpta est.

tiam veniat, ut si ad aliud probandum accedat, alterius probatione non egeat. Unde indemonstrabilis, per se nota, et maxima nuncupatur. Quare recte subditur, *quam quisque intelligens probat auditam*. Theologicarum autem maximarum aliæ veniunt in notitiam multorum, ut hæc : « Unum esse rerum principium ; aliæ in notitiam paucorum, id est sapientum, ut hæc : Omne simplex esse suum, et id quod est, unum habet. » De his igitur, quæ veniunt in notitiam paucorum, agendum est.

REGULA I. *Monas est, qua quælibet res est una.*

445 Deus non solum unus, imo et monas, id est unitas esse dicitur : et hoc multiplici ratione. Dicitur enim unum, sive unitas, ratione simplicitatis, vel singularitatis. A Deo enim relegatur omnis pluralitas. Est autem omnis pluralitas triplex : pluralitas partium, quæ attenditur in corporeis, quæ ex partibus integrantur ; pluralitas proprietatum est, quæ in corporeis saltem attenditur : eis enim multæ proprietates per concretionem componuntur, ut spiritibus ; est pluralitas effectuum, quæ attenditur in proprietatibus : quælibet enim proprietas, quamvis non habeat compagem partium, vel concretionem naturarum, habet tamen pluralitatem effectuum. Unde albedo facit album, facit coloratum, facit qualem : omnisque talis diversitas relegatur a cœlesti monade. Non est enim Deus diversus ratione partium, quia incorporeus ; non est diversus ratione proprietatum, ut dicit Augustinus (99) ; quia in eo nullus numerus, nulla pluralitas : non est diversus effectibus variis, quia non est causa formalis. Quare vere est unus, imo unitas. Unde Boetius in libro *De Trinitate* (100), ait de Deo loquens : Vere igitur unum, in quo nullus numerus, vel pluralitas. Dicitur etiam unus, sive unitas ratione immutabilitatis : sicut enim habetur in glossa super librum *Regum*, ubi dicitur : *Erat vir unus in Ramatha Sophi*, et cætera, hoc termino *unus* de Deo prædicatur immutabilitas. Dicitur etiam unus ratione exclusionis, ut sit sensus : Deus est unus, id est non plures. Dicitur etiam unus ratione similitudinis, quia multiplicem habet cum unitate similitudinem. Unitas a nullo descendit : omnis pluralitas ab unitate defluit ; unitas de se gignit unitatem : de se profert æqualitatem. Sic Deus a nullo, quidlibet ab ipso ; sic de se gignit alterum se, id est Filium ; de se profert æqualem sibi, id est Spiritum sanctum. Unde aliam ex prædicta potes elicere regulam.

REG. II. *In supercœlesti unitas, in cœlesti alteritas, in subcœlesti pluralitas.*

Supercœleste est Deus, in quo summa est unitas. Cœleste est angelus, in quo primo est alteritas, quia est primus a Deo creatus, et primus post Deum mutabilis factus : hic tamen non tantam dicitur habere varietatem, quantam habet subcœleste. Unde quia alteritas, prima est pluralitas, in eo non dicitur esse pluralitas, sed sola alteritas. In subcœlesti vero, ut in istis corporeis, dicitur esse plena pluralitas, quia multiplici varietati est obnoxium. Quare vere Deus est unus, sive unitas, ratione simplicitatis, ratione immutabilitatis, ratione exclusionis, ratione similitudinis : ergo sola monas est, id est solus Deus vere existit, id est simpliciter, et immutabiliter ens ; cætera autem vere non sunt, quia nunquam in eodem statu persistunt. Sequitur finis primæ regulæ, *qua quælibet res est una*. Nihil enim aliqua specie unitatis est unum, quod non sit unum a summa monade. Est enim unitas singularitatis, secundum quam quidlibet dicitur esse unum numero. Unde Boetius : « Quidquid est, ideo est, quia unum numero est ; quidquid autem in hac unitate est unum, ab illo habet ut sit unum. » Est unitas unionis, secundum quam plures homines dicuntur esse unum non ab unitate, sed ab unione ; et hæc etiam a Deo est : unde et testatur auctoritas super Joannem : *Omnia per ipsum facta sunt*, etc. (*Joan.* I). Omnis concordia a Deo est. Unitas etiam distinctionis, sive discretionis ab eodem trahit originem. Quod enim discretum, vel distinctum est, a Deo est. Unitas etiam integritatis, quæ in partium compositione consistit, secundum quam homo dicitur esse unus, id est ex anima, et corpore integratus, a Deo est. Unde auctoritas : Omnis compago a Deo est. Unitas etiam adunationis, secundum quam plures homines conveniunt sub eodem jure vivendi, et sub ejusdem legis positi jugo, dicuntur unus populus, a Deo est. Unitas consensionis, secundum quam dicitur : *Erat eis cor unum et anima una* (*Act.* IV), a Deo est.

REG. III. *Monas gignit monadem, et in se suum reflectit ardorem.*

Hæc regula nascitur ex præmissa : dictum est enim, quod ideo dicitur Deus monas, quia de se Deum gignit, de se etiam producit Spiritum sanctum, sicut unitas de se gignit unitatem. Monas igitur *gignit monadem*, id est Pater Filium : necessarium enim fuit, ut si monas gigneret, monadem gigneret : a simplici enim nihil gigni potest per decisionem, sicut fit in naturali generatione. Oportuit ergo ut aut nihil gigneretur a simplici, aut simplex a simplici. Unde Augustinus dicit quod Pater totam substantiam transfudit in Filium, quia non est ejusdem substantiæ cum Patre per decisionem, sed per naturæ plenitudinem. Et quia a Patre, et Filio procedit Spiritus sanctus, sequitur : *Et in se suum reflectit ardorem*. Spiritus sanctus dicitur ardor, amor, osculum et connexio Patris et Filii, quia Pater spiritaliter convenit cum Filio in spirando Spiritum sanctum. Et quia in donis Spiritus sancti, quæ dantur a Patre et Filio, significatur eo-

(99) Lege Augustini serm. 341, cap. 6, n. 8, tom. V. pag. 1317.

(100) Cap. 3.

rum ad nos dilectio, quia productio Spiritus sancti a Patre et Filio est certum significatum dilectionis Patris et Filii, id est unitas amborum; nisi enim in una natura convenirent, una spiratione non spirarent: ardor, vel amor Patris et Filii dicitur. Iste ergo ardor ita procedit a monade, id est a Patre, quod ipsum non deserit, quia ejusdem est essentiæ cum ipso; vel in se alterum, id est in Filium, suum reflectit ardorem, id est Spiritum sanctum; sed ita (1) procedit a Patre, quod ejus auctoritate procedit a Filio (2).

Reg. IV. *In Patre unitas, in Filio æqualitas, in Spiritu sancto unitatis æqualitatisque connexio* (3).

446 Hæc regula descendit a tertia, et est quasi explanatio tertiæ, quia Pater dicitur monas rationibus prædictis, quia scilicet ipse a nullo, quidlibet ab ipso: Filius etiam ab ipso per generationem, Spiritus sanctus per processionem: de se etiam gignit monadem, id est rem ejusdem naturæ, et simplicem. In Patre specialiter dicitur esse unitas; in Filio æqualitas. Non dico alteritas, ne diversitas naturæ ibi intelligatur, sed potius æqualitas. In æqualitate enim notatur et personalis pluralitas, et naturæ unitas; nihil enim sibi æquale est, nil alii æquale quod sit natura dissimile. Triplici autem de causa æqualitas specialiter attribuitur Filio, cum tamen conveniat Spiritui sancto, quia, primo occurrit æqualitas in Filio; quod etiam Spiritus sanctus est æqualis Patri, hoc habet ex illo: æqualitas etiam, vel similitudo specialiter attenditur in re, quæ ab alia procedit per generationem. Quare vero in Spiritu sancto dicatur esse unitatis æqualitatisque connexio, liquet ex antedicto.

Reg. V. *Sola monas est alpha et omega sine alpha et omega.*

Hæc maxima nascitur ex prima, qua dictum est Deum esse monadem ratione simplicitatis, et omnem rem ab illa esse monade in eo quod una numero est: et sic sola monas est alpha, et omega, omnium rerum principium, et finis. *Omnia per ipsum facta sunt* (*Joan.* I), ut clamat auctoritas, et ita omnium est principium. Omnia etiam tendunt ad unum, id est ad supremum finem. Irrationalis enim creatura, de qua minus videretur, ut bruta animalia, imo insensata, ut herbæ, et arbores, et etiam inanimata, ut lapides, naturaliter ad unum tendunt, et in quantum possunt, sectioni et divisioni resistunt, ut etiam lapis, de quo minus videretur, secundum naturalem partium consertionem divisioni resistit. Sequitur: *Sine alpha et omega*, quod eadem monas caret fine et principio, quia cum omnifariam simplex sit, ab ea relegatur omnis compositio. Dicitur autem aliquid compositum quatuor modis: aut compage partium, ut corporalia; aut ratione proprietatum, ut spiritualia, quia spiritalibus multiplex est concreta proprietas; aut aptitudine componendi, ut quælibet proprietas, quæ quamvis non sit ex partibus compacta, tamen ad hoc ut componatur subjectio, est apta; aut aptitudine compositi, ut primordialis materia secundum philosophos dicebatur composita, quia ad hoc ut ea aliquid componeretur, erat apta. Omnis autem talis compositio relegatur a Deo. Nec enim compactus est ex partibus, ut corpus, nec compositus ratione proprietatum, ut spiritus; nec aptitudine componendi, ut proprietas aliqua; nec aptitudine compositi, ut primordialis materia. Deus enim est forma absque substantia materiali; et est substantia absque prædicato formali (4). Cum igitur omnifariam sit simplex, caret principio, et fine: ubi enim nulla compositio actu, vel natura, ubi nulla origo, vel principium esse potuit, finem intelligere non convenit.

Reg. VI. *Omne limitatum alpha et omega aut est bonum ab alpha, aut est bonum ab alpha et omega.*

Hæc descendit ab illa, qua dictum est: *Sola monas est alpha et omega*, quia si omnia a Deo tanquam a principio sunt, ergo ab alpha, id est ab ipso principio, habitu boni principii bona sunt. Sed nota per hoc quod dicitur: *Omne limitatum alpha et omega*, intelligi omne creatum, quod clauditur duobus terminis, id est principio et fine, actu vel natura. Omne enim genitum naturaliter tendit ad interitum. Unde et angelica natura naturaliter dissolubilis est (5) de qua ait Plato (6): Dii deorum, quorum pater opifexque ego, natura quidem dissolubiles, me sic volente indissolubiles. Unde Augustinus super Genesim (7) ait: Omnem creaturam habere mane et vespere, id est principium et finem, saltem natura. Et sic omne creatum aut est bonum ab alpha, id est naturaliter particeps est bonitatis, et hoc habet a suo auctore: aut ex alpha et omega, ut rationalis creatura, quæ ad beatitudinem, quæ finis est omnium rerum, tendit. Ex

(1) Codex pro *ita*, habet *quia*.

(2) Quia Pater est *auctor* Filii, idcirco Spiritum sanctum *auctoritate* Patris procedere a Filio dicit Alanus. Simili modo acceptum *auctoritatis* vocabulum leges in regula 53, et 54.

(3) Hæc regula desumpta est ex Augustini libr. I, *De doctr. Christ.*, cap. 5.

(4) Lege regulam 13.

(5) Nimirum in nihilum a Deo redigi potest.

(6) In Timæo, pag. 41, tom. III: Τὸν τόδε τὸ πᾶν γεννήσαντα sic loquentem inducit Plato: Θεοὶ θεῶν, ὧν ἐγὼ δημιουργὸς, πατήρ τε ἔργων, ἃ δι' ἐμοῦ γενόμενα, ἄλυτα, ἐμοῦ γε θέλοντος...... δι' ἃ καὶ ἐπείπερ γεγένησθε, ἀθάνατοι μὲν οὐκ ἐστὲ οὐδ' ἄλυτοι τοπάμπαν· οὔτι μὲν δὴ λυθήσεσθέ γε: quæ verba sic transtulit Cicero: Hæc vos, qui deorum satu orti estis, attendite, quorum operum ego parens effectorque sum, quæ per me facta, sunt indissolubilia, quantum quidem voluero... idcirco, quoniam orti estis, immortales quidem esse, et indissolubiles non potestis, neutiquam tamen dissolvemini.

(7) Lege librum De *Genesi* ad litteram imperfectum, cap. 12, num. 36, tom. III, part. 1, pag. 106.

fine igitur sola rationalis creatura bona est, quæ A non solum naturaliter ad Deum tendit, verum etiam ipsum, tanquam Patrem, vitæ moribus colit, et mentis intelligentia recolit, et toto charitatis nisu, ut sibi detur in præmium, petit.

Reg. VII. *Deus est spæra* (8) *intelligibilis, cujus centrum ubique, circumferentia nusquam.*

447 Hanc probat illa regula, qua dictum est, *solam monadem esse alpha et omega :* ex eo enim quod principio caret, et fine Deus, spæra dicitur: proprium enim spæricæ formæ est principio et fine carere. Sed non est spæra corporalis, imo intelligibilis. Cum enim Deum spæram esse dicimus, non oportet nos deduci ad imaginationes, ut imaginemur eum esse spæram ad similitudinem corporum; sed, duce intelligentia, ea ratione intelligamus ipsum Deum esse spæram, quia æternus est. B Unde apud Martianum (9) diadema dicitur æternitas habere, quia principio et fine carere significatur. Unde carentia principii et finis diadema, quasi duo demens, id est principium et finem, appellatur. Sequitur : *cujus centrum ubique, circumferentia nusquam.* O magna inter spæram corporalem, et intelligibilem differentia ! In spæra corporali centrum propter sui parvitatem vix alicubi esse perpenditur, circumferentia vero in pluribus locis esse comprehenditur. In intelligibili vero spæra centrum ubique, circumferentia nusquam. Centrum dicitur creatura, quia sicut tempus collatum æternitati reputatur momentum, sic creatura immensitati Dei comparata, punctum, vel centrum. C Immensitas ergo Dei circumferentia dicitur, quia omnia disponendo quodam modo omnibus circumfertur, et omnia infra suam immensitatem complectitur. Hæc etiam alia differentia inter spæram corporalem, et intelligibilem, quia spæræ corporalis centrum immobile, circumferentia mobilis; in spæra intelligibili contra, quia Deus stabilis manens dat cuncta moveri.

Reg. VIII. *Deus est cui quidlibet quod est, est esse omne quod est.*

Isti præbet fidem illa, qua dictum est : *Monas est,* etc. Cum enim Deus simplex sit, nihil est in eo, præter id quod ipsum (10) est, ut dicit Boetius in lib. *De Trinitate.* In eo enim nec partium diversi- D tas est, nec proprietatum pluralitas. Quibuscunque ergo terminis Deus aliquid esse ostenditur, unum et idem prædicatur esse. Idem enim et unum ponitur pro his terminis, cum dicitur : Deus est Deus, fortis, patiens, misericors. Idem est enim Deo esse Deum, fortem, misericordem. Unde Boetius in lib. *De Trinitate* ait : Idem est Deo esse, quod magnum. Est ergo sensus : Deus est quidlibet quod est; est omne esse quod est, id est Deus est illud, de quo quocunque termino aliquid prædicatur, idem omnibus aliis terminis de eo prædicatur. Sed hoc maxime intelligendum de terminis trium prædicamentorum, substantiæ, qualitatis et quantitatis. Quicunque ergo termini (11) primi, vel secundi, vel tertii prædicamenti de Deo dicuntur, de ipso prædicant divinam usiam, ut cum dicitur : Deus est Deus, substantia, spiritus, pius, misericors, fortis, magnus, immensus. Unde secundum hoc videtur illa regula tradita esse a quibusdam :

Reg. IX. *Quidquid est in Deo, Deus est.*

Id est quicunque terminus in naturalibus prædicat inhærentiam, de Deo prædicat essentiam. Talis autem universitas, cum dicitur : *Quidquid est in Deo Deus est;* vel, *Quidlibet quod est,* etc., non refertur ad pluralitatem significatorum, sed significantium et effectuum ; unius enim et ejusdem causæ effectus sunt diversi diversis nominibus significati, cum dicitur : Deus est fortis, pius, prudens. Est ergo universitas in dicendo, in efficiendo, sed singularitas in essendo.

Reg. X. *Omnis prædicatio de Creatore facta, copulata est atque conjuncta.*

448 Hæc regula ex prætaxata descendit, quia si unum idem et prædictis terminis prædicatur de Deo, copulata atque conjuncta est prædicatio, quia cum de ipso aliquis terminus prædicatur, extra illam prædicationem nihil relinquitur : tantum enim dico, cum dico : Deus est bonus ; quantum si dicerem : Deus, est Deus bonus, fortis, pius. De creatura vero non ponitur aliquid copulate, sed divisim. Cum enim dicitur, Petrus est justus, quamvis aliquid prædicetur, tamen, multa extra hanc prædicationem relinquuntur, quæ Petro conveniunt, quæ aliis terminis de ipso prædicantur, ut cum dico, Petrus est pius, misericors. Unde Boetius in libro *De Trinitate* (12) ait : Divise quidem in cæteris, in Deo vero distincte atque copulate hoc modo. Nam cum dicimus : substantia homo est vel Deus, ita dicitur, quasi illud de quo ipsum prædicatur, sit substantia ; ut substantia homo, vel Deus ; sed distat ; quoniam homo non integre ipsum homo est : ac per hoc nec substantia : quod enim est, aliis debet, quæ non sunt homo. Deus vero hoc ipsum quod est, Deus est : nihil enim aliud est nisi quod est.

Reg. XI. *Omne simplex esse suum, et id quod est, unum habet.*

Hæc regula descendit ab illa : *Deus est cui quidlibet quod est,* etc. Est ergo sensus : *Omne simplex,* etc., id est : Si quis de eo quod vere est simplex, dicat simpliciter, *est,* ut, Deus est, et dicat : Deus est aliquid, ut, Deus est magnus, vel fortis : nullus intelligere debet, quod aliud prædicetur secunda propositione quam prima, ut si de Patre, vel de Filio, vel de Spiritu sancto dicatur, est, non aliud prædicatur

(8) Ita ubique scribit librarius.

(9) Martianus Capella, lib. I *De nuptiis philologiæ et Mercurii,* pag. 3, hæc habet : *Juppiter quippe diadema, quod æternitati filiæ honoratiori detraxerat,* etc.

(10) Videtur legendum *ipse.*

(11) Cod. habet *terminus.*

(12) Cap. 7.

quam cum dicitur: Pater est potens, Filius est potens, Spiritus sanctus est potens; sed idem prorsus: Nulla ratione intelligi debet aliud esse quod est, et aliud quo potens est, quoniam Patri, et Filio, et Spiritui sancto idem omnino est esse, et potentem esse.

Reg. XII. *Nullum simplex subjectum esse potest.*

Hæc nascitur ex præcedenti. Cum enim in simplici nulla sit diversitas, nulla pluralitas, in eo nec accidentale, nec substantiale est, quare nulli proprietati subjectum est. Eadem ratione nec de simplici aliquid prædicatur cum prædicari nihil aliud sit, quam inhærere. In propositione enim theologica (13) non quæritur, quid cui insit, sed quid sit. Cum enim dicitur *Deus est bonus*, non ostenditur quid cujus sit per instantiam (14), sed potius quid Deus sit per essentiam. Unde nulla propositio theologica de inesse est de contingenti, sed de puro esse, vel de necessario. Sive enim dicam, *Deus est*, sive, *Deus est justus*, de puro esse est propositio. Unde Boetius insinuare volens quod simplex subjectum esse non potest, ait (15): Subjectum enim esse non potest.

Reg. XIII. *Solum simplex est forma absque materiali subjecto, et substantia absque formali prædicato.*

Cum forma illud vere dicatur, quod aliud informat, et a nullo informatur, quid verius forma quam Deus, qui omnia informat, et a nullo informatur? Nullo enim participat ad hoc ut sit. Sed non est talis forma, ut subjecto inhæreat; sed potius est absque omni subjecto, id est abstracta. Unde sequitur, *absque materiali subjecto, et substantia;* non quia substet proprietati, sed quia omnia subsistunt per ipsam. Unde sequitur *absque formali prædicato*, quia nullum formale prædicatum de ipso prædicatur.

Reg. XIV. *Omne esse ex forma est.*

Cum Deus forma dicatur, quia omnia informat, et omnibus esse donat, recte omne esse a forma esse dicitur.

Reg. XV. *Ejus, quod est esse, nullum est esse.*

Dei, inquam, qui est omnium esse, quia omnia per ipsum facta existunt, nullum est esse, quia nullo participat ut sit. Ex hac sequitur hæc:

Reg. XVI. *Sola forma informis est, quia formæ non est forma.*

Divina enim forma nullo informatur ut sit, cum sit forma, formalissima.

Reg. XVII. *Omne nomen datum ex forma, dictum de forma, cadit a forma.*

449 Cum omne nomen secundum primam institutionem datum sit a proprietate, sive a forma, unde Boetius ait: Rebus ex materia, formaque constantibus, solus humanus animus exstitit, qui, prout voluit, nomina rebus impressit, ad significandum divinam formam translatum, cadit a forma, ex qua datum est, et ita quodammodo fit informe; pronominatur enim nomen, cum significat divinam usiam; meram enim significat substantiam: et cum videatur significare suam formam, sive qualitatem, non significat quidem, sed divinam formam, ut cum dicitur: Deus justus, vel bonus.

Reg. XVIII. *Omnes affirmationes de Deo dictæ incompactæ, negationes vero veræ.*

Tunc affirmatio composita, sive compacta dicitur, cum compositionem significat, quam significare videtur. Ut cum dico: *Petrus est justus:* hæc affirmatio significare videtur compositionem justitiæ ad Petrum, et significat quidem. Incompacta vero, sive incomposita dicitur affirmatio, cum non significat compositionem, quam significare videtur: ut cum dicitur, *Deus justus*; non enim ibi significatur compositio justitiæ ad Deum, non enim componitur, vel inhæret; et potius significatur esse justitia, quam justus. Negationes vero de Deo dictæ, et veræ et propriæ sunt; secundum quas removetur a Deo quod ei per inhærentiam non convenit. Unde Dionysius (16) attendens quid de Deo dicatur per causam, potius attendens sensum, ex quo fiunt verba, quam sensum quem faciunt verba; potius considerans quid ex quo dicatur, quam quid de quo, dicit: Deus est justus, pius, fortis. Item, potius considerans quid Deo non conveniat per proprietatem, quam quid de Deo dicatur per causam, dicit: Deus non est pius, fortis, misericors; potius removens auctoritatem dicendi, quam veritatem essendi.

Reg. XIX. *Omne simplex alio est, et alio dicitur esse.*

Hæc nascitur ex illa, qua dictum est: *Omne nomen datum ex forma*, etc. Ibi dictum est, quod nullum nomen proprie convenit Deo; et ita omne simplex, tam Pater quam Filius, quam Spiritus sanctus alio est, quia sua propria essentia est: et alio dicitur esse quia ab effectu, quem habet in creaturis, esse dicitur quia quidquid est, a Deo, tanquam a summo esse, habet esse; et ita quia omnia esse facit Deus, esse dicitur: sua tamen essentia est. Similiter Deus alio est justus, alio dicitur esse justus: sua enim propria justitia justus est; sed justus esse dicitur ab effectu justitiæ, quem habet in nobis: dicitur enim justus, quia facit justum; ipse vero est justus, quia est summa justitia.

Reg. XX. *Omne simplex proprie est, et improprie dicitur esse*

Patet istam nasci ex præcedenti. Tam Pater enim quam Filius, quam Spiritus sanctus proprie est, qui immutabiliter est. Unde Hilarius ait (17): Esse non est accidens Deo, sed substantialis generis proprietas. Tamen ipse Deus improprie dicitur esse; omne enim nomen, quod de Deo dicitur, improprie

(13) *Theologicam* propositionem hic dicit eam, quæ de Deo enuntiatur.
(14) Nimirum *per inhærentiam.*
(15) Lib. *De Trinit.*, cap. 3.
(16) Lege epistolam, quæ dicitur Dionysii Areopagitæ, ad Titum pontificem.
(17) Lib. I *De Trin.*, num. 5, tom. II, pag. 4.

dicitur : et ita proprietas est in essendo, sed improprietas in dicendo.

Reg. XXI. *Omne nomen Deo conveniens convenit ei vel causative, vel similitudinarie, vel adjective, vel negative.*

Similiter hæc nascitur ex præcedenti regula. Cum enim nullum nomen Deo proprie conveniat, oportet, nomen dictum de ipso, hoc vel illo modo dici quia etiam in naturalibus omne nomen, quod transumitur a sua propria significatione, aliquo prædictorum modorum transumitur. Sunt ergo quædam nomina, quæ conveniunt Deo per causam, ut justus, pius, fortis; quædam per similitudinem, ut Pater, Filius, splendor, imago; quædam ratione adjuncti, ut irasci, pœnitere. Irasci attribuitur Deo ratione adjuncti, ratione videlicet punitionis : punitio enim solet adjungi iræ. Similiter pœnitere attribuitur Deo ratione adjuncti, id est mutationis operis : solet enim pœnitentiæ adjungi operis mutatio. Dicitur enim Deus pœnitere, quia opus mutat; irasci, quia punit. Unde Claudius Claudianus (18) in libro *De anima* : Dicitur Deus pœnitere, non passionis affectu, sed consequentis effectu. Negative ut cum dicitur Deus subtrahere gratiam, vel indurare aliquem. Subtrahere enim gratiam nihil aliud est quam non continuare; indurare, quam gratiam non apponere. Unde auctoritas (19) dicit, Deum indurasse cor Pharaonis, non impartiendo malitiam, sed non apponendo gratiam. Ea autem nomina, quæ de Deo dicuntur per causam, de Deo dicuntur secundum substantiam; cætera vero plurimum (20) de Deo dicuntur relative.

Reg. XXII. *Omni theologica prædicatione ostenditur Deus esse quid, vel ad quid.*

450 Patet similiter hanc nasci ex prædicta : omnes enim termini trium prædicamentorum naturalium, substantiæ, vel qualitatis, vel quantitatis, de Deo dicti, de ipso prædicant divinam usiam, et eis ostenditur Deus esse quid; terminus vero cæterorum prædicamentorum ostenditur esse ad aliquid. Hæc regula consonat illi, quæ ponitur ab Augustino (21) in hunc modum : Omnis terminus de Deo dictus aut de eo dicitur secundum substantiam, aut relative. Et sic decem prædicamenta naturalia ad duo theologica, ad prædicamentum *quid*, et ad prædicamentum *ad quid*, reducuntur.

Reg. XXIII. *Omnis terminus, qui de Deo dicitur secundum substantiam, de tribus personis dicitur singillatim, et in singulari numero; et de tribus in summa, et in singulari numero.*

Duo intelligenda sunt in eo quod dicitur *secun-*

A *dum substantiam* proprietas significandi; ad hoc enim ut nomen dicatur dici secundum substantiam, duo concurrunt, scilicet ut significet substantiam, vel circumstantiam, et modum significandi substantialem habeat, id est substantive significet. Substantiam autem vocamus divinam usiam; substantiæ circumstantiam relationem addictam usiæ. Sunt enim relationes addictæ hypostasibus (22), ut paternitas, filiatio, processio. Sunt relationes addictæ usiæ, quæ significantur his terminis, principium, Dominus, factor, creator, auctor. Quicunque ergo terminus significat substantiam, vel substantiæ circumstantiam, et hoc substantivo modo, de tribus personis dicitur singillatim, et in singulari numero, etc. Verbi gratia (23) hoc nomen *Deus*

B significat substantiam, et substantivo modo : quare de tribus potest dici singillatim, et in singulari numero, ut dicatur : *Pater est Deus; Filius est Deus; Spiritus sanctus est Deus.* Et in summa, et in singulari numero, ut, *Pater, Filius, et Spiritus sanctus sunt Deus.* Similiter hoc nomen, *principium* significat relationem addictam substantiæ, et hoc substantivo modo de tribus personis prædicto modo dicitur. Ideo autem apponimus, *substantivo modo*, quia nomina significantia substantiam, vel substantiæ circumstantiam, si adjective teneantur, ut hoc nomen, *potens*, hoc nomen, *justus*, de tribus personis dicuntur in summa in plurali numero (24), ut, *Pater, et Filius, et Spiritus sanctus sunt justi,*

C *sunt potentes.*

Reg. XXIV. *Nullum nomen substantivum voce et significatione, vel voce tantum, pertinens ad essentiam, de tribus personis dicitur in summa, et in plurali numero, sed in singulari tantum.*

Verbi causa, hoc nomen, *Deus*, hoc nomen, *Creator*, hoc nomen *principium*, de tribus dicitur in summa, et in singulari numero. Hæc autem regula satis manifestatur ex præmissa, quæ ita ampla est, ut etiam ad nomina personalia pertineat. Unde non est concedendum Patrem, et Filium esse principia Spiritus sancti, sed potius principium; non spiratores Spiritus sancti, sed potius spirantes Spiritum sanctum. Quamvis enim dicatur ab Hilario (25), Spiritum sanctum procedere a Patre, et Filio auctoribus, ponitur enim ibi unum sub-

D stantivum pro adjectivo (26), ut sit sensus : auctoribus, id est spirantibus : tamen improprietas ad consequentiam reducenda non est.

Reg. XXV. *Omne nomen adjectivum, adjective retentum, ad essentiam pertinens, de tribus personis dicitur in summa, et in plurali numero.*

451 Ut Pater, et Filius, et Spiritus sanctus sunt

(18) Claudianus Mamertus initio libri *De statu animæ* affinia scribit; sententias enim Patrum sæpe citat Alanus, non verba.

(19) Lege Augustini epist. 194 ad Sixtum, c. 3, num. 4, tom. II, pag. 719.

(20) Videtur legendum *ut plurimum*

(21) Lib. v *De Trin.*, cap. 8, num. 9, tom. VIII, pag. 837.

(22) Nempe relationes quæ dicuntur *originis*.

(23) Cod. habet, *verbi gratia, vel causa hoc nomen*, etc.

(24) Hinc fit ut in symbolo *Quicunque*, Pater, Filius et Spiritus sanctus dicantur et *unus æternus*, et tres *coæternæ* personæ. Scilicet vox *æternus* vim substantivi nominis habet in primo loco, adjectivi in altero.

(25) Lib. II *De Trin.*, num. 29, tom. II, pag. 43

(26) Eodem modo Hilarii locum explicat S. Thomas I part., q. 36, art. 4 ad 7.

justi, vel potentes. Nomina enim adjectiva quod A sunt singularis numeri, vel pluralis, vel alterius consignificationis. contrahunt ex subjecto, vel substantivis, quibus adjunguntur : per se enim habent fluctuantem significationem, vel consignificationem. Unde cum dicitur : *Pœnæ sunt justæ*; vel *Pater, et Filius et Spiritus sanctus sunt justi*, hoc adjectivum quod pluralis numeri est, habet a subjecto, vel substantivis quibus innititur : unde ab eo, vel ab eis contrahit significationem pluralitatis. Similiter cum dicitur : *Pater, et Filius et Spiritus sanctus sunt*, verbum significationem pluralis numeri contrahit a suppositis : non enim verbum judicatur esse pluralis, vel singularis numeri a principali significatione, sed a consignificatione. B Numerus enim, et persona coaccidentia sunt verbi, A singularitate ergo, vel pluralitate suppositi, quod consignificat verbum, judicatur verbum singularis, vel pluralis numeri. Adjectiva tamen de tribus personis dicuntur in summa, et in singulari numero, cum substantivantur, id est substantive tenentur, subintellecto articulo, ut *Pater, et Filius et Spiritus sanctus sunt Omnipotens* : quod melius in Gallico exprimi potest, *li tut pussant* (27).

REG. XXVI. *Omnis translatio in divinis, nominis est, et non rei.*

Potest triplex in naturalibus fieri tanslatio; aliquando enim fit translatio nominis, et rei, quando et nomen, et res transfertur ab eo cujus est, ad id ex quo est, vel id secundum quod est, ut C cum dicitur : *Linea est longa*, et hoc nomen *longa*, et res hujus nominis, id est longitudo, transfertur ab eo cujus est, id est a lineato, ad id secundum quod est, id est lineam, secundum quam et longitudo convenit lineato, et hoc nomen, *longum*. Aliquando fit translatio rei, et non nominis, ut cum dico : *Seges est læta*, lætitia attribuitur segeti : sed non omne nomen, quod significat lætitiam, ut hoc nomen, *gaudens*, vel *exsultans*. Aliquando fit transsumptio nominis, et non rei; ut cum dicitur : *Monachus est albus*, transfertur hoc nomen *albus*, ad hoc ut conveniat monacho, sed non res nominis. Cum enim monachus dicitur albus, non dicitur quod sit affectus albedine, sed quia est albi habitus. In divinis autem fit translatio nominis, et non D rei; cum enim dicitur : *Deus est justus*, hoc nomen *justus* transfertur a sua propria significatione ad hoc ut conveniat Deo, sed res nominis non attribuitur Deo; sed potius ipsa justitia divina Deo attribuitur, non alia, a qua datum est hoc nomen, *justus*; aliud enim prædicatur, cum dicitur : *Deus justus*, aliud comprædicatur : prædicatur enim divina justitia, comprædicatur effectus justitiæ in nobis. Unde cum dicitur : *Deus est justus et fortis*, intelligitur identitas prædicati, sed diversitas comprædicati : unde copulativa conjunctio ibi habet locum, quia copulat diversos effectus, qui comprædicantur in his propositionibus, scilicet effectum justitiæ, et effectum fortitudinis aliquando enim copulativa conjunctio copulat significata; aliquando copulat consignificata, significata, ut cum dicitur, *Petrus est pius et misericors*. consignificata, ut cum dicitur : *Deus est pius et misericors*. Sicut disjunctiva conjunctio aliquando disjungit significata, ut cum dicitur : *Animal est sanum, vel ægrum*; aliquando autem consignificata : ut cum dicitur, *illud est album, vel alba*. Non tamen concedendum est, *Deus est justum et pium*; ibi enim potius videretur copulari prædicata, quam comprædicata : et ita cum unicum sit prædicatum, inconsequens est copula. Sed quæritur cui quid copulatur, cum dicitur, *Deus est miserator, et misericors*; cum misericors pertineat ad naturam, miserator ad effectum? Potest dici quod repetitio conjunctionis datur intelligi, ut sit sensus : Deus est misericors, et est miserator. Sed fortasse aptitudo efficiendi, quæ notatur per *misericors*, copulat effectionis effectum, qui notatur per *miserator*.

REG. XXVII. *Omne nomen, vel pronomen distinctivum, in masculino, vel feminino nomini personali adjunctum, pertinet ad personam, in neutro vero ad essentiam.*

452 Ut Pater est alius a Filio, persona Patris est alia a persona Filii; sed non aliud. Pater non est ille qui est Filius, sed est illud quod Filius. Nec mirum, si nomina, vel pronomina distinctiva in masculino, vel feminino pertineant ad personam, in neutro ad essentiam, cum in naturalibus nomina in masculino, vel feminino pertineant ad rem generis, in neutro ad genus rei. Adjectiva vero in masculino, et feminino genere distinctiva sunt ratione generis; genus enim masculinum, vel femininum distinctivum est : unde et ipsum adjectivum, quia ex virtute discretionis ad rem generis pertinet, exigit subjectum, quod determinet rem generis, ut, albus equus, alba mulier. Adjectivum vero in neutro genere confusionem (28). Neutrum enim genus non dicitur genus per positionem, sed per abnegationem : et ita in neutro genere adjectivum, quia confusum est, pertinet ad genus rei, non ad rem generis. Unde solet dici, quod in adjectivo neutri (29) generis intelligitur hoc subjectum, *res*, quare et substantive solet teneri, ut cum dicitur : *Album currit*. Similiter per *quis* in masculino genere solet quæri de persona, ut cum dicitur : *Quis currit*? per *quæ* etiam in feminino : per *quid* in neutro de

(27) Ita scriptum est in codice, pro *li*, id est *le tout puissant*. Animadvertendum est autem Gallos olim pro articulo *le*, quo nunc utuntur, dixisse *li*. Itaque in hoc ipso opusculo Reg. L. Alanus habet *li Per* pro *le Père*, Pater : et apud Villebardouinum, lib. 3, pag. 53, legimus : *Ainsi fut li chatiaus de Galathas pris · li baron, et li dux de Venise*. Hinc barbaræ voculæ *ly*, quam Petrus Lombardus in scholas invexit, originem ducit Dumarsaisius, tom. I Encyclop., pag. 731.

(28) Lege *confusum est*, aut aliquod verbum adde.

(29) Lege *neutrius*.

essentia. Similiter in Divinis ratione discretionis nomina distinctiva in masculino, et feminino pertinent ad personam; in neutro vero ratione confusionis ad essentiam.

Reg. XXVIII. *Nullum nomen, vel pronomen partitivum convenienter adjungitur nomini essentiali.*

Minus enim congrue dicitur : *Aliquis Deus*, vel *quidam Deus*, vel *iste Deus*, dictio enim partitiva partitur inter appellata, quæ actu, vel natura sunt plura. Unde convenienter dicitur; *Aliquis phœnix;* quamvis enim non sint plures actu, plures tamen possunt esse natura : sed nec actu, nec natura plures intelligere possumus esse deos : et quamvis plures personæ sint, quarum appellativum est hoc nomen *Deus* tamen circa hoc nomen non habet locum partitiva distinctio, quia sicut partitur in appellativis, ita in appellativorum naturis. Non enim vere diceretur : *Petrus est alius homo quam Paulus*, nisi alia humanitate esset homo, quam Paulus. Hoc nomen vero, *unus*, quamvis aliquando partitive teneatur, tamen quia aliquando tenetur exclusive, admittitur ut dicatur, *unus Deus*, id est non plures. Et si alicubi inveniatur signum universale, vel particulare adjunctum nomini essentiali, intelligatur illa universitas, vel partitio referri ad pluralitatem personæ, non essentiæ, ut cum dicitur a Boetio in libro *De Trinitate* (30) : *Deus a Deo nullo differt*, is est sensus : Nulla res quæ sit Deus, in eo quod Deus est, differt a re quæ Deus est.

Reg. XXIX. *Quotiescunque dictio exclusiva adjungitur nomini essentiali, nomen potius facit in genus rei, quam in rem generis : nec est pro quo fiat suppositio, sed indeterminate fit sermo* (31) *de aliquo.*

Ut cum dicitur : *Unus Deus*, *solus Deus*, *tantum Deus*. Sicut enim in naturalibus adjuncto uno exclusivo nomini appellativo, non est pro quo fiat suppositio, sed potius nomen fertur ad genus rei, non ad rem generis, ut cum dicitur : *Tantum homo*, vel *solus homo est hic intus*, non pro Petro, vel pro Paulo fit suppositio, sed pro homine indeterminate : sic cum dicitur : *Unus Deus*, vel *solus Deus*, vel *tantum Deus*, non pro Patre, vel Filio, vel Spiritu sancto fit suppositio, sed pro re hujus naturæ indeterminate. Unde non concedimus : *Unus Deus genuit unum Deum*, vel, *solus*, vel, *tantum* : nec, *unus solus Deus gignit*, vel, *gignitur*, quia pro nulla (32) fit suppositio.

Reg. XXX. *Omne nomen essentiale, aut est quasi mathematicum, aut est quasi concretivum.*

Nomina mathematica, sive principalia apud naturalem philosophum dicuntur illa quæ significant improprietatem (33) mathematice, id est abstractive, nullo habito respectu ad subjectum; ut albedo, nigredo. Concretiva vero, sive sumpta dicuntur, quæ significant proprietates concretive, id est proprietates inhærentes subjectis, ut album, nigrum. In divinis autem quasi mathematica, quæ significant deitatem nullo habito respectu ad personam, ut deitas, divinitas, natura, usia, essentia, substantia. Quasi concretiva sunt, quæ significant naturam, prout est proprie, ut Dominus, justus, misericors.

Reg. XXXI. *Omne nomen mathematicum minus improprie dicitur de Deo, quam concretivum.*

453 Mathematica enim magis tendunt ad simplicitatem, quanto autem aliquid simplicius, tanto ad Deum spectat competentius. Deus enim, ut superius dictum est, omnifariam simplex est.

Reg. XXXII. *Omne nomen, quod de Deo dicitur, aut est essentiale, aut coessentiale, aut personale, aut compersonale, aut partim personale,* (34) *partim essentiale.*

Essentialia dicuntur omnia nomina illa, quæ supponunt essentiam, et apponunt (35). Quæ sunt quasi mathematica, vel essentiam prædicant, id est principalia, ut Deitas, Divinitas; vel personam appellant, ut hoc nomen, *Deus :* ut enim superius dictum est, hoc nomen, *Deus*, prædicat Deitatem, et supponit personam : aliquando tamen supponit deitatem; ut, *Deus est Pater, et Filius, et Spiritus sanctus*. Nec mirum : cum et ipsa Deitas sit persona (36). In naturalibus enim, ubi aliud est res naturæ, aliud natura rei, cum proprie habeat supponere rem naturæ, aliquando improprie supponit naturam rei. Verbi causa, hoc nomen, *homo*, proprie supponit hominem; ut cum dicitur : *Homo currit;* improprie tamen speciem, ut cum dicitur : *Homo est species*. Coessentialia dicuntur illa, quæ significant, vel prædicant circumstantias substantiæ, id est relationes addictas substantiæ, et personas appellant, ut, principium, Dominus, creator, auctor. Istorum autem nominum quædam significant relationes æternas, quædam relationes ex tempore, ut hæc nomina, principium, Dominus; ab æterno enim fuit Dominus, vel principium. Temporales vero relationes significant hæc, creator, auctor, factor; ex tempore enim Deus incœpit esse creator, vel auctor. Hæc autem nomina aliquando ponuntur substantive subintellecto articulo, ut *Pater, et Filius, et Spiritus sanctus sunt principium*, vel *Dominus;* et tunc intelligitur prædicari usia, et comprædicari relatio; aliquando tenentur adjective sine intellecto articulo, ut cum dicitur, *Pater est dominus, et principium omnium creaturarum :* et tunc intelligitur prædicari relatio, et comprædicari usia. Nomina personalia dicuntur illa, quæ personales proprietates supponunt, et prædicant, ut, paternitas, filiatio, processio; vel personales proprietates præ-

(30) Cap. 4.
(31) Codex pro *sermo* habet *sermone.*
(32) Lege *pro nullo*, aut *pro nulla persona.*
(33) Legendum puto *proprietatem.*
(34) Cod. habet *aut partim personale, aut partim essentiale.*
(35) Videtur legendum *appellan..*
(36) Nimirum divina essentia identificatur cum qualibet persona.

dicant, et personas appellant, ut Pater, Filius, Spiritus sanctus, genitus, gignens, procedens. Compersonalia dicuntur quæ prædicant distinctiones addictas personalibus proprietatibus, ut, distinctus, differens, alius. Partim personalia, partim essentialia dicuntur illa quæ partim notant personam, partim essentiam, ut hoc nomen, *persona*, et hoc nomen, *Trinitas*. Persona dicitur quasi per se una. Per hoc ergo quod ibi intelligitur unitas, habetur intellectus de essentia; per hoc autem quod dicitur *per se*, habetur intellectus personalis distinctionis. Unde Pater dicitur persona, quasi per se unum, id est ita distinctus, quod unus. Similiter Filius, similiter Spiritus sanctus. Unde et dicuntur personæ, quasi per se unum, id est ita distinctæ, quod unum. Similiter Trinitas, quasi tres unum (37), ut per hoc quod III intelliguntur, de personali distinctione notitia habeatur; quod unum, de essentia.

REG. XXXIII. *Nullum nomen privationis, vel obnoxietatis, vel violentiæ designativum cadit in Deum.*

Cum enim, ut dictum est, nomina per causam, per similitudinem de Deo dicantur, nomen privationum de Deo per similitudinem non potest dici, nec per causam; privationum enim nullæ sunt causæ, nec Deus causa peremptoria est, sed positiva. Nomina obnoxietatis in Deum non cadunt propter suspicionem, ne aliqua obnoxietate, vel necessitate teneri intelligatur. Unde non dicimus: Oportet Deum (38) hoc facere, vel, Deus tenetur hoc facere. Similiter nomen importans violentiam Deo, non dicitur; non enim dicitur Deus aliquod nolle, ne violentia ibi intelligatur; multa enim Deus non voluit, sed nulla noluit: nec debemus concedere quod Deus mala nolit, sed quod non velit.

REG. XXXIV. *Omnis sermo theologicus debet catholicus esse, generalis, usitatus, ab intellectu non dissonus, rei, de qua loquimur, consonus.*

454 Catholicus, inquam, esse debet, quia contrarius fidei catholicæ admitti non debet, ut si tres essentiæ, vel tres dii esse dicantur; usitatus etiam, quia profanas verborum novitates Ecclesia devitat; generalis, ut ab hominibus intelligentibus recipiatur, ut Christum esse aliquid secundum quod homo. Ut etiam intellectu sit perceptibilis; debet enim verborum involucra cavere catholicus. Ut etiam rei, de qua loquimur, sit consonus, debet enim theologus habere sermones cognatos rebus, de quibus loquitur.

REG. XXXV. *Nomina substantiva minus improprie dicuntur de Deo, quam adjectiva.*

Adjectiva enim magis spectant ad concretionem et compositionem quam substantiva. Similiter nomina positiva minus improprie dicuntur de Deo, quam nomina comparativa, vel superlativa, quia substantia Dei non suscipit magis, vel minus. Similiter nomina rerum incorporearum, vel quæ pertinent ad incorporalia: Deus enim dicitur Spiritus, sed non dicitur corpus; dicitur misericordia, pietas, misericors, pius: sed non dicitur albedo, vel nigredo; non dicitur lineatus, vel linea; non superficiatus, vel superficies. Quamvis enim de Deo ista possent dici per causam, tamen propter removendam suspicionem a Deo removentur propter idololatras (39), qui naturas rerum deos esse fingebant, et metamorphositas (40) hæreticos, qui Deum lineamentis corporalibus distinctum esse credebant.

REG. XXXVI. *Quotiescunque per pronomen demonstrativum de Deo fit sermo, cadit a demonstratione.*

Omnis enim demonstratio aut est ad sensum, aut ad intellectum; Deus autem nec sensu, quia incorporeus, nec intellectu, quia forma caret, comprehendi potest; potius enim quid non sit, quam quid sit, intelligimus: cum enim veri nominis intellectus surgat ex formæ perceptione, qua res intelligitur esse quid, vel qualis, vel quanta, cum in Deo nulla forma sit (41), proprie intellectu capi non potest; sed per solam formæ alterius remotionem quasi intelligendo ab aliis separatur, et separando intelligitur. Unde Boetius in libro *De duplici natura et una persona Jesu Christi* ait: *Deus, et natura integro perfectoque intellectu capi non possunt, sed aliquo tamen modo cæterarum regularum (42) privatione capiuntur.* Sic ergo cum Deus introducitur loquens de se, propria demonstratio non habet ibi locum, cum fiat ad oculum, nec ad veri nominis intellectum; sed, ut ita liceat loqui, demonstratio fit ad fidem: apud Donatum enim demonstratio fit ad intellectum, apud Deum vero demonstratio fit ad fidem: propterea Deus cum introducitur loquens de se, duplex intelligitur prosopopœia: una, quæ dicitur anthropopathos (43), id est *humana propassio*; alia, quæ dicitur idiotheos (44), id est *divina proprietas*. Cum enim Deus legitur dixisse: *Ego sum qui sum* (*Exod.* III), angelus loquebatur in persona Dei, quasi recitando quod legatur in mente divina. In hoc ergo improprietas est, quod quasi alius loquitur, id est angelus, et de alio esse intelligitur sermo, scilicet de Deo; et ita in hoc anthropopathos, quod verba creaturæ, id est angeli, attribuuntur Creatori. In hoc vero attenditur idiotheos, quod creaturæ attribuitur quod Creatoris est, quia illa verba quæ ab

(37) Isidorus lib. VII; Orig. cap. 4, *Trinitas*, inquit, *appellatur . . . quasi Triunitas.*
(38) Vocem *Deum* addidi ipse; deest enim in codice.
(39) Cod., *idolatras.*
(40) Legendum videtur *anthropomorphitas.*
(41) Cod., *nulla forma non sit.*
(42) Apud Boetium legitur *rerum*.
(43) Codex habet *antopospatos*: sed legendum est *anthropopathos*: ἀνθρωποπαθεῖν autem est *hominum more affici.*
(44) Codex habet *ydeotheos*: at legendum est *idiotheos*: quæ vox efformata est ex ἴδιος, id est *proprius*, seu ἰδιότης, id est *proprietas*, et Θεός, id est *Deus*.

angelo proferuntur, de solo Deo vera esse intelliguntur. Aliquando autem Pater intelligitur loquens in proprietate primæ personæ, ut ibi : *Non permanebit spiritus meus in homine in æternum* etc. Aliquando Filius, ut in Genesi, ubi loquitur Dominus ad Abraham dicens : *Hoc tempore revertar ad te, et Sara habebit filium* (*Gen.* XVII). Aliquando Spiritus sanctus, ut in Malachia, ubi dicitur : *Ecce mitto angelum meum ante faciem tuam* (*Malach.* III) ; ibi loquitur Spiritus sanctus ad Patrem de Filio. Aliquando tota Trinitas, ut ibi : *Ego sum qui sum* (*Exod.* III), vel forte ipsa usia ibi introducitur loquens. Tres autem personæ, ubi dicitur : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram*, etc. (*Gen.* I.) Nomina vero demonstrativa magis improprie conveniunt Deo, quam pronomina relativa. Pronomina autem possessiva aliquando per maximam improprietatem dicuntur de Deo, ut quando essentiæ notant identitatem ; possessiva vero notare debent differentiam possidentis ad possessa. Impropriissime tenetur hoc pronomen, *meus*, ubi dicitur : *Vindicta postquam meus a prætore recessi*. Similiter cum dicitur : *Sacrificia vestra odivit anima mea* (*Isa.* I), impropriissime ponitur *mea* ; nulla enim differentia inter animam Dei, et Deum ; anima enim ipsa voluntas est, quæ est ipse Deus. Aliquando notat minorem improprietatem, cum insinuat diem generationis ; proprietatem vero, cum dicitur : *Hic est Filius meus dilectus*, etc. (*Matth.* III, XVII.) Minus etiam improprie sumitur, cum notat creationis auctorem, ut ibi : *Omnia mea sunt*, auctoritate creationis et gubernationis. Aliquando notant gratiam recreationis, ut in Evangelio : *Filii mei mecum sunt in cubili* (45), ibi enim sancti dicuntur Filii Dei propter gratiam adoptionis.

REG. XXXVII. *Verba per majorem improprietatem dicuntur de Deo, quam nomina, vel pronomina.*

455 Magis enim spectant ad compositionem. Ut enim testatur Aristoteles (46), omne verbum significat compositionem, quam sine compositis non est intelligere : verbum enim est nota ejus quod de altero dicitur

REG. XXXVIII. *Nullum nomen in divinis est nota ejus quod de altero dicitur, vel quod alterum, sed potius ejus quod idipsum est.*

Ut cum dicitur, *Deus est*, hoc verbum *est* non est ibi nota alicujus, quod de altero dicitur, vel quod alterum est ab ipsa essentia divina : Sed potius notat id quod est se ipsum, quod subditur. Essentia enim Deus est, et Deus essentia. Unde cum apud Aristotelem circa compositionem et divisionem veritas falsitasque consistat, apud theologum circa identitatem et diversitatem consistit.

REG. XXXIX. *Nullum verbum minus improprie dicitur de Deo, quam hoc verbum est.*

Hoc enim verbum notat substantiam, et apud philosophos naturales carens temporali motu dicitur. Non enim, sicut alia verba, quæ actiones successivas significant, in motu habet significationem, sed potius significat essentiam

REG. XL. *Omne verbum præsentis temporis minus improprie dicitur de Deo, quam præteriti, vel futuri.*

Præsentia enim ad Deum pertinet, non præteritio, vel futuritio. Eadem enim lex participiorum in divinis, et verborum, quia quot modis ponuntur verba, et participia. Similiter adverbia quædam minus improprie dicuntur de Deo quam nomina ; notant enim varias circumstantias, sive relationes, quæ de Deo dicuntur secundum usiam.

REG. XLI. *Omne adverbium locale dictum de Deo prædicat immensitatem divinam, sive quamdam collationem Creatoris ad creaturas, secundum quam Creator in creaturis tanquam causa efficiens in suis effectibus esse dicitur.*

Cum enim dicitur : *Deus est ubique*, vel *alicubi*, non hoc ita dicitur, tanquam Deus circumscriptus loco intelligatur : sed potius Dei immensitas prædicatur, ut potius omnia infra ejus immensitatem contineri, quam ipsum esse in loco intelligatur

REG. XLII. *Localibus circumlocutionibus de Deo prædicatur aut immensitas divina, aut collatio, aut unio*

Verbi causa cum dicitur, *Deus est omni loco*, vel, *in aliquo*, hic prædicatur divina immensitas. Cum vero dicitur : *Deus est in sanctis*, collatio divinæ gratiæ significatur : in sanctis enim dicitur esse per gratiam. Cum dicitur esse in homine assumpto, hic prædicatur unio, ut sit sensus : humana natura est unita Christo.

REG. XLIII. *Adverbia temporalia de Deo dicta prædicant æternitatem.*

456 Sive enim dicam de Deo : *Heri fuit* ; sive dicam : *Hodie*, sive, *cras erit*, æternitas prædicatur. Unde cum dicimus : *Deus fuit antequam quidquid esset*, nec tempus, nec temporalis anticipatio designatur, sed potius æternitas. Unde Boetius in libro *De Trinitate* (47) ait : « Nostrum *nunc* quasi currens, tempus facit, et sempiternitatem : divinum vero *nunc* permanens, neque movens sese, sed constans, æternitatem facit. »

REG. XLIV. *Adverbia similitudinis de Deo dicta, aut essentiæ veritatem, aut similitudinem, aut improprietatem, aut adjunctionem significant.*

Verbi causa, *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre* (*Joan.* I) : ibi *quasi* notat essentiæ veritatem, id est vere Unigeniti ; similitudinem, ut ibi : *Sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit Filio vitam habere in semetipso* (*Joan.* V) ; improprietatem, ut legitur in Daniele (48), ubi dicitur :

(45) Luc. XI, 7 : *Pueri mei mecum sunt in cubili.*
(46) Lib. I *De interpretatione*, cap. 3.
(47) Cap. 9.
(48) Hæc verba, quæ ex Daniele citat Alanus, in eo non exstant : sed in Daniele quidem cap. VII, vers. 9, scriptum est : *Antiquus dierum sedit.* In psalmo autem LXXVII, vers. 65 : *Excitatus est tanquam dormiens Dominus, tanquam potens crapulatus a vino.*

Antiquissimus dierum sedebit judicans quasi crapulatus a vino; adjunctionem, cum dici ur : Pater dicitur principium Filii, sicut dicitur principium Spiritus sancti, ut sit sensus : Pater dicitur principium Filii, et dicitur principium Spiritus sancti. Similiter præpositiones in divinis varias habent acceptiones.

Reg. XLV. *Hæc præpositio*, in, *in divinis aliquando notat essentiæ identitatem, et personæ pluralitatem; aliquando quasi diversitatem; aliquando æternam prædicationem; aliquando identitatem; aliquando causam efficientem; aliquando quasi causam formalem.*

Verbi causa, cum dicitur : Filius est in Patre, ita notatur personæ pluralitas, quod essentiæ identitas. Si enim cum dicitur : Atalanta resultat in Parthenopæo, notatur expressa naturæ similitudo; B non est absurdum, si cum personæ pluralitate notatur identitas naturæ, cum dicitur; Filius est in Patre. *Quasi diversitatem*, cum dicitur : Deitas est in Patre, non dico diversitatem, sed quasi diversitatem : non est diversitas inter deitatem et Patrem, quia deitas est Pater, et Pater est deitas; sed quasi quædam transitio notatur, cum ibi præpositio per appositionem ponatur. *Æternam prædicationem*, cum dicitur : *Quod factum est, in ipso vita erat* (*Joan.* I), quasi in ipso vivebat per æternam dispositionem omne quidquid futurum erat. *Efficientem causam*, cum dicitur : *In Filio facta sunt omnia*, id est per Filium. *Quasi formalem causam*, cum dicitur : *Qui cum esset in forma Dei* (*Philipp.* II). *Identitatem*, secundum quod dicitur quod Deus ante constitutionem mundi erat in se, vel apud se.

Reg. XLVI. *Hæc præpositio*, secundum, *in divinis aliquando notat ordinem causæ, aliquando notat ordinem intelligentiæ.*

Cum enim dicitur : *Filius, secundum quod Deus, est persona*, si notet ordinem causæ, vera est propositio, ut sit sensus : ad hoc ut Filius sit persona, exigit ut sit Deus. Si vero notet ordinem intelligentiæ, falsa est locutio : in hoc enim nomine, *Deus*, non intelligitur persona. Si vero dicatur : *Filius, secundum quod est persona, est Deus*, ut notetur ordo intelligentiæ, vera est propositio, quia in hoc nomine, *persona*, intelligitur Deus, quia esse personam est esse Deum.

Reg. XLVII. *Hæc præpositio*, secundum, *aliquando notat quasi efficientem causam; aliquando quasi formalem; aliquando naturæ conditionem.*

457 Verbi causa, cum dicitur : *Filius est æqualis Patri secundum substantiam*, hæc præpositio, *secundum*, notat hic quasi efficientem causam. Substantia enim causa est quasi efficiens, quare Filius sit æqualis Patri. Cum vero dicitur : *Filius est æqualis Patri secundum æqualitatem, secundum* notat quasi formalem causam. Æqualitas enim est formalis causa, quare Filius sit æqualis Patri, sicut apud naturalem philosophum dicitur esse aliquid A simile secundum qualitatem, ut *secundum* notet efficientem causam : dicitur etiam aliquid esse simile secundum similitudinem, ut *secundum* notet formalem causam. Conditionem vero naturæ notat, cum dicitur : *Filius Dei, secundum quod homo, dimittit peccata*, id est, ens in humana natura. Similiter aliæ præpositiones de Deo dictæ varias notant circumstantias; conjunctiones etiam.

Reg. XLVIII. *Nominum, quæ de Deo dicuntur, aliud dicitur de tribus personis, ita quod de nulla earum; aliud ita de tribus in summa, quod de singulis; aliud ita de una persona, quod non de aliis.*

Exempli causa hoc nomen, *Trinitas*, ita dicitur de tribus in summa, quod de nullo singillatim, quia Pater, et Filius, et Spiritus sanctus sunt Trinitas, sed nec Pater, nec Filius, nec Spiritus sanctus est Trinitas. Hoc nomen vero, *Deus*, ita dicitur de tribus in summa, quod de singulis, quia Pater, et Filius, et Spiritus sanctus sunt Deus, et tam Pater, quam Filius, quam Spiritus sanctus est Deus. Hoc autem nomen, *Pater*, vel hoc nomen, *Filius*, vel hoc nomen, *Spiritus sanctus*, ita dicitur de una persona, quod non de alia.

Reg. XLIX. *Nominum theologorum* (49) *alia appropriantur uni personæ nomine, et re; alia nomine, et non re.*

Verbi causa hoc nomen, *Pater*, appropriatur nomine et re, quia nec hoc nomen, *Pater*, nec ejus significatio alii convenit, quam Patri. Similiter hoc nomen, *Filius*, Filio. Hoc nomen vero, *potentia*, C ita appropriatur Patri nomine, quod non re, ut sit appropriatio dicendi, non essendi. Solus enim Pater dicitur potentia : sed non est solus potentia; imo Pater, et Filius, et Spiritus sanctus sunt una potentia. Similiter hoc nomen, *Sapientia*, appropriatur Filio nomine, et non re.

Reg. L. *Hoc nomen*, Pater, *de Deo dictum aut prædicat personam, aut personalem proprietatem, aut relationem Patris ad Filium, aut relationem Patris ad creaturas secundum creationem, aut relationem Patris ad hominem secundum recreationem.*

Verbi causa cum dicitur : *Deitas est Pater*, hic prædicatur persona de usia, ut sit sensus : Deitas est Pater, id est ille qui generat; et secundum hoc substantivatur hoc nomen, *Pater*, subintellecto articulo, ut sic exponatur Gallice : Deitas est Pater, D id est *li Pere* (50). Nec mirandum, si in divinis persona prædicatur, cum in naturalibus non prædicetur nec rei proprietas. In naturalibus enim aliquid prædicatur per inhærentiam, quando aliquid ostenditur alicui inhærere, vel convenire tanquam rei proprietas. In divinis vero, ubi nihil inhæret, nisi accretivum (51), nec ostenditur quid de quo, vel quid cui inhæreat; sed quid (52) sit, vel quomodo se habeat. Ut cum dicitur : *Deitas est Pater*, hic non attenditur quid de deitate dicatur, vel quid ei inhæreat, cum nil ei insit; sed potius quid sit

(49) Lege *theologicorum*.
(50) Codex habet *li per*. Lege quæ paulo ante adnotavimus ad Reg. 25, pag. 191.
(51) Humanitas per hypostaticam conjunctionem Verbo veluti *accrevit*.
(52) Codex pro *quid* habet *quidquid*.

deitas. Unde ad interrogationem factam de deitate, quid ipsa sit, convenienter respondetur : Pater.

Non enim dicere possumus ibi prædicari relationem de deitate, cum deitas nec generans, nec genita, nec procedens sit (53), nec relationes personales in deitate esse intelliguntur, per quas deitas a Patre, vel Filio, vel Spiritu sancto distinguatur. Personalis vero proprietas prædicatur, cum respondetur ad hanc interrogationem : *quis est Deus generans ? Pater* ; ut similiter subintelligatur articulus, et nomen substantivetur, In naturalibus autem personalis proprietas dicitur proprius status personæ, qui attenditur ex concursu omnium substantialium et accidentalium rei, quæ prædicatur hoc vocabulo, *Socrates*, et hoc vocabulo, *Plato :* quod etiam propria qualitas a grammaticis solet dici. In divinis autem non proprie, sed per similitudinem potest assignari personalis status, ut personalis proprietas Patris dicatur singularis ejus status, qui attenditur ex concursu deitatis, innascibilitatis, paternitatis, spirationis : nec est veri nominis personalis proprietas, sed quasi personalis proprietas, nec facit *quid*, vel *ad aliquid*, sed *quem*. Non sunt autem propria vocabula in sacra pagina, quibus isti personales status designentur ; sed per quamdam circumlocutionem, ut, Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus ; quæ respondentur ad interrogationem factam per *quis* : Ut, *quis est Pater ?* Deus Pater, *Quis est Filius ?* Deus Filius. *Quis est Spiritus Sanctus ?* Deus est Spiritus sanctus. Non enim ad interrogationem factam per *quis*, debent responderi relationes, sed ad interrogationem factam per *quomodo:* ut si quæratur : *quomodo se habet Pater ?* convenienter respondetur : Pater est Pater Filii. Similiter Filius est Filius Patris. Unde et hoc nomen, *Pater*, adjective retentum prædicat relationem de Patre. Aliquando hoc nomen, *Pater*, prædicat relationem ad creaturas secundum creationem, ut cum dicitur : *Credo in Deum Patrem omnipotentem.* Aliquando relationem ad hominem, secundum recreationem ut cum dicitur : *Pater noster, qui es in cœlis.*

REG. LI. *Hoc nomen*, principium, *aliquando prædicat paternitatem, aliquando spirationem, aliquando relationem Creatoris ad creaturas.*

458 Ut cum dicitur : *Pater est principium Filii*, hic prædicat paternitatem, relationem videlicet Patris ad Filium. Cum dicitur, *Pater est principium Spiritus sancti*, hic prædicatur spiratio, quæ communis Patri est, et Filio, secundum quam Pater, et Filius spirant Spiritum sanctum. Unde æquivoce videtur dici hoc nomen, *principium*, cum Pater dicitur principium Filii, et principium Spiritus sancti : hic enim paternitas, ibi vero aspiratio (54) prædicatur. Unde, non videtur vere posse dici unica prolatione : *Pater* A *est principium Filii, et Spiritus sancti* : Sed, *Pater est principium Filii. Pater est principium Spiritus sancti*, secundum illam significationem, qua hoc nomine, *Pater*, prædicatur spiratio. Secundum hoc etiam affirmari potest Patrem esse principium Filii, et Spiritus sancti : potest tamen dici, quod non nisi origo, quæ quodammodo pertinet ad paternitatem et spirationem, hoc termino prædicatur, *principium*, ut sit sensus : Pater est principium Filii, et Spiritus sancti, id est origo. Et secundum hoc nulla erit æquivocatio in hoc nomine, *principium* cum Pater dicitur principium Filii et Spiritus sancti : Et secundum hoc Pater est tam Filii quam Spiritus sancti principium ; sed non est principium tam Filii, quam Spiritus sancti : sicut posito quod Socrates erit B albus duobus momentis, concedendum est quod Socrates utroque duorum momentorum erit albus aliqua albedine, non tamen aliqua albedine erit albus duorum momentorum utroque. Similiter Pater, et Filius dicuntur unum principium Spiritus sancti, quia una spiratione spirant Spiritum sanctum. Sed cum dicitur : *Pater, et Filius sunt unum principium Spiritus sancti*, utrumque istorum nominum, *unum principium*, tenetur adjective, quantum ad significationem ; quamvis hoc nomen, *principium*, teneatur substantive quantum ad vocem : hoc etenim nomen, *unum*, notat spirationis unitatem ; principium, vero notat spirationem, nec tamen vere potest dici : *sunt unus spirans ; unus* enim pertinet ad perso- C nam ; Pater autem, et Filius non sunt una persona spirans. Nec possunt dici unum spirans ; *unum* enim pertinet ad essentiam ; Pater autem, et Filius non sunt una essentia, spirans ; essentia enim non spirat. Sed possunt dici duo spirantes, ut *duo* ponatur substantive, *spirantes* autem adjective, id est duo qui spirant : non tamen duo spiratores. *Spiratores* enim poneretur substantive, et sic notaretur spirationum pluralitas. Hilarius tamen dicit (55) Spiritum sanctum procedere a Patre et Filio auctoribus ; sed *auctoribus* ponetur pro *spirantibus*, substantivum scilicet pro adjectivo, tropicæ enim locutiones sustinendæ sunt, non extendendæ. Sed quamvis concedatur Patrem et Filium esse unum principium, non tamen concedendum, idem principium, *Idem* D enim facit intrinsecam relationem, et ita cum Pater esset unum principium Spiritus sancti, Filius esset idem principium, et ita non solum spirationis, sed et personæ in Patre et Filio videretur esse identitas. Præterea non est concedendum Patrem et Filium esse *aliquod principium* Spiritus sancti ; *aliquod* enim partitivum est sicut non admittitur, *Pater et Filius sunt aliquis Deus.* Ad terminum autem improprie positum non admittitur relatio ut cum dicitur, *idem est*, vel, *non est*, vel, *illud est*, vel, *aliquod est*. Unde quidam ex parte subjecti non admittunt,

(53) Post Alani obitum, anno scilicet 1215, Concilium Lateranense IV contra Joachimum abbatem, hoc tulit decretum : *Illa res* nempe essentia divina *non est generans, neque genita, nec procedens; sed est Pater qui generat, Filius qui gignitur, et Spiritus sanctus qui procedit.*

(54) Legendum videtur *spiratio*. pag. 191.

(55) Lege quæ adnotavimus ad reg. 24.

ut dicatur : principium Spiritus sancti est Pater, et Filius : terminus enim, ita improprie sumptus non potest sumi ex parte subjecti, quamvis improprie ponatur ex parte prædicati, Alii dicunt : ideo ex parte subjecti sumi non potest, quia adjective tenetur; adjectivum autem adjective retentum non potest supponere. Sed hæc nulla videtur ratio. Quamvis enim est adjectivum significatione, tamen est substantivum voce : sicut hoc nomen, *Dominus*, hoc nomen, *auctor*. Alii admittunt : *principium Spiritus sancti est Pater et Filius*, dicentes ibi fieri sermonem de spiratione, quæ est Pater et Filius. Sed si hoc est, spiratio est principium Spiritus sancti; et ita spirat Spiritum sanctum. Sed nullo modo hoc admitti debet : *Principium Spiritus sancti est Pater, et Filius*, vel, *et Pater et Filius*, quia aut ibi fieret suppositio pro essentia, et ita falsa esset locutio, aut pro pluribus personis, et ita hoc nomen, *principium*, teneretur collective : sed nulla est ratio, quod hoc nomen pro pluribus sumeretur personis. Unde concedimus : *unum principium Spiritus sancti est Pater : unum principium Spiritus sancti est Filius :* sed non *idem* ne identitas personæ intelligatur : nec *aliud*, ne spirationis pluralitas notetur. Unde concedendum est : Principium Spiritus sancti est Pater, et idem non est Filius. Principium Spiritus sancti est Pater, et non est Filius. Non tamen : *Principium Spiritus sancti non est Filius*. Videretur enim non solum persona, sed et spiratio removeri a Filio. Ergo quia Spiritus sanctus una spiratione spiratur a Patre et Filio, sustineri potest, quod dicitur in hymno (56) : *Unus Patri cum Filio*, id est una spiratione procedens a Patre et Filio, ut *unus* notet unitatem spirationis. Si tamen inveniretur *Patris*, manifesta esset locutio ; ut esset sensus : unus Spiritus Patris et Filii. Sunt tamen qui corrigunt dicentes : *Unum Patri*, id est unius essentiæ cum Patre, et Filio. Relationes vero Creatoris ad creaturas prædicat *principium*, cum dicitur : Deus est Pater creaturarum.

REG. LII. *Nominum, quæ approprianiur personis nomine et re, alia dicuntur per positionem, alia per abnegationem.*

459 Verbi causa, hoc nomen, *Pater*, de Deo dicitur per positionem ; hoc nomen vero, *innascibilis*, per abnegationem. Non enim Pater dicitur innascibilis per positionem proprietatis, sed per abnegationem originis, ut sit sensus : Pater est innascibilis; id est non est ab aliquo. Similiter hoc nomen, *ingenitus*. Hæc autem nomina specialiter conveniunt Patri, ut non removeatur nativitas, sed origo. Negationes enim plurium sunt negativæ, quam positiones positivæ. Unde Spiritus sanctus non dicitur innascibilis, nec ingenitus, quia habet esse per originem : potest tamen dici non genitus, vel non esse genitus. Sunt tamen qui dicunt, innascibilitatem esse proprietatem ; sed si proprietas est qua Pater discernitur a Filio et Spiritu sancto, relatio correlationem videtur habere : ergo aut filiationem, aut aliam : si aliam a filiatione et processione, plures erunt personales relationes, quam quinque (56*). Si vero filiationem habet correlationem, aut una relatio habebit duas correlationes, aut innascibilitas erit paternitas : quod est impossibile, quia, ut ait Augustinus (57), aliud est esse Patrem, aliud innascibilem : non enim in eo quod quis est Pater, est innascibilis; Patrem enim esse Patrem, et habere originem, non est ab aliquo (58). Præterea nascibilis et innascibilis potius videntur esse opposita, ut privatio, et habitus, sive ut affirmatio, vel negatio, quam ut relativa : et ita innascibilis non dicitur relative ad nascibilem, vel ad Filium. Si autem hoc nomine, *innascibilis*, prædicetur aliqua proprietas de Patre, in eo quod non est ab aliquo, eadem ratione si fingatur vocabulum de Spiritu sancto, prædicabitur proprietas, ut ingenitor, quia nullus ab eo procedit, vel generatur. Sciendum quod nascibilis et innascibilis non opponuntur, ut privatio et habitus, sed ut affirmatio et negatio; privatio enim non habet locum in divinis, quia aufert habitum, et importat debitum : cum enim dicitur : *Iste, est cæcus*, sensus est : non habet visum, cum habere debeat. Opponitur autem nascibilis et innascibilis, ut affirmatio et negatio, sicut finitum, et infinitum : non enim hoc termino, *innascibilis*, aliquid ponitur, sed potius removetur.

REG. LIII. *Hæc circumlocutio*, Spiritus sanctus, *aut personam, aut personalem proprietatem, aut relationem in divinis prædicat.*

Personam quidem, cum dicitur : *Deitas est Spiritus sanctus*. Sed personalem proprietatem, cum respondetur ad interrogationem factam per *quis*, ut cum dicitur : quis est tertia in Trinitate persona ? respondetur : Spiritus sanctus. Relationem, cum dicitur : Spiritus Sanctus est Spiritus sanctus Patris ; ac si dicatur : Pater spirat Spiritum sanctum : hæc enim circumlocutio, *Spiritus sanctus*, non proprie dicitur relative sed specialiter inventa fuit ad circumloquendum personalem proprietatem Spiritus sancti, et sumitur per majorem improprietatem ad prædicandum processionem, qua Spiritus sanctus procedit a Patre et Filio. Pertractatis his

(56) In omnibus manu exaratis, ac pervetustis breviariis, quæ penes se habet D. Joan. Chrysost. Trombellius abbas noster ac visitator, quæ sane non pauca sunt, ita scriptum est, ut nunc legit Ecclesia, nempe : *Unum Patri cum Filio :* omnia enim consuluit ipse rogatu meo.

(56*) Veras relationes, ac notiones a Deo exclusit præpositivus, ac Gregorius Ariminensis. Plerique vero theologi relationes originis in Deo aiunt esse quatuor, notiones autem quinque, nempe innascibilitatem, paternitatem, filietatem, spirationem activam, et spirationem passivam. Scotus tamen divinas notiones sex posuit, nimirum has quinque, quas dixi, et Filii inspirabilitatem.

(57) Lib. v. *De Trin.* cap. 6, num. 7 tom. VIII, pag. 835.

(58) Locus emendandus.

quæ de nominibus personalibus, quæ approprianiur nomine et re, tractandum est de his quæ appropriantur nomine et non re. Sciendum ergo quod cum una sit potentia Patris, et Filii et Spiritus sancti, hæc nomina *potentia*, *potens*, *omnipotentia*, *omnipotens*, appropriantur Patri, non res nominis. Hac ratione fit appropriatio hujus nominis, *potentia*, et aliorum nominum prædictorum, ne Pater videatur esse impotentior Filio, cum in naturali generatione patres ratione antiquitatis soleant esse imbecilliores filiis : vel quia nihil est, cujus Pater non sit auctor, Filii per generationem, Spiritus sancti per spirationem, alterius rei per creationem. Ut autem penes Patrem insinuetur consistere auctoritas, ei appropriatur nomen potentiæ, vel omnipotentiæ.

REG. LIV. *Ille solus vere est omnipotens, qui potest omnia, quæ posse est aliquid posse.*

Hoc soli Deo convenit : ipse enim solus potest omne illud quod posse est aliquid posse. Unde quamvis peccare non possit, non tamen in hoc derogatur ejus omnipotentiæ, quia posse peccare potius est impotentiæ quam potentiæ : est enim ex infirmitate. Sed nonne Adam ante peccatum peccare potuit? nec tamen infirmitatem habuit. Ad quod dicitur, quod infirmitas dupliciter intelligitur, ut privatio et negatio, quando ut privatio, notat vitium, et tollit infirmitas habitum : qualiter Adam infirmus fuit post peccatum, quando ut negatio concipitur, vitium non insinuatur, sed tantum infirmitatis habitus tollitur : qualiter Adam infirmus fuit ante peccatum, non quia haberet vitium, vel aliquam infirmitatem, sed quia firmitatem non habebat. Deus autem nec est infirmus aliquo vitio, eo quod aliquam impotentiam habeat, vel quia infirmitatem habeat. Sed nunquid concedendum est quod possit currere, vel ambulare? non · quia implicantur potentia et corporale exercitium, quod circa Deum intelligere est nefarium : non tamen ideo minus est omnipotens, quia quamvis tales actiones non exerceat, tamen ejus subjectæ sunt potentiæ, et eas facit auctoritate, non actione.

REG. LV. *Id solum potest Omnipotens, quod ejus justitiæ, ejus potentiæ, ejus misericordiæ convenit.*

Si quid enim contra potentiam ejus esset, si fieret, vel contra justitiam, vel contra misericordiam, illud Omnipotens non potest, quia hoc omnipotentiæ ejus derogaret.

REG. LVI. *Deus omnipotens dicitur, quia potest non solum quæ sunt, vel fieri possunt, sed etiam ea, quæ fieri non possunt.*

Potest enim multa, quæ sunt impossibilia secundum inferiorem causam, vel secundum naturam : sunt tamen possibilia secundum superiorem causam.

REG. LVII. *Quidquid est possibile secundum inferiorem causam, est possibile secundum superiorem : sed non convertitur.*

Possibile secundum inferiorem causam dicitur illud quod potest fieri secundum cursum naturæ, ut hominem de homine, bovem de bove nasci. Dicitur etiam possibile secundum naturam, quod quamvis non fiat secundum inferiores causas, tamen in consuetudine est ut fiat, ut animam creari. Animam ergo creari secundum naturam dicitur, quia fieri solet : consuetudo autem altera natura dicitur. Unde si in consuetudine esset hominem suscitari a mortuis, mortuum suscitari diceretur possibile secundum naturam propter consuetudinem, quam vocamus alteram naturam. Possibile vero secundum superiorem causam dicimus id quod superior causa, id est Deus, facere potest, quamvis in natura non sit, ut fieri possit, ut asinam Balaam loqui; virginem parere, et hujusmodi. Illud autem quod possibile est secundum naturam, simpliciter dicitur possibile : quod vero dicitur impossibile secundum inferiorem causam, non simpliciter dicitur possibile, sed possibile Deo.

REG. LVIII. *Omne impossibile secundum inferiorem causam, ad quod sequitur impossibile secundum superiorem, est impossibile Deo.*

460 Impossibile secundum inferiorem causam dicitur illud quod non potest fieri secundum consuetum naturæ cursum, ut virginem parere. Impossibile vero secundum superiorem causam est illud, quod non potest facere superior causa, id est Deus, ut Deum non esse bonum : hoc enim non potest facere Deus, ut non sit bonus ; hoc enim esset divinæ majestati derogare. Et sic omne impossibile secundum superiorem causam est impossibile secundum inferiorem, sed non econtrario. Truncum enim esse vitulum est impossibile secundum legem naturæ ; posset tamen Deus naturam trunci a subjecto removere, et vituli naturam ei imprimere : quod si fieret, truncus desineret esse truncus, et inciperet esse vitulus : licet hoc fieri sit contra naturam, tamen cum factum esset, quod prius naturaliter erat truncus, nunc contra naturam esset vitulus. Sed quod album manens album sit nigrum, impossibile est non solum secundum inferiorem causam, sed secundum superiorem ; licet enim Deus circa substantiam posset alterare materiam, ut de aqua fieret vinum, tamen id non potest, ut cum singulariter sit aqua, sit vinum ; cum sit album, sit nigrum ; cum sit, non sit : quod si esset album, dum esset nigrum, Deus sua auctoritate faceret ut non esset quod sua auctoritate fecerat, quod esset : Igitur sibi ipsi discors esset : quod est impossibile. Et ita omne impossibile secundum inferiorem causam, ad quod sequitur impossibile secundum superiorem, est impossibile Deo. Similiter potest concipi illud quod dicitur a Hieronymo : Cum Deus possit omnia, non potest de corrupta facere virginem ; id est, non potest Deus (59) ut aliqua simul

(59) Adde, *facere*.

sit corrupta et virgo. Sed quæritur, cum magis discrepent in naturis Creator et creatura, quam album et nigrum (ista enim in nullo genere conveniunt; album vero, et nigrum in genere subalterno), quomodo Deus potuit facere ut Deus, ens Deus, esset homo, et non potuit facere ut album, ens album, esset nigrum. Ad quod respondetur quod res incipit esse aliquid, vel alicujus modi dupliciter: aut per solam concatenationem, aut per alterius rei ad se unionem. Verbi causa: aliquid incipit esse album per concatenationem substantiæ, et proprietatis, quæ sit subjecto causa prædicati, secundum quod incipit esse album. Deus vero incipit esse homo ex eo quod humana natura unita est divinæ naturæ. Sic ergo potuit Deus facere ut manens Deus esset homo, per unionem scilicet humanæ naturæ. Sed hoc non potuit facere per solam concatenationem ut humanitatem personæ divinæ componeret, et non hominem, id est corpus et animam personæ uniret. Similiter potuit facere ut album manens album esset nigrum: siquidem ineffabili unione, secundum quam humanam naturam divinæ, uniret nigrum albo, ut, sicut dicitur, Deus est homo, ita vere posset dici: Album est nigrum: sed hoc non posset fieri per solam concatenationem, sive albi et nigri unionem, ut albo manenti albo imprimeretur nigredo, et non gratia nigri, quod uniretur albo.

REG. LIX. *Non si veritas est in essentia, possibilitas est in natura.*

Sensus est: Non omne, quod est verum, est possibile secundum naturam, ut ea quæ fiunt secundum superiorem causam, ut asinam Balaam loqui. Hoc considerantes quidam non concedunt, omne verum esse possibile, negantes quod, si aliquid sequatur ad aliud, antecedens est possibile, consequens est possibile. Verbi causa, ad hoc enuntiabile, Deum facere asinam Balaam loqui, sequitur asinam Balaam loqui: non tamen si hoc antecedens est possibile, consequens est possibile. Dictum enim quod ad possibile secundum naturam sequitur aliud possibile secundum naturam; sed non ad possibilitatem secundum superiorem causam sequitur possibilitas secundum inferiorem; sed ad possibilitatem secundum superiorem sequitur possibilitas secundum inferiorem; dictum enim quod possibile est Deum facere asinam Balaam loqui, non tamen possibile asinam Balaam loqui, quia innueretur possibilitas naturæ. Sunt tamen quædam ita impossibilia, quod etiam impossibile est ea fieri, antequam fiant; et postquam facta sunt, impossibile est ea fieri secundum naturam, ut antequam asina Balaam loqueretur, impossibile erat secundum naturam eam loqui.

De talibus dicunt prædicti ea esse impossibilia, antequam fiant, et dum fiunt. Sunt et alia, quæ antequam fiant, impossibile est ea fieri; sed postquam fiunt, sunt possibilia, ut istud: qui cæcus est, videre est impos; sed postquam videt, possibile est ipsum videre; videt enim secundum naturales po-

A tentias. De talibus dicunt illi quod impossibilia sunt, antequam fiant; possibilia vero, postquam facta sunt. Sed melius est, ut alii dicunt: Omne verum est possibile, ut sicut verum ampliatur ad ea quæ fiunt secundum superiorem causam, ita possibile; una enim est species possibilis, nec est concedendum, quod aliquid sit possibile, nisi in veritate sit, vel secundum naturam fieri possit. Unde non conceditur Deum facere asinam Balaam loqui, esse impossibile, quia nec in veritate est, nec secundum naturam fieri potest: sed tamen conceditur Deum posse hoc facere, ut fiat sermo de re, non de dicto: possibile est etiam Deo asinam Balaam loqui: et sic verum fuit, et possibile asinam Balaam loqui, sed modo nec verum est, nec possibile.

B REG. LX. *Omnipotens nihil non potest quod potuit, nihil non potuit quod potest.*

461 Sensus est: Quidquid potuit Deus, potest, et e converso. Sed objicitur sic: Sed Deus potuit facere mundum non fuisse: ergo potest facere idem. Non sequitur: posse enim facere, quod mundus non fuisset, non est aliquid posse. Deus autem non posset facere, quod mundus non fuisset; hoc enim esset contra suam potentiam. Cum enim mundus sua auctoritate factus sit, si faceret quod mundus non fuisset, sibi dissidens esset. Sed quidquid fuit subjectum ejus potentiæ, eidem est subjectum, et e converso. Cum ergo dicitur: *Quidquid potuit, potest*, quamvis absoluta sit dictio, non tamen est absoluta intelligentia: sed hoc verbum exigit infi-
C nitivum, sicut et verba affectiva, ut sit sensus: Quidquid potuit facere, potest facere, et quidquid potuit facere in actu, potest facere; sed non potest facere in actu: in actu enim potest facere animam Petri, sed non potest eam creare in actu, cum verum sit eam esse; sed ipse in actu posset facere, ut non esset; in eodem tempore posset facere, ut iterum esset: sed in actu non posset facere, ut nunc primo esset dissidens.

REG. LXI. *Opera Trinitatis indivisa sunt.*

Sensus est: Quidquid operatur Pater, operatur Filius, operatur Spiritus sanctus. Hæc universitas accommoda est circa opera, quæ a Deo fieri possunt, ut sit sensus: Omne opus, quod est subjectum
D potentiæ Patris, est subjectum toti Trinitati. Si quis vero objiciat quod Pater potest generare, Filius vero non, et ita Pater potest aliquid, quod non Filius, non valet objectio. Patrem enim posse generare non est Patrem posse quid, sed potius est posse ad aliquid; potentia enim generandi in Patre est ad hoc ut generet, in Filio ad hoc ut generetur: eadem est in Spiritu sancto ad hoc ut procedat. Nec concedendum est potentiam generandi esse in Filio, quia duo implicantur, potentia et generatio; et secundum hoc videretur potentia esse in Filio ad generandum. Concedi tamen potest quod potentia generandi sit in Patre, et eadem sit in Filio; pronomen enim non refert, nisi potentiam sine nota relationis.

REG. LXII. *Nihil contra illius voluntatem fieri potest, qui nihil nisi bonum velle potest.*

Hæc regula satis patet, quia, ut ait auctoritas : *Omnia quæcunque voluit, fecit* (*Psal.* CXIII). Voluntas autem Dei multiplex dicitur : aliquando enim voluntas Dei dicitur ejus auctoritas ; et ita eum aliquid velle, nihil aliud est quam aliquid ejus auctoritate existere. Per quamdam metaphoram operatio ejus dicitur voluntas, quia opus solet esse signum voluntatis operantis. Cum ergo dicitur, Deus vult hoc, hic divina usia prædicatur et comprædicatur effectus usiæ. Contra hanc auctoritatem nil fit. Etiam id quod subjacet Dei voluntati, dicitur voluntas, et contra hanc voluntatem nihil fit : quod enim aliquid subjaceat voluntati Dei, et non fiat, impossibile est. Item voluntas consilium dicitur; ut ibi : *Vult omnem hominem salvum fieri* (*I Tim.* II), id est consulit (60) : et contra hanc voluntatem multa fiunt. Multa enim consulit Deus, quæ non eveniunt. Voluntas etiam dicitur permissio, secundum quam dicitur Deus velle mala, id est permittere. Unde : *Non est malum in civitate, quod non faciat* (*Amos* III), id est permittat. Eadem ratione quod non velit, contra hanc voluntatem nil fit; quia ut aliquid subjaceat voluntati Dei, et non fiat, est impossibile. Nihil ergo fit contra voluntatem Dei, quæ Deus est : sed multa præter voluntatem. Pertractatis his, quæ de potentia Dei, et voluntate dicenda erant, agendum est de Sapientia. Cum una sit sapientia trium personarum, tamen hoc nomen, *Sapientia*, appropriatur Filio, vel quia procedit a Patre tanquam sapientia a mente, vel ne videatur minus sapiens Patre, cum in naturali generatione illius sit minus sapiens patre.

REG. LXIII. *Prima substantia non recipit majus, vel minus.*

462 Prima substantia dicitur usia, quæ est substantia substantiarum, forma formarum, causa causarum. Substantia in nullo recipit majus, vel minus; nec in potentia, quia quidquid potuit, potest; nec in voluntate ; quidquid enim voluit, vult. Verbum enim voluntarium exigit verbum infinitivum : et ideo varius potest esse intellectus, cum dicitur : Quidquid voluit, vult. Si enim sic intelligas, quidquid voluit esse, vult esse, falsum est. Si vero sic : Quidquid voluit esse, vel fuisse, verum est. Simpliciter tamen concedendum est, quod quidquid voluit, vult. Similiter Dei sapientia, vel scientia non recipit magis, vel minus. Sed notandum quod scientia aliquando dicitur divina usia, quæ nullo modo variari potest : non potest uno tempore magis esse sciens quam alio. Scientia etiam dicitur scita : et secundum hoc forte scientia Dei potest augeri, vel minui. Sed quæritur utrum possit plura scire quam sciat. Quod sic videtur posse probari : plura potest scire esse quam sciat esse ; ea enim

A sola sciuntur, quæ sunt . ergo potest plura scire quam sciat. Econtra videtur posse probari, quod non, quia infinita est ejus scientia, et infinita subjacent ejus scientiæ. Item omnia possibilia et omnia impossibilia in notitia Dei sunt; et ita omnia scientiæ ejus subjecta sunt. Item, si scientia proprie dicatur esse eorum quæ sunt, cum ipsa proprie vertatur circa enuntiabilia, si Deus incipit scire unum contradictorie oppositorum, desinit scire oppositum : et ideo non potest plura scire, quam sciat. Sed sicut de aliis verbis dictum est, hoc verbum *scire* infinitum modum exigit. Si ergo sic intelligas : non potest plura scire quam sciat, falsum est; si vero sic : Non potest de pluribus habere scientiam quam habeat, verum est. Cum
B ergo dicitur : Quod semel scit Deus, semper scit, intelligendum est, fuisse, vel esse, vel futurum esse; quoddam enim scit esse, vel fuisse, et sciet fore quod sciet esse vel fuisse : et sic de quocunque habet scientiam semel et semper.

REG. LXIV. *Divina providentia falli non potest.*

Sicut scientia non potest augeri vel minui, ita nec falli. Si enim, ut dixit Aristoteles (61), omnis scientia impermixta est falsitati, multo magis sapientia Dei : et ita impossibile est non evenire quod Deus prævidit : non quod Dei providentia eventui inferat necessitatem, et ita auferat liberi arbitrii libertatem ; sed quia hoc esse non potest, scilicet quod provideat, et non eveniat : non quod divina Providentia sit causa eventum attingens;
C sed causa comitans causam sine qua non. Unde sequitur hæc regula :

REG. LXV. *Necessarium est evenire, quod Deus prævidit, necessitate consequenti* (62), *non consequentis.*

Non enim necessarium est illud quod prævisum est, evenire : sed hoc tantum necessarium est, ut eveniat quod prævisum fuerit, ut sit necessitas consequentiæ, non partis impotentiæ. Sicut hoc totum est necessarium, Socratem moveri, si currit : non tamen necessarium est, Socratem moveri, vel currere. Similiter non est necessarium, Deum prævidisse quod futurum est, vel prædestinasse, quis salvandus : Deum enim prædestinasse, quamvis sit dictum de præterito, tamen spectat ad futurum,
D sicut non est necessarium Antichristum fore lecturum. Ex hoc sequitur hæc regula :

REG. LXVI. *Ad necessitatem superioris causæ sequitur necessitas inferioris causæ; sed non convertitur.*

463 Dupliciter autem dicitur necessarium secundum superiorem causam : vel illud, quod superior causa impedire non potest, ut Deum esse sapientem, vel bonum : quod ita sit auctoritate superioris causæ, et non ministerio inferioris causæ quod inferior causa impedire non possit, ut virginem parere : quod enim virgo manens virgo pa

(60) Legenda sunt quæ de celebri hoc loco epistolæ primæ ad Timotheum recentiores theologi scripserunt.

(61) In libro I *Posteriorum*

(62) Codex habet *consequendi*.

reret, ita factum est Dei auctoritate, quod inferior causa ad hoc efficaciter operari non potuit, nec impedire : ipsa quidem per libertatem liberi arbitrii potuit impedire, ne pareret, sed non potuit impedire, quin manens virgo mente et corpore pareret. Unde dicit auctoritas, quod prophetiam prædestinationis necesse est omnibus modis adimpleri, id est nulla inferiori causa potest impediri. Similiter dicitur esse aliquid necessarium dupliciter secundum inferiorem causam, vel quia inferiores causæ ad hoc operantur, ut hominem esse animal: vel quia inferior causa impedire non potest quin sit, ut firmamentum moveri. Necessitas autem, quæ fit secundum superiores causas, dicitur necessitas absoluta : illa vero, quæ fit secundum inferiores causas, dicitur determinata : secundum quod testantur philosophi, ad absolutam sequi determinatam. Unde si necessarium est Socratem moveri, necessarium est ipsum moveri, dum currit : sed non convertitur. Apud Aristotelem necessitas determinata dicitur, quæ non simpliciter proponitur, sed cum determinatione ; ut Socratem moveri, dum currit. Secundum superiorem causam necessarium dicitur, generalem hominum resurrectionem esse futuram, quia sola Dei auctoritate fit, nec aliqua inferior causa impedire potest Juxta hanc opinionem sunt qui dicunt necessarium fuisse Christum dixisse verum, postquam dixit Petro : *Antequam gallus cantet, ter me negabis* (*Luc.* XXII), quia taliter dixerat; quod vitari non poterat. Sed hoc videtur esse falsum, quia inferior causa impedire poterat, ne verum esset ; poterat enim Petrus non negare. Ad hoc etiam sic opponitur : Si Christus dixit, eveniet : sed necessarium est Christum dixisse, ergo necessarium est evenire. Sed hoc juxta prætaxatam opinionem sic solvitur. Si aliquid sequitur ad aliud, et primum est necessarium necessitate naturæ (63) ; sed non si aliquid sequitur ad aliud, et primum est necessarium necessitate personæ, ultimum necessarium est necessitate naturæ : sed Christum dixisse verum, est necessarium quasi gratia termini, ratione videlicet personæ : et talem necessitatem personæ non sequitur necessitas naturæ. Item sic opponitur : Aliquid est necessarium, et aliud est possibile : ergo potest esse verum cum illo. Potest dici quod non fuit necessarium Christum aliquid dixisse, vel enuntiasse. Quamvis hoc dictum videatur de præterito, tamen spectat ad futurum ; sicut hoc dictum, Platonem qui erit albus, fuisse lecturum, non est necessarium. Unde nec necessarium est Socratem dixisse verum, quia hoc dixit; potuit enim non enuntiasse id est nec verum, nec falsum dixisse.

A REG. LXVII. *Necessitati superioris causæ cedit necessitas inferioris causæ.*

Potest enim superior causa regulæ naturæ derogare. Unde Hilarius (64) : Quod Creator factus est creatura, non est naturæ ratio, sed potestatis exceptio. Unde antequam Virgo pareret, necessarium erat Virginem non parere. Huic necessitati superior causa derogavit, cum virgo peperit. Similiter dicunt quidam necessarium fuisse Lazarum salvari, postquam decessit ; sed postquam revixit, non fuisse : potuit enim peccare, et ita in mortali peccato decedere. Similiter alii qui dicunt non fuisse necessarium Lazarum salvari, postquam decessit, quia mors illa prima naturalis non fuit, sed miraculosa, nec adhuc ad bravium pervenerat, sed B quasi de medio stadio exceptus fuerat, et dignitas meriti ex futura vita pendebat. Nos dicimus necessarium fuisse Lazarum salvari, postquam decessit; nec postquam revixit, peccare potuit : fuit enim fomes peccati per mortem in eo exstinctus.

Sicut Patri appropriatur (65) hoc nomen, *potentia*, Filio hoc nomen, *sapientia;* ita Spiritui sancto hoc nomen, *bonitas*, quamvis trium sit una bonitas. Cum hoc nomen, *Spiritus*, videatur esse tumoris, et superbiæ, ne hic aliquis suspicetur in Spiritum sanctum, hoc nomen, *bonitas* ei appropriatur : vel quia Spiritus sanctus est donum Patris, et Filii, in quo nobis datur multiplex usus gratiarum, per quem est bonum omne id quod est C bonum.

REG. LXVIII. *Omnia in quantum sunt, bona sunt.*

Regula ista a multis proponitur, et a paucis intelligitur. Unde Boetius ad Joannem diaconum de interpretatione hujus regulæ librum inscripsit (66), diligenter ostendens quomodo omnia, in quantum sunt, bona sunt : an substantialiter, an accidentaliter, alio modo sint (67). Unde solet quæri an aliquid naturale attribuitur subjecto, cum dicitur : Omnia in quantum sunt, bona sunt. Si naturale, an substantiale, an accidentale. Si substantiale, illud erit superius ad hoc genus, *substantia;* quoniam omnis substantia bonum, sed non omne bonum substantia. Simili modo superius erit ad D omne prædicamentum, et ita omnia reducuntur ad unum. Item si substantiale est, aut est genus, aut species, aut differentia. Si genus, ut jam dictum est, superius erit ad genus generalissimum. Si species, in quo prædicamentum continebitur, quod de omnibus prædicabitur? Si vero differentia, cujus generis erit constitutiva, vel divisa? Item, si solius Dei bonitas sit, si cujuslibet rei, in hoc quod est, bonitas, substantia est, omnis res in eo,

(63) Videtur hic aliquid desiderari, quod sic suppleri potest : *Si aliquid sequitur ad aliud, et primum est necessarium necessitate naturæ, ultimum est necessarium necessitate naturæ : sed non si aliquid*, etc.

(64) Lege lib. XII *De Trinit.*, num 6.

(65) Videntur hæc ad alium locum spectare.

(66) Hic Boetii libellus ille ipse est, qui a multis inscribitur *De hebdomadibus.*

(67) Videtur deesse aliqua vox.

quod est, Deus est. Si vero accidentale ibi prædicatur, non omnis res in eo quod est, bonum est, quia, ut illius regula Boetii (68) testatur, *aliud est esse aliquid, et aliud est esse in eo quod est; hic enim accidens, ibi substantia prædicatur.* Sensus est : cum aliquid simpliciter prædicatur de aliquo, potest accidens prædicari, ut cum dico : Plato est albus. Sed cum additur, *in eo quod est*, res, quæ prædicatur, ostenditur esse substantia ejus rei, de qua prædicatur, vel illius, a quo subjectum sortitur, ut cum dicitur : *hoc opus est æneum, in eo quod est*, prædicatur substantiale æris. Cum vero dicitur : *hoc opus est humanum, in eo quod est*, prædicatur id quod est esse ejus, a quo hoc opus habet esse, scilicet natura hominis. Unde dicimus quod nihil, quod sit accidentale, vel substantiale creaturæ prædicatur, cum dicitur : Omnia in quantum sunt, bona sunt. Ideo prædicatur divina usia non essentialiter, sed denominative, per quamdam scilicet denominativam transsumptionem, ut dicantur omnia esse bona, quia sunt a summo bono, ut sicut cum dicitur demonstrando hominem : *hæc natura est humana;* et demonstrando opus hominis, *hoc est opus humanum*, idem prædicatur in his duabus sententiis, sed alio, et alio modo. In prima enim prædicatur hæc species *homo* essentialiter; in secunda denominative, ut sit sensus : hoc opus est humanum, id est habet esse a re humanæ naturæ. Similiter cum dicitur, *Deus est bonum*, prædicatur divina bonitas de Deo essentialiter. Cum vero dicitur : *Omnia in quantum sunt, bona sunt*, eadem divina bonitas prædicatur denominative, ut sit sensus : Omnia in quantum sunt, habent esse a re, cujus est summa bonitas. Et ut expressius dicam, habitus essendi a bono principio prædicatur in hac propositione. Juxta hanc regulam dicimus omnem actionem, in quantum est, esse a Deo, sed per privationem debiti finis fieri malam. Quod enim actio est, hoc habet a Deo; sed quod privatur debito fine, hoc habet ab homine, quia, ut testatur Augustinus (68*), Deus facit, ut homines faciant ea, quæ non conveniunt; sed homines faciunt, ut ea non conveniant, quæ ipsi faciunt. Similiter, dicimus, quod omnis potestas, omnis scientia a Deo est. Sed non abusus potestatis, vel scientiæ. Ars enim magica, quantum in se est, a Deo est, talis scilicet scientia : sed quod aliquis abutitur ea, non est a Deo; potest enim aliquis addiscere artem magicam non ad delectationem, sed ad fugam, et eam potest docere propter eumdem finem. Similiter et scientia hæreticorum. Sed quo modo potest esse bonum, quando nemo bene potest uti? magica autem arte nullus bene potest uti : non videtur ergo, quod a Deo sit, vel quod bonum sit. Ad quod dicimus, quod aliquis potest bene uti ea, eam docendo, et ea, quæ ibi fiunt,

A repræsentando : omnia dirigendo ad bonum finem. Sic ergo universaliter verum est, omnia esse a Deo, tam subjecta proprietatum, quam proprietates subjectorum.

REG. LXIX. *Cujus finis bonus est, ipsum quoque bonum est.*

464 Hæc regula videtur esse contraria regulæ Boetii, qui ait: Cujus finis bonus est, ipsum quoque malum est. Sed duplex est finis, scilicet consummationis et finis consumptionis. Si finis consummationis bonus est, et res, cujus est finis, bona est, ut alicujus Deus finis consummans est; ipsum quoque bonum est : sed cujus rei finis consummans bonus est, ipsa res mala est, ut si peccati finis B consummans bonus est, peccatum malum est. Omnis ergo res, cujus causa finalis fuit bonitas Dei, bonum est. Ipsa autem voluntate ductus omnia fecit : et ita cujuslibet rei finalis causa bonitas Dei est : et ita quodlibet bonum, quia etiam de mala actione bonum elicit, quia qui summe bonus est, nunquam mala esse permitteret, nisi ex malis bona eliceret. Verum est etiam generaliter, quod cujus actionis finis bonus est, ipsa actio bona est. Si quis enim bonum, et debitum finem suæ actioni constituit, et ipsa actio bona erit. Similiter si malum, et mala erit actio : quamvis enim quidam Judæorum habentes zelum Dei, sed non secundum scientiam, interfectionis Christi bonum volunt constituere C finem, scilicet Deum; tamen non constituerunt. Voluerunt ergo ex zelo Dei suam actionem dirigere, sed non direxerunt, quia scientia caruerunt, sicut aliquis vult dirigere sagittam in cervum, et ad hoc nititur, sed sagitta obliquatur. Judæi etiam, qui crucifixerunt Christum, videntur finem bonum constituisse suæ actioni, scilicet passionem Christi; sed quamvis passio Christi bona fuerit in se, et sanctissima, et humano generi fructuosa; tamen eam non constituerunt suæ actionis finem propter bonum ipsius passionis, sed ut malum Christo inferrent; et ita eadem passio, quæ fuit bonus finis prophetis, qui Christi desiderabant passionem propter consequentem utilitatem, fuit malus finis Judæis propter actionis depravationem, et modum. D Similiter si iste furatur, ut subveniat matri, finis furti malus est, quia quamvis subvenire matri bonum sit, tamen male subvenire malum est : et est malus finis hujus actionis. Unde nascitur hæc regula :

REG. LXX. *Unius actionis diversi fines esse non possunt.*

465 Hoc videtur esse falsum. Iste enim lucratur nummum, ut pascat pauperem; et ad hunc finem dirigit hunc actum : ad supremum finem etiam eumdem actum dirigit, scilicet ad Deum. Sed quando alterum propter alterum, utrobique tantum :

(68) In lib. *De hebdomadibus.*
(68*) Respicit fortasse Alanus quæ scribit Augustinus libro *De* 83 *quæstionibus*, quæstione 21, tom. VI, pag. 5.

A cum enim unum dicitur tale gratia alterius, unum et alterum non dicuntur. Unde cum Plato dicatur rationale (69) gratia animæ, non dicuntur duo rationabilia, Plato et anima. Et cum sacerdos dicatur audiri propter vocem, non dicuntur duo audibilia, sed potius unum audibile. Sic quamvis divisi sunt fines hujus actionis, non tamen diversi, quia unus refertur ad alium : et ita potius unus finis, quam plures fines esse dicuntur. Vel dicere possumus : tam hoc, quam illud est finis actionis : non tamen unus finis, vel plures fines. Sed nunquid iste, qui incipit ire ad ecclesiam causa orandi, consequenter movet gressum ad videndum mulierem ad concupiscendum eam, suæ actionis duos constituit fines, bonum et malum ? Iste etiam, qui docet sacram paginam propter emolumentum temporale pariter, et propter Deum? Ad hoc dicimus quod alia est singularis actio, qua primum movetur ut eat ad ecclesiam; et illa bona est, et bonum habet finem; alia vero actio, quæ videretur (69*) ad videndam mulierem : et illa mala est, et malum habet finem. Similiter ille qui docet sacram paginam, aut Deum principalem finem constituit, aut temporale emolumentum. Si Deum constituit principalem finem, actio bona est, et finis bonus; et ita unus solus est finis; si autem temporale emolumentum, unus solus est finis, et est malus.

Reg. LXXI. *Omne meritum est voluntarium aut voluntate originis, aut origine voluntatis.*

Omne enim meritum sive bonum, sive malum, aut habet voluntatem præcedentem, aut comitantem : et ita voluntarium est aut voluntate *a qua*, aut voluntate *cum qua*. Verbi causa, iste vult interficere hominem, et interficit. Interfectio ipsa, quæ est meritum pœnæ æternæ, ex voluntate comitante procedit; et ita hoc meritum voluntarium est voluntate originis, id est voluntate originali, quam (70) habuit interficiendo. Iste vero qui patitur illusiones nocturnas ex reliquiis cogitationum, quia in die vigilans cogitavit de aliqua muliere, in nocte patitur lubricum carnis : si ergo ibi peccat, peccatum illud voluntarium est ab origine voluntatis, quia originem habuit a voluntate præcedente. Unde dicit Augustinus (71) : Omne peccatum adeo est voluntarium, quod, si non est voluntarium, non est peccatum. Secundum hoc etiam originale peccatum est voluntarium, quia originem habuit a voluntate saltem Adæ. Similiter si aliquis dirigat sagittam in feram hac intentione, ut pascat pauperem ægrotantem, et de contingentibus nihil omittens interficiat hominem jacentem in silva, actus ille meritorius est vitæ æternæ, et voluntarius est; non quod ille voluerit hominem interficere; sed actum voluit quo hominem interficit. Sunt tamen qui dicunt talem actum esse indifferentem, id est nec bonum, nec malum, quia non processit ex voluntate directe, sed indirecte. Item, si aliquis sanctus dormiens resistat nocturnis illusionibus, qui in die tentatus tentationis refrenavit insultus, meretur præmium, et istud voluntarium est, qui originem habuit a præcedente voluntate.

Reg. LXXII. *Penes voluntatem est omne meritum.*

466 Quia quantum quis vult, tantum meretur, et voluntas pro facto reputatur, et affectus tuus operi tuo nomen imponit. Quæritur ergo, utrum quis mereatur tantum sola voluntate, quantum vo-
B luntate et opere. Sunt qui dicunt hoc generaliter esse verum in genere bonorum, exceptis operibus privilegiatis, ut in martyrio et prædicatione : dicunt enim quod martyrium aliquid addit merito et prædicatio. Alii vero sine omni exceptione concedunt hoc esse verum in genere bonorum : nec dicunt martyrium aliquid addere merito, nisi occasionaliter, quia aliquando est occasio, ut incendatur charitas. Simile dicunt de prædicatione. In genere vero malorum dicunt esse hoc falsum : quia magis peccat, qui vult occidere hominem, et occidit, quam ille qui vult et non occidit, eo quod actus ille malus genere est, et ita addit aliquid merito. Sed eadem ratione possent dicere, quod opus
C bonum addit merito, quia quidam actus bonus genere est, ut dare eleemosynam; et similiter additus voluntati auget meritum. Dici potest, quod ideo in genere malorum hoc verum est, quia non potest actus comitari voluntatem, quin major sit ibi contemptus, quia cum homo teneatur nec velle, nec facere malum, si vult malum, saltem debet ibi figere pedem : cum ergo ultra procedit, major est contemptus : in bonis vero nequaquam ita est, quia homo tenetur et velle, et facere bonum, nec citra actum debet manere, si ad actum potest perducere. Non ergo est magis gratus Deo, si vult, et facit, quam si (72) tantum vult, cum implere non possit : quare non est major charitas in implendo, quam volendo (73).

D Reg. LXXIII. *Omne peccatum fit aut in committendo quod non oportet, aut omittendo quod oportet.*

Peccatum, quod fit committendo, specialiter peccatum dicitur; quod vero fit omittendo, dicitur delictum, quasi derelictum (74). Sed quæritur, quomodo delictum voluntarium sit, cum non fit in committendo, sed in omittendo. Ad quod dicimus,

(69) Ita scriptum est in codice.
(69*) Mallem legere *dirigitur*.
(70) Vocula *quam* deest in codice.
(71) In libro *De vera religione*, cap. 14, num. 27, tom. I, pag. 756. Lege etiam lib. I *Retract.*, cap. 13, num. 5, tom. I, pag. 19.
(72) In codice deest dictio *si*.
(73) In codicis margine hæc librarius scripsit : *Vel quod jura proniora sunt ad absolvendum, quam ad condemnandum : et ideo non tantum punitur sola voluntate, quantum voluntate et opere.*
(74) Augustinus in *Quæstionibus in Leviticum*, quæst. 20, tom. III, part. I, pag. 496, similia scribit. *Quæritur*, inquit, *inter peccatum, et delictum quæ sit differentia... Fortassis ergo peccatum est perpetratio mali, delictum autem desertio boni... Quid aliud sonat delictum, nisi derelictum, et quid derelinquit qui delinquit, nisi bonum ?*

quod omissio illa voluntaria est, quia aut vult omittere quod omittit, quod non oportet omittere, aut vult non omittere, cum debet velle (75). Peccatum autem dupliciter dicitur voluntarium, qui aut procedit a voluntate, aut quia voluntas non refrenat illud, cum deberet refrenare.

REG. LXXIV. *Non facere, vitat pœnam, facere, meretur coronam.*

In hoc enim quod aliquis non facit, non aliquid meretur, sed vitat pœnam, quam consequeretur, si faceret. In faciendo vero bonum meretur præmium. Et ad hoc significandum dicit auctoritas : *Recede a malo*, ut vites pœnam ; *et fac bonum*, ut merearis coronam. Non facere ergo malum expediens ad cautelam, facere bonum expediens est ad electionem, et nunquid iste implet hoc mandatum : *Et non adulterabis* (*Matth.* XIX), qui manet in charitate, et non adulteratur ? Ad quod dicimus, quod si non tentatur appetitu adulterandi, nec ad hoc moveatur, facit quidem, sed non perficit. Si vero appetitum sentiat, et resistat, non solum vitat pœnam, sed meretur coronam. Sed si istæ circumlocutiones : non adulterari, non furari, recedere a malo, tantum negative teneantur, dico quod his non meretur aliquis. Si vero cum negatione implicetur positio, ut sit sensus : Iste non concupiscit, id est concupiscentiæ resistit, ibi est meritum.

REG. LXXV. *Omnis actio informis, vel deformis, formata esse non potest : nec e converso. Sic nec magis, nec minus potest esse informis, vel deformis, nec magis, nec minus formata.*

Nota quod actionum alia informis, alia deformis, alia formata. Informis actio dicitur, quæ officio caret, vel fine. Duo enim ad hoc concurrunt, ut actio sit formata, officium, et debitus finis. Debitus finis est, ut actio dirigatur in Deum. Officium autem, ut dicunt, est congruus actus uniuscujusque personæ, etc. Officium autem Christiani debet esse congruus uniuscujusque personæ actus secundum instituta religionis Christianæ.

Qui ergo in debito officio actionem dirigit ad debitum finem, id est ad Deum, suam actionem informat. Informis vero actio est, quæ debito caret officio, vel debito fine, ut Judæus iste, qui dat eleemosynam finaliter propter Deum, non tamen dat in debito officio, quia non dat, ut religionis Christianæ exigunt instituta. Deformis vero est illa quæ caret debito fine, ut cum iste dat eleemosynam propter vanam gloriam, vel propter terrenum emolumentum. Secundum hoc dicimus, quod non potest veniale fieri mortale, vel e converso, quamvis hoc videatur asserere auctoritas, quæ dicit : *Nullum peccatum adeo est veniale, quod non fiat mortale, dum pla-*
A *cet*. Sed hoc referendum est ad genus rei, non ad rem generis : ut sit sensus : Nullus actus est, qui sit de genere venialium : in quo si aliquis nimis delectetur, non sit mortalis, ut si aliquis nimis delectetur in verbo otioso, vel mendacio jocoso, illud otiosum verbum, vel jocosum mendacium, quod secus erat veniale, per delectationem, et contemptum fit mortale : non tamen unus et idem actus, qui prius erat venialis, posterius fit mortalis. Sed posito quod iste non mentiatur joco, consequenter mentiatur intentione fallendi, ita quod perseveret in mendacio, nonne mendacium, quod prius erat veniale, fit mortale ? Non : imo aliud est præcedens, aliud consequens. Item, iste fornicatur, et non convertitur de peccato : nonne reus pro fornicatione,
B de die in diem magis reus tenetur, et ita fornicatio majus fit peccatum ? Ad quod dicimus, quod non ; non enim augmentatur peccatum fornicationis, sed contemptus fit major : tamen alius est contemptus, ex quo modo magis contemnit, et alius, quo prius minus contemnebat. Sed quæritur de illo qui duos interficit uno ictu sagittæ, sed primo illum, quem ignoranter, secundo illum, quem scienter : utrum illa actio, quæ prius erat minus peccatum, postea incipiat esse majus. Dicimus, quod non, quia ibi sunt duo actus, et primus est minus peccatum quam secundus. Si vero de ignorantia quæritur, quæ est in subdiacono, qui tenetur scire aliqua quæ ignorat, consequenter erit in eodem, quando erit sacerdos,
C utrum incipiat esse majus peccatum quam fuerit : Respondemus, quod non. Cum enim ignorantia potius removeat, quam ponat, peccatum non est. Non enim iste peccat in eo quod non scit, sed in eo quod scire contemnat, ut peccatum sit in contemptu sciendi, non in firmitate ignorandi. Sed tamen quia ex contemptu sciendi procedit ignorantia, frequenter nomen consequentis sumitur in significatione antecedentis. Unde et contemptus scientiæ dicitur ignorantia quandoque ; et secundum hoc ignorantia est peccatum. Alius autem contemptus est sciendi, qui est in isto, postquam est sacerdos ; alius, qui fuit in subdiacono : et secundum hoc possumus hanc constituere regulam : *Nulla privatio meritum præmii, vel esse pœnæ potest*. Quis enim sanæ mentis dicet
D surditatem, vel cæcitatem præmii, vel pœnæ esse meritum, quod privant habitum et important debitum ? A simili quomodo ignorantia erit (75*) meritum, cum sit privatio ? Cum enim passionibus nec mereri possimus (76), quo modo privationibus merebimur, quæ citra omnem existentiam sunt (77).

REG. LXXVI. *Omne peccatum est pœna aut passionis affectu, aut consequentis effectu.*

467 Passionis affectu, ut invidia, odium ; hæc [illegible]

(75) Nempe, *cum debet velle omittere.*

(75*) Codex mendose habet *ignoraverit* pro *ignorantia erit.*

(76) Nimirum in iis, quæ involuntarie *patimur*, nullum est meritum nec bonum, nec malum.

(77) Bis hoc in loco punctum interrogationis apposuit librarius, nimirum post voces *privatio*, atque *sunt*. Hinc tamen colligi non potest falsum esse quod in præfatione dixi de vetustate nostri codicis ; [illegible] ea puncta vel undecimo sæculo scribi consuevisse probat Trombellius noster in eo, quem nuper edidit libro, qui inscribitur *Arte di conoscere l'età de' codici*, etc., cap. 17, pag. 100.

enim peccata quibusdam passionibus sua afficiunt subjecta. Consequentis effectu, ut ista peccata, quæ, quamvis in se passiones non contineant, tamen ex ipsis quodam modo passiones consequuntur : ut homicidium, quamvis in se pœna non sit, tamen ex ipso mentis excæcatio, naturalium bonorum corruptio procedit, quæ quodam modo passio potest dici. Peccatum etiam quod procedit ex alio peccato occasionaliter, pœna dicitur, quia ex ipso consequitur tanquam pœna ex merito, et quodam modo est effectus præcedentis.

REG. LXXVII. *Omnis pœna aut est in bono conservans, aut bonum probans, aut malum purgans, aut ad majus bonum invitans, aut in malo indurans, aut sola acredine crucians, aut peccato commaculans.*

In bono conservans, ut pœna quæ fuit instituta Paulo, ne magnitudo revelationum extolleret eum, de qua ipse ait : *Datus est mihi stimulus Satanæ* (78), etc. Bonum probans, ut pœna Job; per eam enim probata est patientia Job. Malum purgans, ut pœnitentia, per quam homo purgatur a peccato; qualis fuit etiam pœna Mariæ, quæ percussa est a lepra ad correptionem (*Num.* XII). Ad majus bonum invitans; ut martyrium, quod est actio majoris charitatis et majoris præmii. In malo indurans, ut plaga inflicta Pharaoni, per quam induratum est cor Pharaonis, etc. Sola acredine crucians, ut pœna gehennalis; peccato commaculans, ut ea quæ peccatum est proprietate (79).

REG. LXXVIII. *Omnis motus concupiscibilitatis ad illecebras est vitium ex peccato; omnis motus concupiscentiæ in illecebris est pecatum ex vitio.*

Concupiscibilitas dicitur pronitas, qua aliquis pronus est ad peccandum. Concupiscentia dicitur ipse actus concupiscendi. Aliquando autem ex concupiscibilitate procedit quidam motus, qui est citra delectationem, et citra arbitrii libertatem, ut cum aliquando homo videns mulierem, velit, nolit, movetur : in hoc tamen non delectatur, nec talis motus in concupiscentia est, sed ad concupiscentiam, non illecebris, sed ad illecebras : et tale est peccatum, id est vitium; sed non peccatum, unde peccator, quia non est meritum pœnæ, quia non est pœnæ suæ (80) nolle, vel velle : et ita motus est vitium ex peccato, quia omnis vitiosus motus originem habuit a peccato primi parentis, vel peccato originali. Aliquando primitivum motum sequitur delectatio, quæ est in illecebris et in concupiscentia : tum enim homo concupiscit, et illecebrose movetur : et talis motus est peccatum procedens ex tali vitio.

REG. LXXIX. *Omnis voluntas affectionis est ad meritum faciens; voluntas effectionis est meritum perficiens.*

Voluntas affectionis dicitur vel illa, qua naturaliter homo appetit bonum, quamvis sit in criminali peccato : vel qua aliquis ex quadam infirmitate concupiscit malum, quamvis in charitate sit. De prima dicit Paulus : *Velle mihi adjacet, perficere autem non invenio* (*Rom.* VII). De secunda ait : *Ego quod volo, concupisco* (81). Voluntas vero effectionis est qua aliquis efficaciter vult aliquid; vel bonum, de qua dicit Paulus : *Perficere autem non invenio* (*ibid.*) : quia eam non habet aliquis sine gratiæ consolatione : vel malum, ut quando aliquis delectatione procedit in consensum mali, vel in actum mali. De illo ergo, qui in criminali peccato est, quamvis habeat voluntatem affectionis ad bonum, non tamen concedendum, quod velit bonum, vel quod esse velit bonus. Unde Propheta in persona peccatoris : *Concupivi desiderare justificationes tuas* (*Psal.* CXVIII) : non ait, *desideravi*, sed *concupivi desiderare*. Similiter iste, qui est in criminali, non vult esse bonus; sed ipse vult velle esse bonus. Voluntas ergo affectionis quodam modo facit ad meritum, quia per eam occasionaliter procedit voluntas efficax. Voluntas autem effectionis vel facit, vel perficit ad meritum.

REG. LXXX. *Non paritas effectus in voluptate, sed paritas affectus in voluntate paritatem parit in crimine.*

Quamvis enim duo in aliquo pariter delectantur, non tamen pariter merentur, quia non est par voluntas. Verbi causa : Iste laicus, et iste episcopus incidunt in simplicem fornicationem : et fortasse par est voluptas, sed non par voluntas, quia magis contemnit episcopus quam laicus : et ideo non est par meritum. A simili, adolescens et senex disparem habent voluptatem, quæ non operatur ad dispar meritum; sed quia parem habent voluntatem, parem merentur pœnam.

REG. LXXXI. *Omne peccatum, quo pœnitentiæ pœna remittitur, pœnitentia pœnæ admittitur, non essentia actus, sed æquipollentia reatus.*

468 Sensus est : peccata redeunt non actu, sed reatu, in illo casu, in quo pœnitet pœnituisse. Verbi causa. Iste lapsus fuit in fornicationem : consequenter satisfacit quoad pœnam, et quoad culpam pro fornicatione. Interim videt eam, cum qua fornicatus fuit, et appetit, et etiam pœnitet, quod pœnituerit; et in hoc articulo redit præcedens fornicatio, non actu, sed reatu, quia ita tenetur modo anxius pro peccato, sicuti prius. Similiter iste convertitur, et habet voluntatem confitendi, et non relabendi, et consequenter non vult confiteri : quodammodo pœnitet eum pœnituisse : et ita redit peccatum quodammodo. Similiter si alicui injungitur satisfactio, et eam contempserit explere, quodammodo pœnitet eum pœnituisse. Ad hunc articulum referuntur auctoritates sanctorum, quæ dicunt peccata redire. Sunt tamen qui dicunt generaliter omnia peccata redire, ut si

(78) In Epist. II ad Cor., XII, 7 : *Datus est mihi stimulus carnis meæ, angelus Satanæ, qui me colaphizet.*
(79) Fortasse legendum est *pœnalitate.*
(80) Legendum videtur *penes se*, vel *penes eum*.

(81) Hæc verba in Paulo non inveni. Respexisse autem videtur Alanus illud Rom. VII, 16 : *Si autem quod nolo, illud facio*, etc., ut proinde legendum sit, *ego quod nolo, concupisco.*

remissa fuerint isti (82) diversa peccata, et consequenter inciderit in unum, reus erit omnium præcedentium propter ingratitudinem : quod tamen asserere periculosum videtur esse, quia secundum hoc nimia esset desolatio humanæ naturæ. Sunt alii, qui dicunt peccata redire in consimili genere peccati, ut si iste passus fuerit lubricum carnis, et consequenter remittatur ei peccatum, deinde inciderit in consimile; quod remissum fuerit, redit, ut in tantum teneatur obnoxius, quantum prius. Alii dicunt quod peccata redeunt in fraterno odio, et non in alio actu, propter peccati gravitatem : quod est peccare in Spiritum sanctum. Alii hoc modo dicunt redire peccata, quo dictum est illud : *Qui in uno offendit, reus est omnium* (83) : id est cætera sunt ei insufficientia ad salutem. Similiter si isti fuerint gravia peccata remissa, et in aliquo incidat, remissio præcedentium insufficiens erit ei ad salutem, et ita punietur, ac si non ei remissa essent.

REG. LXXXII. *Omne meritum pœnæ penes hominem est actione; omne meritum gloriæ super hominem auctoritate.*

Sensus est : Malum quod homo agit, penes hominem est, et ejus auctor est, quia homo *spiritus est vadens, et non rediens* (84). Vadit enim per se, sed non est rediens per se. Boni vero operis homo auctor non est auctoritate, sed solo ministerio. Unde non proprie dicitur mereri vitam æternam : ad hoc enim ut aliquis proprie dicatur aliquid mereri, quatuor concurrunt : ut opus illud quod agit, ejus proprie sit; ut apud alium mereatur; et apud talem qui potestatem habet remunerandi; ut de indebito fiat debitum. Unde solus Christus proprie nobis meruit vitam æternam. In eo enim quod homo majorem habuit, apud quem mereri potuit, qui remunerare eum potens fuit, quia Deus erat, bonum opus auctoritate sua facere potuit, quod esset dignum præmio vitæ æternæ: et cum prius non deberetur nobis nisi pœna, fecit ut nobis deberetur gloria. Bona autem opera proprie nostra non sunt, nisi ministerio; Dei autem, auctoritate. Et, ut dicit Augustinus (85): Deus non remuneratur in nobis merita sua (86), sed dona sua : quoniam *non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis* (*Rom.* VIII). Opera vero mala, nostra sunt proprie : quod enim opus malum est, ab homine est, non a Deo. Sic ergo inspecta ratione merendi, magis proprie dicitur homo mereri pœnam, quam præmium.

REG. LXXXIII. *Homo gratia a Spiritu habet posse quo velit; gratia in Spiritu habet velle quo possit.*

Nota quod hoc nomen, *gratia*, aliquando ita

A large sumitur, quod etiam naturalia dicuntur gratiæ, quasi gratis data : restringitur tamen hoc nomen, *gratia*, ut sola supererogata dicantur gratiæ. Sed hujus generis (87) gratiarum alia est a spiritu, sed non in spiritu; ut timor servilis, qui et gratuitum dicitur, et donum Spiritus sancti, non in spiritu datum, quia non est in charitate, sed est a spiritu, quia *omne datum optimum, et omne donum perfectum*, etc. (*Jac.* I). Similiter gratia, quæ confertur alicui, quando cessat a peccato actualiter, quamvis non perfecte pœniteat; gratia a Spiritu sed non in Spiritu. Qui ergo habet facilitatem quamdam, qua potest velle bonum, est gratia a Spiritu, sed non semper in Spiritu, quoniam et illam potest habere aliquis existens in peccato: sed velle quo possit

B homo bonum, non habet nisi a gratia, quæ est in spiritu, scilicet a gratia liberante. Unde Augustinus super Genesim ait (88) quod Adam ante peccatum habuit posse quo vellet, sed non habuit velle quo posset.

REG. LXXXIV. *Omne hominis arbitrium magis liberum est ad malum serviendo, minus liberum ad bonum liberando, ut major libertas sit servitutis, minor libertatis*

469 Arbitrium hominis ideo liberius est ad malum, quia plura sunt, quæ impellunt ad malum quam sint adminicula, quæ operantur ad bonum, quoniam infirmitates corporis et animæ, diabolicæ suggestiones, mundanæ delectationes invitant ad malum. Econtra vero nulla sunt, quæ

C operentur ad bonum, nisi sola gratia Dei. Propterea homo potest facere malum sine alterius adjutorio; bonum vero non potest operari sine ejus auxilio, id est Dei beneficio. Sed tamen illa libertas, quæ est ad malum, potius servitus est quam libertas, quia *qui facit peccatum, servus est peccati* (*Joan.* VIII). Minor vero libertas, quæ est ad bonum, magis tendit ad libertatem. Unde, *Deo servire, regnare est.* Sed cum liberum arbitrium liberius sit ad malum quam ad bonum, quid est quod dicitur : *Si Filius vos liberaverit, vere liberi eritis?* (*Joan.* VIII.) Sed ibi sumitur, *vere*, pro *utiliter*. Liberum ergo arbitrium verius liberius est ad malum veritate essentiæ, verius ad bonum uti-

D litatis ratione.

REG. LXXXV. *Sicut omne bonum meritorium in homine, aut progrediendo proficit, aut tependo languescit, aut cessando deficit : sic omne malum meritorium in homine aut continuando augetur, aut attritione remittitur, aut contritione dimittitur.*

Contingit enim aliquando quod per veniale peccatum charitas in aliquo tepescit ad tempus, et fervor ejus diminuitur; aliquando vero magis intenditur, quam prius; aliquando per criminale pec-

(82) Codex habet *ista*.

(83) In Epist. Jacobi, cap. II, vers. 10 : *Quicunque autem totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus.*

(84) Respicit psal. LXXVII, vers. 39.

(85) *Enarrat. in ps.* XCVIII, vers. 5; et in Epist. 194 ad Sixtum data, cap. 15, num. 19, et alibi.

(86) Legendum puto *nostra* pro *sua*.

(87) Vox *generis* deest in codice.

(88) In libro De *corrept. et grat.*, cap. 2, num. 32, tom. X, pag. 768, de Adamo hæc scribit Augustinus : *Acceperat posse, si vellet, sed non habuit velle quod posset.*

catum exstinguitur. Sunt tamen qui dicunt, per veniale peccatum non recedere charitatem : negando scilicet per ea venialia posse fieri descensum a perfecta in imperfectam, cum tamen dicat auctoritas, quod per oculum luscum intelligitur charitas, quæ per veniale a suo fervore tepescit. Gregorius etiam super Job dicit (89), quod per vesperam intelligitur veniale peccatum, per quod lux charitatis obtenebrescit : et eum per omissionem venialium ascendat quis de imperfecta ad perfectam, videtur quod præ commissione eorum posset descendere a perfecta in imperfectam. Et quid absurdius quam dicere quod homo teneatur de momento in momentum fieri melior, cum homo posset esse in ferventissimo motu charitatis, in sequenti vero tempore in minus ferventi, cum tamen non decidat a charitate. Sed quidem (90) quod dicitur, quod charitas aut proficit in homine, aut deficit; hoc (91) sic intelligere possumus : aut proficit continuando, aut deficit cessando. Alia etiam auctoritas dicit quod veniale peccatum hoc facit charitati, quod gutta aquæ camino : quod ad occasionem referendum est : sicut enim aqua infusa camino ad tempus remittit fervorem; tamen consequenter est occasio majoris incendii; sic veniale peccatum ad tempus remittit charitatem, sed consequenter occasio est majoris fervoris. Similiter malum, quod est in homine, ut fornicatio, vel aliud criminale peccatum, aut continuatione augetur, si homo perseveret actualiter in peccato; aut attritione remittitur, ut quando aliquis dolet se hoc commisisse, cessans ab opere, quamvis non pœniteat perfecte; aut contritione dimittitur, quando plenarie de peccato convertitur. Sunt enim multi, qui dolent se peccasse, et corde atteruntur, non tamen plene conteruntur, nec firmum habent propositum non relabendi, nec ore confitentur. Isti minus mali fiunt, sed desinunt non esse mali (92), nisi perfecte conterantur.

REG. LXXXVI. *Omnis justus alii mereri potest meritum præmii, non præmium meriti.*

Sensus est quod aliquis potest mereri alii primam gratiam (93), justificationem scilicet, ut de injusto fiat justus, secundum quam justificationem homo fit præmio æterno dignus; non tamen aliquis potest mereri vitam æternam, quamvis possit ei mereri justificationem primam, qua dignus est vita æterna. Non enim sequitur, quod si aliquis potest mereri antecedens, quod mereatur (94) consequens : sicut non e converso sequitur, quod si aliquis meretur consequens, quod mereatur antecedens : ut ille, qui meretur vitam æternam, non potest sibi mereri primam gratiam. Sequitur Regula :

REG. LXXXVII. *Gratia ad meritum fit in nobis sine nobis, libero arbitrio comitante, non cooperante; gratia vero in merito fit in homine per hominem arbitrio libero faciente ad hoc, non sufficiente.*

470 Gratia ad meritum dicitur prima gratia, id est peccati remissio, quæ fit in nobis sine nobis : non enim ad remissionem peccati operatur libertas arbitrii : de sola enim gratia remittitur culpa. Nunquam tamen fit peccati remissio sine libero arbitrio, non quia operetur ad hoc, vel cooperetur, sed quia remissionem comitatur, ut sit causa sine qua non. *Non* enim *ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos*, sed ex sola gratia salvi facti sumus (*Tit.* III, 5), nec penes nos consistit peccati remissio : si enim liberum arbitrium operaretur, vel cooperaretur ad peccati remissionem, vere dici posset hominem mereri primam gratiam. Sunt tamen qui dicunt gratiam Dei, et motum liberi arbitrii præcedere contritionem causa, non tempore; contritionem vero præcedere peccati remissionem. Et isti penes hominem constituunt primam remissionem : dicunt enim quod sicut ex infusione roris in terram procedit germen in terra, et ex germine flos, ex flore vero fructus : ita ex gratiæ infusione, quasi ex rore et ex libero arbitrio, quasi ex terra, nascitur contritio, quasi flos, et ex contritione nascitur peccati remissio, quasi fructus. Gratia vero in merito est ista contritio, sive virtutum collatio, cui cooperatur liberum arbitrium. Ad hoc enim ut virtutes infundantur, facit libertas arbitrii, sed non sufficit.

REG. LXXXVIII. *Omnes virtutes simul, et similiter dantur homini a creatione, ut sint per naturam* (95); *ex recreatione vero infunduntur homini, ut sint virtutes per gratiam; pariter quidem habitu, sed dispariter usu.*

Nota quod omnis virtus genere qualitas est : et naturaliter omnis virtus potentia est rationalis creaturæ, qua rationalis creatura nata est apta ad hoc, vel illud faciendum. Unde et Tullius (96) virtutes ponit inter species naturalis juris; et Aristoteles (97) in prædicamento qualitatis ait : Amplius scientiæ, et virtutes. Augustinus etiam dicit (98),

(89) Quæ ex Gregorii Magni *Expositione in Job* citat Alanus, ibi non reperi. Lege librum VIII ejus Expositionis cap. 6, ubi explicantur hæc verba Jobi : *Et rursum exspectabo vesperam*

(90) Legendum videtur *siquidem* pro *sed quidem.*

(91) Codex pro *hoc* habet *quod*

(92) Legendum puto : *sed non desinunt esse mali.*

(93) De congruo scilicet, non de condigno, ut docet S. Thomas 1-2, qu. 114, art. 6.

(94) Pro *quod mereatur* lege *mereatur* et hic et paulo post.

(95) Nempe, ut ait S. Thomas, 1-2, q. 63, art. 1; virtutes in nobis sunt a natura secundum aptitudinem, et inchoationem, non autem secundum perfectionem : præter virtutes theologicas, quæ sunt totaliter ab extrinseco.

(96) Lege Ciceronis librum II *De inventione*, paulo ante finem. Ibi sic definit virtutem, ut sit *animi habitus naturæ modo, atque rationi consentaneus.* Qua definitione utitur Augustinus, lib. IV, contra Julianum, tom. X, pag. 594.

(97) In *Categoriis*, cap. 8, hæc scribit Aristoteles : Τοιαῦται δέ αἵ τε ἐπίστημαι καὶ ἀρεταί, id est : *hujusmodi autem sunt* nempe habitus, *scientiæ, et virtutes.*

(98) Lib. I *De moribus Ecclesiæ Catholicæ*, c. 6, num. 9.

quod virtus genere qualitas est. Præterea cum omnis virtus sit habitus mentis bene constitutæ, omnis autem habitus, vel dispositio qualitas sit; omnis virtus qualitas est. Omnis autem virtus homini tripliciter intelligitur convenire, aut natura, aut habitu, aut usu. Natura convenit omnis potentia, quæ sit virtus, homini a creatione, ut naturaliter aptus sit secundum hanc, vel illam potentiam ad hoc vel illud faciendum, ut sicut aptus est natus ad ratiocinandum, vel ad intelligendum; ita aptus natus ad reddendum unicuique quod suum est, ad diligendum Deum, et proximum : quod satis insinuat Aristoteles (99), quod homo est mansuetus natura. Sub hoc nomine, *mansuetus*, intellexit illas naturales virtutes. Sed tunc potentiæ non sunt virtutes; sed postquam ventum est ad annos discretionis, si homo utitur illis potentiis in officio debito, et debito fine, ut usus earum dirigat ad Deum, et prout exigit Christiana religio, illæ potentiæ fiunt virtutes quasi vi contra vitia stantes. Habentur ergo virtutes in habitu, quando homo per illas potentias quamdam habet habilitatem, et pronitatem ad utendum eis, si tempus exegerit : et secundum hoc simul et similiter habentur omnes virtutes; quicunque enim habet unam in habitus, habet omnes in habitu (100). In usu autem dicuntur haberi, quando aliquis utitur eis ad bene agendum : et secundum hoc nec simul, nec pariter habentur : habetur enim aliquando una virtus in usu, quando alia non habetur, et magis una quam alia. Illæ ergo auctoritates et rationes, quæ videntur insinuare quod omnes virtutes simul, et similiter habentur, referendæ sunt ad habitum. Illæ vero quæ insinuare videntur, quod non simul, nec similiter, referendæ sunt ad usum.

REG. LXXXIX. ***Virtus et vitium sunt opposita mediate, non medii positione, sed utriusque abnegatione.***

471 Nota quod hoc nomen, *vitium*, multipliciter sumitur, negative videlicet et positive, sicut et hoc nomen, *peccatum*. Vitium ergo aliquando dicitur in omittendo quod oportet fieri; similiter aliquando in committendo, quod non oportet fieri. Secundum hoc ergo quod vitium sumitur negative, sunt opposita virtus et vitium immediate, ut affirmatio et negatio sicut rationale et non rationale: non dico irrationale. Cum ergo virtus, et vitium circa rationalem creaturam opposita sunt, ut affirmatio, et negatio, prout vitium sumitur negative, quæcunque rationalis creatura non habet virtutem, habet vitium : et e converso. Unde quamvis Judæus et Paganus habeat castitatem, temperantiam, et cæteras potentias, quæ possunt esse virtutes, tamen quia eas non habet ut virtutes, habet vitia virtutibus per abnegationem opposita. In hoc enim vitiosus est, quod non habet virtutes, cum habere teneatur. Sicut enim delicta dicuntur esse, non ire ad ecclesiam, non dare eleemosynam, quia tenemur ista facere, et non facimus; et ita vitia, sive delicta dicuntur, non habere temperantiam virtutem, vel castitatem virtutem, cum habere teneamur. Secundum hoc tamen virtus et vitium non dicuntur esse opposita immediate, nisi secundum tempus determinatum. Non enim puerum dicimus habere ante annos discretionis virtutes, vel vitia : sed cum ventum fuerit ad annos discretionis, si non habuerit virtutes, habebit vitia. Sicut nec in catulo dicimus esse visum, vel cæcitatem ante tempus determinatum. Judæus ergo, vel gentilis est non temperatus, vel non prudens, vel non castus, cum habeat virtutes politicas : sed non est intemperatus, imprudens, incastus; ista enim non solum removent, sed motus vitiosos insinuant. Similiter de isto Christiano, qui in aliquo criminali peccato est, verbi causa in mendacio, judicandum est : quamvis enim non moveatur ad luxuriam, tamen non est judicandus castus, ne insinuetur castitas virtus, nec luxuriosus.

Aliquando vero vitium sumitur positive, secundum quod luxuria, invidia, et ira dicitur vitium. Secundum hoc, vitium dividitur in septem criminalia vitia, in superbiam, iram, invidiam, avaritiam, accidiam (1), castimargiam (2), luxuriam. Secundum hoc intemperantia dicitur vitium, et imprudentia, et injustitia. Cum enim luxuria dicatur vitium positive, et intemperantia genus sit luxuriæ, intemperantia dicitur vitium positive; et secundum hoc virtus, et vitium sunt opposita mediate, ut castitas, et luxuria : est enim ibi medium per abnegationem, scilicet non-castitas. Similiter inter fidem et infidelitatem (3), inter spem et desperationem. Sicut ergo apud naturalem physicum sanitas et ægritudo dicuntur esse opposita mediate, et constituitur ibi quasi medium neutralitas per abnegationem : sic apud cœlestem physicum inter sanitatem virtutis, et ægritudinem vitii constituitur quasi medium quædam neutralitas per abnegationem; scilicet non esse virtuosum. Nec dicimus vitiosum motum, quia dicitur vitium habere substantivam

(99) In lib. *De Interpretatione*, cap. 11 (pag. 44, tom. I, edit. Paris. ann. 1639), ait Aristoteles hominem esse καὶ ζῶον, καὶ δίπουν, καὶ ἥμερον, id est, *et animal, et bipes, et mansuetum* (seu cicur).

(100) In codicis margine hæc librarius scripsit : « In Isaia. Sicut cithara sonum compositionum non emittit, si vel una chorda defuerit, sic spiritualiter veritas prophetæ, si una chorda virtutum defuerit, dulces [*leg.* dulce] melos non resonabit : nec ad lateritium murum cunctis clamabit visceribus philosophorum, quorum sententia est, hærere sibi virtutes. » Et Jacobi : « Cui una defuerit, desunt omnes. »

(1) Codex habet *accidiam* : at legendum puto *acidiam*, vel potius *acediam* : derivatur enim hoc vocabulum a Græco ἀκηδία.

(2) Lege *gastrimargiam* : quæ vox Græca est, et ingluviem significat, sic dictam a γαστήρ, id est *venter*, et μάργος, id est *edax*. De septem hisce vitiis fuse agit Gregorius Magnus, cap. 17 libri XXXI, in cap. XXXIX Jobi.

(3) Infans Hebræus, exempli gratia, nec fidem habet, nec infidelitatem positivam, sed duntaxat est non fidelis.

qualitatem, a qua procedat, sicut motus virtutis habet substantivam virtutem, a qua procedit : et ita nulla qualitas, quæ sit vitium, est opposita qualitati, quæ sit virtus; sed motus motui. Dicimus enim motum inordinatum esse oppositum virtuti, gratia motus virtutis.

REG. XC. *Meritum boni consistit penes liberum arbitrium occasionaliter, penes virtutem formaliter, penes motum virtutis essentialiter, penes gratiam efficaciter, penes opus instrumentaliter.*

Libertas enim arbitrii occasio est meriti : penes enim liberum arbitrium est velle vel nolle : nec ipsum est efficiens causa, sed ad hoc faciens, non sufficiens. Virtus vero est causa formalis meriti, ex qua tanquam ex forma procedit motus, quo meremur. Ipse autem motus essentialiter meritum est, quia penes ipsum motum proprie consistit meritum. Gratia vero efficit, quod ipse motus est meritum; sine gratia enim nullus motus, vel opus erit meritum : et ita penes gratiam consistit meritum efficaciter. Opus exterius est quasi causa instrumentalis meriti : et ita penes ipsum opus consistit ipsum meritum instrumentaliter.

REG. XCI. *Charitas inter virtutes est causa prior, diuturnitate major, mater informatione, forma apparitione, finis remuneratione universalior opere.*

472 Cum fides prima dicatur ratione signi, quia principaliter significat in homine virtutum inhærentiam; usu etiam, quia prius movetur quis ad credendum, quam ad sperandum, vel diligendum : tamen charitas prior dicitur causa, quia ipsa specialiter causa est, quare aliquod opus dicatur bonum. Ex hoc principaliter virtus fit virtus, quia exercetur propter Deum, pro Dei scilicet dilectione. Et omne opus ideo dicitur bonum, quia finaliter fit pro Dei amore. Unde et ipsa dicitur Mater omnium virtutum, quia omnes virtutes informat; sine qua cæteræ non habentur. Forma etiam apparitione dicitur. Sicut enim forma rei impressa facit rem magis apparere, sic per opera charitatis magis apparent cæteræ virtutes. Diuturnitate etiam major est, quia cæteræ evacuabuntur, ut spes, et fides; charitas autem non excidet; mors enim non interrumpit ordinem charitatis. Finis etiam est remuneratione : ad hoc tendit omne verum meritum, ut in futuro habeamus charitatem in præmium. In his enim duobus consistit beatitudo vitæ æternæ, in scientia (4) Dei et dilectione. Universalior opere, quia omne opus bonum significat, charitatem esse in eo, qui bene operatur. Ratione etiam finis : omne enim opus bonum, ut dictum est, finaliter fit propter Dei dilectionem.

REG. XCII. *Charitas in aliquo homine est ut rivulus et quasi fenalis, cui communicat alienus; in aliquo vero est ut fons, et finalis, quam non participat nisi domesticus.*

Aliquis enim est, qui ad tempus credit, et in

A tempore tentationis recedit (*Luc.* VIII). In tali enim est charitas, ut rivulus, et tanquam fenalis, quia sicut rivulus nunc fluit, nunc arescit, fenum nunc viret, nunc marcescit; sic et charitas in tali homine nunc ardet per charitatis ardorem, nunc deficit per tentationem. Alius vero est, qui semel charitate accepta nunquam decidit ab ea : et in tali est charitas tanquam fons, quia sicut fons semper scaturit, nec aliquando arescit; sic charitas in tali homine superfluit tanquam fons : et talis charitas suum possessorem usque in finem non deserit : cui charitati, quæ est quasi fons, non communicat alienus; qui scilicet non prædestinatus est, vel in libro vitæ scriptus.

REG. XCIII. *Ex fide dicitur justificari homo, non quod ex ea sit justificatio, sed quia procedit ex ejus articulo.*

B In sacra Scriptura frequenter invenitur, hominem justificari ex fide. Unde Habacuc ait : *Justus ex fide vivit* (*Habac.* II). Et alibi legitur : *Credidit Abraham Deo, et reputatum est ei ad justitiam* (*Rom.* IV). Sed non est sic intelligendum, quod prima justificatio sit ex fide (5), quia secundum hoc quis mereretur primam justificationem, nec esset ratio, quare potius diceretur homo justificari ex fide, quam ex charitate : sed ideo justificatio dicitur esse ex fide, quia fides specialiter significat hominem esse justificatum; et quia homo justificatur per fidei articulum, id est per gratiam quæ est articulus fidei. Sicut enim ad alia credenda tenemur, et sic ad hoc credendum, quod homo justificatur ex sola gratia Dei. Est ergo sensus : Homo justificatur ex fide, id est ex gratia, ad quam nos dirigit fides.

C REG. XCIV. *Nullum opus in charitate factum deformatur ad meritum pœnæ æternæ; sed opus ex charitate factum informatur ad meritum gloriæ.*

Aliud est opus factum in charitate, aliud ex charitate. Omne enim opus, quod fit ex charitate, fit in charitate : sed non convertitur. Opus ex charitate fieri, est charitate informari. Opus vero in charitate fieri, est opus fieri ab aliquo, dum est in charitate. Verbi causa, iste religiosus comedit, et bibit in charitate, sed non ex charitate, quia hoc opus non est charitate informatum. Venialia etiam peccata fiunt in charitate, sed non ex charitate, nisi occasionaliter intelligatur hæc propositio exponi : multoties enim charitas est occasio venialis peccati, ut in Petro, in quo charitas occasio fuit, quare gladio servum principis sacerdotum percussit : et in illo, qui ex charitate cum hospitibus comedit, et supra modum bibit : in illo enim charitas est occasio ebrietatis. Omne autem opus charitate informatum est vitæ meritorium æternæ. Unde et ceremonialia ex charitate facta, si charitate informata erant, vitæ æternæ erant meritoria. Si enim Abraham ex

D

(4) Id est *visione*, seu cognitione, quam vocant *intuitivam*.

(5) Nimirum *impius non justificatur sola fide*, ut aiunt Tridentini Patres, sess. VI, can. 9. At lege S. Thom. 1-2, q. 114, art. 5.

charitate filium interficere voluit, et ita meruit; cum occidere sit de genere malorum : multo magis opus ceremoniale ex charitate factum, fuit vitæ æternæ meritorium, cum non esset de genere malorum : cum enim tale opus nec fine, nec officio careat, non est ratio, quare merito carere debeat.

Reg. XCV. *Sicut in homine consideratur perfectio ratione comparationis, comprehensionis, facti, voti, sufficientiæ, conscientiæ : ita in charitate consideratur perfectio, signi ratione, impedimenti exclusione, continuatione, radicatione, fervoris intensione.*

473 Perfectio comparationis dicitur, quæ alicui respectu alterius attribuitur; secundum quam Noe dicitur fuisse *perfectus in generationibus suis* (*Gen.* vi), quia melior erat cæteris. Perfectio comprehensionis dicitur illa quæ erit in patria, quando nec corpori, nec animæ aliquid deerit ad sui perfectionem. Perfectio facti attenditur in excellentia operum, ut in operibus religiosorum. Perfectio voti attenditur in votis solemnibus. Perfectio sufficientiæ attenditur in eo quod aliquis habeat ea quæ sufficiunt ad salutem. Perfectio conscientiæ puritas conscientiæ, de qua ait Paulus : *Nihil mihi conscius sum* (*I Cor.* iv), etc. Similiter charitas dicitur esse perfecta ratione signi, quando ex ea procedunt opera significantia perfectam charitatem, ut ponere animam pro Christo : de qua dictum est : *Majorem charitatem nemo habet* (*Joan.* xv); etc. id est majus charitatis signum. Perfectio etiam charitatis attenditur in exclusione impedimentorum : quæ perfectio erit in patria, quando omnia de regno Dei tollentur scandala : et tunc evacuabitur quod imperfectum est. In hoc etiam attenditur charitatis perfectio, quod in ea est usque ad finem continuatio : quam homo, ex quo eam recipit, non amittit. In radicatione etiam attenditur perfectio, quando ita radicata est, quod de facili evelli non possit : de qua perfectione ait Paulus : *Certus sum quia neque mors, neque vita separabit me a charitate Dei* (*Rom.* viii). Consideratur etiam perfectio in fervoris intensione, quia quanto magis fervor intenditur, tanto magis charitas perficitur.

Reg. XCVI. *Omnis timor bonus aut est initialis terminus fidei intra sumptus, vel extra sumptus; aut finalis terminus fidei vel intra sumptus, vel extra sumptus.*

Nota quæ differentia sit inter timorem humanum, mundanum (6), servilem, initialem, castum, sive filialem. Item notandum quid bonum temporale, quid æternum, quid malum temporale, quid æternum. Humanus timor est horror quidam qui innascitur menti humanæ ex infirmitate, eo quod timet incurrere malum temporale, id est pœnam temporalem : qualis timor fuit in Christo ex infirmitate humanæ naturæ (7) : nec est bonum, vel malum genere, sed indifferens. Mundanus vero timor est, quo quis timet facere bonum in tempore, id est bonum meritorium vitæ æternæ, ne amittat bonum temporale, id est vitam temporalem; sed non timet velle facere bonum : qualis timor fuit in Petro, quando negavit Christum : et iste timor est malus, et meritorius pœnæ æternæ. Timor autem servilis est, quo quis timet facere malum in tempore, id est peccatum, ne incurrat malum temporale, id est pœnam temporalem, ut fur, qui timet furari, ne incurrat suspendium, habet servilem timorem : qui ideo dicitur servilis, quia servorum est ita timere, qui ideo abhorrent facere scelera, ne sentiant verbera. Unde auctoritas ait (8) :

Oderunt peccare mali formidine pœnæ.

Qui taliter timent, timent facere malum, sed non timent velle facere malum, quia servilis timor cohibet manum, non animum. Unde Augustinus ait (9) : Vivit peccandi voluntas, et sequeretur opus, si speraretur impunitas. Talis timor bonus est quantum ad fugam pœnæ, non quantum ad meritum gloriæ, et dicitur initium sapientiæ non intra sumptum, sed extra sumptum : initium initians, non initiatum : quia ita facit ad sapientiam, quo non est in sapientia.

Sicut enim seta introducit filum, ita servilis timor fidem, vel charitatem. Initialis vero timor est quo quis timet facere malum, ne incurrat malum æternum, id est pœnam æternam, et ne amittat bonum æternum, id est vitam æternam : et ita partim consistit in timore pœnæ, partim in amore justitiæ. Talis timor est initium sapientiæ intra sumptum quia est in charitate : et sic est initialis terminus fidei intra sumptus. Castus vero timor est, quo quis magis timet amittere bonum æternum, quam incurrere æternum supplicium, id est magis timet separari a sponso quam puniri æterno supplicio. Ideo castus dicitur, quia castarum mulierum est timere offendere sponsum, ne ab ipso separentur : et talis timor est terminus fidei intra sumptus, quia in eo terminatur, et consummatur fides. Reverentia etiam solet dici timor, quia comes est timoris, de quo dicitur : *Timor Domini sanctus*, etc. (*Psal.* xviii.) Unde et de angelis dicitur (10), quod timebunt in die judicii, id est reverebuntur. Et sancti dicuntur timere in patria, id est revereri. Talis timor est terminus fidei extra sumptus, quia in futuro, postquam fides evacuabitur, erit.

(6) Humanum timorem a mundano non distinguit Petrus Lombardus, lib. iii *Sent.*, d. 34, l. D.

(7) Lege Petri Lombardi librum iii *Sentent.*, dist. 34, lit. L, ubi humanum timorem a mundano distinguit.

(8) Horatius epist. 16, lib. i, vers. 738 :
Oderunt peccare boni virtutis amore.
Tu nihil admittes in te formidine pœnæ.

(9) Lege lib. De *spir. et lit.*, cap. 8, num. 13; et *Enarr.* 2 *in psalmum* xxxii, tom. IV, pag. 192.

(10) Videtur respicere hæc Jobi verba, quæ exstant cap. xli, vers. 16 : *Cum sublatus fuerit, timebunt angeli, et territi purgabuntur.* Quæ nonnulli referunt ad extremi judicii diem. Lege librum xxxiv *Exposit.* S. Gregorii in Job, cap. vii.

Reg. XCVII. *Sicut caro dicitur obedire rationi, quando non agit directe contra* (11) *rationem, et ita ratio dicitur consentire carni, quando non reprimit carnem.*

474 Continuum est duellum inter carnem et rationem : aliud enim vult caro, aliud ratio. Quamvis enim ratio refrenet carnalitatem, ne aliquando procedat ad illicita, tamen nunquam ita sedatur, quin remurmuret (12) saltem in primitivis motibus : et ideo obedire dicitur, quia directe contra rationem non operatur. Similiter ratio dicitur consentire carni, non quia consentiat, quia semper opera ejus reprobat ; sed quia cum refrenare possit, non refrenat. Sicut rex dicitur consentire latronibus civitatis, non quia consentiat, sed quia non arcet eos, cum arcere possit.

Reg. XCVIII. *Charitas, quæ ab homine habetur, facit aliquid diligi, aut quia habet, aut ut habeat, aut ut habeatur.*

Pater filium diligit ad hoc, ut aliquid habeat, ut scilicet filius habeat honorem, vel aliquam prosperitatem temporalem. Divitias autem, vel honores ad hoc diligit aliquis, ut eas habeat. Justum autem hominem diligit aliquis, quia habet in se virtutes : et ita alio modo diligit, qui diligit, ut habeat; alio modo qui diligit, quia habet; alio modo qui diligit ut habeatur. Hos omnes effectus dilectionis possumus assignare charitati. Charitate enim diligimus Deum propter se, quia bonus est, non solum ut habeamus, sed quia in se bonus est : quamvis enim nihil ab eo (13) exspectaremus, tamen quia bonus est, eum diligere tenemur (14). Præterea charitas facit ut nos diligamus ad hoc ut Deum habeamus : proximum vero ad idem, id est vitam æternam, ut ea fruamur.

Reg. XCIX. *Sicut homo per charitatem a thesi suæ naturæ in apotheosim gratiæ ascendens est deificatus : ita Deus per charitatem ab apotheosi suæ naturæ in hypothesim nostræ miseriæ descendens est humanatus.*

Nota quod aliud est thesis humanæ naturæ, aliud apotheosis, aliud hypothesis. Thesis dicitur proprius status hominis, quem servare dicitur, quando ratione utitur ad considerandum quid bonum, quid malum, quid agendum, quid cavendum. Sed aliquando excedit homo istum statum, vel descendendo in vitia, vel ascendendo in cœlestium contemplationem : et talis excessus dicitur exstasis, sive metamorphosis, quia per hujusmodi excessum excedit statum propriæ mentis, vel formam. Excessus autem superior dicitur apotheosis, quasi deificatio · quæ fit, quando homo ad divinorum contemplationem rapitur : et hoc fit mediante illa potentia animæ, quæ dicitur intellectualitas, qua A comprehendimus divina ; secundum quam potentiam homo fit Deus (15), sicut mediante illa potentia animæ, quæ dicitur intellectus, comprehendit invisibilia; per quam comprehensionem homo fit homo spiritus, sicut per speculationem rationis homo fit homo. Inferior vero exstasis est, quæ et hypothesis, quando homo a statu humanæ naturæ demittitur degenerando in vitia ; et hoc fit per sensualitatem, per quam homo fit homo pecus. Deus autem suam habet apotheosim, scilicet excellentiam suæ naturæ, a qua descendens exinanivit se, formam servi accipiens : se humiliavit usque in thesim nostræ naturæ, imo usque in hypothesim nostræ miseriæ, non quantum ad culpam, sed quantum ad pœnam.

B Reg. C. *Humana natura unita est divinæ, ut substantiæ diversitas sit in uno, et naturæ proprietas maneat in unito.*

475 Videndum quomodo Filius Dei sibi univit humanam naturam. Aliqua res ita aliquando alii apponitur, ut ex illa non fiat unum, nec altera denominetur ab altera nec sumat proprietatem ab altera, ut si lapis apponatur lapidi : ex his non est aliqua compositio, sed quædam aggregatio. Aliquando ita res aliqua apponitur alii, quod ex ipsis non sit unum, tamen altera contrahit ab altera proprietatem, ut cum pomum apponitur manui, hæc contrahit proprietatem pomi, videlicet odorem. Aliquando ita apponitur unum alii, quod ex C ipsis non fit unum : tamen alterum denominatur ab altero, ut cum pallium applicatur homini, homo dicitur palliatus : ex his tamen non fit unum. Hanc applicationem assignavit Nestorius hæreticus in Christi incarnatione, in Christo constituens duas personas, hominem et Deum, unam dicens esse Deum, aliam hominem, nec ibi esse aliquam unionem (16), nec aliquid ex his factum ; sed potius unam personam alii esse appositam per applicationem. Aliquando aliquid ita apponitur alii, quod alterum absorbetur ab altero, ut si gutta vini infundatur Sequanæ (17), absorbetur a Sequana, nec ex his fit unum. Hanc appositionem dixerunt quidam hæretici (18) fuisse in Christi incarnatione, humanam naturam absorptam esse a divina, vel D divinam ab humana. Aliquando ita apponitur unum alii, quod utrumque confunditur : ex ipsis nascitur tertium, ut quando aqua miscetur melli, utrumque confunditur, et ex ipsis nascitur hydromellum (19), quod neque est aqua, neque mel. Hanc confusionem voluit Eutyches hæreticus assignare in Christo, dicens quod in Christi incarnatione nec divina natura mansit divina, nec humana

(11) Cod. *contra directe rationem.*
(12) Cod. *remuneret.*
(13) Codex habet *ab eo scilicet exspectaremus.*
(14) Lege *teneremur.*
(15) Metaphorice hæc dici ab Alano nemo non videt.
(16) Nempe substantialem et hypostaticam.
(17) Codex habet *secane;* ac paulo post *secana.*
(18) Nempe Eutychiani.
(19) Barbara plane est vox isthæc *hydromellum.* Hoc enim aquæ mulsæ genus, de quo Alanus sermonem habet, *hydromeli*, seu ὑδρόμελι dicitur, nimirum ab ὕδωρ, quod est *aqua*, et μέλι, quod est *mel.* De hydromelite autem agit Plinius, lib. XIV *Nat. Hist.*, cap. 17

mansit humana; sed his naturis confusis, facta est tertia. Aliquando unum ita applicatur alii, quod ex ipsis fit aliquid, utroque manente in propria natura, ut unus homo fit ex corpore, et anima. Talis autem compositio non fuit in Christo : non enim Christus, ut testatur Augustinus (20), constat ex Deo et homine, tanquam ex partibus. Aliquando vero unum ita applicatur alii per unionem, quod ex ipsis non fit unum, sed illud, quod unitur alii, fit de eo, cui unitur. Verbi causa, surculus unitur arbori per insitionem mediante calore et humore; non tamen ex surculo et arbore fit unum, sed surculus fit de arbore. Similiter corpus et anima sunt Filio Dei unita, ita quod non sunt Filius Dei, sed sunt de Filio Dei; ita quod Filius Dei non constat ex illis, et alio; sed in una persona sunt duæ naturæ, divina manens divina, humana manens humana.

Reg. CI. *Sicut pars non potest esse totum, vel constituens constitutum, ita assumens non potest esse assumptum.*

Omnis clamat philosophia, quod nihil potest esse de se ipso, nihil apud se : pars ergo totum esse non potest, quia de toto est : similiter componens compositum. A simili cum assumptum de assumente sit, ipsum assumens esse non potest. Tripliciter enim aliquid assumitur ab aliquo; aliquid enim ita aliquando assumit aliud, quod ad se, sed non in se, vel de se, ut miles arma, ex quorum applicatione armatus dicitur; sed non ipsa arma ipse armatus sunt. Aliquando ita aliquid aliud assumit, quod ad se et in se, ut dolium, vinum; sed non de se. Aliquando ita ad se, quod de se, ut Christus ita assumpsit humanam naturam, id est corpus et animam, quod ipsa est de Christo; ipsa tamen non est Christus, nec Christus illa, quia Christus non est corpus et anima quam assumpsit; nec corpus et anima quam assumpsit, sunt Christus. Sed per assumptionem corporis et animæ est ipse homo; non tamen aliquis homo, quem assumpserit, quamvis quidam fabulentur quemdam hominem assumptum esse a Verbo, qui incœpit esse Verbum; et ita dicunt, quod quædam creatura incœpit esse Creator, et ita Deus, et sic deitas; et ita aliquid ex tempore factum incœpit esse æternum. Hoc tamen sic conantur asserere. Risibilitas inest Christo, et non secundum divinam naturam : ergo secundum humanam; ergo aut secundum corpus, aut secundum animam, aut secundum compositum ex utroque. Ad quod dicimus quod secundum nullum isto-

A rum, sed secundum corpus, et animam sibi unitam; non enim aliquod compositum ex corpore et anima assumpsit; sed tantum corpus et animam sibi unitam; assumendo enim univit, et uniendo assumpsit. Corpus ergo et anima sibi unita Christum composuerunt, id est compositum esse fecerunt. Incœpit enim esse compositus ex corpore et anima, nec illa aliquid aliud a Christo composuerunt, nec aliquid quod inciperet esse Christus, vel quod esset unitum Christo, sed ipsum Christum; et ita aliquid incœpit esse compositum ex corpore et anima, secundum quod homo, quod erat simplex, et ab æterno, secundum quod Deus.

Reg. CII. *Ad hoc ut Christus esset homo, triplex concurrit unio : unio compersonalis, ut humanæ naturæ esset; unio subpersonalis, ut viveret; unio* B *propersonalis* (21).

476 Personalis unio est quæ rem facit esse personam : quæ in pura creatura attenditur, ut in puro homine : ex eo enim, quod homo fit unum ex unione corporis et animæ, incipit esse persona, id est res per se una. Talis unio non fuit in Christo homine : non enim Christus in eo quod incœpit esse homo, incœpit esse persona. Propersonalis vero fuit in Christo : unio enim corporis, et animæ, quæ fuit in eo, habuit similitudinem personalis unionis : unde dici potuit propersonalis : et illa specialiter operata est ut Christus esset homo. Subpersonalis unio dicitur unio spiritus physici ad corpus, et ad animam Christi. Physicus autem spiritus dicitur quoddam corpus subtilius aere, minus C subtile igne, vegetans corpus : et talis est in brutis, et operatur vitam : quo mediante anima unitur corpori. Habet enim affinitatem cum anima in agilitate et subtilitate; cum corpore vero in corporeitate. Anima vero unita est Verbo sine medio; Spiritus vero mediante anima; corpus vero mediante spiritu (22). Corporalis (23) vero unio fuit unio corporis et animæ ad Verbum. Istæ vero uniones concurrunt ad Christi incarnationem, nec alia fuit sufficiens sine alia. Si enim corpus et anima non fuissent ipsi unita, nec anima corpori, ipse non fuisset homo : unde non dicimus ipsum in triduo fuisse (24). Similiter si anima fuisset unita corpori, D et illa non fuisset Verbo, Christus non fuisset homo.

Reg. CIII. *Numerus cadit in Christum memorialis, quo numeratur, substantialis hypostaseos* (25); *materialis, quo numeratur usia cum usiosi* (26).

Ut testatur Augustinus, numerus memorialis est

(20) Lib. II *contra Maximinum*, cap. 10, t. VIII, p. 698.

(21) Postrema verba hujus regulæ desiderantur in codice : suppleri autem sic posse censeo : *unio propersonalis, ut esse homo.*

(22) Similia scribit Augustinus in libro *De agone Christiano*, cap. 18, num. 20, tom. VI, pag. 254 : *Si ergo*, inquit, *visibilia munda a visibilibus immundis contingi possunt, et non inquinari; quanto magis invisibilis, et incommutabilis Veritas per spiritum animam, et per animam corpus suscipiens, toto homine assumpto ab omnibus cum infirmitatibus nulla sui contaminatione liberavit?* Lege, quæso, Petri Lombardi librum III *Sentent.*, dist. 2, lit. B.

(23) Respicit fortasse Alanus illud Pauli : *In quo habitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter* (*Coloss.* II).

(24) Subintellige *hominem*. Porro eo triduo fuerunt quidem cum corpus, tum anima conjuncta Verbo; sed anima separata fuit a corpore : itaque Christus eo triduo non fuit homo.

(25) Fortasse legendum est, *quo numeratur substantialis hypostasis*.

(26) *Usiosis*, sive ἡ οὐσίωσις a Boetio in li-

ejusdem rei iteratio, quæ quodammodo gerit imaginem numeri; ubi enim repetitio, ibi videtur esse numeratio, ut si dicam : Sol, sol, sol; Deus, Deus, Deus. Hic enim est iteratio, non diversorum numeratio : et talis iteratio dicetur memorialis numerus. Numerus vero materialis est veri nominis numeratio, cum plura numerantur, ut si dicam : Socrates est unum, Plato est aliud. In Christo ergo est numerus memorialis, quantum ad hypostasim; una enim est hypostasis Christi, scilicet una persona : sed numerus materialis, quantum ad naturam, quo numerantur diversæ naturæ, ut cum dico : Christus est Deus, et homo; alia enim natura prædicatur, cum dicitur Deus; alia, cum dicitur homo. Unde Christus dicitur esse unum secundum divinam naturam, et aliud secundum humanam.

Reg. CIV. *Necessitas moriendi fuit in Christo, non ex actione superans animum, sed voluntate astringens eventum.*

Inter cæteros defectus humanæ naturæ Filius Dei necessitatem moriendi assumpsit. Unde et Augustinus (27) ait : *Qui quamvis passus non fuisset, senio defecisset.* Et nota quod alia est necessitas coactiva, et alia voluntaria. Coactivam habemus nos, velimus, nolimus : Christus vero voluntariam habuit, quia voluntarie necessitatem moriendi assumpsit : *Oblatus* enim *est, quia ipse voluit* (*Isai.* LIII). Necessitatem alia illata, alia innata, alia assumpta. Primam habuit Adam, quia ipsam sibi intulit, et moriendi necessitatem. Unde ait Augustinus : *Qui manibus, et pedibus sibi mortem accerserunt.* Nos autem habemus innatam originaliter : Christus vero habuit assumptam.

Reg. CV. *In Christo fuit timor propassionis, non rationi obvians; sed non timor passionis mentem conturbans.*

477 Timor propassio (28) dicitur horror quidam, qui homini innascitur, quo pœnam horret : qui dicitur propassio, quasi protopassio, id est prima passio. Talis fuit in Christo, quia naturaliter horruit mortem. Sed in eo non fuit timor passio, qui turbat rationem : qualis fuit in Petro, cum negavit Christum. A simili in Christo fuit voluntas, qua voluit non mori, a sensualitate procedens.

Reg. CVI. *Christus nil sibi meruit operibus suis : sed quidquid meruit, meruit nobis operibus singulis.*

Cum mereri sit de non debito facere debitum; Christo autem a tempore incarnationis deberetur quidquid postea est consecutus : ipse de indebito A debitum non fecit, et ita sibi non meruit. Æque enim dignus fuit ab incarnatione omnibus his, quæ postea accepit, sicut post nobis singulis operibus suis meruit : Quia, dicente Isaia, *datus est nobis* (*Isai.* IX). Et Psalm. : *Folium ejus non defluet, et omnia quæcunque faciet, prosperabuntur* nobis (*Psal.* I). Quod ergo dicitur meruisse immortalitatem, et *nomen quod est super omne nomen* (*Philipp.* II), non est referendum ad ipsum, sed ad nos (29) : quia nobis meruit, ut haberemus immortalitatem, et cognosceremus eum Patri æqualem.

Reg. CVII. *Sicut Creator factus creatura per creaturæ susceptionem : ita creatura fit corpus Creatoris per creaturæ transubstantiationem.*

Nota quod aliud est alteratio, aliud alteritas, B aliud transubstantiatio. Alteratio subjecti est secundum accidentales proprietates; quando de albo fit nigrum, vel de nigro album : secundum quod dici potest : Album erit nigrum. Album incipiet esse nigrum; sed non : De albo fiet nigrum, vel econtrario : dicitur enim, quia materialiter ponitur, ut insinuaret (30) quod album esset materia nigri. Alteritas vero dicitur, quando mutatur subjectum secundum substantialia, ut factum est in Cana Galilææ, quando aqua facta est vinum (*Joan.* II) : et secundum hanc alterationem non debet concedi, quod aqua erit vinum; sed de aqua fiet vinum. Transsubstantiatio est, quando nec materia, nec substantialis forma remanet, ut in mutatione, C secundum quam panis transsubstantiatur in corpus Christi; ubi nec materia panis remanet, nec substantialia, sed accidentalia tantum. Secundum hanc mutationem possumus concedere quod panis fit corpus Christi; mutabiliter in corpus Christi convertetur : hic enim non debemus concedere non denotantia (31) mutationem : et ideo non est concedendum, quod panis erit corpus Christi, vel incipiet esse corpus Christi, sed quod fiet corpus Christi, nec tamen de pane fiet corpus Christi. De accidentibus, quæ remanent, potest dici quod sint sine subjecto; vel potest dici, quod sint in aere. Sunt tamen qui dicunt accidentia ibi non esse, sed videri esse : non tamen est ibi præstigium, vel deceptio : hoc enim non fit ad decipiendum, sed in D sacramentum. Alii dicunt quod albedo, et ipsa accidentia, quæ ibi remanent, sunt in forma panis. Sed secundum hoc restat quæstio de ipsa forma, ubi sit. Similiter debet quæri de fractione, ubi sit, vel in quo sit, utrum in corpore Christi, vel in alio. Sunt qui dicunt corpus Christi frangi (32), et ta-

bello contra Eutychem et Nestorium pro *subsistentia* accipitur : a Dionysio cap. 2 libri *De divinis nominibus* pro simplicis essentiæ communicatione : a Chrysostomo hom. 13 in Epistolam ad Ephesios, pro rei productione, cum incipit existere. Alanus autem videtur hoc vocabulum accipere pro *existentia*, vel pro *humanitate*.

(27) Vox *Augustinus* deest in codice. Eam addidi auctoritate innixus S. Thomæ, qui in lib. III *Sent.*, dist. 16, qu. 1, art. 2, hæc scribit : *Unde Augustinus : Si non occisus fuisset, naturali morte dissolutus fuisset, et idem opus redemptionis fuisset, quod per passionem fecit.*

(28) Lege Petri Lombardi librum III *Sentent.*, dist. 15, lit. F.

(29) Lege quæ dixi in præfatione, num. 6, pag. 174.

(30) Locus corruptus et emendandus.

(31) Codex mendose habet : *non e notancia.*

(32) Lege Petri Lombardi librum IV *Sentent.*, dist. 11 lit. D.

men manere integrum : dividi, et tamen manere indivisum. Alii fractionem esse in ipsa forma. Alii nihil ibi frangi, sed videri frangi, ut prædictum est.

Reg. CVIII. *In alia specie est corpus Christi, et sub alia specie est.*

In illa enim forma, quam assumpsit de Virgine, est in altari, sed non sub illa, imo sub forma panis et vini. Unde improprie dicitur videri corpus Christi in altari, cum non videatur mediante sua forma; improprie dicitur frangi, vel dentibus atteri, quia hoc non corpori Christi, sed formæ convenit.

Reg. CIX. *Ad hoc ut panis transsubstantietur in Dominicum corpus, fit quatuor concursus : ut sit in persona ordo, in agente intentio, in pane materia, in verbis forma.*

478 Nota quod quædam sunt de substantia sacramenti, quædam de circumstantia. De substantia sunt ea quæ præmisimus. De circumstantia vero solemnitas sacerdotalium vestium, orationes, quæ præmittuntur, et quædam alia. Ordo autem est de substantia sacramenti : quia nisi quis fuerit sacerdos, consecrare non potest. Intentio etiam, non qua quidem intendat consecrare, sed qua intendat formam Ecclesiæ servare. Unde sacerdos hæreticus, ordinatus tamen in forma Ecclesiæ, quamvis non adhibeat fidem sacramento, si tamen intendat servare formam Ecclesiæ in missam celebrando, consecrat. Materia item dicitur de substantia sacramenti : ad hoc enim ut ibi fiat transsubstantiatio, oportet, ut ibi sit panis factus de frumento, et vinum. Forma etiam verborum, ut illa forma verborum, quam Christus instituit dicens : *Hoc est corpus meum. Hic est calix*, etc.

Reg. CX. *Sicut eucharistia est sacramentum, dignitatis justitiam perficiens : sic baptismus est sacramentum necessitatis ad justitiam, proficiens.*

Nota quod sunt septem sacramenta spiritualia in Ecclesia Dei, quorum quædam communia, ut baptismus, eucharistia, pœnitentia, confirmatio, extrema unctio. Quædam vero specialia, ut conjugium, et ordo. Quædam autem necessitatis, ut baptismus, sine quo non est salus puero, nec adulto, nisi impediat articulus necessitatis. Similiter eucharistia est sacramentum necessitatis in adultis, ipsum tamen specialiter est sacramentum dignitatis. Quia cum circumcisio tantum deleret culpam, baptismus vero et culpam, et pœnam exstinguit, et etiam confert gratiam ; Sacramentum eucharistiæ addit cumulum gratiæ ; unde dicitur eucharistia quasi bona gratia. Hac etiam ratione dicitur sacramentum dignitatis.

Reg. CXI. *Sacramentum confirmationis non datur ad hoc, ut baptismus habeatur sed ut plenius possideatur.*

Baptismus enim datur, ut habeatur Spiritus sanctus ; confirmatio, ut possideatur plenius. Istud autem sacramentum item necessitatis est in adultis, quia, si adultus ex negligentia prætermiserit, ei criminale peccatum erit. Sicut autem quædam sunt de substantia baptismi, ita quædam de substantia confirmationis. Aqua de substantia baptismi est, quia non valet baptismus, nisi in aqua. Intentio etiam, ut intendat ministrans observare formam Ecclesiæ. Forma etiam verborum. Similiter de substantia confirmationis sunt quædam, ut dignitas consecrantis, scilicet ut qui confirmat, sit episcopus (33) : locus etiam confirmationis, ut frons, et chrisma quo confirmatur.

Reg. CXII. *Sicut baptismus est primum remedium contra peccati originalis lapsum : sic pœnitentia est secunda tabula post peccati naufragium.*

Quandoque qui naufragantur in mari, confugientes ad aliquem (34) navis tabulatum, ipso perducuntur ad portum. Hac similitudine dicitur pœnitentia secunda tabula post naufragium. Primo naufragus in originali, confugit ad baptismum, et per baptismi tabulam pervenit ad portum remissionis illius. Et si iterum naufragatur actuali peccato, tabulam pœnitentiæ refugit ad secundam, portumque reducitur ad salutis. Est et alia causa, quare pœnitentia dicitur secunda tabula post naufragium. Naufragi enim solent tabulam secum ferre, in qua naufragii describitur totus eventus, qua visa homines ad misericordiam moti consueverunt sic naufragis subvenire. Similiter per baptismum Deus omnibus subvenit primo, secundo per pœnitentiam.

Reg. CXIII. *Sicut baptismus est sacramentum fidei, confirmatio sacramentum spei, et eucharistia sacramentum charitatis : sic extrema unctio est sacramentum pœnitentiæ, vel contritionis.*

479 Baptismus dicitur sacramentum fidei : nam in eo fides quæritur (35), ante quam si quis quid eorum, quæ ad salutem pertinent, habeat, non tamen ante habet fidem, quæ sit virtus : quia non in eo est *substantia rerum sperandarum* (*Hebr.* XI). Unde non est in homine unde speret salutem, donec est baptizatus. Confirmatio autem dicitur sacramentum spei, quoniam ideo quis impositione manus episcopi confirmatur, ne amplius per hæreticas seductiones a fide moveatur. Unde et sacramentum spei dicitur, quoniam quod a fide amplius non recedat, de confirmato spes habetur. Eucharistia vero dicitur sacramentum charitatis, quoniam per assumptionem ejus unitas Ecclesiæ, et capitis Christi designatur, quæ ex charitate est in præsenti. Charitas enim in Deum, et in proximum. Ex charitate vero proximi sic fideles sibi uniuntur, ut tanquam membra sibi conjuncta unum corpus dicantur : quod corpus ex charitate Dei Christo capiti unitur. Quæ unio etsi hic sit aliqua, in futuro erit perfecta. Similiter sacramentum extremæ unctionis est sacramentum contritionis. Ad hoc enim

(33) Nimirum minister *ordinarius* hujus sacramenti est episcopus.

(34) Lege *ad aliquod.*

(35) Fortasse legendum est *requiritur* vel *acquiritur.*

fit, ut mediante contritione interiori, conferatur ei salus corporis cum salute mentis ; et si non salus corporis, tamen salus mentis. Est autem hoc sacramentum sacramentum necessitatis : si quis enim tempus habuerit, non impediente necessitate, et unctus non fuerit, in periculum animæ ei cedet. Sunt qui dicunt de hoc sacramento, quod iterari non possit, sicut nec baptismus : sed quia sacramentum pœnæ est (36), et pœna potest iterari, probabile est hoc sacramentum posse iterari.

REG. CXIV. *Conjugium est sacramentum remedii ad fugam, non necessitatis ad electionem.*

Cum enim quædam sacramenta necessitatis sint, ut baptismus, et eucharistia ; dignitatis, ut ordines sacri : sic conjugium est sacramentum consilii, imo remedii contra incontinentiam. Dicitur autem sacramentum propter duo : propter consensum animorum significantem spiritualem unionem Christi, et Ecclesiæ : et carnale commercium, quod significat duarum naturarum in Christo consortium (37) Conjugium autem ante peccatum Adæ fuit præceptum disciplinæ, et post peccatum (38) : sed postquam conjugalis castitas replevit terram, ut virginalis castitas nunc repleat cœli patriam, disciplinæ præceptum commutatum est in indulgentiæ remedium.

REG. CXV. *Sacer ordo est sacramentum, quo insignitur homo, ut sic aliis per honorem præsit, ut eis per onus prælationis prosit.*

In ordine autem tria debent attendi. Ipsa ordinatio, scientia, et actio. Si enim tibi ordo fuerit sine scientia, fatuitas erit ; scientia vero sine actione, ignavia ; actio sine scientia, temeritas. Pertractatis regulis, quæ theologicæ veritati specialiter sunt accommodæ, agendum est de iis quæ ad naturalem pertinent facultatem, considerandumque maxime quæ ita accommodantur naturali facultati, quod non evagantur a theologia. Quæ vero utrique facultati sunt communes (39), naturalis physicæ maxima hæc est.

REG. CXVI. *Omne dictum usque adeo a causa est, ut si causa non fuerit, ipsum quidem vacuum sit.*

Hæc regula quidem utrique facultati communis est : Ut enim testatur Hilarius (40) : Intelligentia dictorum ex causis est assumenda dicendi. Hoc quidem liquet esse verum in naturali facultate. Quod enim Petrus dicitur esse homo, ab humanitate ; quod albus, ab albedine ; quod justus, a justitia ; quod etiam pratum ridere dicitur, a causa est : ideo enim dicitur ridere, quia causam risus habet penes se. Similiter in theologicis omne dictum a causa est : Quod enim dicitur (41) justus, a causa est, quia efficit justum ; et sic de aliis

REG. CXVII. *Aliud est dictum, aliud dicendi causa.*

480 Hæc regula accommoda est naturali facultati. In naturali autem facultate verum est, quod aliud album, aliud albedo : aliud homo, aliud humanitas. In theologicis vero non aliud Deus, aliud divinitas. Quamvis Hilarius (42) videatur velle, quod aliud natura, aliud res naturæ. Sed hoc quod dicit Hilarius, ad diversitatem intelligendi referendum est, non ad diversitatem essendi ; sicut solet dici, quod aliud est homo, aliud animal ; quia alio intellectu comprehendimus hominem, alio animal.

REG. CXVIII. *Omnis causa dicti, alio dicitur, et alio exponitur.*

Causa autem tunc dicitur, cum, quid ipsa res sit, ab ea ostenditur : ut, homo est bonus. Tunc vero causa exponitur, cum, quid ipsa sit, aperitur, ut, quod bonum est, bonitate, naturaque bonum est. Hæc regula communis est duabus facultatibus, naturali, et theologicæ. Alio enim in divinis exponitur, *Deus est bonus :* alio causa, qua est bonus : hac enim oratione, *Deus est bonus*, exponitur dictum : hac vero, *bonitas est causa, qua Deus est bonus*, exponitur dicendi causa.

REG. CXIX. *Diversa dicendi causa est a re cujus est, ut dictum est, causa* (43).

Hæc regula communis est utrique facultati. In quolibet enim aliud est color, a quo corpus dicitur coloratum ; aliud ipsum coloratum. In divinis autem causa, qua Deus dicitur justus, non est aliud a justitia Dei, qua ipse Deus est justus : sed potius ab effectu suæ justitiæ dicitur justus, id est a nostra justitia, quam efficit in nobis : dicitur enim justus, quia efficit nos justos ; est autem sua justitia.

REG. CXX. *Causa rei alia intrinseca, alia extrinseca.*

Intrinseca causa est, per quam res ejus est, vel aliquid est, ut, corpus corporeitate est : Colore enim est aliquid, id est coloratum. Extrinseca vero dicendi causa est, per quam res, cujus est naturæ, aliquid

(36) Legendum puto, *sed quia sacramentum pœnitentiæ est, et pœnitentia potest iterari*, etc. Superius enim in regula : *Extrema unctio*, inquit, *est sacramentorum pœnitentiæ.* Præterea Launoius hunc locum citans legit *pœnitentiæ*, ut dixi in præfatione.

(37) Non solum ob has rationes matrimonium est sacramentum, verum etiam quia *gratiam confert*, ut definiunt Tridentini Patres, sess. 24, can. 1, de sacr. matr.

(38) Fortasse aliquid desideratur.

(39) Desideratur aliquid in codice.

(40) Lib. IV *De Trinit.*, num. 14, tom. II, p. 82.

(41) Subaudiendum puto *Deus.*

(42) Hilarius, lib. VIII *De Trinit.*, num. 22, tom. II, pag. 229, hæc scribit : *Non idem est enim natura, quod naturæ res : sicuti non idem est homo, et quod hominis est*, etc.

(43) Fortasse legendum est, *a re, cujus est aut dicitur causa.*

est; sed aliquo modo se habet ad aliquid aliud extra A se, ut paternitas, qua Pater nec est, nec est aliquid: sed habet extra se aliquid, quod nec Pater, nec paternitas est, id est Filium. Hæc regula tam convenit naturalibus quam divinis. In divinis enim divinitas est quasi causa intrinseca, qua Deus est, et est Deus; sed in hoc est differentia, quod non alio est, et alio est bonus, imo idem est ei esse, et esse bonum. Causa extrinseca est paternitas, filiatio, processio.

Reg. CXXI. *Causarum alia dicitur per se, alia ad aliud.*

Causa dicendi per se est, quæ nullius dicitur comparatione, ut in naturalibus, homo albus. In divinis, ut Deus justus. Ad aliud vero causa dicitur B comparatione, ut Pater, Filius.

Reg. CXXII. *Causarum alia prima, alia secunda.*

Prima est, quæ per se nullam habet causam, ad quam pertineat: velut illa, a qua homo est homo. In divinis, qua Deus est Deus. Secunda est, quæ per se aliam habet, propter quam rei convenit, et cujus adjecta est potestati; velut illa, secundum quam qui est homo, est risibilis. In divinis vero illa, secundum quam Pater est pater, Filius est filius.

Reg. CXXIII. *Prima causa aut natura est subsistentis, aut proprietas ejus.*

Natura subsistentis est, qua ipse subsistens subsistit, velut illa, qua homo est homo. Proprietas vero subsistentis est, qua subsistens a cæteris omnibus est discretus, veluti illa, qua Plato est Plato. In divinis vero natura subsistens est deitas, qua Pater, et Filius, et Spiritus sanctus sunt; proprietas subsistentis, personalis status Patris, quo Pater est Pater; personalis status Filii, quo Filius est Filius; personalis status Spiritus sancti.

Reg. CXXIV. *Secunda causa dicendi aut pertinet ad naturam, aut pertinet ad proprietatem.*

481 Ad naturam pertinet omnis causa quæcunque propter subsistentis essentiam dicitur de subsistente, velut illa, qua homo risibilis est. Risibilitas enim pertinet ad naturam hominis, id est ad humanitatem. Vel ipsa essentia, velut, homo est species. Ad proprietatem vero pertinet quæcunque vel propter proprietatem dicitur de subsistente proprietatis, ut, Plato est persona; vel de ipsa proprietate; ut, Plato est individuum. Similiter in divinis ad divinam essentiam pertinet quod profertur, cum dicitur: Pater est Dominus creaturarum, vel, Pater est principium. Ad proprietatem vero personalem pertinet quod profertur, cum dicitur: Pater est persona.

Reg. CXXV. *Una causa dicendi est, quæ ad omnem pertinet dicti causam.*

Hæc causa est unitas. Omnem enim proprietatem unitas comitatur: humanitatem Socratis ad subjectum: ut sicut Socrates dicitur homo humanitate; ita unus unitate, quæ comitatur illam humanitatem: et ita dicitur unus homo: homo humanitate; unus (44) unitate. Similiter hoc animal dicitur unum album: album albedine; unum unitate adjecta albedini; et sic percurre ad alias proprietates. Sunt tamen, qui duas excipiunt causas, propriam qualitatem, et moram: dicunt enim quod unitas non comitatur propriam qualitatem ad subjectum; quia ipsa unitas de ipsa propria qualitate est. De propria enim qualitate sunt tam substan-
C tialia, quam accidentalia rei. Unde non potest dici Socrates est unus, cum unitas non comitetur propriam qualitatem Socratis. Similiter unitas non comitatur moram, quia si unitas comitaretur moram, cum unitas moretur in subjecto, illam unitatem comitaretur mora; et similiter illam moram alia unitas, et sic incurreremus infinitatem. Similiter in divinis circa divinitatem attenditur unitas, id est quædam singularitas, secundum quam Deus dicitur unus. Similiter circa proprietates personarum divinarum attenduntur tres unitates, id est secundum quarum unam dicitur unus Pater, unus Filius, unus Spiritus sanctus.

(44) Vox *unus* deest in codice.

VENERABILIS ALANI

LIBER

IN DISTINCTIONIBUS DICTIONUM

THEOLOGICALIUM.

(Ex editione in folio sine anni vel loci nota, quam nobiscum perhumaniter communicavit D. JUNG, bibliothecæ Argentinensi præfectus. De hoc typographicæ artis incunabulorum pretioso specimine sic D. Jung in epistola ad nos transmissa: « Editio hæc Distinctionum Alani, nunquam postea alias repetita, Daventriæ prodiit, circa annum 1477, ex officina Richardi PAFFROET, Coloniensis, et inter primos hujus impressoriæ artis magistri labores annumeranda, quem ante hunc annum nihil edidisse constat. Ejus typi ab iis adhuc non absimiles quibus Guttenberg et Fust utebantur. » — Eidem volumini inest liber *Mammotrectus* dictus, quem bibliopega sæculi decimi quinti cum Alano in unum compegit.)

PROLOGUS ALANI

Ad Hermengaldum abbatem Sancti Ægidii.

Reverendissimo Patri et domino HERMENGALDO (45), Dei gratia Sancti Ægidii abbati, ALANUS dictus magister, sic in præsenti multiplici insigniri gratia ut in futuro præmietur in gloria.

Cum mundus diversis olim prudentum floreret virtutibus, et quasi alterum firmamentum suis fulguraret sideribus, nunc, variis vitiorum ingruentibus tenebris fugatisque virtutum stellis, totus in nocte profundæ cæcitatis involvitur et a luce totius veritatis proscribitur. Proscriptis tamen cæteris, tu solus, quasi novus Lucifer, mundum radiis tuæ discretionis illuminas, et ab eo, quantum in te est, tenebras indiscretionis eliminas. Tali igitur sideri mei operis sidus devoveo, divinis stellarum sententiis theologicarum auctoritatum præditum munimentis; et sicut tuo titulatur sub nomine, ita tuo insigniatur munimine, quatenus tui libra judicii mei libri libret sententias, ut si aliquid minus fuerit igne rationis decoctum, sepeliatur silentio; quod vero videbitur in fabrica prudentiæ expolitum, celebretur in publico. Non enim volo ut opus meum prius in aures publicas exeat divulgatum quam a statera tuæ examinationis exierit trutinatum, ut vel valeat tuæ prudentiæ judicio comprobatum, vel vileat tuæ auctoritatis sententia reprobatum. Tibi enim inter primates primo primum mei operis primitias offero, ut sicut es inter prælatos primus, ita hujus libri novitatem delibes pri-

(45) Cœnobio S. Ægidii præfuit Hermengaldus ab anno circiter 1179 ad annum usque 1195. Hinc corrigendus de la Serna Santander qui in libro cui titulus: *Dictionnaire bibliographique choisi du* XV*e siècle* (Bruxelles, 1806), parte II, pag. 27 et 28, post recensitam Alani *Distinctionum* editionem Argentinensem (*leg.* Daventriensem; nunquam enim Argentinæ prodierunt), hæc addit: « Hujus operis auctor ab Alano Magno de Insulis distinguendus, anno 1203 defuncto. De quo hic igitur magnus Alanus sæculo uno fere et dimidio senior habendus; Hermengardus enim, abbas S. Ægidii, cui *Distinctiones* nuncupantur, juxta D. Mabillonium ante annum 1060 obiit: *Tunc* (anno 1050) *Andaonensi monasterio* (Saint-André de Villeneuve, près d'Avignon) *præerat Hermengaldus abbas, factus postmodum abbas apud S. Ægidium, ubi post annos septem fato functus est* (Annal. SS. ord. S. Bened., t. IV, p. 522); quod confirmatur testimonio auctorum *Galliæ Christianæ*, t. I, col. 873, ubi de abbatibus Andaonensibus agentes hæc scribunt: IV. *Hermengaldus, quo sedente Rostagnus I episcopus Avenionensis dedit ecclesiam de Juncariis an.* 1050. Hinc patet magistri Alani opus ante annum 1038 absolutum, quo obiit, cui inscriptum est, Hermengaldus. »

Hæc erudite, sed inconsiderate Santander. Cœnobio quidem S. Ægidii circa annum 1050 præfuit Hermengaldus quidam: « X. Hermengaldus Andaonensis abbas, inquiunt auctores *Galliæ Christianæ* (t. VI, col. 483), circa 1050, deinde S. Ægidii, post annos 7 isthic obiisse dicitur a Mabillonio t. IV *Annalium*, p. 722, de quo nihil aliunde rescire licuit. » Sed si abbatum San-Ægidianorum seriem evolvere Santander pergisset, mox (ibid., col. 489-90) illi occurrisset Hermengaldus alter, abbas S. Ægidii decimus nonus, qui ante annum 1179, ut diximus, ad annum usque 1195 præfuit. Hermengaldus ille est cui *Distinctiones* suas Alanus inscripsit. EDIT. PATR.

mitus. Quoniam tuæ magnanimitati ignava opum pondera præsentare minime volui quibus ad facinus nihil instructius cum habendi sitis incanduit (46), nihil vilius cum ea victor animus sibi calcata subjecit. Hoc solum autem tuam paternitatem tota mentis devotione deposco, ut tuæ amicitiæ fœdus gloriosum, quod non solum in libro scientiæ, verum etiam in libro experientiæ legi, tua benignitas inconcusse servet illæsum, quoniam quandiu spiritus meus afflaverit artus, quandiu temporalis vitæ diversos patiar discursus, semper apud me gloria tua nomenque tuum laudesque manebunt. Ut volo, sic valeas in æternum.

EJUSDEM PROLOGUS ALTER.

Quoniam juxta Aristotelicæ auctoritatis præconium, qui virtutum nominum sunt ignari cito paralogizantur, in sacra pagina periculosum est theologicorum nominum ignorare virtutes, ubi periculosius aliquid quæritur, ubi difficilius invenitur, ubi non habemus sermones de quibus loquimur, ubi rem ut est sermo non loquitur, ubi vocabula a propriis significationibus peregrinantur et novas admirari videntur; ubi divina descendit excellentia ut humana ascendat intelligentia; ubi nomina pronominantur, ubi adjectiva substantivantur, ubi verbum non est nota ejus quod de altero dicitur, ubi sine inhærentia prædicatio, ubi sine materia subjectio, ubi affirmatio impropria, negatio vera, ubi constructio non subjacet legibus Donati, ubi translatio aliena a regulis Tullii, ubi enuntiatio peregrina ab Aristotelis documento, ubi fidei remota a rationis argumento. Et ideo ne falsum pro vero affirmet theologus, ne ex falsa interpretatione errorem confirmet hæreticus, ut a litterali intelligentia arceatur Judæus, ne suum intellectum sacræ Scripturæ ingerat superbus, dignum duximus theologicorum verborum significationes distinguere, metaphorarum rationes assignare, occultas troporum positiones in lucem reducere, ut liberior ad sacram paginam pandatur introitus, ne ab aliena positione fallatur theologus, et sit facilior via intelligendi; minus intelligentes invitet, torpentes excitet, peritiores delectet; et sic diversæ vocabulorum acceptiones, quæ in diversis sacræ paginæ locis jacent incognitæ, in lucem manifestationis reducantur præsentis opusculi explanatione; ut brevior explanatio prolixitatem excludat, brevitas fastidium tollat, expositio obscurum, compendiosa doctrina [*f. ad.* temporis] dispendium. Nostri autem operis exsecutio hac ordinationis serie texetur ut juxta litterarum alphabeti ordinem diversæ theologicarum dictionum significationes secundum positionum rationes et causas fideliter distinguantur, et diversis titulorum capitulis adnotata prosecutio lectori quod voluerit offeratur distinctionis subsidio. Sequitur A.

(46) Hunc locum restituimus ope codicis ms. sub n. 73 in bibliotheca publica Divionensi asservati. Legitur in editione Daventriensi : *Quoniam... ignava operum pondera præsentare minime volui, rebus cognatos quibus facinus nihil instructius causa habendi sitis incanduit*, etc., corrupte.

VENERABILIS ALANI

LIBER IN DISTINCTIONIBUS DICTIONUM THEOLOGICALIUM.

Feliciter incipit.

A

A quandoque notat locum; unde in Evangelio : *Homo quidam descendebat a Jerusalem in Jericho.* Notat etiam tempus; unde in Michæa propheta : *A diebus antiquis.* Notat æternitatem; unde idem Michæas : *Egressus ejus ab initio a diebus æternitatis.* Notat auctoritatem; unde in Psal. : *A Domino factum est istud.* Notat nativitatem sive originem; unde in Evangelio : *Exivi a Patre et veni in mundum.* Notat spirationem sive processionem; unde in Evangelio : *Responsum accepit Simeon a Spiritu sancto.* Notat separationem sive remotionem; unde in Psal. : *Et emundabor a delicto maximo.* Notat partitionem rei ab universitate cum exceptione, ut cum dicitur *justus*, separatur a massa

perditionis. Omnes significationes quas habet hæc præpositio *a*, habet ista præpositio *ab*. Sed notandum quod *a* habet præponi dictionibus incipientibus a consonante; *ab* habet præponi dictionibus incipientibus a vocali. Et quandoque *ab* ponitur pro *sine*, unde in Catone : *Noli irasci ab re*, id est sine occasione.

Abies, proprie, dicitur contemplator ; unde Isaias : *Ponam in desertum abietem*. Abies, ratione sublimitatis, contemplatores significat, qui adhuc in terrenis corporibus positi cœlestia contemplantur. Dicitur etiam contemplatio, unde Isaias : *Pro saliunca ascendit abies*, dum in sanctorum cordibus pro abjectione terrenæ cogitationis oritur altitudo supernæ contemplationis. Dicitur etiam cœlestis virtus, sicut per prophetam de apostata angelo dicitur : *Cedri non fuerunt altiores in paradiso Dei, abietes non adæquaverunt summitatem ejus*, quia cæteri angeli Lucifero in dignitate pares non fuerunt.

Abire proprie notat motum localem de loco vel etiam recessum ; unde *abiit*, id est ab illo loco recessit. Notat recessum mentalem, unde in Joanne : *Dixit Jesus discipulis suis : Qui manducat meam carnem*, etc. *Multi ergo audientes ex discipulis ejus dixerunt : Durus est hic sermo, quis potest eum audire? et abierunt*, non localiter, sed mentaliter. Notat discursum per vitia, unde in Evangelio de prodigo qui *abiit in regionem longinquam*. Notat consensum in malum, unde in principio Psalmorum : *Beatus vir qui non abiit*.

Absinthium, proprie, dicitur diabolus ratione amaritudinis, cujus amara est doctrina; unde in Apocalypsi : *Et nomen stellæ dicitur absinthium*, id est diabolus. Dicitur amara doctrina ; unde ibidem : *Et facta est tertia pars aquarum absinthium*, id est amara doctrina. Dicitur etiam pœna, unde Jeremias : *Absinthii et fellis*, etc.

Absque ponitur pro *extra*, unde in Evangelio : *Absque synagogis facient vos*, id est extra synagogam. Quandoque ponitur pro *sine*, unde Job : *Dies mei velocius transierunt quam a texente absque ulla spe*. Notat etiam *præter*, unde in Canticis : *Absque eo quod intrinsecus latet*.

Abyssus dicitur proprie aquarum profunditas, unde in Exodo : *Abyssi operuerunt eos;* profunditas aquarum dicitur abyssus quasi sine bysso, id est sine candore. Dicitur mundana machina prout primo fuit creata, unde in Genesi : *Tenebræ erant super faciem abyssi*. Mundanam machinam vocat abyssum propter sui confusionem et obscuritatem; unde eam Græcus *chaos* dixit, quod est *confusio*. Dicitur cor hominis profundum et inscrutabile, unde in Daniele : *Qui intueris abyssos et sedes super cherubim*, id est scrutaris abyssum humani cordis et sedes super plenitudinem scientiæ. Dicitur etiam occulta Dei judicia, unde in Psalmo : *Judicia tua abyssus multa*. Dicitur infernus, unde Job : *Nunquid ingressus es in profundum maris et in novissimis abyssi ambulasti;* quasi dicat : Ut ego non solum mare, id est sæculum per assumptam humanitatem ingressus, sed etiam per eam sponte in morte positus, usque ad ultima inferni, quasi ad magna profunda descendi, *et in novissimis abyssi* deambulavi. Sicut aquarum abyssus nulla nostra visione comprehenditur, ita et occulta inferni nullo a nobis sensu cogitationis penetrantur, etc. Dicitur rationis humanæ judicium, unde in Psalmo : *Abyssus abyssum invocat*. Abyssus namque abyssum invocare est de judicio in judicium pervenire. In peccato enim quod homo committit, contra se judicium suæ rationis invenit, et post ad judicis æterni districtionem producitur, [nisi] in vita sua convertatur. Dicitur etiam profunda diaboli astutia, unde in Job : *Sicut superficies abyssi restringitur*, quia quasi bono persuasionis ejus species, dum velut solida desuper glacies ostenditur, in profunda latens ejus malitia non videtur. Dicitur cor pravi hominis, unde in Job : *Abyssus dixit : Non est in me;* eleganter cor pravum abyssus dicitur, quia per lapsum fluidum, et per duplicitatis caliginem est tenebrosum. Dicitur testamentum, unde in Psalmo : *Abyssus abyssum invocat*, id est unum testamentum alii consonat, quod eleganter dicitur abyssus, quia in utroque testamento multa latent quæ nullo modo homini patent. Dicitur etiam persecutio, unde in Psalmo : *Abyssus sicut vestimentum amictus ejus;* quasi diceret : *Non inclinabitur in sæculum sæculi*, licet abyssus persecutorum sit amictus ejus sicut vestimentum. Dicitur mens desperata, unde in Job : *Nunquid ingressus es profundum maris?* Mare quippe est mens humana, cujus profunda Deus ingreditur, quando homo per cogitationem suam ac lamenta pœnitentiæ ab intimis cogitationibus perturbatur ; quando prioris vitæ nequitias ad memoriam reducit, fluctuantem in confessione sua animum concutit. Profundum maris Deus penetrat, quoniam desperata corda permutat. Hoc autem mare intrat, quando cor sæculare humiliat; profundum maris ingreditur, quando visitare mentes etiam sceleribus pressas non dedignatur; unde sequitur : *Et in novissimo abyssi deambulasti?* Abyssus est mens scelerata quæ, dum semetipsam comprehendere non valet, sese in omne quod est velut obscura abyssus latet ; in novissimis ergo abyssi deambulare est etiam nequissimorum hominum corda convertere, et desperatas mentes visitationis suæ vestigiis tangendo mirabiliter reformare. Cum enim post immensa scelera unusquisque compungitur, quid aliud quam in novissimis abyssi deambulasse videtur? Dicitur abyssus homo secundum aliam expositionem in Psalmo : *Abyssus abyssum invocat*, id est homo hominem ad Deum vocat, dum aliquid veritatis prædicat; et homo dicitur abyssus, quia neutrius illorum, scilicet vocantis vel vocati, cor sciri potest. *Profundum enim est cor hominis et inscrutabile*, ut in Jeremia habetur. Dicitur pœna, ut in Psalmo secundum aliam expositionem : *Abyssus abyssum invocat*, id est pœna inflicta Adæ ita gra-

vis pro solo edulio pomi pœnam malis infligendam significat. Dicitur ventus, qui de occultis causis procedit, unde in Psalmo : *Ponens in thesauris abyssos*, id est ventos collocans in occultis sinibus naturæ. Dicitur homo profundus in peccato secundum aliam expositionem : *Ponens in thesauro abyssos*, id est qui erant in profundis peccatis per bona ponit inter sanctos; et in Canticis filiorum Israel alibi : *Descenderunt in profundum vitiorum.*

Accedere proprie significat motum localem, unde in Evangelio : *Accesserunt Pharisæi ad Jesum.* Notat accessum scientiæ vel considerationis, unde in Psalmo : *Accedet homo ad cor altum.* Notat accessum unionis, ut ibi secundum aliam expositionem : *Accedet homo ad cor altum.* Notat accessum fidei, unde in Psalmo : *Accedite ad eum et illuminamini;* per fidem enim accedit homo ad Deum, unde vox est Prophetæ ad incipientes in fide.

Accipere, proprie, unde in Evangelio : *Accepit Jesus panem et fregit.* Signat *dare*, unde Apostolus : *Accepit dona in hominibus.* Notat inhærentiam proprietatis subjecto, unde Apostolus : *Nil habes quod non accepisti a Deo.* Notat infusionem gratiæ, unde in Psalmo : *Respexit Dominus de cœlo et accepit me.* Notat unionem secundum aliam expositionem : *Respexit Dominus de cœlo et accepit me*, id est univit me, etc.

Accipiter, proprie, dicitur justus; unde Greg. : *Penna struthionis est similis pennæ herodii vel accipitris :* hæc auctoritas exponetur quando de herodio tractabitur.

Accubitus, proprie; unde Dominus ait quod Pharisæi appetunt primos accubitus in mensa. Dicitur Incarnatio Christi, unde in Cantico amoris : *Dum esset rex in accubitu suo*, etc. Dicitur passio Christi, ut in prædicto exemplo secundum aliam expositionem. Dicitur ascensio sive ad dexteram Patris sessio, his enim modis omnibus potest exponi prædicta auctoritas.

Acervus, proprie, dicitur Ecclesia, quia sicut acervus in imo est latus, in summo angustus, quæ pauciores habet in arctioribus præceptis, plures in communibus mandatis. Dicitur etiam cumulus peccatorum vel idololatria; unde in Proverbiis Salomonis : *Qui immolat diis, velut qui mittit lapidem in acervum Mercurii.* Lapidem mittit in acervum Mercurii, qui peccata addit peccatis, vel qui auget idololatriam quæ signatur per Mercurium, quia Mercurius, qui dicebatur deus eloquentiæ, specialius colebatur quam alius.

Acetum, proprie, ut ibi in Evangelio : *Et dederunt ei acetum cum felle mistum.* Dicitur prava voluntas quam obtulerunt (1) Judæi Christo in passione, unde in Psalmo : *In siti mea potaverunt me aceto.*

Acies, proprie, dicitur cuneus bellatorum, unde poeta ait : *Fraternas acies.* Et in Canticis : *Ut castrorum acies ordinata.* Dicitur acumen visus, unde legitur quod *aquila irreverberata oculorum acie radios solis penetrat*, etc. Dicitur etiam Ecclesia, A unde in Cantico desideratissimi : *Terribilis ut castrorum acies ordinata*, etc.

Aculeus, proprie, dicitur peccatum, unde in [hymno] Ambrosiano : *Tu devicto mortis...* Et Apostolus in Epistola ad Corinthios : *Ubi est, mors, aculeus tuus.* Dicitur pungitiva hæretici deceptio, unde in Apocalypsi : *Et aculei erant de caudis earum*, scilicet locustarum; ibi per locustas intelliguntur hæretici, per aculeos pravæ deceptiones hæreticorum.

Acus, proprie, dicitur cordis compunctio, unde in Marco : *Facilius est camelum per foramen acus transire*, id est peccatorem, deposito onere peccati, per pœnitentiam transire in regnum cœlorum, *quam divitem*, id est divitias amantem, *in regnum* B *cœlorum.* Dicitur etiam passio Christi, ut ibidem secundum aliam expositionem : *Facilius est camelum*, etc. Dicitur malitia persecutorum vel hæreticorum, unde in Isaia : *In die illa auferet acus et spicula*, in die judicii auferet Dominus persecutiones malorum et delectationes eorum vel ipsorum superbias.

Ad quandoque notat motum localem, unde in Joanne : *Venit Nicodemus ad Jesum nocte;* quandoque motum mentalem, unde in Psalmo : *Quoniam ad te orabo, Domine;* quandoque motum temporalem, unde in Daniele : *Erunt septuaginta hebdomadæ ad Christum;* quandoque motum vocalem, unde in Pentateucho : *Locutus est Dominus ad Moysen;* quandoque motum sensualem, secundum quod soliti sumus dicere : *Iste respicit ad pauperem;* quan-C doque motum finalem, unde Apostolus : *Quæcunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt*, etc.; quandoque motum collationis rei ad rem, unde in Symbolo apostolorum : *Sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis*, etc.; quandoque similitudinem, unde dicitur : *Istud fit ad instar illius*, etc.; quandoque ponitur pro *juxta*, unde in Gen. : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram;* quandoque ponitur pro *ante*, unde in Samuele : *Semper cubabant filii Heli ad ostium tabernaculi*, id est ante; et in Pentateucho : *Locutus est Dominus ad Moysen stans ad ostium tabernaculi*, etc.; quandoque notat *contra*, unde Apostolus : *Frustra pugnavi ad bestias Ephesi*, id est contra homines bestiales Ephesi; quandoque ponitur pro *versus*, unde D Isaias propheta : *Ponam sedem meam ad aquilonem.* Ponitur etiam pro *pro* (per ?), unde Psalmista : *Tentaverunt me ad aquas contradictionis.*

Adamas, proprie, dicitur æternitas, sicut per Jeremiam prophetam dicitur : *Peccatum Judæ scriptum stylo ferreo in ungue adamantino.* Adamas lapis solidus est in tantum ut ferro non valeat secari. Per stylum autem ferreum fortis sententia, et per unguem adamantinum significatur finis æternus. Peccatum autem Judæorum *stylo ferreo in ungue adamantino scriptum* esse dicitur, quia culpa Judæorum per fortem Dei sententiam in fine puniendam servatur.

Adeps dicitur pinguedo intestinorum. Dicitur

(1) Videtur legendum *secundum quam hoc obtulerunt*, etc.

etiam superbia, unde de superbo et divite dicitur A in Job : *Viscera ejus repleta sunt adipe*, id est superbia. Dicitur carnalis sensus quem Judæi habuerunt in lege, unde in Psalmo : *Adipem suum concluserunt*, id est carnalem sensum suum in littera legis retinuerunt, etc. Dicitur medulla sacræ Scripturæ, unde Psalmista : *Ex adipe frumenti satiat te;* secundum aliam expositionem dicitur charitas in eadem auctoritate. Dicitur etiam abundantia, unde in Psalmo : *Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum.* Dicitur sapientia quæ in abscondito est, quæ est pinguedo animæ, sine qua anima marcescit; unde in Psalmo : *Sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea.* Dicitur fortitudo, unde : *Regnum David super Saul et Joathan*, id est ex adipe pinguium et sanguine interfectorum. B

Adesse notat loci præsentiam. Notat pronitatem ad obediendum, unde in Gen. : *Abraham, Abraham; qui respondit : Ecce adsum.* Notat collationem auxilii, unde in quadam oratione Dei : *Adesto nobis, Deus.* Notat naturæ similitudinem, unde in Job : *Quadam die cum venissent filii Dei*, id est angeli, *coram Domino* adfuerunt, *inter eos et Satan*, non principaliter vel localiter, sed similitudine naturæ, quia spiritualis naturæ est ut angelus. Dies vero hic non notat tempus, sed naturæ claritatem angelicæ.

Adolescentula, proprie, dicitur fidelis noviter ad fidem conversus : unde in Cant. : *Adolescentulæ dilexerunt te nimis.* Adolescentulæ dicuntur illi qui jam in Christo sunt renati, sed nondum fortes sunt C ut prædicent nomen Christi.

Adorare proprie debitum cultum Deo exhibere, vel theosebia, vel theosis, vel latriosis : hæc consistit in contemplatione, oratione, oblatione et hujusmodi, unde in Psalmo : *Venite, adoremus et procidamus ante Deum.* Signat etiam homini vel alicui rationali creaturæ cultum exhibere, et dicitur dulia : hæc autem consistit in obedientia, in genuflexione, in capitis inclinatione et hujusmodi; unde in Gen. : *Abraham tres angelos vidit et unum adoravit*, id est eis cultum debitum exhibuit. Dicitur *venerari*, unde in Antiphon. : *Crucem tuam, Domine, adoramus*, id est veneramur. Dicitur ad Deum orare, unde : *Introibo in domum tuam, adorabo.* Ad Deum orare, id D est fide, spe et charitate ad Deum tendere.

Adversus vel *adversum* ponitur pro *contra*, ut communiter dicimus : *Iste pugnat adversus talem dominum*, id est contra; *adversum* non præponitur dictioni incipienti a vocali.

Ægyptus, proprie, mundus, unde Isaias : *Ascendam nubem levem, et ingrediar Ægyptum*, id est humanam naturam, et veniam in mundum per assumptam humanitatem. Dicitur gentilitas, unde in Psalmo : *Venient legati ex Ægypto*, id est sancti prædicatores ex gentilitate ad fidem conversi erunt misericordia Christi.

Æmulari notat *diligere*, unde Apostolus : *Æmulor vos Dei æmulatione;* notat etiam *indignari*, unde Psalmista : *Nolite æmulari in malignantibus;* notat *invidere*, ut in prædicta auctoritate.

Aer, proprie, unde Paulus : *Non est vobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principatus et potestates aeris hujus.* Dicitur propheta, unde in Psalmo : *Tenebrosa aqua in nubibus aeris*, id est subtilis intelligentia in prophetarum Scripturis. Dicitur anima fluxibilis sive mobilitas sæcularis mentis, unde : *Subito colligitur aer in nubes.* Aer colligitur cum fluxæ mentes, superni respectus gratia, virtutis soliditate roborantur. Dicitur sublimitas contemplationis qua contemplamur Deum, unde Paulus : *Rapiemur cum illis in nubibus obviam Christo in aera.* Dicitur inanitas sive vanitas, unde idem : *Eritis in aere loquentes tam multa ut sunt genera linguarum.* Dicitur etiam dæmon, unde idem Paulus : *Sic non quasi aerem verberans*, id est non tantum resisto dæmoni, sed *castigo corpus meum, et in servitutem redigo.*

Ærugo est rubigo quæ consumit aurum vel argentum. Dicitur superbia, quæ omnes bonos mores in homine consumit, juxta illud :

Inquinat egregios adjuncta superbia mores.

Et in Evangelio Matthæi legitur : *Thesaurizate vobis thesauros in cœlo, ubi nec ærugo, nec tinea demolitur.* Dicitur luxuria, quæ thesauros sensuum humanorum consumit; in prædicta auctoritate per æruginem potest intelligi luxuria.

Æs, proprie, prælatus cujus opus verbo non respondet, unde Apostolus, loquens in persona pseudoprædicatoris, ait : *Ero quasi æs sonans aut cymbalum tinniens.* Dicitur durum et insensibile cor pravorum, unde Job : *Nec fortitudo lapidum fortitudo mea, nec caro ænea est.* Hic per æs insensibilium corda designantur, qui sæpe et supernos ictus accipiunt, et tamen nulla disciplinæ percussione mollescunt. Dicuntur æs perseverantes in bono, unde in Job de Antichristo dicitur : *Reputabit ut paleas ferrum et quasi lignum putridum æs.* Perseveranter ferrum acuitur ut adversarius vulneretur, æs autem rubigine pene nulla consumitur ; ferro autem prædicationis jaculum, ære perseverantia in bono designatur. Dicitur sonora vox prædicantium, unde Ezechiel : *Et scintillæ quasi aspectus æris candentis ;* per æs, quod est sonorum metallum, voces prædicatorum designantur, quia *in omnem terram exivit sonus eorum.* Et bene æs candens dicitur, quia vita prædicatoris sonat et ardet : ardet desiderio, sonat verbo. Æs ergo candens est prædicatio divino calore accensa ; sed candente ære scintillæ prodeunt, quia ab eorum exhortationibus verba flammantia ad aures audientium procedunt. Recte prædicatorum verba scintillæ appellata sunt, quia eos quos in corde tetigerint, in amorem divinum accendunt. Dicitur etiam ille æs qui non derelinquit malitiam suam, unde Isaias : *Domus Israel versa est in scoriam.*

Æstas, proprie, dies judicii, unde Salomon : *Propter frigus piger arare noluit, mendicabit ergo æstate et non dabitur ei.* Qui enim modo bene ope-

rari negligit, in die judicii vita æterna carebit.

Æstus, proprie, labor vel tribulatio, unde in Matthæo : *Eos nobis pares fecisti qui portavimus pondus diei et æstus*, id est diurni laboris. Dicitur fervor vitiorum, unde Isaias : *Tabernaculum erit umbraculum diei ab æstu*. Turbatio maris etiam æstus appellatur.

Æternum, quod caret principio et fine in natura, ut Deus. Dicitur perpetuum, unde Moyses : *Dominus regnabit in æternum et ultra*, id est quando erit creatura, et ipse erit et ultra, id est quando alia desinent esse, ipse nunquam ; hoc est dicere : Cum omnis creatura possit habere finem licet naturæ (47). Dicitur sempiternum, unde : *In æternum et in sæculum sæculi*, id est in sempiternum et in sæculum consecutivum hujus sæculi. Dicitur continuatio vitæ temporalis, unde Horatius :

Serviet æterno qui parvo nesciet uti,

id est toto tempore vitæ suæ. Nota quod est differentia inter æternum, perenne et perpetuum, quæ notantur in his versibus :

Æternum sine principio da fine carere,

ut Deus ;

Perpetuo da principium, sed fine carebit,

ut angeli et anima,

Nec sine principio, nec erit sine fine perenne,

ut aliqua corpora;

Ager, proprie, dicitur gentilitas, unde in Psalmo : *Species agri mecum est*, quia Christus magis gentilitati profuit [quam] Judææ. Dicitur præsens sæculum, unde in Evangelio Christus : *Ager est mundus*. Dicitur corpus nostrum, unde Salomon : *Diligenter exerce agrum tuum, ut postea ædifices domum tuam*, id est a spinis vitiorum corpus tuum munda, ut intus construatur virtutum fabrica. Dicitur etiam sacra Scriptura, unde Job de hæreticis : *Agrum suum non demetunt*, id est sacram Scripturam, quam pervertendo non suam faciunt. Dicitur Christus, unde in Gen. : *Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni*. Recte Christus ager dicitur plenus, quia floribus virtutum refectus, cui benedixit Dominus diversis spiritualium donorum generibus. Dicitur etiam Ecclesia, unde in Cant. : *Ego flos agri et lilium convallium* ; et alibi : *Pulchritudo agri mecum est*.

Agere, proprie, ut in Psalmo : *Noluit intelligere ut bene ageret*. Agere dictum de Deo, non notat actionem, sed auctoritatem ; unde Deus dicitur auctor, non ab *ago, agis*, sed ab *authentia*. Dicitur *solvere*, unde Paulus apostolus : *Gratias ago Deo meo*, id est solvo. Dicitur passionem sustinere, unde : *Ago quod nolo*. Concupisco etenim notat, quod concupiscere non actionem, sed passionem notat, quemadmodum nec timere, nec velle, nec desiderare, nec gaudere. Passionum quædam sunt mulcibres, ut gaudium; quædam peremptoriæ, ut timor et hujusmodi. Quis agit non agendo, sed omittendo, ut quis dimittit ire ad ecclesiam. Dicitur etiam *ducere*, unde in Exodo : *Moyses agebat pecora ad interiora deserti*, id est ducebat. Dicitur *regere*, unde : *Qui* A *Spiritu Dei aguntur, legi subjecti non sunt*, id est reguntur. Dicitur etiam *dicere*, unde solet dici : *Agitur in hoc libro de hoc*, id est dicitur.

Agnus, proprie, unde in lege dicitur quod agnus anniculus offerebatur. Dicitur Christus, unde in Evangelio : *Ecce Agnus Dei ;* et in Apoc. : *Vidi Agnum stantem*, et alibi : *Laverunt stolas suas in sanguine Agni*. Dicitur mansuetus, innocens, unde in Joanne Dominus ad Petrum : *Si diligis me, pasce agnos meos*, id est minores in Ecclesia Dei. Per oves majores intelligimus, per agnos minores. Dicitur fidelis prædestinatus, unde in Evangelio : *Ponet Dominus agnos*, id est electos, *a dextris*.

Agricola, proprie, dicitur Deus Pater, unde in Evangelio : *Ego sum vitis vera et Pater meus agricola est*. B Dicitur prædicator, unde Apostolus : *Justum est ut agricola de fructu suo edat*.

Agricultura, proprie, dicuntur fideles, unde Apostolus : *Vos estis agricultura Dei*. Dicitur esse sacræ Scripturæ expositio secundum quod sacra Scriptura dicitur ager.

Ala, proprie, ut ibi : *Jerusalem, quoties volui congregare filios tuos*. Dicitur etiam protectio charitatis et misericordiæ Dei, unde in Psalmo : *Sub umbra alarum tuarum protege me*, id est sub munimento protectionis tuæ. Est etiam justitia vel misericordia Dei secundum aliam expositionem : *Sub umbra alarum tuarum*, id est sub protectione justitiæ vel misericordiæ tuæ ; et est misericordia ala dextera, justitia ala sinistra. Dicitur præceptum Dei, unde C in Psalmo : *In protectione alarum tuarum superabunt*. Dicuntur etiam cogitationes hominum, unde in Job : *Nunquid per sapientiam tuam plumescit accipiter expandens alas suas ad austrum*. Accipiter singulis annis tempore austri veterem pennam nova nascente projicit, et est sensus : Nunquid cuilibet electo tu intelligentiam contulisti ut, flante Spiritu sancto, cogitationum alas aperiat confitendo, quatenus pondera vetustæ conversationis abjiciat et virtutum plumas inducat. Dicitur etiam actus superbiæ et inanis gloriæ, unde Zacharias : *Levavi oculos meos et vidi, et ecce duæ mulieres egredientes et spiritus in alis earum*, id est superbia et inanis gloria, in quarum alis, id est actibus, est spiritus, id est D diabolus, cui semper famulantur. Dicuntur superstitiones hypocritarum, unde in Job : *Cum tempus habuerint, extendent alas suas in altum ;* quia, cum hypocrita temporis opportunitatem invenit, superstitiosam religionem exponit exterius.

Alias significat locum, unde dicitur : *Alias factum est*, id est alio loco. Notat tempus, sicut dicimus : *Alias dictum est*, id est alio tempore. Notat modum, unde in Gen. : *Ait Abraham : Alias soror mea est*, id est alio modo possum dicere quod soror mea est, etc.

Aloes dicitur gummi species. Dicitur bona opinio, unde in Canticis : *Myrrha et aloes cum universis primis unguentis*.

(2) Deest aliquid.

Altare dicitur terra, unde in Gen. : *Altare facietis mihi de terra.* Dicitur fides. Sicut in Veteri Testamento Judæi offerebant materiales vitulos, sic nos offerimus vitulos animorum nostrorum, id est bonas cogitationes cordis; et sicut in altari materiali offeruntur victimæ, ita in altari fidei offeruntur bona opera, unde in Evangelio : *Si offers munus tuum ad altare*, id est opus tuum bonum in altari fidei. Dicitur Christus, unde in Apoc. : *Sub altare Dei audivi voces occisorum.* Dicitur corpus Christi, unde in Psalmo : *Usque ad cornu altaris*, id est usque ad eminentiam sacrificii. Dicitur Deus in Psalmo : *Introibo ad altare Dei*, quod exponendo subdit : *Ad Deum qui lætificat juventutem.* Dicitur vita æterna, unde in Psalmo : *Tunc imponent super altare tuum vitulos.* Dicitur Ecclesia, unde ista auctoritas sic potest exponi : *Tunc imponent*, id est majores prælati, *vitulos*, id est minores, *super altare tuum*, id est Ecclesiam, id est minores prædicatione prælatorum erunt de Ecclesia, etc. Dicitur mens, unde in Psalmo : *Circumdabo altare tuum, Domine*, id est mentem meam, in quo vel in qua offero tibi sacrificium laudis, ornabo virtutibus; et sicut altare dicitur *alta ara*, sic et mens est altius quiddam et dignius in homine, juxta quod potest exponi illud Evangelii : *Si offers munus tuum ad altare*, id est orationem in mente. Dicitur etiam ecclesiasticum sacramentum, unde in Psalmo : *Altaria tua, Domine virtutum.* Dixerat superius fidelis quod *passer invenit sibi domum et turtur nidum*, id est fidelis invenit ecclesiastica sacramenta in quibus reponit bonorum operum incrementa; et ne quis diceret : *Quis est iste nidus*, additur : *altaria tua, Domine virtutum*, etc.

Altile, proprie, etc., dicitur martyr, unde in Evangelio : *Tauri et altilia occisa sunt.* Tauri majores, altilia minores qui pro fide Christi occisi sunt.

Altitudo proprie dicitur profunditas, id est incomprehensibilitas secretorum Dei, unde Apostolus : *O altitudo divitiarum sapientiæ Dei!* Dicitur sublimitas potestatis, unde Paulus : *Neque altitudo, neque profundum separabit nos a charitate Dei.* Dicitur malitia Judæorum, unde in Psalmo : *Veni in altitudinem maris*, id est in malitiam Judæorum. Dicitur magnitudo tribulationum, ut in prædicto exemplo, secundum aliam expositionem, et est sensus : *Veni in altitudinem maris*, id est, exposui me multiplici tribulationi Judæorum active.

Altum proprie, unde in Psalmo : *Ascendens Jesus in altum.* Dicitur altum mare, unde Virgilius :

Vix e conspectu Siculæ telluris in altum.

Dicitur *nobile*, unde idem : *Alto de sanguine*, id est de nobili genere. Dicitur *superbe*, unde Apostolus : *Noli altum sapere*, id est superbe, *sed time.*

Amaritudo, proprie, dicitur miseria sæculi, unde in Job : *Non peccavi, et in amaritudinibus moratur oculus meus*, etc. Dicitur mala cupiditas temporalium quæ non quis possit habere; unde alius : *Moritur in amaritudine animæ suæ absque ullis opibus.*

A Dicitur asperitas pœnæ, unde in Job : *Confabulabor cum amaritudine animæ meæ.* Dicitur pœna gehennalis, unde Job : *Scribis enim contra me amaritudines.* Dicitur asperitas locutionis, unde in Psalmo de Antichristo dicitur : *Cujus os maledictione et amaritudine plenum est.*

Ambitio, proprie, dicitur apparatus, unde legitur de uxore Felicis in Actibus apostolorum quod venit *cum multa ambitione*, id est cum multo apparatu, vel *cum multa ambitione*, id est cum multis ambientibus.

Ambitus, proprie. In Esther, *quæ cœli ambitu*, id est circumvolutione, *continentur;* dicitur etiam cupiditas honoris secundum quod cupiditas solet dividi in avaritiam et ambitum, id est ambitionem.

Ambulare proprie notat profectum virtutum, unde B in Psalmo : *Ambulabam in medio cordis mei.* Notat profectum bonorum operum, unde in Psalmo : *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini.* Notat actum, unde Dominus Petro in Joanne : *Cum esses junior, cingebas te, et ambulabas ubi volebas*, quidquid volebas faciebas.

Amen dicitur ab *a*, quod est *sine*, et *mene*, *defectus*, unde : *Jam cito venio, Amen*, id est sine defectu, id est non cesso venire ad fideles; quandoque est nomen indeclinabile, unde : *Ego sum amen*, id est veritas; quandoque est adverbium affirmandi, cum affirmative ponitur, ut ibi : *Amen dico vobis;* quandoque est verbum conclusivum dum conclusive ponitur in fine orationis *amen*, id est fiat.

C *Amethystus*, quæ tota est rubens, et tanquam rosa flammulas quasdam de se effundit, significat eos qui inter tormenta passionis quæ pro Deo sustinent, tanquam flammas charitatis de se emittunt, orantes pro eis qui se cædunt, et plus dolent de peccato persecutorum quam de pœnis quas sustinent. Hic ponitur extremus in ædificio cœlestis Jerusalem, quia significat eos qui pro inimicis orant. Nam virtus virtutum est pro inimicis orare et persequentibus, et pauci inveniuntur hoc fecisse. Tamen duos in Veteri Testamento, Moysen et Samuelem; duos vero in Novo, Christum videlicet et Stephanum, invenimus.

Amicus proprie dicitur ratione cognationis, unde dicitur Judaico populo in Exodo : *Diliges amicum* D *tuum*, id est proximum tuum genere, scilicet in Deum *et odio habebis inimicum tuum*, id est gentilem. Dicitur amicus ratione naturæ, unde in Luca : *Amice, accommoda mihi tres panes.* Amicus dicitur hic ratione naturæ anima, quia quando anima rediit ad se ipsam de via, id est vagatione mundana, dicitur redire; per tres panes intelligitur fides Trinitatis. Dicitur amicus exhibitione operis, unde in Evangelio : *Vos, amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis.* Dicitur amicus simulatione, unde in Evangelio de hypocrita dicitur : *Amice, ad quid intrasti?* Dicitur amicus ratione sacramenti, id est sacramento fidei, non fide sacramenti, secundum quam expositionem ista auctoritas sic exponi potest : *Amice, quomodo huc intrasti non habens ve-*

stem nuptialem, id est charitatem. Dicitur amicus ratione familiaritatis, unde Christus in Evangelio ait : *Amice, ad quid venisti ?* Familiaris enim fuerat Judas Jesu. Dicitur ratione collati beneficii, unde in Joanne : *Majorem charitatem nemo habet ut animam suam ponat quis pro amicis suis.*

Amor proprie dicitur cupiditas, juxta quod soliti sumus [dicere] : *Iste detentus est amore terrenorum;* dicitur charitas, unde in Cant. : *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo;* dicitur Spiritus sanctus, unde in quadam prosa dicitur Spiritus sanctus amor Patris et Filii. Dicitur Christus, unde in hymno Ambrosiano : *Jesu, nostra redemptio, amor.* Dicitur naturalis affectus, unde in libro Regum : *Doleo super te, frater mi Jonatha, amabilis valde super amorem mulierum.*

Amygdalus, proprie, dicitur primitiva Ecclesia, unde : *Florebit amygdalus, impinguabitur locusta, dissipabitur capparis.* In *Moralibus : Amygdalus primo floret quam alia arbor*, et ideo primitivam Ecclesiam designat, in qua mox locusta impinguata est, quia sicca gentilitas pinguedine cœlestis gratiæ est infusa. *Capparis* vero *dissipabitur*, quia Judæa, in sui sterilitate remanens, vivendi ordinem amisit.

Angelus non est nomen naturæ, sed officii. Angeli possunt dici omnes administratorii spiritus, unde in Psalmo : *Qui facit angelos suos spiritus.* Restringitur tamen ad designandum inferiorem ordinem, quia frequentius de illo ordine mittuntur. Dicitur Christus, unde : *Magni consilii Angelus;* et in Malachia : *Angelus quem vos vultis.* Dicitur Joannes Baptista, unde in Malach. : *Ecce ego mitto angelum meum qui præparabit viam.* Dicitur etiam sacerdos sive episcopus, unde in Apostolo : *Mulieres non debent esse in ecclesia, nisi velato capite, propter angelos circumstantes*, id est sacerdotes; et in Apoc. : *Et angelo Ephesi scribe;* et in Malach. : *Labia sacerdotis custodiunt scientiam, quia angelus Domini exercituum est.* Dicitur concupiscentia vel fomes peccati, unde in Apostolo : *Datus est mihi stimulus, angelus Satanæ, qui me colaphizet.* Dicitur anima, unde in Actibus apostolorum dixit ostiaria de Petro soluto a vinculis, et veniente ad ostium : *Angelus ejus est*, id est anima ejus; angeli etiam dicuntur dæmones, ut in pluribus locis.

Angulus proprie dicitur fides, duos populos, Judaicum videlicet et gentilem, in unum colligens, unde in Psalmo : *Lapidem, quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli.* Dicitur etiam absconsio vel obscuritas, secundum quod soliti sumus dicere : *Veritas non quærit angulos.* Dicitur declinatio a rectitudine operis, unde legitur de illo qui deserit *angustam viam quæ ducit ad vitam, quia transit per plateas juxta angulum et prope viam domus illius.*

Anima proprie dicitur spiritus rationalis, qui cum corpore venit in constitutionem hominis, unde in Evangelio : *Potestatem habeo ponendi animam meam.*

A Dicitur homo, quia est pars hominis, unde legitur in Gen. quod *octo animæ fuerunt in arca*, id est octo homines. Dicitur spiritus animalis quo vegetatur brutum animal, unde in Gen. : *Producant aquæ reptilia animæ viventis*, id est habentia animam viventem, id est spiritum vegetantem. Et in eodem : *Creavit Deus omnem animam viventem atque motabilem.* Dicitur pauper, unde distinguitur in Levitico *inter hostiam principis* et *animæ*, id est pauperis. Dicitur autem anima pauper, ideo quia sicut anima quid incomprehensibile est, sic pauper incomprehensibilis dicitur, nec inter homines reputatur. Dicitur etiam vita per causam, quia anima est causa vitæ, ut in Evangelio : *Qui odit animam suam in hoc mundo*, id est qui non curat de vita temporali, intuitu Dei,
B consequitur vitam æternam. Dicitur sensualitas, quæ est potentia animæ inferior, ut nomen subjecti sumatur in designationem proprietatis ipsius subjecti; unde in cantico beatæ Mariæ Virginis : *Magnificat anima mea Dominum*, id est magnifico Dominum secundum animalem animæ meæ portionem. Dicitur etiam dæmon, unde in Asclepio (1) Mercurii dicuntur animæ inclusæ. Dicitur sanguis, unde Virgilius : *Purpuream vomit ille animam.* Dicitur ratio, unde Job : *Suspendium eligit anima mea*, id est ratio, superior pars animæ meæ, ab appetitu terrenorum suspenditur et ad cœlestia erigitur. Dicitur voluntas quæ procedit ex anima, unde in Gen. : *Simeon et Levi vasa iniquitatis bellantia,*
C *in consilium vestrum anima mea non venit*, id est voluntas mea non consensit in consilio vestro, quando interfecistis Sichimitas. Dicitur etiam animal, unde in Gen. : *Creavit Deus cete grandia et omnem animam viventem*, id est animal vivens, quia anima pars est animalis. Nomen enim partis sumitur in designatione totius. Dicitur animalis natura, quam habuit homo a sui origine; homo enim a prima origine habuit animalitatem, scilicet naturam animalem, id est cibo et potu indigentem; unde homo ante peccatum dicitur fuisse animalis, id est alimonialis, quasi alimonia cibi indigens, unde : *Factus est homo in animam viventem*, id est habens animalitatem. Dicitur gulositas, unde in Evangelio : *Anima mea, habes multa bona reposita in annos plu-*
D *rimos*, quasi dicat : Per victualia, quæ mihi abundant in annos plurimos, satisfaciam animæ meæ, id est gulositati meæ vel meo appetitui. Dicitur voracitas quæ ex gulositate procedit, ideo sumitur hoc nomen anima in designatione voracitatis, unde Psal. : *Dilatavit infernus animam suam*, id est voracitatem. Dicitur vita corporis, unde in Levit. : *Omnis anima in sanguine est*, id est omnis vita. Dicitur mens vel cogitatio, unde in Psalmo : *Quandiu ponam consilia in anima mea*, id est in mente mea vel cogitatione. Etiam illi dicuntur anima quorum exemplo alii in Ecclesia spiritualiter vivunt, sicut oculus Ecclesiæ dicuntur doctores quorum doctrina alii spiritualiter

(3) Dialogus, *Asclepius* dictus, de Deo, hominibus et rerum universitate, cujus Latina tantum interpretatio exstat, quæ a nonnullis Apuleio tribuitur, Mercurii Trismegisti esse vulgo creditur

vident; et venter Ecclesiæ dicuntur debiles in Ecclesia, unde in Psalmo : *Turbatus est in ira oculus meus, anima mea*, id est in mente mea, *et venter meus*. Dicitur intentio, unde in Job : *Animam meam in manibus meis porto ;* animam portare in manibus nihil aliud est quam intentionem cordis in operatione ostendere.

Animal proprie dicitur substantia animata sensibilis, unde homo dicitur animal. Dicitur quandoque brutum animal tantum, unde Moyses, loquens de Noe et filiis suis, ait in Gen. : *Ipsi et omne animal ingressi sunt in arcam*. Dicitur quandoque rationale animal tantum, unde in Psalmo : *Aperis tu manum tuam et imples omne animal benedictione*, quia benignitatem suæ potentiæ omnibus hominibus aperuit; nam omnia in ejus potestate sunt, et implet benedictione temporali et spirituali omne animal rationale secundum quod potest benedici.

Dicitur similitudo animalis, unde in Apoc. : *Et quartum animal simile aquilæ volanti*, id est similitudo quarta animalis. Dicitur etiam simplex, mansuetus et humilis, unde in Psalmo : *Animalia tua habitabunt in Ecclesia*. Dicitur testamentum, unde Habacuc ad Christum ait : *In medio duorum animalium cognosceris*, id est inter Vetus Testamentum et Novum; animalia dicuntur etiam fideles in Ecclesia, unde in Psal.: *Animalia pusilla cum magnis*, id est majores et minores. Dicuntur cogitationes, aliquantulum a terra suspensæ, sed adhuc terrenæ mercedis præmia requirentes, unde Ezech. : *Et ingressus vidi, et ecce omnis similitudo reptilium et animalium abominatio*. In reptilibus quippe cogitationes omnino terrenæ designantur, in animalibus vero cogitationes aliquantulum a terra suspensæ, sed adhuc terrenæ mercedis præmia requirentes. Nam reptilia toto ex corpore terræ inhærent, animalia vero ventre a terra suspensa sunt, appetitu tamen gulæ semper ad terram inclinantur. Dicuntur justi, unde Ezechiel : *Et audivi vocem aliorum animalium percutientium alterius ad alterum*. Per alas animalium sanctorum virtutes debemus intelligere qui, dum terrena despiciunt, ad cœlestia volando sublevantur. Sed volantia animalia se vicissim alis suis feriunt, quia sanctorum mentes, eo quod superna appetunt, consideratis invicem alterius virtutibus excitantur. Ala enim sancti me percutit exemplo sanctitatis, proprie me ad melius accendit, et ala mea vicinum meum ferio, si aliquando opus bonum quod imitetur, alicui ostendo.

Animale dicitur proprie res ad animam vel ad animal pertinens, unde in physica distinguitur inter animalem spiritum qui vegetat brutum animal et inter rationalem qui vegetat hominem. Dicitur etiam animal secundum sensum animæ, qui de Deo judicat secundum terrenorum considerationem vel physicam rationem ; unde Apostolus : *Animalis homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei*. Dicitur homo qui deditus est sensibus carnis, qui non credit aliquid posse fieri, nisi secundum causam na-A turæ, secundum quam acceptionem potest intelligi superior auctoritas Apostoli, scilicet *animalis homo non percipit*, etc. Dicitur quasi alimoniale, id est alimonia indigens, id est cibo vel potu, quale corpus nostrum est modo; unde Apostolus : *Seminatur animale corpus, in futuro spirituale*. Dicitur carnale, unde Apostolus : *Primum quidem animale, deinde spirituale;* in homine etenim primo est animale vel carnale, ut vitium ante baptismi susceptionem, post baptismum vero spirituale, id est virtus.

Annulus proprie, unde legitur in Gen., quod Judas in arrhabonem, id est in vadimonium, dedit annulum, id est armillam, Thamar. Dicitur fides, unde legitur in Luca quod paterfamilias, congaudens filio revertenti, ait : *Producite stolam primam et an-* B *nulum;* ibi annulus fidem significat.

Annus proprie in Luca : *Anno quinto decimo*. Dicitur prædicatio supernæ gratiæ, quia sicut in anno congestis diebus tempus efficitur, ita in superna gratia virtutum multiplex vita completur ; unde Isaias : *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit me*, etc., *ut prædicarem annum placabilem Domino;* annus placabilis Domino prædicatur, cum fidelis populus gratia illustrandus esse prædicitur. Vel annus dicitur multitudo fidelium, quia sicut ex dierum multitudine annus dicitur, ita ex collectione fidelium Ecclesia completur, unde Job, de diabolo loquens, ait : *Non computetur in diebus anni, nec connumeretur in mensibus*, quia diabolus, superbiæ suæ tene-C bris pressus, adventum quidem Redemptoris conspicit, sed nequaquam ad veniam cum electis Dei perveniet. Dicitur tempus gratiæ, unde in Psalmo : *Benedices coronæ anni benignitatis tuæ*, id est multitudini fidelium ad te conversorum in tempore gratiæ. Dicitur circumvolutio, unde Jacob in Gen. uxoribus suis ait : *Laban pater vester mutavit* mihi *mercedem meam* x annis, id est x *vicibus* vel circumvolutionibus, quia singulis annis mutavit mercedem bis, et ex dicto VII annos deberet ei servire, quia mutavit VI anno, recessit, et ita in V anno decies mutavit. Dicitur etiam pars anni per synecdochen, ut quod est partis attribuatur toti; unde Christus dicitur vixisse triginta tribus annis, cum non vixerit nisi triginta duobus et tribus mensibus, qui acci-D piuntur pro anno. Dicitur mensis, unde in Daniele Nabuchodonosor dicitur fuisse bos septem annis, id est septem mensibus. Dicitur æternitas Dei, unde in Psalmo : *Tu idem ipse es, et anni tui non deficient*, id est æternitas.

Ante præpositio notat locum, unde : *Iste vadit ante illum*. Notat tempus, unde in Joanne : *Ante diem festum Paschæ venit illuc in Bethaniam*. Notat æternitatem, unde in Psalmo : *Ante Luciferum genui te*. Notat præsentiam, unde in Psalmo : *Venite, adoremus et procidamus ante Deum*. Notat indignitatem, unde in Evangelio : *Qui post me venit, ante me*, etc.

Ante adverbium quandoque notat locum, unde dicitur : *Iste vadit ante, ille vadit post*, id est iste hoc loco, ille alio loco. Etiam notat ordinem, ut cum

dicitur : *Isti incedunt ante, illi retro*, etc. Quandoque notat tempus, ut cum dicitur : *Ego veni antequam ille*, id est priori tempore. Quandoque notat æternitatem, unde in Sapientia : *Antequam quidquam faceret*. Quandoque ponitur negative, unde in Evangelio : *Antequam convenirent*, id est nunquam convenerunt, *inventa est in utero habens de Spiritu sancto*.

Antemurale, proprie, dicitur propheta, unde Isaias : *Ponetur in ea murus et antemurale;* Christus dicitur murus propter munimen suæ protectionis, vetat quippe incursum malignorum spirituum ad corda nostra pertingere : propheta quilibet dictus est antemurale, quia, priusquam Dominus appareret in carne, ad conservandam fidem prophetizando missus est.

Antrum, proprie, dicitur cor pravum, unde Job de diabolo ait : *Ingredietur bestia latibulum suum et in antro suo morabitur*, quia diabolus omnium reproborum corda inhabitat. Dicitur cogitatio sive cor justi, unde Dominus : *Nunquid capies leænæ prædam, et animam catulorum ejus implebis qui cubant in antris*.

Aperire, proprie, notat aperitionem sacræ Scripturæ, unde : *Post resurrectionem Christus aperuit*, id est exposuit, euntibus in Emmaus Scripturas ut intelligerent. Notat præparationem mentis ad fidem et dilectionem Dei, unde in Psalmo : *Aperite portas, principes, vestras;* alibi : *Aperite portas justitiæ*. Notat resolutionem, unde in Gen. : *Apertæ sunt cataractæ cœli*, id est nubes resolutæ sunt in pluvias. *Cataractæ* quære infra. Notat apparitionem, unde : Christo baptizato, aperti sunt cœli, et tantus splendor apparuit in aere, ac si, cœlo aereo et sidereo reseratis, cœlum empireum appareret.

Apes, proprie, dicuntur Judæi qui Christi crucifixionem machinati sunt, non in sui utilitatem, sed aliorum, sicut apes sibi non mellificant, sed aliis, et hoc est quod Christus in Psalmo : *Circumdederunt me* Judæi in passione, non sibi utilitatem sed aliis molientes, sicut apes quæ, dum sibi putant mel reponere, aliis faciunt.

Apud quandoque notat locum, unde in Actibus : *Mansit apud eum quindecim diebus*, etc. Notat etiam personam, unde in Gen. Jacob ad Laban : *apud quem inventi fuerint dii tui occidatur*. Notat inhærentiam proprietatis in subjecto secundum quod soliti sumus dicere : *Iste habet magnum consilium apud se*, etc. Notat identitatem, unde in Psalmo : *Apud Dominum misericordia*, id est quia Dominus est misericordia. Notat auctoritatem, unde in Psalmo : *Apud Dominum gressus hominis dirigentur*. Notat diversitatem, unde in Joanne : *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum*. Augustinus sic exponit : tanquam alius apud alium.

Aqua proprie mundana machina, unde in Gen. : *Spiritus Domini ferebatur super aquas*, id est Spiritus, qui est Dominus, super materiam mundanæ machinæ, ut mens artificis super arcam. Alius li-

A ber habet *fovebat aquas*. Dicitur etiam primordialis materia, quia sicut humor materiam præstat omni rei corporeæ, sic illa primordialis materia corpori omni. Et sicut aqua cujuslibet rei cui infunditur formam capit, sic illa materia apta erat recipere omnes formas. Dicitur sapientia, quia ad similitudinem *aquæ sapientiæ salutaris potavit illum*. Et alibi : *Omnes sitientes, venite ad aquas*. Dicitur etiam Spiritus sancti infusio, unde in Evangelio : *Qui credit in me, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ*, quod exponitur cum subditur : *Hoc autem dixit de Spiritu quem accepturi erant credentes in eum*, etc. Dicitur hæresis, unde mulier quæ typum hæreseos tenet, callidis persuasionibus blanditur, dicens in Salomone : *Aquæ fur-*
B *tivæ dulciores sunt*, id est sententiæ hæreticorum dulciores sunt simplicibus et idiotis dogmatibus Catholicorum, quia hæretici semper volunt esse in delectatione carnis, sed Ecclesiæ doctrina jubet abstinere a carnalibus desideriis.

Dicitur tribulatio, unde in Psalmo : *Salvum me fac, Deus, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam*. Dicitur populus, unde in Apoc. : *Aquæ multæ*, id est populi multi, quia populus multus et in vita sonum habet ex tumultu carnis, et quotidie defluit ex defectu mortalitatis. Dicitur etiam mens justi, unde Job : *Aquas appendit in mensura*, id est bonorum mentes, ne dum rapiuntur ad summa superbiant, tentationibus pressæ, sub quadam mensura virtutum appenduntur ; quia san-
C cti qui, sublevante Spiritu, ad summa rapiuntur, quandiu in hac vita sunt, ne aliqui superbiant, quibusdam tentationibus reprimuntur, ut non tantum proficere valeant quantum volunt. Sed ne extollantur superbia, fit in eis quædam mensura virtutum ; ad ima trahit caro ne extollat spiritus; et ad summa trahit spiritus, ne prosternat caro. Spiritus levat, ne jaceamus in infimis; caro aggravat, ne extollamur ex summis; sed, non levante spiritu, caro nos tentaret et procul dubio tentatione sua nos ad ima dejiceret. Dicitur etiam mollia corda Judæorum, unde Job : *In similitudine lapidis aquæ indurantur*, quia corda Judæorum, quæ plus fuerunt mollia et fide penetrabilia, in densitatem gentium, et gentes
D credendo in mollitiem vertuntur Judæorum. Dicitur sacra Scriptura sine intelligentia, unde in Psalmo : *Tenebrosa aqua in nubibus aeris*, id est obscura intelligentia in prophetis. Dicitur falsitas, unde Isaias: *Caupones tui miscent vino aquam*, id est tui prædicatores intermiscent falsitatem veritati. Dicitur prava locutio, est etiam influxus locutionis unde Salomon : *Qui dimittit aquam, caput est jurgiorum*, id est qui locutionem non refrenat, concordiam dissipat. Dicitur lubrica pravorum desideria, unde in Psalmo : *Statuit aquas quasi in ventre*, quod fit cum lubrica desideria pravorum ad mala peragenda impossibilitatis angustatione compescit et coarctat Deus. Dicitur infidelitas, unde in Job : *Transibunt ab aquis nivium*, quasi dicat : Qui humiliter sub

disciplinæ vinculis non restringitur ab infidelitate sua, per immoderatam sapientiam in errorem labitur.

Dicitur fletus, unde Job : *Quasi inundantis aquæ, sic rugitus meus.* Dicitur cruciatus infernalis inopiæ, unde Job in damnatione iniqui divitis ait : *Apprehendit quasi aqua inopia eum qui inopia inferni cruciabitur.* Dicitur humilitas vel compunctio, unde Job : *Si lotus fuero aquis nivis.* Notat quod aqua fontis de terra oritur, aqua nivis de aere proruit. Qui igitur pro terrenis plorat, quasi aquis fontis se abluit; qui pro æternis flet, abluit se aquis nivis. Dicitur etiam terrena delectatio, unde Christus in Evangelio : *Qui biberit ex aqua hac sitiet iterum,* quia terrena delectatio sitim concupiscentiæ non aufert. Dicitur prædicator, unde in Psalmo : *Et apparuerunt fontes aquarum,* id est apparuit vera doctrina prædicatorum.

Dicitur Spiritus sanctus, unde in Psalmo : *Et erit tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum ;* Spiritus sanctus dicitur aqua propter tria quæ ei et aquæ conveniunt. Aqua refrigerat, unde in Evangelio : *Spiritus sanctus superveniet in te.* Aqua satiat, unde Eccli. : *Aqua sapientiæ salutaris potavit illum,* et illud Evangelii : *Qui sitit, veniat ad me, et bibat.* Et propter liberum cursum, unde in Evangelio : *Spiritus ubi vult spirat.*

Dicitur infernus, unde in Exodo : *Descenderunt quasi plumbum in aquis vehementibus.* Dicitur refrigerium, unde in Evangelio : *Pater Abraham, miserere mei, et mitte Lazarum.* Dicitur sacramentum baptismi, unde in Psalmo : *Assumpsit me de aquis multis.* Dicitur congelata corda infidelium, unde in Psalmo : *Flabit spiritus ejus, et fluent aquæ.* Quando enim Spiritus sanctus inspiratur peccatoribus, qui dicuntur aquæ propter fluxum peccatorum, aquæ fluunt, id est peccatores advertuntur, fluunt propter fluxum lacrymarum per pœnitentiæ lamentum.

Aquila, proprie, diabolus, unde in Threnis : *Velociores fuerunt aquilis persecutores nostri,* id est maligni spiritus alios in inventionibus malitiæ contra nos præeundo, vel aliter, ut alius propheta, scilicet Ezechiel, dicit : *Aquila magnarum alarum comedit medullam cedri,* id est diabolus incorporare sibi desiderat sanctos et meliores in Ecclesia; unde in Job : *Behemoth habet fiduciam ut influat Jordanis in os ejus.* Nabuchodonosor secundum aliam expositionem dicitur. Unde et prædicta auctoritas potest sic exponi, scilicet : *Aquila magnarum alarum comedit medullam cedri,* id est Nabuchodonosor templum destruxit, quod templum tabulis cedrinis erat coopertum, ut in Ezechiele etiam dicitur Nabuchodonosor aquila, ubi dicitur : *Aquila grandis magnarum alarum, longo membrorum ductu, plena plumis et varietate, venit ad Libanum, et tulit medullam cedri, et summitatem frondium ejus avulsit,* id est : Nabuchodonosor multis imperans nationibus, multo vallatus exercitu, plenus divitiis et innumera terrenæ gloriæ compositione, ad celsitudinem Judææ et nobilitatem regni ejus venit, et tenerrimam regis prolem a sui regni culmine captivando sustulit, Jechoniam scilicet regem cum matre ejus, etc. Dicitur Christus, qui fuit homo nascendo, vitulus moriendo, leo resurgendo, aquila ascendendo. Dicitur autem Christus aquila, quia, irreverberato mentis intuitu, arcana solis justitiæ penetrat ; unde in Job : *Pulli aquilæ lambunt sanguinem,* id est martyres qui per passionem Christum imitantur; vel pulli aquilæ dicuntur fideles qui reficiuntur corpore et sanguine Christi. Dicitur Joannes Evangelista, unde Ezechiel, sub specie quatuor animalium quatuor evangelistas describens, quartum animal faciem aquilæ habere dicit. Dicitur dignitas humanæ conditionis, unde in Job : *Dies pertransierunt sicut aquila volans ad escam.* Aquila enim alto volatu suspenditur, per appetitum mentis ad terras et ad ima descendit. Sic genus humanum in primo parente ad ima e sublimioribus corruit, quod conditionis suæ dignitas ad rationis celsitudinem suspenderat. *Sicut aquila volans ad escam, sic dies nostri velociter transeunt,* quia quo ima petimus, in arduis prohibemur. Dicitur etiam subtilis sanctorum intelligentia, unde in Job : *Ad præceptum tuum elevabitur aquila,* id est sanctorum subtilis intelligentia, jussionibus Dei obtemperans, in altis suspenditur. Dicitur etiam anima electi, unde in Evangelio : *Ubicunque fuerit corpus, congregabuntur et aquilæ,* quia ibi in cœlesti sede incarnatus præsideo, electorum animas, cum a carne solvero, ad cœlestia elevabo. Dicitur sanctus qui volat pennis charitatis ad cœlestia, unde in Evangelio : *Ubicunque fuerit corpus,* id est Christus, *congregabuntur et aquilæ,* id est sancti renovati per gratiam, sicut aquila se renovat in senectute.

Aquilo proprie dicitur ventus frigidissimus quo aquæ congelantur, unde dicitur Aquilo quasi aquas ligans. Dicitur regio in qua flat, unde Jeremias : *Ecce ventus turbinis veniebat ab aquilone,* etc. Dicitur dæmon, unde in Cantilena dilecti : *Surge, aquilo, et veni, auster,* id est recede, dæmon, et veni, sancte Spiritus; vel aliter : Surge, maligne spiritus, a cordibus Christianorum, quæ gelicidio iniquitatis astringis. Dicitur autem diabolus aquilo quasi aquas ligans, id est mentes fluidas rigore peccati. Dicitur gentilitas, unde Job : *Ab aquilone aurum venit,* a gentilitate vera fides in Domino clarescit ; et alibi dicitur in David : *Dic aquiloni veni, et latera aquilonis, civitas regis.* Dicitur etiam contrarium, unde in Psalmo : *Ponam sedem meam ad aquilonem, et similis ero Altissimo.* Dicitur Synagoga frigore infidelitatis congelata, unde diabolus in Isaia : *Sedebo in monte Testamenti, in lateribus aquilonis,* id est in cordibus Judæorum, quibus lex data est.

Aranea, proprie, dicitur inutile et infructuosum, unde in Psalmo : *Anni nostri sicut aranea meditabuntur.* Aranea texit inanes telas ut dolo capiat muscas, et est sensus : *Anni nostri sicut aranea meditabuntur,* id est nos in annis nostris studemus

dolosis et inanibus cogitationibus; vel passive accipi potest *meditabuntur*, id est reputabuntur anni nostri sicut aranea, id est sicut inanes et inutiles. Dicitur etiam hypocrita, qui sua simulatione alios decipit, unde Job de eo ait : *Sicut tela aranearum fiducia ejus*. Dicitur etiam tela araneæ, unde in Psalmo : *Et tabescere fecisti sicut araneam animam ejus*, id est sicut telam araneæ, id est fecisti ut anima tabesceret, id est infirma fieret per humilitatem, deposita superbia, quasi aranea qua nihil est tabidius, quæ leviter tacta digito et mactatur et annihilatur.

Arare, proprie, unde in Deut. : *Non arabis in bove et asino*. Dicitur *prædicare*, unde Apostolus : *Justum est ut qui arat de fructu suo comedat;* aliquando notat *cognoscere*, unde in Judicum dixit Samson Philisthæis : *Nisi arassetis in vitula mea, non intellexissetis propleuma meum*, id est nisi sponsam meam cognovissetis, propositionem meam non intellexissetis.

Aratrum, proprie, significat memoriam Dominicæ passionis. In aratro sunt duo : ferrum et lignum; ferrum pungens memoriam, lignum crucem significat, juxta illud Evangelii : *Nemo mittens manum suam in aratrum*. Dicitur evangelica doctrina secundum aliam expositionem : *Nemo mittens manum*, etc.

Arbor, proprie, dicitur homo, unde Græce *anthropos* dicitur, id est arbor conversa; quia, sicut caput arboris terræ adhæret, et membra superius, ita per contrarium homo habet caput superius et membra inferius, unde in Evangelio : *Jam securis ad radicem arboris posita est*, id est judiciaria potestas parata est, vel sententia judicis imminet; et alibi : *Omnis arbor quæ non*, etc. Dicitur etiam intentio bona vel mala, unde in Evangelio : *Arbor mala fructus bonos facere non potest*. Dicitur etiam sacra Scriptura vel Synagoga, unde in Cant. : *Sub arbore malo*, id est sub sacra Scriptura, ubi requievit gentilitas sæculi, *ibi vulnerata est mater mea*, id est Synagoga. Dicitur etiam ille qui sublimia appetit, unde Job : *Mandebant herbas et arborum cortices*. Histri (*sic*) mali qui, dum malorum actibus oriri bona conspiciunt, mox ea manu pestiferæ exprobrationis evellunt; dicitur crux Christi, unde in hymno : *Arbor decora*, et ibi *sub arbore malo* secundum aliam expositionem.

Arca dicitur Ecclesia, unde in Psalmo : *Tu et arca sanctificationis tuæ;* ideo Ecclesia dicitur arca, quia, sicut arca Noe eos qui in ea erant defendit a diluvio, ita Ecclesia defendit suos a mortis æternæ periculo.

Arcturus idem est quod *septentrio*, id est septem stellæ quæ sunt versus aquilonem. Dicitur Ecclesia, unde in Job : *Nunquid poteris conjungere micantes stellas Pleiadis, aut gyrum Arcturi dissipare?* Arcturus semper vergitur et non mergitur, sic Ecclesia variis tribulationibus fatigatur, sed non ad defectum inclinabitur. Dicitur lex Mosaica, ut in prædicto exemplo secundum aliam expositionem : Arcturus versus aquilonem apparet, et lex vetus ab aquilone

A venit, quæ subditos multa districtionis asperitate terruit.

Arcus, proprie, unde Isaac ad Esau : *Tolle arma tua, pharetram et arcum*. Dicitur Iris, unde in Gen. : *Ponam arcum in nubibus;* et est signum judicii futuri et illius quod præcessit. Dicitur sacra Scriptura : In arcu sunt duo, scilicet chorda et lignum; chorda significat Novum Testamentum, lignum, Vetus. Sicut chorda emollit lignum, sic Novum Testamentum emollit Vetus; unde in Psalmo : *Arcum suum tetendit, et paravit illum*, id est sacram Scripturam nobis dedit et illam nobis exposuit. Et alibi : *Intenderunt arcum, rem amaram*, scilicet hæretici prave sacram Scripturam

B exponendo. Et alibi : *Intenderunt arcum suum, paraverunt sagittas suas in pharetra*, id est hæretici sacram Scripturam ad se diverterunt.

Dicitur Christus, unde in Psalmo : *Nisi conversi fueritis, gladium suum vibrabit, arcum suum tetendit*. Dicitur persecutio in alia expositione ut ibi : *Arcum suum tetendit et paravit illum*. Dicitur prava intentio, unde in Psalmo : *Conversi sunt in arcum pravum*, id est in pravam intentionem. Dicitur deceptio, unde secundum aliam expositionem : *Intenderunt arcum, rem amaram*. Dicitur occulta impugnatio, unde in Psalmo : *Arcum conteret et confringet arma*, impugnatio per arcum, occulta per arma manifesta, per scutum improba defensio intelligitur. Dicitur potestas, unde in Gen. Jacob dixit

C filio suo Joseph : *Do tibi agrum quem possedi a Sichimis in gladio et arcu*, id est potestatem. Dicitur fortitudo vel inflexibilitas boni operis, unde in Psalmo : *Posuisti ut arcum æreum brachia mea*, id est bona opera mea inflexibilia fecisti. Dicitur comminatio vel promissio, unde in Psalmo : *Filii Ephrem intendentes et mittentes arcum*, id est mittentes vel facientes comminationem vel promissionem, dicentes : Quidquid dices nobis, faciemus et audiemus.

Dicitur insidiæ vel dolus, ut iterum in Psalmo : *Intenderunt arcum, rem amaram*, id est insidias vel dolos. Dicitur dies judicii, unde in Psalmo : *Ut fugiant a facie arcus*, id est timeant diem judicii. Dicitur supernum judicium, unde de perversis legitur

D in Job : *Fugerunt arma ferrea et irruerunt in arcum*. Figuratur æterna damnatio, qui præsentem tribulationem subterfugit, in æternam damnationem ruit.

Area proprie campi lata planities, in qua solet triticum ventilari, unde dicitur in Judicum de Gedeone quod ipse *petens signum a Deo posuit vellus in area*. Dicitur triticum quod ventilatur in area, ut nomen contenti signetur vel sumatur in designatione continentis, unde in Regum rex loci respondit mulieri ad se clamanti : *Unde, unde possum te salvare, an de torculari?* id est de hoc quod continetur in torculari; *an de area*, id est de tritico quod continetur in area, id est Ecclesia, in qua adhuc grana cum paleis, id est boni cum malis, unde Joannes in Evangelio loquens de Christo, ait : *Cujus*

ventilabrum in manu ejus, et purgabit aream suam, et paleas comburet igni inexstinguibili. Hoc fiet in die judicii, cum mali separabuntur ab Ecclesia, non tantum merito sed etiam loco, etc. Dicitur judicium, quia, sicut in area grana separantur a paleis, ita in judicio boni a malis, unde dicitur segetes congregandæ sunt ad aream, id est populi ad judicium.

Arena, proprie, dicitur malus propter sterilitatem et innumerositatem arenæ comparatus, unde in Gen. : *Multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli et sicut arenam maris*, hoc ultimum refertur ad malos qui innumerabiles et steriles sunt. Dicitur prudentia quæ signatur in arena et ratione multitudinis et ratione salsuginis, unde in Psalmo : *Pluit sicut arenam maris.*

Areola, proprie, dicitur fidelis qui verecundatur de peccatis suis et aliorum, et per eum teritur cibus spiritualis et propinatur. Qui eleganter areolæ comparatur, quia sicut areola aromatum optime composita et ordinata aspectum intuentium delectat eisque odorem suum propinat propter multitudinem herbarum aromaticarum, ita illi qui sunt genæ speciosæ, redolent Deo ex multitudine virtutum et bonorum operum, unde in Cant. amoris : *Genæ illius sicut areolæ aromatum.* Dicitur anima Christi, quæ disciplina vel disciplinis exculta est et diligenter composita, unde in Cantilena Salomonis : *Dilectus meus descendit in hortum suum ad areolam aromatum.* Hortus in quem descendit Dei Filius, humana natura est, in quam descendit quando humanando seipsum, exinanivit, quæ quasi hortus aromaticis speciebus plena fuit germinibus virtutum referta ; descendendo ergo in hortum ad areolam aromatum venit, quando assumendo humanam naturam sibi animam univit.

Arescere notat ariditatem proprie. Notat mortem, unde in Psalmo : *Quoniam tanquam fenum velociter arescent*, id est morientur. Notat defectum mentis, unde in Evangelio : *Arescentibus hominibus præ timore.* Notat consoliditatem, unde in Psalmo : *Aruit tanquam testa virtus mea*, id est per ignem tribulationis consolidata fuit virtus mea, sicut testa consolidatur igne materiali. Notat incinerationem, unde in Psalmo : *Mane sicut herba transeat, decidat* per mortem, *induret* per putredinem, *arescat* per incinerationem.

Argentum, proprie, unde in Actibus apostolorum : *Argentum et aurum non est mihi.* Dicitur eloquentia, unde in Cant. amantissimum (*sic*) : *Murenulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento*, id est subtiles sententias in sacra Scriptura, sicut murenula subtilis est ; aureas dicit propter sapientiam, argenteas propter eloquentiam. Et alibi : *Super millia auri et argenti.* Dicuntur divini eloquii scriptores, unde in Job : *Non appendetur argentum in commutatione ejus*, quo argento sæpe eloquia divina designantur. Possunt argenti vocabulo ejusdem scriptores intelligi, quorum vita inter turbas hominum resplenduit luce virtutum. Et nota in *Moralibus* quod per argentum significatur sacra Scriptura Novi Testamenti, per æs Scriptura Veteris Testamenti. Argentum sonat et lucet, æs sonat et non lucet, quia prædicatores Novi Testamenti aperte locuti sunt quæ etiam monstrare poterant ; prædicatores vero Veteris Testamenti, quia per allegoricam umbram de cœlesti mysterio obscura protulerunt, quasi sine luce sonitum dederunt. Dicitur opus bonum, unde propheta : *Argentum tuum versum est in scoriam*, loquitur propheta ad Synagogam. Argentum divitiæ temporales dicuntur secundum aliam expositionem : *Super millia auri et argenti.* Dicitur humanitas Christi, unde : *In medio ejus species electri.* Electrum est metallum ex auro et argento confectum. Dicitur sacra Scriptura, unde in Psalmo : *Argentum igne examinatum.*

Aries, proprie, unde in Gen. : *Abraham vidit arietem hærentem cornibus inter vepres.* Dicitur etiam apostolus vel prælatus qui inimicos ventilat cornibus, utriusque Testamenti auctoritatibus, unde in Psalmo : *Afferte Domino, filii Dei, afferte Domino filios arietum.* Alibi dicitur prælatus qui immolari debet pro subditis, unde in Parabolis : *Tria sunt quæ bene gradiuntur : leo fortissimus, gallus succinctus et aries; nec est qui resistat ei.* Dicitur etiam homo vel devotio causæ prout offert se Deo, unde in Daniele : *Suscipe nos tanquam holocausta arietum.* Dicitur etiam princeps de gentibus ad fidem conversus, unde Isaias : *Omne pecus cedat arietes Nabaioth.* Dicitur Christus, unde dicitur in quadam prosa : *Aries, leo, vermis;* dicitur machina, unde Ezechiel : *Fili hominis, sume tibi laterem, et scribe in eo civitatem, et dispone arietes.*

Arista, proprie, dicitur reprobus dives, unde Job : *Et sicut summitates spicarum conterentur.* Cum arista frangitur, granorum candor ostenditur, sic iniquis in supplicia æterna cadentibus sanctorum justitia quanta veritate candeat, demonstratur. Et est sensus : *Summitates spicarum conterentur*, id est rigiditas superborum formidine ultimæ trituræ frangetur, quæ nunc electorum vitam despicien , elevatur.

Arma proprie dicitur, unde Isaac ad Esau : *Tolle arma tua, pharetram.* Dicitur etiam doctrina, ut in Psalmo : *Apprehendite arma*, id est doctrinam, *et scutum*, id est constantiam. Dicitur aperta insultatio vel impugnatio spiritualium inimicorum, unde in Psalmo : *Arcum conteret*, id est occultas impugnationes, *et confringet arma*, id est apertas insultationes, *et scuta eorum*, id est defensiones, *comburet igni.* Dicuntur nativitates præsentis vitæ, unde in Job : *Fugiet arma ferrea et irruet in arcum æreum.* Nativitates enim præsentis vitæ in opere premunt et insequuntur. Dicuntur etiam membra corporis humani, unde propheta : *Descenderunt in inferna cum armis suis.* Arma quippe peccantium sunt membra corporis, quibus perversa desideria exsequuntur. Dicuntur autem virtutes quæ sunt munimenta contra insidias diaboli, secundum aliam expositionem in Psalmo : *Apprehende arma et scutum*, id est spiri-

tuales virtutes; Apostolus : *Accipite armaturam Dei*, etc. Dicitur etiam auctoritas divinæ Scripturæ, unde : *Mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium*. Dicitur status pœnitentium in contritione, in confessione et in satisfactione, unde : *Cinis et cilicium sunt arma pœnitentium*, unde patet in Theol. Dicuntur etiam vitia vel suggestiones quibus nos impugnat diabolus, unde Job dixit esse Behemoth et Leviathan arma, id est suggestiones diaboli.

Aroma proprie confectio ex aromaticis confecta speciebus, et dicitur quasi aeroma vel agrimonia, unde legitur in Gen. quod Ismaelitæ venerunt de Galaad portantes in camelis aromata. Dicitur aliquid delectabile, unde in Cantilena Christi : *Odor unguentorum tuorum super omnia aromata*. Dicitur virtus, unde in Cant. : *Surge, aquilo*, id est recede, diabole ; *veni auster*, id est sancte Spiritus, *et perfla hortum meum*, id est Ecclesiam ; *et fluent aromata illius*, id est dona sancti Spiritus in Ecclesia. Dicuntur etiam sancti alios incitantes ad bona opera, unde in Cant. amoris : *Ibo ad areolas aromatum sanctorum*. Dicuntur orationes sanctorum, unde in Apoc. : *Ascendit fumus aromatum in conspectu Domini*, id est orationes sanctorum. Dicitur etiam pœnitentia, unde in Cant. : *Quæ est quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ et thuris*. Per myrrham, quæ est species amara, intelligitur amaritudo contritionis, confessionis, satisfactionis.

Artifex, proprie, dicitur Deus Pater, unde in Epithalamio Salomonis : *Quæ fabricata sunt in manu artificis*, id est Dei omnipotentis, cujus largitate omnis virtus confertur homini, vel *manu artificis*, id est Filii Dei. Ipse est enim manus Dei Patris qui, sicut artifex, operatur per manum, id est Deus Pater per Filium. Dicitur prædicator, unde in libro Sapientiæ : *In manu artificum opera laudabuntur*.

Arundo, proprie, dicitur sacra Scriptura, unde in Psalmo : *Increpa feras arundinis*, id est hæreticos, qui sunt quasi feræ in Scripturis. Dicitur homo instabilis, unde in Evang. : *Quid existis in desertum videre ? arundinem vento agitatam*. Qui eleganter arundo dicitur, quia sicut arundo ad venti flatum agitatur, sic instabilis ad quemlibet flatum fortunæ concurrit. Dicitur Judæus, unde in Matthæo : *Arundinem quassatam non confringet*, et mox Judæus non damnabitur. Dicitur ordinatio Ecclesiæ, unde in Ezechiele : *Et qui loquebatur mecum, habebat mensuram arundinem auream, ut metiretur civitatem*. Arundo ista aurea nihil aliud est quam dispositio divina, qua ordinavit civitatem, id est Ecclesiam. Dicitur peccatum, unde sic potest exponi : *Arundinem quassatam non confringet*, id est peccatori pœnitentiam non negabit.

Arvina proprie pinguedo interiorum animalis. Dicitur etiam superbia, unde : *Operuit faciem ejus crassitudo, et de latere ejus arvina dependet*.

Ascendere proprie, unde in Psalmo : *Ascendisti in altum*. Dicitur *excedere*, unde in Psalmo : *Ascendit super cherubim*, super plenitudinem scientiæ. Notat gradus virtutum, unde : *Ascendamus de virtute in virtutem, donec videbimus Deum deorum in Sion*, etc. Notat etiam excessum superbiæ, unde in Isaia : *Ascendam ad aquilonem, et similis ero Altissimo*. Notat æqualitatem Patris ad Filium, unde in Evangelio : *Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum*, id est noli me tangere tactu corporis, quæ non tangis me tactu mentis, quasi diceret : Nondum me cognoscis esse æqualem Patri. Notat excellentiam virtutum, unde in Isaia : *Ascende in montem qui evangelizas Sion*. Notat præsentiam subtrahere, unde in Psalmo : *Ascendit Deus*, id est præsentiam suam subtraxit vel non apparuit. Notat *crescere*, unde in Evangelio : *Quid ascendunt cogitationes in cordibus vestris*. Notat excellentiam honoris, unde : *Amice, ascende superius*.

Asinus proprie dicitur animal, unde in Gen. : *Abraham stravit asinum suum*. Dicitur homo fatuus, unde : *Non arabis in bove et asino*, id est non mittes sapientem ad prædicandum cum fatuo. Dicitur etiam homo luxuriosus et petulans, unde in Ezechiele : *Quorum carnes sunt quasi asinorum*. Dicitur etiam populus gentilis, unde in Isaia : *Cognovit bos possessorem suum, et asinus præsepe domini sui*. Bos dicitur Judæus sub jugo legis constitutus ; asinus gentilis populus quem quilibet seductor tanquam brutum, vel quo voluit errore substravit ; hic Deum, quem colebat, repulit, ille quem non habebat, accepit. Ille est asinus qui necessitates aliorum sustentat, unde de hæreticis dicitur in Job : *Abegerunt asinum pupillorum ;* asinus qui onera portat, est ille qui de rebus quas hic possidet quærenti cœlestia terrenaque spernenti hujus vitæ adjutorium præbet, quem hæreticus abigit dum a gremio sanctæ Ecclesiæ avertit. Dicitur generaliter populus Christianus, unde propheta : *Lætare, Jerusalem, ecce rex tuus venit sedens super asinum*.

Aspis, proprie, dicitur diabolus, unde Isaias : *Delectabitur infans ab ubere super foramen aspidis et in caverna reguli*. Quid per infantem nisi Christum ; quid per foramen aspidis nisi astutiam diaboli ; quid per cavernam reguli nisi corda iniquorum intelligimus ? Dicitur ille qui verbum Dei dedignatur audire, unde in Psalmo : *Furor illis secundum similitudinem serpentis sicut aspidis*. Dicitur latens et blanda suggestio, vel fortes et subitæ immundorum spirituum tentationes, unde in Job de hypocrita dicitur : *Caput aspidum suget, et occidet eum lingua viperæ*. Aspis parvus est serpens, et vipera prolixioris est corporis, per aspidem ergo latens suggestio designatur.

Assumere proprie de inferiori statu ad altiorem statum promovere, unde in Psalmo : *De post fetantes assumpsit me*. Et alibi : *Assumpta est Maria in cœlum*. Dicitur convertere de infidelitate ad fidem, unde in Psalmo : *Assumpsit me de aquis multis*. Dicitur etiam de se sumere uniendo humanam natu-

ram divinæ, unde in Psalmo : *Beatus quem elegisti et assumpsisti*. Signat a tribulatione liberare, unde in Psalmo : *De tribulatione liberavit me et assumpsit me*.

Astare proprie, ut *ille astat illi*. Notat obsequium præstare, unde in Psalmo: *Astitit regina a dextris tuis*, etc., id est Ecclesia Christo. Notat moram vel perseverantiam in malo, unde in Psalmo : *Astiterunt reges terræ*, id est perseveraverunt in malo. Notat erectionem mentis ad Deum, unde in Psalmo : *Mane astabo tibi*, id est dirigam mentem meam ad Deum. Notat diligentiam vel deliberationem in malo, unde in Psalmo : *Astitit omni viæ non bonæ*.

At. Ista conjunctio quandoque ponitur copulative, unde in Luca : *At ille dixit : Quinimo beati*, etc. Quandoque adversitatem signat, unde in Evangelio : *Amice, quomodo huc intrasti*, etc., *at ille obmutuit;* quasi diceret : Non respondit ei verbum, sed obmutuit et tacuit, etc.

Atrium proprie larga platea circa palatium, unde in Evangelio de Joanne dicitur quod *Joannes introivit cum Jesu in atrium principis sacerdotum;* unde et spatium illud amplum quod erat circa tabernaculum, vel templum, dicebatur atrium; et in Exodo dicitur: *Facies et atrium tabernaculi*. Dicitur initium bonæ conversationis, unde in Psalmo: *Introite portas ejus in confessione, atria ejus*, etc. Dicitur cor humanum charitate dilatatum, unde in Psalmo : *Adorate Dominum in atrio sancto ejus*, id est in dilatato corde et sanctificato. Dicitur vita æterna, unde in Psalmo : *Melior est dies una in atriis tuis super millia* : Et idem : *Concupiscit et deficit anima in atria Domini*. Dicitur præsens Ecclesia, unde et in Psalmo : *Stantes erant pedes nostri in atriis tuis, Jerusalem*. Dicitur sensus divinitatis, unde in Psalmo : *Beatus quem elegisti et assumpsisti, inhabitabit in atriis tuis*.

Audire proprie, unde in libro Regum : *Audivi vocem tuam*. Dicitur *intelligere*, unde in Joanne: *Durus est hic sermo ; quis potest eum audire?* Et alibi : *Domine, audivi auditionem tuam ;* et in Psalmo : *Audi, filia, et vide ;* ibidem : *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus ;* et in Evangelio : *Omnia quæ audivi a Patre meo*. Notat *exaudire*, unde Reg. : *Audi preces servorum tuorum* id est exaudi. Signat *judicare*, unde in Psalmo : *Qui fecit oculum non videt, qui plantavit aurem non audiet?* id est judicabit, etc.

Auditus proprie auris, unde Apostolus ad Cor. : *Si totum corpus oculus, ubi auditus*, id est auris. Dicitur divina inspiratio vel præceptum divinum, unde Habacuc : *Domine, auditum audivi*, vel: *Domine, audivi præceptum tuum divinum*, id est intellexi. Dicitur etiam intellectus, unde in Psalmo : *Auditui meo dabis gaudium*, id est intellectui meo. Dicitur obedientia, unde in Psalmo : *Populus quem non cognovi, servivit mihi in auditu auris*.

Aula, proprie, dicitur virtus beatæ Virginis, unde in quadam oratione legitur : *Deus, qui virginalem aulam*. Dicitur Ecclesia, unde in Psalmo : *Adorate Dominum in aula ;* et in oratione legitur : *Defendet omnes habitantes in hac aula Dei*. Dicitur vita æterna, unde in quadam prosa : *In poli aula læti jubilemus. Alleluia*.

Aura, proprie, dicitur sententia judiciaria levis, unde in Gen. : *Dum deambularet Dominus in paradiso ad auram post meridiem*, ut, scilicet leviter judicaret Adam. Dicitur Spiritus sancti Scriptura quæ mulcet non terret, unde in Job : *Vocem quasi auræ levis audivi*. Dicitur adulatio, unde in Isaia : *Dies nostros aufert ventus hostium, tollet aura*. Eleganter adulatio aura dicitur; quia, sicut aura separat grana a paleis, sic adulatio separat a gravibus leves, a firmis instabiles.

B *Aurichalcum* dicitur proprie, quod multis meditationibus ad aurum producitur, et signat sanctos qui in tribulatione purgantur; in Apoc. : *Pedes ejus similes aurichalco*. Aurichalcus etiam dicitur finalis hypocrita, qui erit tempore Antichristi, qui finget se justum et non erit; secundum quam acceptionem prædicta auctoritas sic exponi potest.

Auris, proprie, unde in Exodo : *Si volueris servum manere in servitute, applicabit eum sacerdos ad ostium templi, et perforabit aurem ejus subula;* et alibi Dominus ad Moysen, cum mitteret eum ad Pharaonem : *Qui fecit aurem non audiet?* Dicitur spiritualis intelligentia, unde in Evangelio : *Qui habet aures audiendi audiat*, id est intelligat. Dicitur obedientia, unde Psalmista : *Populus quem* C *non cognovi, in auditu auris obedivit mihi*. Dicitur exaudiendi clementia, unde in Psalmo : *Auribus percipe vocem orationis meæ*. Dicitur similitudo aurium, unde in Psalmo : *Aures habent et non audient*. Dicitur quædam obstinatio, sive hominis negligentia, unde in Psalmo : *Furor illis secundum similitudinem serpentis obturantis aures suas*, etc. Dicitur præsentia divinæ clementiæ, unde in Psalmo: *Verba mea auribus percipe, Domine*, etc.

Aurora, proprie, unde in Gen. : *Vir luctabatur cum Jacob*, id est angelus in specie viri; et hic dicitur aurora ante ortum solis. Aurora temporis, quando est ortus solis, unde in Gen. : *Dixit angelus ad Jacob : Dimitte me, jam enim aurora ascendit*. Aurora corporis, anima fidelis, unde in Job : D *Ostendisti auroræ locum suum*, id est fideli animæ cœlestem patriam. Aurora animi, initium gratiæ, unde in Psalmo : *Tu fabricatus es auroram et solem*, id est initium et perfectionem. Aurora cœli, Ecclesia, unde in Sir hasirim : *Quæ est ista quæ ascendit sicut aurora consurgens*. Dicitur Christus, unde in hymno : *Aurora totus prodeat;* quia, sicut sol materialis mundum illuminat, ita spiritualis sol, scilicet Christus, sanctam Ecclesiam.

Aurum dicitur contemplatio, unde in Apostolo : *Alii sunt qui ædificant aurum, alii argentum, alii lapides pretiosos*, id est contemplantur. Dicitur aurum etiam fides, unde in Job : *Ab aquilone aurum veniet*, id est fides a gentilitate. Dicitur etiam ingenium, unde in Job : *Si putavi aurum robur*

meum, id est fortitudinem meam constitui præclari intellectus ingenium. Dicitur etiam sensus bene operantis, unde Salomon : *Sicut probatur argentum in conflatorio et in fornace aurum, ita probatur homo ore laudantis.* Argentum quippe vel aurum igne probatur, sic nimirum est sensus bene operantis. Nam qualis sit in eo quod laudatur, ostenditur. Dicitur splendor supernæ civitatis, unde in Apoc. dicitur ipsa civitas constare ex auro mundo simili vitro mundo. Dicitur nitor gloriæ temporalis, unde in Apoc. de calice aureo Babylonis legitur. Temporalis enim gloria ideo calix aureus dicitur, quia dum pulchra esse temporalia ostendat, stultus mentes in sui concupiscentia deebriat. Dicitur claritas innocentiæ, unde in Thren. : *Quomodo obscuratum est aurum*, id est claritas innocentiæ versa est in nigredinem culpæ. Dicitur sapientia, unde in Isaia : *Reges de Saba venient, aurum*, etc., id est spiritualiter se regentes aurum optimum in Ecclesia Dei offerunt. Aurum dicuntur sancti, qui alio præcellunt, unde in Canticis : *Caput tuum aurum optimum.* Divinitas etiam dicitur aurum, secundum aliam expositionem in eadem auctoritate, scilicet : *Caput tuum aurum optimum.* Dicitur Deus, ut in prædicto exemplo, secundum aliam expositionem. Et in Ezechiele : *Et in medio ignis quasi electri.* Ibi electrum dicitur Christus, quia, sicut in electro aurum unitur argento, sic in Christo est divina natura humanæ unita, et per aurum divinitas, per argentum intelligatur humanitas. Dicitur angelica natura, unde in Job : *Non dabit aurum obryzum pro ea;* per aurum obryzum angelica natura intelligitur, quæ fulget claritate justitiæ, sicut aurum obryzum, quia nullum unquam habuit contagium culpæ. Sancti qui sunt in patria dicuntur aurum, unde in Job : *Non adæquabitur ei aurum vel vitrum;* per quod intelligimus sanctos qui sunt in patria, quorum corda claritate fulgent et puritate translucent. Dicitur charitas quæ cæteris virtutibus præeminet, unde Psalmista : *Dabitur ei de auro Arabiæ.* Dicuntur etiam terrenæ divitiæ aurum, unde in Psalmo : *Desiderabilia super aurum*, etc., id est super omnes divitias. Dicitur claritas virtutis, unde in Job : *Glebæ illius aurum*, quia collectio singulorum ordinum in Judæa tanto majore virtute claruit, quanto se in Deum et proximum unanimitate constrinxit. Etiam ille qui tribulationem patitur dicitur aurum, unde in libro Sapientiæ : *Tanquam aurum in fornace probavit eos.*

Auster proprie ventus calidissimus. Dicitur australis regio, unde in Evangelio : *Regina Saba venit ab austro.* Dicitur charitas, unde Habacuc : *Dominus ab austro veniet*, id est a furore charitatis. Dicitur Filius, unde in Psalmo : *Converte, Domine, captivitatem nostram sicut torrens in austro.* Dicitur Spiritus sanctus, unde in Canticis : *Surge, aquilo, et veni, auster*, id est veni, sancte Spiritus, reple mentes hominum. Dicitur Ecclesia, unde in Job *Interiora austri* vocantur spirituales qui latent in A Ecclesia. Dicitur Judæa. Isaias de gentium conversione ait : *Dicam aquiloni : Da, et austro : Noli prohibere*, id est dicam gentilitati : Offer munus Deo, *et austro*, id est Judææ, quæ a vero sole fervorem fidei prima suscepit; *noli prohibere*, id est repellendo damnare vitam gentilium, quod faciebant qui erant idololatræ. Dicitur vita remissa, unde in Job : *Considerate semitas Thema, itinera Saba, et exspectate paulisper.* Thema *auster*, Saba *rete* interpretatur. Per austrum, qui tepore suo afflata dissolvit, fluxa vivendi remissio; per rete actionis obligatio intelligitur ; dissolutis gressibus in rete ambulant qui, dum mundum perfecte non deserunt, mundanis actionibus se obligant.

Aut conjunctio quandoque ponitur conjunctive, B unde in Evangelio : *Aut facite arborem bonam et fructum ejus bonum, aut facite arborem malam et fructum ejus malum;* quandoque ponitur expositive, unde in Psalmo : *Nunquid obliviscetur misereri Deus, aut continebit?* quandoque similitudinarie, unde Moyses ad Dominum : *Aut dimitte eis hanc noxam, aut dele me de libro vitæ*, id est sicut verum est me non esse delendum de libro vitæ, ita verum est quod dimittes eis hanc noxam, cum non per se sed per alium peccaverunt.

Autem ponitur copulative, unde in Evangelio : *Dixit autem Maria ad angelum*, quia ibi copulat Mariam ; quandoque adversitive, unde in Evangelio : *Cui autem similem æstimabo generationem istam?* C quandoque affirmative, unde Apostolus : *Nolo autem vos ignorare, fratres*, id est affirmo quod non ignoretis.

Avis, proprie, dicitur Christus, unde de Judaico populo dicitur in Job : *Semitam ignoravit avis*, id est Christi; quia corpus quod assumpsit, ascendendo in æthera levavit, et humilitas ejus vias quibus nos ad alta levat, considerare noluit; vel Christus dicitur avis propter pennas virtutum.

Dicitur etiam diabolus, unde in Job : *Nunquid illudes ei quasi avi.* Diabolus dicitur avis, quia suæ naturæ subtilitate superbe se extollit, dum per superbiam angelum lucis se simulat. Et quasi avi illusit Deus, dum in passione ei escam quam morderet ostendit, sed laqueum divinitatis quo capere- D tur abscondit. Et in Evangelio : *Aves cœli*, id est diaboli, *comederunt illud.* Dicitur mens humana, unde in Job : *Homo nascitur ad laborem et avis ad volandum*; quia, in eo quod caro flagellis afficitur, mens appetendo altiora sublevatur. Dicitur etiam superbia, unde in Jeremia : *Væ qui in avibus cœli ludunt*, quia superbus elevat se super se.

Axella, proprie, dicitur opus bonum, unde in Levitico dicitur quod os turturis retorquendum est ad axellas, id est prædicator debet habere illa in opere quæ proponit in prædicatione. Dicitur etiam privatio boni operis, unde in Parabolis : *Piger ponit manum sub axella*, id est se a bono opere privat, etc.

Azyma dicitur proprie panis sine fermento, ab

a quod est *sine* et *zyma* quod est *fermentum;* unde dicitur in Marco: *Erant autem dies azymorum*, id est dies quibus non licebat uti fermento; in hoc loco est neutrius generis, *hæc azyma, horum azymorum;* azyma significat panem azymum, id est panem sine fermento. Dicitur etiam festum paschale, unde in Evangelio: *Erat azyma post biduum*, et est feminini generis et declinatur *hæc azyma, hujus azymæ*. A Quandoque est adjectivum: *azymus, a, um*, ut in Veteri Testamento: *Comederunt azymos panes*. Dicitur etiam sanctus, unde Apostolus: *Expurgate vetus fermentum*, etc., *sicut estis azymi*, id est sancti et a vitiis purgati, et tunc est masculini generis: *hi azymi, horum azymorum*. Quandoque etiam significat opus bonum, unde Apostolus: *Non in fermento veteri*, etc., *sed in azymis sinceritatis et veritatis*, etc.

B

Babylon, proprie; dicitur etiam mundus, in quo multiplex *confusio*, unde in Psalmo: *Super flumina Babylonis*. Dicitur etiam peccator, unde in Psalmo: *Memor ero Raab et Babylonis*. Dicitur etiam idololatria vel hæresis, unde in Apoc.: *Cecidit Babylon illa magna, quæ a vino*, etc. Dicitur terrena delectatio, unde in Apoc.: *De aureo calice Babylonis*.

Baculus proprie, unde Jacob in Genesi: *In baculo meo transivi Jordanem hunc*. Dicitur etiam pastorale regnum quod consistit in sustentatione et correctione, unde in Psalmo: *Virga tua et baculus tuus*, etc., id est correctio et sustentatio; vel per baculum major, per virgam minor correctio intelligitur. Dicitur consolatio vel sustentatio, unde in Tob.: *Mater Tobiæ ait: Fili mi, nunquam fuisset pecunia illa, pro qua misimus te peregrinari, baculum senectutis nostræ*, id est consolationem; et alibi dicit propheta Ægyptiis: *Auferam a vobis baculum panis*, id est sustentationem. Dicitur terrena potestas, unde in Isaia: *Væ vobis qui innitimini baculo arundineo Ægypti*, id est terrenæ potestati. Dicitur diabolus, unde in propheta: *Conteret Dominus baculum impiorum*, id est diabolum.

Baptismus proprie sola exterior ablutio corporis sine interiori ablutione mentis; unde Dominus volens concludere Judæis et Pharisæis de baptismo Joannis ait: *Baptismus Joannis e cœlo est an ex hominibus?* Quandoque est ablutio mentis cum exteriori ablutione corporis, unde in Evangelio: *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti*, etc.; et alibi: *Erat Joannes in deserto, prædicans baptismum pœnitentiæ*. Dicitur effusio sanguinis sive martyrium, unde Christus ait in Evangelio: *Baptismo habeo baptizari, et coarctor donec perficiam illud*. Dicitur sola interior mentis contritio, quæ sufficit quando aliquis, in extremo articulo mortis positus, habet voluntatem se baptizandi, sed morte prævenitur, unde Apostolus: *Patres nostri baptizati sunt in nube et mari in deserto*. Notandum quod triplex est baptismus: baptismus fluminis, qui fit in aqua; baptismus flaminis, qui fit in pœnitentia ex sancti Spiritus gratia; baptismus sanguinis, qui fit in martyrii lucta.

Barba, proprie, dicitur fortitudo, unde: *Auferam ab Ephraim barbam*, id est a filiis Israel fortitudinem, etc. Dicitur major prælatus, unde in Psalmo: *Sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam Aaron*, id est unguentum divinæ gratiæ, quod descendit a Patre in caput, id est in Christum; et a capite in barbam, id est in populos, qui dicuntur Dei barba, id est fortitudo, quia in barba fortitudo notatur hominis et plena ætas; a barba in vestimenta, id est in apostolorum successores, et in alios prælatos; a vestimentis in oram vestimenti, id est in finales fideles, hoc est Christianos.

Barbarus dicitur quilibet homo præter Græcum et Latinum. Dicitur alienus a fide, et ponitur pro populo infideli, unde Psalmista: *In exitu Israel de Ægypto*, etc; *de populo barbaro*, id est de populo infideli. Dicitur aliquis non subjectus Romano imperio, unde dicitur in persona Ecclesiæ: *Oremus pro imperatore nostro, ut Deus et Dominus noster sibi subjiciat omnes barbaras nationes*. Dicitur etiam aliquis non intelligens, unde Paulus: *Ille erit mihi barbarus*. Dicitur etiam populus bestialis vel rudis, unde Paulus: *Barbarus an Scytha*.

Basiliscus, proprie, unde Lucanus:

....*Regnat basiliscus arena*.

Et derivatur basiliscus a Græco *basileos*, quod interpretatur *rex* in Latino, id est quasi rex serpentum dicitur, quia omnes superat veneno, et sui natura est quod solo visu vel flatu interficit hominem; unde in *Physiologo*, quod aves supervolantes suo flatu interficit. Dicitur etiam diabolus, unde in Psalmo: *Super aspidem et basiliscum ambulabis*.

Basis, proprie, dicitur doctor Ecclesiæ, unde in Job: *Super quem bases illius solidatæ sunt;* in basibus columnæ, in columnis tota fabrica erigitur; sic doctores, dum recte prædicant, omne pondus Ecclesiæ sustentant. Dicitur etiam propheta, quia, dum proprie primo de Christi incarnatione locuti sunt, quasi quasdam bases nostræ fidei se posuerunt, unde ad hanc expositionem potest referri præmissa auctoritas. Dicitur etiam intentio animæ, quia bonæ intentioni innititur virtus, quasi columna basi, unde Job: *Super quem bases illius solidatæ sunt?* id est nisi super me, dicit Dominus, cui, dum justa anima intendit, super eum bonam intentionem quasi basem construit.

Beatus notat beatitudinem patriæ, unde in Psalmo: *Beati qui habitant in domo tua*. Notat beatitudinem viæ, unde iterum in Psalmo: *Beati immaculati in via*. Notat beatitudinem conscientiæ, unde in Psalmo: *Beati quorum remissæ sunt iniquitates*. Notat beatitudinem innocentiæ, unde in Eccli.: *Beatus vir qui*

inventus sine macula. Notat beatitudinem experientiæ, unde ibidem: *Beatus vir qui in sapientia sua morabitur.*

Bellum, proprie, unde in lib. Reg. David de Saul et Jonatha: *Quomodo ceciderunt fortes in bello?* Dicitur controversia Christi et diaboli, unde Psalmista: *Benedictus Dominus Deus meus*, etc., *et digitos meos ad bellum;* dicitur *Dominus* quoad creationem, *Deus meus* quoad sanctificationem. Dicitur controversia bonorum angelorum et malorum, unde in Apoc.: *Factum est silentium in cœlo, dum draco committeret bellum.* Dicitur controversia carnis et spiritus, unde in Psalmo: *Aufers bella usque ad fines terræ.* Et notandum quod, sicut in auctoribus est multiplex bellum, ita et in theologia secundum diversos diversorum afflictus. Exterum, quod fit inter B Jerusalem et Babyloniam; intestinum, quod fit inter proximum et proximum, quod dicitur civile; et plus quam civile, quod fit inter corpus et animam.

Benedicere, bona optare, unde Isaac in Genesi: *Benedixit filiis suis Jacob et Esau*, id est bona optavit, dicens *de rore cœli et de pinguedine terræ* etc. Signat vera dicere, unde idem Jacob *benedixit filiis suis*, id est vera eis dixit. Non enim bona omnibus optavit, quod patet per hoc quod dixit in Genesi: *Simeon et Levi, in consilium vestrum non veniat anima mea.* Signat bona dare, unde legitur in lib. Reg. quod David benedictionem petiit a Nabal. Signat *multiplicare*, unde in Genesi: *Benedixit Deus Adæ et Evæ, et dixit: Crescite et multiplicamini;* et sacerdos dicit: *Bene-* C *dic, Domine, dona*, id est multiplica. Signat *laudare*, unde dicitur Dan.: *Benedicamus Patrem et Filium cum sancto Spiritu.* Signat gratias agere, cum dicitur *Benedicamus Domino*, id est *gratias agamus Domino.* Signat materiam laudis divinæ præbere, unde in hymno puerorum: *Benedicite omnia opera Domini Domino*, et in eodem: *Benedicite, sol et luna, Domino*, id est materiam laudis divinæ præbete, etc. Signat [diem] solemnem et celebrem instituere, unde in Genesi: *Benedixit Deus diei septimo*, id est solemnem et celebrem instituit eum. Signat *consecrare*, unde sacerdos: *Benedic, Domine, panem in altari*, id est consecra. Signat *maledicere*, unde in Job: *Dixit uxor Job ad eum: Benedic Deo et morere*, id est maledic, id est cito libereris a præsenti angustia. D Item III Reg. XXI: *Benedixit Naboth Deum et regem*, id est maledixit.

Berillus lucet quasi aqua sole percussa; calefacit manum tenentis, et significat eos qui frigidi sunt, sed percussi gratia veri solis, lucent bonis operibus et calefaciunt eos cum quibus conversantur exemplo bonæ vitæ. De hoc habetur in Apoc.

Bestia proprie, unde in Genesi: *Creavit Deus bestias et reptilia terræ.* Et dicitur bestia quasi *vastia* a *vasto, vastas.* Dicitur diabolus, unde in Psalmo: *Ne tradas bestiis animas confitentes tibi;* et alibi Dominus ad Job: *Omnes bestiæ agri ludent ibi;* per bestias immundi spiritus, per agrum præsens sæculum designatur. Bestiæ ergo agri in herbis ludunt, cum reprobi spiritus humana corda ad illicitas cogitationes pertrahunt, modo per terrorem, modo per transitoria gaudia decipiunt. Dicitur bestialis homo fatuus, unde Apostolus in secunda Epistola ad Corinthios: *Si pugnavi ad bestias Ephesi*, id est contra bestiales homines Ephesi, etc. Dicitur etiam Antichristus, unde in Apoc.: *Vidi bestiam decem cornua habentem.* Dicitur Romanum imperium, secundum aliam expositionem, quod divisum est in decem regna; dicitur etiam hæresis vel conventus hæreticorum, unde in Apoc.: *Bestia egrediebatur de abysso quæ universa devoravit.* Dicitur bestialis motus, unde in Job quod justo non nocebunt bestiæ, id est motus bestiales.

Bibere, proprie, dicitur Ecclesiæ uniri, quia sicut vinum constat ex multis guttis, ita Ecclesia ex multis fidelibus; unde in Evangelio: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis ejus sanguinem*, etc., id est nisi fueritis de unione ecclesiastica, *non habebitis vitam æternam.* Dicitur etiam spiritualiter incorporari, unde in Evangelio: *Non bibam amodo de hoc genimine vitis*, id est non incorporabo mihi Judæos, vel aliquem Judæorum, *donec bibam illud*, id est incorporem me *vobiscum*, et hoc *novum*, id est innovatos, incorporem, inquam, *in regno Patris mei*, id est in statu immortalitatis. Dicitur spiritualiter reficere, unde in Joanne: *Qui biberit ex aqua hac non sitiet in æternum.* Signat passionem suscipere, unde in Evangelio: *Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum, calicem quidem meum bibetis*, id est passionem suscipietis. Signat instrui, unde in Joanne: *Si quis sitit, veniat ad me et bibat*, id est si quis doctrinam desiderat, veniat et instruatur.

Biblus juncus qui crescit in Nilo, unde quidam:

Pluraque Niliacis tradam mendacia biblis.

Dicitur liber, cujus materia est biblus, unde Bibliotheca est repositio biblorum in hoc libro, etc.

Bilibris dicitur pondus duarum librarum, de quo in Apoc. legitur. Prædicatores utriusque Testamenti dicuntur bilibres, qui moluntur tribulatione vitæ præsentis et excoquuntur igne passionis; in Apoc. ergo una bilibris ex duobus sextariis intelligitur Ecclesia ex duobus populis; sub duali ergo numero comprehenditur propter duo Testamenta vel propter geminum dilectionis præceptum. Bilibris itaque tritici denario valet, quia omnes sancti pretioso sanguine sunt redempti; unde *Bilibris tritici denario uno* dicitur meritum quod consistit in bona cogitatione et bono opere; secundum aliam expositionem potest exponi hæc auctoritas: *Bilibris tritici denario uno*, id est meritum quod consistit in bono opere adimplendo præcepta Novi Testamenti, quod per frumentum significatur, acquirit nobis æternæ beatitudinis denarium.

Bilis dicitur receptaculum fellis. Dicitur etiam ira, sicut dicitur: *Iste non potest continere bilem*, id est iram, etc.

Bini, proprie, unde in Evang.: *Misit eos binos et*

binos ante faciem suam; hic enim hoc separative A ponitur. Dicuntur duo, unde in Evangelio: *Erant ibi lapideæ hydriæ sex positæ, capientes singulæ metretas binas vel ternas*, id est duas vel tres, etc.

Biothanatus vel *biothematus*, simplex nomen quod est expositivum ex *bis* et *ota, otæ*, quod est *auris*, quia habet divisas otas, id est aures; et in simplici quod intrat per unam et exit per aliam; unde et *idiota* dicitur qui habet divisas aures ab *iduor, iduaris* quod est *divido, dividis*, et *ota, otæ* quod est *auris*, vel *biota, biotæ* idem est quod *ovis*, unde dicitur *biothanatus*, id est fatuus, unde legitur in passione sanctorum Gervasii et Protasii: *Vis tu biothanatus fieri*, id est fatuus, *sicut frater tuus?* Dicitur damnatus in corpore et anima; secundum B hoc componitur hoc nomen ex *bis* et *thanatos*, quod est *mors*, quasi bis mortuus in corpore, scilicet anima; unde legitur quod *Ægeas sepultus fuit inter biothanatos*, id est inter damnatos corpore et anima, et de hoc in *legenda sancti Andreæ*.

Bonus quandoque ponitur essentialiter et substantive cum dicitur de Deo, unde in Evangelio: *Quid me vocatis bonum? Nemo bonus nisi solus Deus*, quia ipse bonitas est. Quandoque ponitur negative, unde: *Bonum erat ei*, id est minus malum, quod non puniretur, nisi pro originali; quandoque denominative, vel notat initium boni principii, unde in Genesi: *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, et erant valde bona*, id est a valde bono facta. Quandoque notat actum justitiæ, unde: *Iste est bonus*, id est justus. Quandoque notat C usum rei, unde: *Hoc est bonum*, id est utile; vel opera sunt bona, id est utilia. Quandoque notat delectabile, unde in Psalmo: *Ecce quam bonum et jucundum!* Quandoque notat occasionem, ut cum dicitur *malum esse bonum*, id est occasio boni; unde Augustinus: *Qui summe bonus est nunquam malos esse sineret, nisi ex malis bona eliceret.*

Bos dicitur prædicator, quia sicut bos, vomere mediante, proscindit terram et germinare facit eam, ita prædicator vomere prædicationis suæ proscindit terram, ut fructificet eam virtutibus; unde in Apostolo: *Non alligabis os bovis triturantis*, id est non prohibebis prædicatorem vivere ex Evangelio, id est prædicatione, sed ei providebis, nam idem dicit Apostolus: *Si spiritualia vobis seminemus, non est* D *magnum si a vobis carnalia metamus.* Dicitur diabolus, unde in Job: *Fenum sicut bos comedit;* fenum ergo sicut bos comedere appetit, quia dente suggestionis conterere mundam vitam quærit.

Dicitur Judaicus populus, unde in Isaia: *Bos cognovit possessorem suum*, id est Judæus, *et asinus præsepe domini sui.* Dicitur Christus, quia sicut bos in Veteri Testamento immolabatur, ita in Novo Testamento Christus immolatus fuit pro peccatis nostris. Dicitur luxuriosus, unde [Salomon] loquens de luxuriosa et petulante muliere, ait: *Sequitur eam quasi bos ductus ad victimam.* Dicitur virtuosus vel justus, unde in Psalmo: *Omnia subjecisti sub pedibus ejus, oves et boves;* per oves innocentes, per boves virtuosos intelligere debemus. Dicitur etiam bonis operibus fecundatus ibidem.

Botrus proprie dicitur gemmula illa quæ in vere apparet in vite, unde in Cantico Moysi: *Uva eorum uva fellis et botrus amarissimus.* Dicitur gentilis populus, unde in sequentia magistri Adami (48):

Botrus Cypri refrigescit,
Dilatatur et excrescit.
Synagogæ flos marcescit,
Et floret Ecclesia.

Dicitur Christus in Canticis: *Botrus Cypri dilectus meus mihi*, id est comparabilis botro propter multiplices rationes seu causas. Dicitur uva, unde in Numeris dicitur de exploratoribus: *Botrum tulerunt in phalanga.* Dicitur reprobus, unde in Apoc.: *Mitte falcem tuam et vindemia botros vinearum terræ.* Botri hic dicuntur mali, de quibus legitur in Deut.: *De vinea Sodomorum vitium [vinea] eorum.* Dicitur initium gratiæ, quia sicut botrus præcedit uvam, ita tempus gratiæ præcedit vitam gloriæ.

Brachium, proprie, dicitur Filius Dei, unde in Isaia: *Et brachium Domini tui revelatum est.* Et dicitur ideo brachium, quia, sicut brachium exit a corpore, et remanet ejusdem naturæ cum corpore, ita Filius exit a Patre sine omni diminutione, et remanet ejusdem naturæ cum Patre; et sicut homo operatur per brachium, ita Pater per Filium. Dicitur Antichristus, unde Dominus: *Et brachium excelsum confringetur.* Quid aliud per excelsum brachium intelligitur, nisi superbia Antichristi et celsitudo quæ super reprobas mentes hominum fastu gloriæ sæcularis erigitur, ita ut homo peccator tum homo æstimari despiciens, se Deum super homines mentiatur? Dicitur gravis vindicta, unde in Psalmo: *Initium potenti et brachio excelso*, etc. Dicitur potestas sive potentia, unde in Psalmo: *Quoniam brachia peccatorum conterentur*, etc. Dicitur bona operatio, unde in Psalmo: *Posuisti ut arcum æreum brachia mea.*

Bruchus proprie, unde Psalmista: *Bruchi non erat numerus*, etc. Dicitur locusta *atelebus* idem, sed diversas significationes habent. Bruchus dicitur *fetus* et dicitur *abromum*, quod est consumere. Dicitur locusta quasi longa hasta; alæ ejus sunt innatæ. *Atelebus* dicitur quasi *alte labens.* Dicitur luxuria, quia sicut bruchus nascitur ex locusta arefacta in pariete, qui, cum alas non habeat, inhæret terræ, et consumit et comedit quidquid in terra invenit; ita luxuria hominem devastat, famam aufert, bursam evacuat, corpus enervat, animam commaculat, visum obtenebrat, Deum perdit, proximum offendit: cibus est diaboli, odium angelis; unde Joel: *Residuum bruchi*, id est luxuriæ, *comedit locusta*, id est superbia, quia, peracta luxuriæ pœnitentia, invadit hominem superbia et infestat. Dicitur timor vel tri-

(48) Adam. a S. Victore, seq. V *De resurrect. Domini*, Patrol. CXCVI.

stitia de rebus amissis secundum aliam expositionem. Et notandum quod quatuor sunt hominis status, scilicet spes de futuris bonis, timor de futuris malis, gaudium de habitis bonis ac tristitia de amissis, unde Boetius *De consolatione :*

Gaudia pelle,
Pelle timorem,
Spemque fugato.
Nec dolor adsit.

Buccina proprie, a *bucca*, quæ alio nomine dicitur *tuba*. Dicitur etiam prædicatio, unde in Psalmo : *Buccinate in neomenia tuba*, id est prædicate Novum Testamentum. Dicitur aliquid eminens signum, unde : *Canet buccina, et sancti, qui mortui sunt in Christo, resurgent primi;* sed non sic erit ad litteram, sed erit ad aliquod signum eminens quo resuscitabuntur sancti omnes, quod alibi clamor dicitur in Evangelio : *Media nocte clamor factus est.*

Butyrum proprie quælibet esca, unde in Isaia : *Butyrum et mel comedit*, id est quamlibet escam sumet, ut verus homo ostendatur; et sic erit verus homo ut sit verus Deus. Significat contumelias quas passus est, et est sensus secundum aliam expositionem : Butyrum comedet in contumeliis, et butyrum acre est, mel in miraculis. Signat amaritudinem activæ vitæ, mel dulcedinem contemplativæ vitæ. Tunc enim butyrum et mel comedimus cum amaritudine activæ vitæ afficimur et dulcedine contemplativæ refovemur, ut sciamus reprobare malum, id est præsentem vitam contemnere; et eligere bonum, id est futuram vitam. Dicitur etiam doctrina majorum, unde in Deut. : *Butyrum de armento et lac de ovibus*, id est fideles majorem doctrinam a majoribus, et minorem a minoribus accipiant. Dicitur bonum opus, unde per butyrum bona operatio, per mel dulcis sermo Christi intelligitur, ut sciat malum reprobare, id est damnare, et eligere bonum ad vitam. Dicitur etiam pinguedo lactis, primi motus dicuntur butyrum, unde quis dicitur comedere butyrum, id est primos motus destruere, et mel, id est delectationes carnis.

Buxus proprie ille qui, excæcatus infirmitate, bona opera facere non potest, sed tamen parentum fidem tenet, unde in Isaia : *Ponam in deserto ulmum et buxum simul.* Buxus arbor simplex est et humilis ; non fructificat, viret tamen, et significat illos qui fidem tenent et virent, excæcati tamen infirmitate, bona opera facere non valent, etc.

Byssus dicitur species lini quod crescit in Ægypto, quod multa attritione vertitur in candorem. Dicitur vestis facta de bysso, unde in Luc. : *Homo quidam erat dives, qui induebatur purpura et bysso.* Dicitur filum byssinum, unde in Exodo legitur quod cortina erat ex bysso, et purpura, et hyacintho, et cocco, id est ex filo byssino purpureo, hyacinthino et coccineo.

C

Cadaver proprie, dicitur damnatus, unde Isaias propheta : *Et egredientur et videbunt cadavera mortuorum qui prævaricati sunt in me.*

Cadere, proprie, unde in lib. Reg. : *Cecidit Heli resupinus a cathedra, et mortuus est.* Quandoque significat casum ab honore, unde Isaias : *Quomodo cecidisti, Lucifer, qui mane oriebaris*, id est a quo honore. Quandoque casum a virtute, unde Paulus : *Qui stat videat ne cadat*, id est qui stat in virtute, videat ne cadat a virtute. Quandoque casum a peccati immunitate, quamvis non in mortale, tamen in veniale peccatum. Quandoque casum a statu præsentis vitæ, unde : *Ubi ceciderunt fortes in bello.* Quandoque casum ab utilitate, unde Isaias : *Verbum misit Dominus in Jacob*, id est verbum evangelicum prædicavit Christus Judæis qui descenderunt de Jacob, *et cecidit in Israel*, et periit vel fructum non fecit ; vel aliter : *Verbum misit Dominus in Jacob*, id est in Synagogam, *et cecidit in Israel*, id est in gentibus quæ conversæ fuerunt, et fructum fecit, Israel enim interpretatur *Deum videns.*

Cæcus proprie mente excæcatus, unde in Evangelio : *Si cæcus cæcum ducit, ambo in foveam cadunt;* et alibi . *Cæci sunt duces cæcorum.*

Cædere proprie *verberare*, unde Christus in Joanne : *Cur me cædis*, et alibi : *Sine causa flagellis ceciderunt me.* Dicitur *evenire* (48*), unde dicitur quod male cessit Herodi Agrippæ propter mortem Domini. Signat locum dare, unde in Catone : *Cede, cede majori.* Signat etiam *loqui*, ut in multis locis in Terentio, etc.

Calamus proprie, arundo qui de facili agitatur et flectitur. Dicitur doctoris peritia, unde Isaias ait quod *in cubilibus, in quibus dracones habitabant, orietur viror calami et junci;* oritur, quia in eis populis, quos antiqui hostis malitia possidebat et doctorum scientia et auditorum obedientia coacervatur. Dicitur miseria gloriæ temporalis, unde Isaias : *Calamum quassatum non confringet;* regnum Judææ quassatum calamum vocat, quia ipsi de suo genere regem non habebant, sed alienigena regnum possidebat ; Christus autem veniens istud regnum non fregit potestate judicii, sed cum patientia toleravit. Recte per calamum temporalis gloria designatur, quia intus in conscientia per fatuitatem vacua est, sed foris per speciem et ostentationem pulchra. Dicitur homo mundanus qui more calami leviter flectitur ad bonum et ad malum, ad prosperitates et adversi-

(48*) Verbum *cadere* a *cedere* non distinguit, utroque in veteri scriptura diphthongo carente.

tates, unde : *Behemoth latet sub umbra calami*, quia ibi delectatur, ibi requiescit, scilicet in homine mundano. Dicitur propheta David, unde in Psalmo: *Lingua mea calamus scribæ, velociter scribentis*, quia sancti Spiritus fuit scriptor. Dicitur Filius Dei, ut in eodem exemplo secundum aliam expositionem, quia per eam nobis manifestatur et demonstratur voluntas Patris sui omnipotentis.

Calcaneus proprie dicitur a *calce*, id est ab extremitate pedis dictus. Dicitur finale opus, unde in Gen. : *Inimicitias ponam inter te*, o dæmon, *et mulierem*, id est Ecclesiam ; *et ipsa conteret caput tuum*, id est tuas primitivas suggestiones, *et tu insidiaberis calcaneo ejus*, id est finali operi.

Dicitur mors Christi vel passio secundum aliam expositionem : *Ponam inimicitias inter te et mulierem*, id est gloriosam Virginem ; *et ipsa conteret caput tuum*, quia per ipsam, o dæmon, potestas tua debilitata est ; *et tu insidiaberis calcaneo ejus*, id est insidiaberis ut ipsum Christum occidi facias. Et alibi de Judæis Christus ait : *Observaverunt calcaneum meum*, id est mortem meam. Dicitur malitia occulta vel dolosa cogitatio, unde Christus de Juda in Psalmo : *Qui edebat panes meos mecum, erexit adversum me*, id est contra me, *calcaneum suum*, id est occultam malitiam suam.

Calceamentum, proprie, dicitur incarnatio Christi, unde in Evangelio : *Non sum dignus solvere corrigiam calceamenti ejus*, id est mysterium vel secretum incarnationis Christi. Et Gregorius : *Venit ad nos calceata Deitas*, id est Christus in carne ; et in Psalmo : *In Idumæa extendam calceamentum meum*, id est in mundo extendam fidem incarnationis et passionis meæ. Dicuntur virtutes Dei, unde Apostolus : *Calceati pedes in evangelium pacis*, et in Canticis : *Quam pulchra es in calceamentis, filia principis!*

Calcedonius lapis est qui, quandiu in domo est, non lucet, volentes eum sculpere contristat; calefactus radio solis vel fricatu digitorum paleas ad se tollit. Signat eos qui suam bonitatem celant, et sua bona faciunt in abscondito, et nolunt videri ab hominibus, juxta illud Veritatis : *Tu autem, cum jejunas*, etc.; et iterum : *Cum facis eleemosynam*, etc. *Tu autem cum oraveris*. Et si quis voluerit talibus adulari vel laudare eos, quasi sculpere et pingere, non recipiunt eorum laudem et vanam gloriam ; et isti a flatu veri solis vel digitis, id est donis Spiritus sancti, quasi tacti, verbo suæ prædicationis et exemplo suæ bonitatis peccatores attrahunt ad se, et hic lapis pallidus qui pallore patientiam demonstrat.

Calculus, proprie, carbo, unde Isaias : *Volavit ad me unus de seraphin, et sumpto calculo de altari, tetigit labia mea*. Dicitur præmium æternæ beatitudinis, unde in Apoc. : *Vincenti dabo manna absconditum, dabo ei calculum candidum*. Dicitur sententia secundum quod soliti sumus dicere, nondum ventum est ad diffinitivum calculum.

Caligo, proprie, dicitur diabolus qui in se caliginosus est, et per obstinationem est obcæcatus et alios per pravam suggestionem excæcat ; unde in Psalmo : *Et caligo sub pedibus ejus*, id est diabolus Deo submissus. Dicuntur mali homines per infidelitatem excæcati secundum aliam expositionem, et est sensus : *Caligo sub pedibus*, id est damnati erunt Deo subjecti. Dicitur stupor, unde Sophonias propheta de die judicii dicit : *Dies illa, dies erroris et caliginis*. Dicitur obtenebratio visus, unde in Gen.: *Genuit Isaac, et caligaverunt oculi ejus*. Dicitur erroris confusio, unde Job de diabolo sub figura diei in qua natus est dicit : *Occupet eum caligo*, quia dum diabolus a lucis intimæ ordine cecidit, semetipsum intrinsecus erroris caligine confudit. Dicitur mentis confusio ex pœnitentia nascens, unde sic potest exponi prædicta auctoritas de pœnitenti : *Occupet eum caligo*, id est pœnitens pro peccato confundatur.

Calix proprie dicitur vas quo mensurate potus distribuitur. Dicitur passio sanctorum, unde Christus in Evangelio : *Calicem quidem meum bibetis*, id est passionem pro me sustinebitis. Recte calix dicitur passio, quia sicut calice potus mensuratur bibentis, ita mensurate cuique patienti, juxta quod sustinere potest, passio datur. Dicitur sanguis Christi, unde Paulus : *Probet se unusquisque homo et de calice bibat* ; et alibi: *Hic est calix novi testamenti*; et item : *Calix meus inebrians quam præclarus est*. Dicitur species vini sub qua latet sanguis Christi, unde in Evangelio de Christo dicitur : *Accepit calicem et dedit discipulis suis*. Dicitur sacra Scriptura, unde in Psalmo : *Calix in manu Domini vini meri plenus misto* ; per merum intelligitur spiritualis intelligentia, per mistum litteralis observantia, unde ibidem : *Verumtamen fæx ejus non est exinanita*, id est litteralis intelligentia quam adhuc Judæi observant. Dicitur æterna beatitudo, unde David : *Calicem salutaris accipiam*, id est fruar æterna beatitudine. Dicitur terrena voluptas, unde in Apoc. dicitur de calice aureo Babylonis quo inebriavit Deus omnes gentes, quia terrena voluptate omnes inebriantur. Dicitur etiam vas in quo sacramentum celebratur Eucharistiæ in altari.

Callis dicitur via. Calles dicuntur sanctorum exempla, unde in Proverbiis : *Et calles justorum custodiat*.

Calor, proprie, dicitur Spiritus sanctus, unde Psalmista : *Nec est qui se abscondat a calore ejus*, id est non sunt in corde alicujus cogitationes quas ipse non videat. Dicitur concupiscentia, unde in Paralip. : *Hi sunt qui descenderunt de calore Rechab*, quia concupiscentia celebratur, calore mediante. Dicitur etiam charitas secundum aliam expositionem, et melius in prædicto exemplo, ut sit sensus : Qui imitatur Rechab qui voverat se non bibiturum aliquid quo posset inebriari, et semper sub dio habitabat, quod posteritas ejus tota sic faciebat, et est sensus historicus : *Qui descenderunt*

de calore Rechab, id est qui observant religionem vel charitatem Rechab.

Camelus, proprie, dicitur peccator pondere peccatorum oneratus, unde in Marco : *Facilius est camelum per foramen acus transire.* Dicitur etiam Christus, unde Dominus ait quod Judæi colant culicem et deglutiunt camelum. Culex susurrando vulnerat, camelus sponte se ad onera inclinat. Colaverunt ergo Judæi culicem qui seditiosum Barrabam petierunt ; camelum vero glutierunt, quia eum qui nostræ immortalitatis onera sponte suscepit exstinguere clamando conati sunt, dicentes : *Crucifige, crucifige.*

Caminus, proprie, unde in Daniele dicitur quod Nabuchodonosor misit tres pueros in caminum ignis. Dicitur tribulatio, unde in lib. Sapientiæ : *Quoniam in igne probatur aurum et argentum*, homines vero reptibiles in camino humiliationis. Dicitur humiliationis tribulatio, quia in ea humiliatur homo. Dicitur charitas, unde in Isaia de ipsa legitur quod nunc *Est ignis in Sion et* erit *caminus in Jerusalem.* Dicitur infernus, unde in Evangelio legitur quod mali detrudentur *in caminum ignis*.

Campus proprie, unde in Gen. : *Egressus est Abel cum Cain fratre suo in campum.* Dicitur mundus propter sui amœnitatem, unde a Græcis dicitur *cósmos*, id est ornatus, unde in Psalmo : *Omnia subjecisti sub pedibus ejus : oves*, id est innocentes ; *boves*, id est virtuosos ; *et pecora campi*, id est mundanos homines. Dicitur etiam Ecclesia Dei, quia sicut in campo varii sunt flores, sic in Ecclesia Dei ; est enim ibi rosa martyrii, viola humilitatis, lilium virginitatis, uva castitatis, unde in Cant. : *Ego flos campi et lilium convallium*, etc. Dicitur amplitudo vel latitudo vitiorum, unde in Psalmo : *Invenimus eam in campis silvæ*, id est vagantem in vitiis. Dicitur gentilitas, ad quam expositionem potest referri prædicta auctoritas ; *invenimus eum in campis silvæ*, id est Ecclesiam in gentilitate, id est in silvestribus hominibus, et loquitur in persona apostolorum. Dicitur aliquis a tumore superbiæ in humilitate descendens, unde in Psalmo : *Ascendunt montes et descend nt campi.* Dicuntur sancti, unde David : *Et campi tui replebuntur ubertate*, id est sancti replebuntur ubertate virtutum et bonorum operum, etc.

Canalis, proprie, dicitur cor humanum, quia sicut per canalem decurrit aqua, ita per cor compunctio et passionis Christi recordatio ; unde in laudibus sponsæ : *Comæ capitis tui, sicut purpura regis juncta canalibus.* Purpura regis jungitur canalibus quando passio Christi intimatur nostris cordibus, ita ut vera charitate Christo compatiamur. Dicitur etiam prædicator per quem descendit spiritualis aqua in areolas aromatum, id est in mentes sanctorum ; unde dicitur quod per canales descendit aqua ad areolas, secundum quam significationem potest exponi illa auctoritas : *Purpura regis canalibus* jungitur, quando prædicatores Christi passionem exponunt.

A *Cancellus*, fenestra interius lata, exterius stricta. Dicitur deambulatorium, unde in lib. Reg. [dicitur] quod *rex Israel cecidit per cancellos.* Dicitur obscura doctrina, unde in Cant. : *En ipse stat post parietem nostrum, aspiciens per fenestras et cancellos.* Fenestræ ampliores sunt, cancelli strictiores ; per fenestras ergo intelligitur manifesta doctrina, quæ minoribus a Christo est proposita ; per cancellos altior et obscurior doctrina, quæ majoribus est oblata. Dicitur etiam cor humanum, unde in Proverbiis : *De fenestra domus prospexi per cancellos* ; verba sunt prospicientis Dei de altitudine cœli per meritorum intuitum corda hominum.

Candelabrum, proprie. Quandoque etiam significat crucem, ut in Evangelio : *Nemo lucernam accen-* B *dit et in abscondito ponit eam, sed super candelabrum.* Dicitur etiam Christus, ad quam significationem potest referri prædicta auctoritas, quia in fide Christi debet aliquis lucernam accendere. Dicitur caro, quia homo prædicationem verbi Dei amori carnis debet præponere. Quandoque significat donum Spiritus sancti, unde in Apoc. septem candelabra significant septem dona Spiritus sancti.

Canere, proprie, *manifestare*, unde in Evangelio : *Cum facis eleemosynam, noli tuba canere ante te*, id est noli opus tuum manifestare intuitu favoris humani vel terreni emolumenti. Nota quod eleemosyna quandoque fit in occulto, quandoque in aperto ; in occulto, ut in prædicto exemplo, scilicet *cum facis* ; in aperto, ut in Evangelio : *Luceant opera vestra coram* C *hominibus ut glorificetur Pater vester qui in cælis est.* Signat *prophetizare*, unde in prosa : *Isaias cecinit*, id est prophetizavit, *Synagoga meminit, nunquam tamen desinit esse cæca* ; et alibi de Sibylla : *Diva, cane et vaticinare*, etc. Signat metrice describere, unde : *Cecinit Moyses carmen Domino*, id est proposuit carmen Domino metrice scriptum. Et Virgilius :

Arma virumque cano.

Signat *laudare*, unde Virgilius

.....*Regemque canebant*,

id est laudabant.

Canis, proprie, dicitur prædicator vel bonus prælatus. Canis insignes habet proprietates : bonos significat pastores ; secundum dejectos mercenarios D et fures. Canis autem hæ sunt insignes proprietates. Canis est animal exhibens homini familiaritatem, domini custodiens ædem, furem arcens, latrans contra lupum venientem, fugans latronem, linguam medicinalem habens : secundum has proprietates signat bonum pastorem qui tenetur subditis exhibere compassionis familiaritatem, judicare subditorum infirmitatem, congaudere sanis, compati ægris, regere viantes, corrigere deviantes ; hic etiam tenetur custodire domum Domini, id est Ecclesiam Dei ne fur, id est hæreticus, aliquem subripiat de Ecclesia per suggestionem ; ne lupus, id est diabolus, aliquem devoret per tentationem ; ne latro, id est tyrannus, in Ecclesia irruat per violentam tyrannidem, unde Psalmista : *Famem patientur ut canes*, et ali[...]:

Lingua canum tuorum. Sed nostris temporibus canis lupum induit, latroni consentit, furi obedit; in furem vertitur, et si non per sensum, saltem per consensum; quia vel negligentia ductus non arguit, vel ignorantia obtenebratus arguere nescit, vel pecunia tactus in Ecclesia esse permittit; contra lupum venientem non latrat, quia diaboli insidias non denudat, quia negligit vel denudare nescit, vel dæmonis insidias sequendo ejus tentationi succumbit; et latronem, id est tyrannum, fugit, non fugat, quia negligentia laborat, vel ignorantia errat, vel prece vel pretio remissus, vel cupiditate illectus; de quibus dicitur in Isaia: *Væ vobis canes muti non valentes latrare*, quia contemnitis. Canis dicitur etiam pravus prælatus secundum dejectas proprietates. Canis est animal lunaticum, immundum, revertens ad vomitum. Sic prælati nostri temporis indiscrete in subditos sæviunt, et tanquam lunatici canes, legitimum ordinem prætermittunt et indiscrete latrant, (quia quos deberent arguere mulcent, et quos deberent mulcere latratu inordinatæ apprehensionis mordent. Canis est animal immundum natura, sic prælati immundi sunt multiplici causa: effluunt enim luxuria, defluunt gula, incandescunt ira, ardent avaritia; de istis dicitur: *Væ vobis canes muti non valentes latrare.* Dicitur etiam hæreticus propter immunditiam, unde Christus apostolis dixit in Evangelio: *Nolite sanctum dare canibus.* Dicitur gentilis populus, unde Christus in Evangelio Chananeæ dixit: *Non est bonum sumere panem filiorum*, id est Judæorum, et *mittere canibus*, id est gentilibus; panem, id est prædicationem divinam tam Judæis quam gentilibus. Dicitur apostata, unde dicit Petrus: *Tanquam canis revertitur ad vomitum.* Dicitur vilis, unde in lib. Reg. Abner dicit Isboseth: *Reputasti me quasi caput canis*, unde in eodem dicit David de Saul: *Melior est canis vivus leone mortuo*, id est melior est aliquis vivens in præsenti quam aliquis mortuus, quantum ad possibilitatem merendi, quia iste potest mereri majorem beatitudinem quam aliquis habeat in æterna beatitudine. Ille vero qui est in patria non potest, econtra aliquis qui est in patria dicitur melior ratione certitudinis et beatitudinis. Ad hoc potest assignari quod dicitur de Joanne Baptista: *Inter natos mulierum non surrexit major Joanne Baptista*, et statim quasi contrarium sequitur: *Qui minor est in regno cœlorum major est illo;* hoc ita exponitur: Ille qui est in patria dicitur minor in possibilitate merendi, et ideo dicitur mortuus, sed major est ratione hujus dignitatis; vocat eum leonem; ille qui est in via est minor possibilitate peccandi, major potestate merendi, et dicitur canis propter immunditiam, quia quandiu sumus in hac vita immundi sumus.

Canticum dicitur mentis exsultatio proprie habita de æternis in vocem prorumpens. Dicitur prædicatio Novi Testamenti, unde Psalmista: *Immisit in os meum canticum novum.* Dicitur oratio exprimens Dei laudem, unde in cantico Moysi: *Cantemus Domino gloriose.* Dicitur exsultatio æternæ beatitudinis, unde in Apoc.: *Cantabunt sancti canticum novum in conspectu Agni.* Quandoque, antonomastice, Cantica canticorum, scilicet epithalamium Salomonis quod canit de ineffabili conjunctione Christi et Ecclesiæ, scilicet: *Osculetur me*, et hoc ratione dignitatis; et nota quod Cantica canticorum dicuntur duobus modis: aut temporis antiquitate, ut illud Moysi, quia ante non legitur aliquod fuisse editum; aut mysterii dignitate, ut illud Salomonis quod dicitur Sir Hasirim, id est Cantica canticorum, Cantilena Sponsi vel Sponsæ, Carmen dilecti, Canticum amoris, Canticum dilectissimi, vel amantissimi, vel desiderantissimi, vel laudes Sponsi vel Sponsæ, etc.

Capere proprie, unde: *Capite nobis vulpeculas parvas quæ demoliuntur vineam meam*, id est hæreticos qui demoliuntur Ecclesiam meam. Signat contingere, et capitur impersonaliter, unde Christus discipulis sibi dicentibus ne rediret in Galilæam propter Herodem qui sibi insidiabatur, ait: *Dicite vulpi illi*, id est Herodi qui dicitur vulpis propter dolositatem et fraudulentiam, *quoniam non capit*, id est contingit, *prophetam*, id est me, qui antonomastice dicor propheta, *perire extra Jerusalem*, id est Jerusalem patiar et non alibi. Signat fructum facere, unde in Joanne Christus ad incredulos: *Sermo meus non capit in vobis*, id est non proficit vel fructum non facit, etc. Signat aliquem in exemplum habere, unde Apostolus in II Epist. ad Cor.: *Capite me*, exemplum signat, etc.

Capillus proprie. Dicuntur sancti vel fideles, qui attenuant corpus suum per abstinentiam ad exornationem capitis sui, id est Christi; unde in Canticis: *Capilli tui sicut grex caprarum.* Sicut enim capilli in ornamentum capitis, sic sancti in ornamentum Christi; dicuntur peccata venialia, unde in Psalmo: *Multiplicati sunt super capillos capitis mei*, id est peccata et *iniquitates;* unde clericis præceptum est ut removeant capillos (longitudo enim capillorum multitudinem significat peccatorum), ad hoc significandum quod ipsi tenentur deponere peccata mortalia et quædam venialia. Capilli dicuntur mali, unde in Psalmo secundum aliam expositionem: *Multiplicatæ sunt super capillos capitis mei.* Capillis capitis comparat inimicos, qui a Christo rasi sunt, per ipsorum infidelitatem. Dicitur cogitationum sublimitas, unde in Canticis: *Capilli tui sicut grex caprarum, quæ ascenderunt de lavacro.* Est enim sensus: *Capilli tui*, cogitationes tuæ, sunt *sicut greges caprarum*, id est comparabiles sunt motibus contemplationum, quia ad contemplationes tales cogitationes pertinent, quæ eleganter per capreas significantur. Sicut enim capreæ in montibus pascuntur et subtiliter intuentur, ita et tales motus in cœlestibus delectantur et cœlestia speculantur; *quæ*

ascenderunt de lavacro; quia, mente purgata ab amore terrenorum, procedunt diversi motus contemplationum.

Capparis proprie est herba in cujus vertice oritur lanugo quæ flatu venti spargitur. Dicitur etiam Synagoga, unde in Eccle. : *Florebit amygdalus, impinguabitur locusta, dissipabitur capparis*, id est Synagoga in infidelitate vivendi ordinem amisit.

Caprea proprie, unde in lib. Reg. : *Erat Azäel quasi unus de capreis*, etc. Dicitur Christus qui capreæ similatur secundum divinitatem; asserunt namque hi quibus peritia medicinæ est, inesse animali huic inter viscera humorem quemdam, qui caliginem depellit oculorum, et obtusiones visus acuit. Merito ergo Christus capreæ assimilatur, quia non solum ipse videt Patrem, sed videri ab his facit quorum visus ipse curavit, unde in casu [Cant.]: *Similis est dilectus meus capreæ hinnuloque cervorum.* Prophetæ comparantur capreæ propter propheticam revelationem; quia sicut caprea subtilem habet visum, ita propheta in prævidendis futuris subtilem habet intellectum.

Caput, proprie, dicitur Dei judicium. Dicitur principium, unde David in persona Christi : *In capite libri scriptum est de me*, id est in principio Psalterii, ubi dicitur : *Beatus vir*, etc. Dicitur mens humana vel ratio : *Convertetur dolor ejus in caput ejus*, id est pœna peccati hominis; *convertetur in caput ejus*, id est ratio obtenebrabitur. Dicitur prima suggestio a diabolo, unde in Gen. dixit Deus diabolo, qui erat in serpente : *Ponam inimicitias inter te et mulierem*, id est Ecclesiam; *et ipsa conteret caput tuum*, id est suggestionem primam; *et tu insidiaberis calcaneo ejus*, id est finali operi. Dicitur maritus uxoris, unde Apostolus : *Vir est caput mulieris, caput viri Christus, caput Christi Deus.* Dicitur terminus rei, unde in Threnis : *In capite omnium platearum*, id est in termino. Dicitur Synagoga respectu cujus gentilitas dicitur cauda, unde : *Caput mutatur in caudam et cauda in caput*, id est Synagoga, quæ erat caput ante Christi adventum, facta est cauda gentilitate ad fidem conversa, juxta illud Evangelii : *Erunt primi novissimi.*

Carbo, proprie, est charitas; unde Jacobus [Paulus] : *Hoc faciens, carbones ignis congeres super caput ejus*, id est patientia tua accendens eum in charitate divina. Dicitur mens in peccatis frigida, unde in Threnis : *Denigrata est super carbones facies eorum.* Mentes peccatorum nigræ post candorem fiunt, quia, amissa Dei justitia, cum peccatores de se præsumunt, in ea etiam quæ non intelligunt peccata dilabuntur. Dicitur illuminatio fidei, unde in Psalmo: *Præ fulgore in conspectu ejus nubes transierunt, grando et carbones ignis*, id est præfulgidi prædicatores, scilicet apostoli transierunt per universum orbem comminando, quod significatur cum dicit *grando;* et post grandinem comminantem secuti sunt *carbones ignis*, id est illuminatio fidei quæ significatur per carbones; apostoli dicuntur præfulgidi et A respectu prophetarum, quia in dictis suis fuerunt obscuri, unde David : *Tenebrosa aqua in nubibus aeris*, id est obscura intelligentia in prophetis. Dicitur prædicator qui sua prædicatione alios accendit in amorem Dei, unde Psalmista : *Sagittæ potentis acutæ cum carbonibus desolatoriis*, id est prædicatoribus Dei, qui desolantur peccatores ab amore terrenorum, prædicatione sua consolantur ad cœlestia capessenda. Carbones dicuntur prædicatores prius vivi per fidem et gratiam, et postea mortui per infidelitatem, unde David : *Carbones succensi sunt ab eo*, id est diu mortui per gratiam Dei illuminati a Christo Salvatore nostro.

Carcer, proprie, quandoque significat carnem, unde in Psal. : *Educ de carcere animam meam.* Quan-
B doque significat peccatum vel infernum, ut : *Educ vinctos de domo carceris et umbra mortis*, id est de carcere peccati vel inferni. Dicitur tribulatio, unde Apoc. : *Ecce missurus est diabolus ex vobis in carcerem.*

Cardo proprie materia quæ circa cardinem vertitur ostii, et circa materiam opus vertitur, unde . *Cardo disputationis externæ res erat publica.* Dicitur oriens, unde in hymno : *A solis ortus cardine*, id est ab oriente ubi oritur sol.

Carmelus est mons Christus, qui vera circumcisione ab omnibus vitiis fideles suos circumcidere novit. Carmelus enim interpretatur *cognitio circumcisionis*, unde in Cant. amantissimi : *Caput tuum*
C *sicut Carmelus.*

Carmen dicitur oratio metrice scripta, unde Boetius [*De consol. Philos.*] :

Carmina qui quondam studio florente peregi,
Flebilis, heu! miseros cogor inire modos.

Dicitur sacra Scriptura, unde in libro Sapientiæ : *Requirentes modos musicos et narrantes carmina Scripturarum.* Dicitur laus divina, unde in Psalmo : *Immisit in os meum canticum novum, carmen Deo nostro.* Dicitur verbum incantationis, unde dicitur quod incantatores carminibus suis decipiunt homines.

Caro, proprie, dicitur reprobus, unde in Job de Behemoth dicitur : *Membra carnium ejus cohærentia*
D *tia sibi.* Carnes enim diaboli sunt omnes reprobi qui in prava operatione sunt ei conjuncti. Dicuntur discipuli Domini, unde in persona Christi Job ait : *Pelli meæ, consumptis carnibus, adhæsit os meum*, quasi dicat : Discipuli mei in passione mea per infidelitatem consumpti sunt. Dicitur pœna carnis, unde Job amicis ait : *Quare persequimini me, sicut Deus, et carnibus meis saturamini*, id est pœnis carnis meæ. Dicitur carnalis delectatio, unde in Job : *Tabescet caro illius, et ossa, quæ tecta fuerant, nudabuntur.* Tabescit caro et ossa nudantur, quando per flagella carnalis delectatio extenuatur, et ea quæ sub carne latuerant, virtutum forma patefiunt. Dicitur vita carnalis, unde Job : *Induta est caro mea putredine et sordibus pulveris*,

ac si aperte diceret : Carnalem vitam quam patior A aut tabes lubricæ operationis polluit, aut ex vitiorum memoria caligo miseræ cogitationis premit. Dicitur substantia, unde Apostolus : *Alia caro hominum, alia volucrum, alia piscium, alia quadrupedum*, id est substantia. Dicitur homo, unde in Joanne : *Verbum caro factum est;* et propheta: *Omnis caro fenum.* Dicitur infirmus, unde in Genesi : *Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est*, id est infirmus; *spiritus meus*, id est ira mea, quia fragilis naturæ est et peccavit per infirmitatem; diabolus vero ex adipe iniquitatis. Dicitur homo carnalis, unde Paulus : *Caro et sanguis regnum Dei non possidebunt*, id est carnales homines. Dicitur carnalitas vel sensualitas, unde Apostolus: *Caro pugnat adversus spiritum, spiritus autem adversus* B *carnem;* et Psalmista : *Non est sanitas in carne mea.* Dicitur corruptio carnis, unde secundum aliam expositionem : *Caro et sanguis regnum Dei non possidebunt*, quia ibi non erit corruptio. Dicitur carnalis scientia, unde in Matthæo : *Beatus es, Simon Barjona, quia caro et sanguis non revelavit tibi*, id est carnalis scientia. Dicitur legalis observantia, unde Apostolus : *Renuntiavit carni et sanguini*, id est legali observationi. Dicitur forma panis, in qua latet corpus Christi Jesu. Dicitur opus carnale, unde in Genesi : *Et erunt duo in carne una*, id est in uno opere carnali. Dicitur etiam homo justus, unde in Psalmo : *Ad te omnis caro veniet*, id est homo vincens carnem. Dicitur cognatus, unde in C Isaia. *Cum videris nudum, operi eum, et carnem tuam ne despexeris.* Dicitur frater, unde in Genesi Ruben volens liberare Joseph, dixit : *Caro enim et frater noster est.* Dicitur mulier, unde in Joanne : *Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis*, id est mulieris in qua major est voluptas quam in viro, unde in emissione partus duplici dolore cruciatur.

Cartilago, proprie. Dicitur simulatio, quia sunt quidam qui ostendunt in se rectitudinis speciem sub qua vitia velant, unde in Job : *Cartilago ejus quasi laminæ ferreæ.* Dicuntur minores Antichristi, unde Greg. : *Cartilago ossis speciem habet, sed ossis fortitudinem non habet ; et sunt nonnulli Antichristi tempore non dignitatibus clari, sed tamen* D *videri quales non sunt ambiunt, et ideo contra bonorum vitam nequiores fiunt.*

Cassia est species aromatica. Est quæ datur in aquis fides baptismi vel nutritur, eo quod cassia nutritur in aquis, unde in Psalmo : *Myrrha et gutta, et cassia.*

Castra, proprie. Dicitur Ecclesia Dei, unde in Cant. : *Terribilis ut castrorum acies ordinata.* Dicitur dæmon, unde dicitur quod dæmones sunt castra militantia Deo. Dicitur exercitus angelorum, unde in Genesi legitur quod exercitus angelorum apparuit Jacob revertenti a Mesopotamia, unde locus ille ubi apparuerunt angeli dicitur Manaim, id est *castra*, etc.

Casus, proprie, fortunæ a prosperitate in adversitate, de quo Boetius in lib. *De cons. Philos.* :

Qui cecidit, stabili non erat ille gradu.

Casus naturæ de vita in mortem, de quo legitur in libro Reg. : *Quomodo ceciderunt fortes in Israel ?* Casus gratiæ de virtutibus in vitia, unde Apostolus : *Qui stat, videat ne cadat.* Casus gloriæ, unde Isaias : *Quomodo de cœlo, Lucifer, cecidisti qui mane oriebaris?* Casus in ruinam gehennæ, unde in Psalmo : *Cadet cum dominatus fuerit pauperum.*

Cataclysmus, dicitur diluvium a *cata* quod *fluxus;* unde in lib. Sapientiæ : *Cataclysmus aridam inebriavit.* Dicitur infernus, unde in lib. Philonis qui et Salomon dicitur : *Super iniquos creata sunt omnia hæc, et propter illos est cataclysmus*, id est infernus, quia propter malos puniendos creatus est, etc.

Cataractæ dicuntur brachia Nili ; septem enim rivuli in quibus divisus est Nilus ab Alexandro, dicuntur proprie *cataractæ* et *catadupæ* a *cata*, quod est *fluxus*, etc. Sunt etiam meatus terræ subterranei per quos defluit aqua, sive dracones vel scaturigines dicuntur. *Cataractæ* dicuntur etiam nubes quæ apertæ sunt, id est resolutæ in pluviam, tempore diluvii, unde in Genesi: *Cataractæ cœli apertæ sunt.* Signant prædicatores, quia per prædicatores descendit pluvia cœlestis doctrinæ in subjectos, unde in Psalmo : *Abyssus abyssum invocat, in voce cataractarum.* Sunt etiam duo Testamenta quæ nos irrigant cœlesti doctrina, ut sit sensus : *Abyssus abyssum invocat*, id est gravis pœna quæ inflicta est Adæ pro uno peccato, significat quanta pœna infligenda sit peccatoribus pro multis gravioribus peccatis, et hoc attestantur duo Testamenta, etc.

Catena, proprie, dicitur infirmatio potestatis dæmonis, unde : *Vidi angelum descendentem de cœlo, habentem clavem abyssi, et catenam magnam in manu sua*, etc.

Cathedra, proprie, dicitur doctrina vel amor dominandi, unde in Psalmo : *In cathedra pestilentiæ non sedit*, id est doctrinam pestiferam non dedit vel amorem dominandi non habuit, qui amor pestilentiæ nomine dicitur ; quia, sicut morbus qui pestilentia dicitur quasi pestilenti lacte vagatur et totum gregem corrumpit, sic amor dominandi plures inficit. Dicitur etiam regnum, unde in Psalmo : *In cathedra seniorum laudent eum*, id est regimine pastorali.

Catulus proprie leonis. Dicitur etiam Christus, quia sicut leo tertia die a nativitate catulos suos suscitat, ita Deus Pater Filium suum Jesum die tertia suscitavit; unde in benedictionibus Jacob : *Juda, te laudabunt fratres tui, catulus leonis Juda.* Dicitur aliquis inspiratus a dæmone, unde in Psalmo : *In medio catulorum leonum dormivi, conturbatus*, et in pluribus aliis locis. Dicuntur etiam minores dæmones, unde David : *Catuli leonum rugientes, ut quærant a Deo escam sibi.* Dicuntur discipuli hæreticorum, unde in Threnis : *Lamiæ nudaverunt mammas et lactaverunt catulos suos.* Lamia est quoddam

animal vultum virgineum habens et pedes equinos, per quod figurantur qui in primis vera proponunt et in fine falsa concludunt, juxta illud : *Latent sæpe vineam circumlita melle verborum; et tandiu præceptor vera simulat quandiu verba falsa dicit.*

Cauda, proprie, dicitur Antichristus, unde legitur in Apoc. quod draco traxit cauda sua secum tertiam partem stellarum, quia maxime diabolus per Antichristum in fine mundi despiciet justos. Dicitur potestas terrena, unde in Apoc. dicitur quod *in caudis scorpionum erant aculei*, quia hæretici, qui maxime significantur per scorpiones, infestabunt sanctos per terrenam potestatem. Dicitur etiam gentilis populus, unde Isaias : *Cauda vertetur in caput et caput in caudam ;* quia Judæi, qui fuerunt primi sancti, sunt novissimi : et gentiles, qui erant novissimi, facti sunt primi.

Cauma dicitur fervor, unde in catalogo creaturarum : *Benedicite cauma et frigus Domino.* Dicitur etiam tribulatio, unde Job : *Cutis mea denigrata est super me, et ossa mea aruerunt præ caumate*, etc.

Caupo, proprie. Dicitur falsus prædicator qui admiscet falsa veris, unde Isaias : *Caupones tui miscent aquam vino*, etc.

Caverna, proprie. Dicitur vulnus Christi factum lancea, unde in Cant.: *In foraminibus petræ, in caverna maceriæ.* Per foramina intelliguntur vulnera Christi, quæ sunt facta clavorum perforatione ; per cavernam, vulnus factum cum lancea intelligitur. Est ergo sensus : In fide habita de vulneribus factis sive per clavos sive per lanceam judicabunt, id est habitant per fidem. Dicuntur etiam imperfectiores qui minora de Deo sentiunt, ut in eadem auctoritate secundum aliam expositionem : per foramina enim intelliguntur magis perfecti, per cavernam non ita perfecti in fide Christi.

Dicitur pravum cor hominis quod inhabitat diabolus, unde in Isaia: *Puer ablactatus, mittens manum in cavernam reguli* ; id est Christus, postquam ablactatus fuerit, extrahet hominem a dæmonis potestate, etc. ; vel Christus ejiciens diabolum in caverna reguli, id est ab homine pravo quem inhabitat Lucifer qui dicitur regulus ; unde magister Adamus (49) :

Anguem forat in maxilla,
Christus hamus et armilla.
In cavernam reguli
Manum mittit ablactatus,
Et sic fugit exturbatus
Vetus hospes sæculi.

Hamus ; dicit, juxta illud : *Quis capiet Leviathan hamo*, ad idem dicit magister :

Manum mittit ablactatus, etc.

Cedrus, proprie, unde legitur in lib. Reg. quod *Salomon fecit templum de cedris Libani.* Dicitur angelus, unde Isaias : *Quid faciet virgula deserti, cum movebitur cedrus paradisi ?* id est : Quid faciet homo peccator in die judicii quando sic tremebunt angeli ; et alibi de Lucifero dicitur : *Cedri non fuerunt altiores illo in paradiso*, id est angeli. Dicitur etiam aliquis exaltatus in terrenis honoribus, unde in Psalmo : *Vidi impium superexaltatum et elevatum sicut cedrus.* Cedrus radicata ad modicum utilis est, eradicata vero magnam affert utilitatem ; sicut aliquis potens in terrenis inutilis est, humiliatus vero per pœnitentiam magnam confert utilitatem, unde in Psalmo : *Vox Domini confringentis cedros.* Dicitur aliquis habens potestatem super multos, unde in lib. Reg. : *Carduus venit ad cedrum Libani, dicens : Da filio meo filiam tuam in uxorem ;* hoc dicit Joas rex Israel, qui valde potens erat, Amasiæ regi Juda minus se potenti et cum eo pugnare volenti. Dicitur sanctus ; quia sicut cedrus arbor procera et odorifera est et suo odore fugat serpentes : sic sanctus celsitudine virtutum eminet, bonæ opinionis odorem mittit, verbo, opere et exemplo fugat serpentes, id est dæmones ; unde Cant. : *Tigna domorum nostrarum sunt cedrina laquearia cupressina ;* et Psalmista : *Justus ut palma florebit, sicut cedrus Libani multiplicabitur.* Dicitur virtutes sanctorum, unde Ezechiel : *Aquila magnarum alarum comedit medullam cedri*, id est diabolus, qui dicitur *aquila magnarum alarum* propter subtilitatem suggestionum, *comedit medullam cedri*, id est abundantiam virtutum. Dicitur templum ex cedro coopertum, ut ponatur materia pro materiato, ut in prædicto exemplo, quantum ad litteram, *aquila magnarum alarum* dicitur Nabuchodonosor, propter multitudinem potentiæ; *qui comedit medullam cedri*, id est templum destruxit de cedro coopertum et constructum, mediante Nabuzardan principe suo, etc.

Censere significat *numerare*, unde legitur quod *multa millia filiorum Israel recensita sunt*, id est numerata. Secundum hoc census dicitur a *censio*, quia antiquitus pecunia tradebatur numero vel pondere, unde dicitur appropensa. Signat *repetere*, unde in oratione Natalis Domini dicitur : *Recensita nativitas.* Nota quod dicitur, *recensita* per *i* productum, et secundum hoc descendit a *recensio*, *is*, quod est quartæ conjugationis ; alii dicunt quod corripitur, et est supinum hujus verbi *recenseo, es*, quod est secundæ conjugationis, et facit præteritum *recensui* et supinum *recensitum ;* alii dicunt *recensetum* et venit a *recenseo, es, recensui*, et secundum hoc potest dici *recensita nativitas*, *i* producto vel correpto.

Cera, proprie, dicitur cor vel mens hominis per pœnitentiam ad ignem charitatis emollita vel liquefacta, unde David : *Factum est cor meum tanquam cera liquescens.* Dicuntur mali, unde in Psalmo : *Sicut cera quæ fluit a facie ignis, sic pereant pecca-*

(49) Adam. a S. Victore, seq. V *De resurrect. Domini*, Patrol., t. CXCVI.

tores a facie Dei, et fluent a facie ignis gehennalis, etc.

Cervix, proprie, dicitur superbia; unde in Deut. dixit Moyses populo Israel : *Scio enim contentionem tuam et cervicem tuam durissimam*; et in Psalmo : *Dominus concidet cervices peccatorum*. Dicitur potentia, unde in benedictionibus Jacob : *Manus tua in cervicibus inimicorum tuorum*. Dicitur etiam libertatis erectio, unde Job in persona Ecclesiæ ait : *Tenuit cervicem meam, confregit me*, id est quam infirmus habui, discretio suæ passionis inclinavit.

Cervus, proprie, dicitur Christus, vel humana Christi natura, ut habetur in titulo : *Deus, Deus meus, respice in me* ; dicitur ibi *in fine psalmi David* pro cerva matutina. Eleganter comparatur humana Christi natura cervæ matutinæ; quia, sicut cerva matituna surgens in mane, cornibus suis penetrat et pertransit dumeta, et constituit se super montium excelsa; sic Christus, mane surgens, a somno mortis transivit spineta pœnarum et mortalitatis, et constituit se in excelso montis; quia post resurrectionem transiit in cœlum, penetravit etiam dumeta, id est humanos defectus cornibus imposita divinitas evasit : ideo Christus comparatur cervæ et non cervæ, ut notetur quod humana natura inferior est divina, etc.

Dicuntur etiam prophetæ, unde in Cant. : *Adjuro vos, filiæ Jerusalem, per capras hinnulosque cervorum*. Dicuntur etiam sancti, unde in Psalmo : *Montes etiam excelsi cervis, et petra refugium erinaceis*. Montes cervis sunt refugium, id est sancti qui tribulantur, recurrere debent ad montes excelsos, id est ad apostolos vel ad eorum exempla, petra, id est Christus, est refugium erinaceis, id est peccatoribus conversis et pœnitentibus, qui sic hic figurantur per erinaceos propter ericii proprietatem. Dicitur neophytus vel perfectus secundum quod illud dupliciter exponitur : *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum* ; hoc enim exponitur de neophytis, quantum ad baptismum, vel de perfectis quantum ad vitam æternam.

Chamus, proprie, dicitur minor tribulatio, quia chamus non ita constringit fauces equi sicut frenum; unde per chamum minor tribulatio, per frenum major tribulatio intelligitur; unde in Psalmo : *In chamo et freno maxillas eorum constringe*, id est in minori et majori tribulatione. Dicitur minoratio potestatis, unde in lib. Reg. Dominus de Sennacherib ait : *Ego ponam chamum in caput ejus*, id est potestatem ejus diminuam, et hoc factum fuit cum angelus Domini in una nocte percussit Sennacherib, cum obsedisset Jerusalem, et occidit octoginta millia de exercitu ipsius regis.

Character, figura. Dicitur imitatio Antichristi, unde in Apoc. : *Et factum est vulnus sævum in homines ac pessimum qui habent characterem*, id est qui imitantur bestiam, id est Antichristum. Dicitur susceptio sacramentorum, unde fideles dicuntur habere Christianæ religionis vel fidei characterem

Charitas virtus, unde Apostolus : *Charitas non agit perperam*. Dicitur etiam Deus, unde in Epistola canonica : *Deus charitas est et qui*, etc. Dicitur etiam signum charitatis, unde in Evangelio : *Majorem charitatem nemo habet*, id est majus signum charitatis.

Cherubin, ordo angelorum ; dicitur etiam *plenitudo scientiæ*, unde David : *Ascendit super cherubin, et volavit super pennas ventorum*, quia quantacunque scientia sit præditus aliquis, Deum comprehendere non potest; dicitur scientia divina referti, quia super illos ascendit Deus, id est ascendere dicitur super cherubin. Dicitur charitas, quia est *plenitudo scientiæ* sine qua meritoria non est scientia vel perfecta, unde in Psalmo : *Qui sedes super cherubin, manifestare coram Ephraim*, etc. Dicitur imago angeli, unde in Exod. : *Fecit Moyses duos cherubin ex auro ductili*.

Chorda, proprie, præceptum Decalogi, unde in Psalmo : *In psalterio decem chordarum psallite illi*, id est adimplete Decalogum, qui designatur nomine decem chordarum, quia docet observantiam decem præceptorum. Dicitur consonantia vocis et operis, unde in Psalmo : *In chordis et organo*. Dicitur virtus, unde super illum locum Isaias : *Venter meus de Moab sicut cithara clamabit*. Sicut cithara sonum compositum non emittit si una chordarum rupta fuerit, sic spiritualis venter prophetæ dulce melos non resonabit si una chorda virtutum defuerit. Philosophorum quoque sententiæ confirmant virtutes cohærere, ut, si una defuerit, omnes deessent.

Chorus proprie conventus aliquorum, unde Augustinus et Ambrosius : *Te gloriosus apostolorum chorus*. Dicitur chorea, unde legitur quod *puellæ ducebant choros*. Dicitur organicum instrumentum, unde in Psalmo : *In tympano et choro*. Dicitur ordo, unde dicitur : *Chorus angelorum eam suscipiat*. Est nomen mensuræ, unde in Luca : *Quantum debes domino meo? qui ait : Centum choros* [coros] *tritici*. Dicitur ventus, unde in Act. apostolorum ubi describitur Pauli naufragium, legitur quod illi qui erant cum Paulo in navi volebant... *hiemare, portum Cretæ respicientem ad Africum et Corum*. Est etiam nomen loci, unde : *Usus dedit ei stallum in choro et vocem in capitulo*.

Christus est nomen notum et exortum a Græco *Christus*, quod interpretatur *unctus* ; *Christus* enim Græce, *unctus* Latine, *Messias* Hebraice, et secundum hoc generaliter quilibet unctus oleo potest dici christus. In distincta vero significatione et specialiter sic appellantur in Veteri Testamento reges et sacerdotes quorum capita ungebantur ; unde David ait nuntianti sibi mortem Saulis in lib. Reg. : *Nunquid ausus fuisti manum mittere in christum Domini* ; item in Psalmo : *Faciens misericordiam in christo suo David*. Isti dicebantur christi in signum honoris et spiritualis gratiæ, in unctione collatæ. Christus restringitur quandoque ut soli sancti dicantur christi, non a materiali oleo

meum, id est fortitudinem meam constitui præclari intellectus ingenium. Dicitur etiam sensus bene operantis, unde Salomon : *Sicut probatur argentum in conflatorio et in fornace aurum, ita probatur homo ore laudantis.* Argentum quippe vel aurum igne probatur, sic nimirum est sensus bene operantis. Nam qualis sit in eo quod laudatur, ostenditur. Dicitur splendor supernæ civitatis, unde in Apoc. dicitur ipsa civitas constare ex auro mundo simili vitro mundo. Dicitur nitor gloriæ temporalis, unde in Apoc. de calice aureo Babylonis legitur. Temporalis enim gloria ideo calix aureus dicitur, quia dum pulchra esse temporalia ostendat, stultus mentes in sui concupiscentia deebriat. Dicitur claritas innocentiæ, unde in Thren. : *Quomodo obscuratum est aurum*, id est claritas innocentiæ versa est in nigredinem culpæ. Dicitur sapientia, unde in Isaia : *Reges de Saba venient, aurum*, etc., id est spiritualiter se regentes aurum optimum in Ecclesia Dei offerunt. Aurum dicuntur sancti, qui alio præcellunt, unde in Canticis : *Caput tuum aurum optimum.* Divinitas etiam dicitur aurum, secundum aliam expositionem in eadem auctoritate, scilicet : *Caput tuum aurum optimum.* Dicitur Deus, ut in prædicto exemplo, secundum aliam expositionem. Et in Ezechiele : *Et in medio ignis quasi electri.* Ibi electrum dicitur Christus, quia, sicut in electro aurum unitur argento, sic in Christo est divina natura humanæ unita, et per aurum divinitas, per argentum intelligatur humanitas. Dicitur angelica natura, unde in Job : *Non dabit aurum obryzum pro ea;* per aurum obryzum angelica natura intelligitur, quæ fulget claritate justitiæ, sicut aurum obryzum, quia nullum unquam habuit contagium culpæ. Sancti qui sunt in patria dicuntur aurum, unde in Job : *Non adæquabitur ei aurum vel vitrum;* per quod intelligimus sanctos qui sunt in patria, quorum corda claritate fulgent et puritate translucent. Dicitur charitas quæ cæteris virtutibus præeminet, unde Psalmista : *Dabitur ei de auro Arabiæ.* Dicuntur etiam terrenæ divitiæ aurum, unde in Psalmo : *Desiderabilia super aurum*, etc., id est super omnes divitias. Dicitur claritas virtutis, unde in Job : *Glebæ illius aurum*, quia collectio singulorum ordinum in Judæa tanto majore virtute claruit, quanto se in Deum et proximum unanimitate constrinxit. Etiam ille qui tribulationem patitur dicitur aurum, unde in libro Sapientiæ : *Tanquam aurum in fornace probavit eos.*

Auster proprie ventus calidissimus. Dicitur australis regio, unde in Evangelio : *Regina Saba venit ab austro.* Dicitur charitas, unde Habacuc : *Dominus ab austro veniet*, id est a furore charitatis. Dicitur Filius, unde in Psalmo : *Converte, Domine, captivitatem nostram sicut torrens in austro.* Dicitur Spiritus sanctus, unde in Canticis : *Surge, aquilo, et veni, auster*, id est veni, sancte Spiritus, reple mentes hominum. Dicitur Ecclesia, unde in Job *Interiora austri* vocantur spirituales qui latent in Ecclesia. Dicitur Judæa. Isaias de gentium conversione ait : *Dicam aquiloni : Da, et austro : Noli prohibere*, id est dicam gentilitati : Offer munus Deo, *et austro*, id est Judææ, quæ a vero sole fervorem fidei prima suscepit; *noli prohibere*, id est repellendo damnare vitam gentilium, quod faciebant qui erant idololatræ. Dicitur vita remissa, unde in Job : *Considerate semitas Thema, itinera Saba, et exspectate paulisper.* Thema *auster*, Saba *rete* interpretatur. Per austrum, qui tepore suo afflata dissolvit, fluxa vivendi remissio; per rete actionis obligatio intelligitur; dissolutis gressibus in rete ambulant qui, dum mundum perfecte non deseruut, mundanis actionibus se obligant.

Aut conjunctio quandoque ponitur conjunctive, unde in Evangelio : *Aut facite arborem bonam et fructum ejus bonum, aut facite arborem malam et fructum ejus malum;* quandoque ponitur expositive, unde in Psalmo : *Nunquid obliviscetur misereri Deus, aut continebit?* quandoque similitudinarie, unde Moyses ad Dominum : *Aut dimitte eis hanc noxam, aut dele me de libro vitæ*, id est sicut verum est me non esse delendum de libro vitæ, ita verum est quod dimittes eis hanc noxam, cum non per se sed per alium peccaverunt.

Autem ponitur copulative, unde in Evangelio : *Dixit autem Maria ad angelum*, quia ibi copulat Mariam; quandoque adversitive, unde in Evangelio : *Cui autem similem æstimabo generationem istam?* quandoque affirmative, unde Apostolus : *Nolo autem vos ignorare, fratres*, id est affirmo quod non ignoretis.

Avis, proprie, dicitur Christus, unde de Judaico populo dicitur in Job : *Semitam ignoravit avis*, id est Christi; quia corpus quod assumpsit, ascendendo in æthera levavit, et humilitas ejus vias quibus nos ad alta levat, considerare noluit; vel Christus dicitur avis propter pennas virtutum.

Dicitur etiam diabolus, unde in Job : *Nunquid illudes ei quasi avi.* Diabolus dicitur avis, quia suæ naturæ subtilitate superbe se extollit, dum per superbiam angelum lucis se simulat. Et quasi avi illusit Deus, dum in passione ei escam quam morderet ostendit, sed laqueum divinitatis quo caperetur abscondit. Et in Evangelio : *Aves cœli*, id est diaboli, *comederunt illud.* Dicitur mens humana, unde in Job : *Homo nascitur ad laborem et avis ad volandum*; quia, in eo quod caro flagellis afficitur, mens appetendo altiora sublevatur. Dicitur etiam superbia, unde in Jeremia : *Væ qui in avibus cœli ludunt*, quia superbus elevat se super se.

Axella, proprie, dicitur opus bonum, unde in Levitico dicitur quod os turturis retorquendum est ad axellas, id est prædicator debet habere illa in opere quæ proponit in prædicatione. Dicitur etiam privatio boni operis, unde in Parabolis : *Piger ponit manum sub axella*, id est se a bono opere privat, etc.

Azyma dicitur proprie panis sine fermento, ab

a quod est *sine* et *zyma* quod est *fermentum;* unde dicitur in Marco : *Erant autem dies azymorum*, id est dies quibus non licebat uti fermento ; in hoc loco est neutrius generis, *hæc azyma*, *horum azymorum;* azyma significat panem azymum, id est panem sine fermento. Dicitur etiam festum paschale, unde in Evangelio : *Erat azyma post biduum*, et est feminini generis et declinatur *hæc azyma*, *hujus azymæ*.

A Quandoque est adjectivum : *azymus*, *a*, *um*, ut in Veteri Testamento : *Comederunt azymos panes*. Dicitur etiam sanctus, unde Apostolus : *Expurgate vetus fermentum*, etc., *sicut estis azymi*, id est sancti et a vitiis purgati, et tunc est masculini generis : *hi azymi*, *horum azymorum*. Quandoque etiam significat opus bonum, unde Apostolus : *Non in fermento veteri*, etc., *sed in azymis sinceritatis et veritatis*, etc.

B

Babylon, proprie; dicitur etiam mundus, in quo multiplex *confusio*, unde in Psalmo : *Super flumina Babylonis*. Dicitur etiam peccator, unde in Psalmo : *Memor ero Raab et Babylonis*. Dicitur etiam idololatria vel hæresis, unde in Apoc. : *Cecidit Babylon illa magna, quæ a vino*, etc. Dicitur terrena delectatio, unde in Apoc. : *De aureo calice Babylonis*.

Baculus proprie, unde Jacob in Genesi : *In baculo meo transivi Jordanem hunc*. Dicitur etiam pastorale regnum quod consistit in sustentatione et correctione, unde in Psalmo : *Virga tua et baculus tuus*, etc., id est correctio et sustentatio ; vel per baculum major, per virgam minor correctio intelligitur. Dicitur consolatio vel sustentatio, unde in Tob. : *Mater Tobiæ ait : Fili mi, nunquam fuisset pecunia illa, pro qua misimus te peregrinari, baculum senectutis nostræ*, id est consolationem ; et alibi dicit propheta Ægyptiis : *Auferam a vobis baculum panis*, id est sustentationem. Dicitur terrena potestas, unde in Isaia : *Væ vobis qui innitimini baculo arundineo Ægypti*, id est terrenæ potestati. Dicitur diabolus, unde in propheta : *Conteret Dominus baculum impiorum*, id est diabolum.

Baptismus proprie sola exterior ablutio corporis sine interiori ablutione mentis ; unde Dominus volens concludere Judæis et Pharisæis de baptismo Joannis ait : *Baptismus Joannis e cœlo est an ex hominibus?* Quandoque est ablutio mentis cum exteriori ablutione corporis, unde in Evangelio : *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti*, etc.; et alibi : *Erat Joannes in deserto, prædicans baptismum pœnitentiæ*. Dicitur effusio sanguinis sive martyrium, unde Christus ait in Evangelio : *Baptismo habeo baptizari, et coarctor donec perficiam illud*. Dicitur sola interior mentis contritio, quæ sufficit quando aliquis, in extremo articulo mortis positus, habet voluntatem se baptizandi, sed morte prævenitur, unde Apostolus : *Patres nostri baptizati sunt in nube et mari in deserto*. Notandum quod triplex est baptismus : baptismus fluminis, qui fit in aqua ; baptismus flaminis, qui fit in pœnitentia ex sancti Spiritus gratia; baptismus sanguinis, qui fit in martyrii lucta.

Barba, proprie, dicitur fortitudo, unde : *Auferam ab Ephraim barbam*, id est a filiis Israel fortitudinem, etc. Dicitur major prælatus, unde in Psalmo : *Sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam Aaron*, id est unguentum divinæ gratiæ, quod descendit a Patre in caput, id est in Christum ; et a capite in barbam, id est in populos, qui dicuntur B Dei barba, id est fortitudo, quia in barba fortitudo notatur hominis et plena ætas ; a barba in vestimenta, id est in apostolorum successores, et in alios prælatos; a vestimentis in oram vestimenti, id est in finales fideles, hoc est Christianos.

Barbarus dicitur quilibet homo præter Græcum et Latinum. Dicitur alienus a fide, et ponitur pro populo infideli, unde Psalmista : *In exitu Israel de Ægypto*, etc ; *de populo barbaro*, id est de populo infideli. Dicitur aliquis non subjectus Romano imperio, unde dicitur in persona Ecclesiæ : *Oremus pro imperatore nostro, ut Deus et Dominus noster sibi subjiciat omnes barbaras nationes*. Dicitur etiam aliquis non intelligens, unde Paulus : *Ille erit mihi barbarus*. Dicitur etiam populus bestialis vel rudis, C unde Paulus : *Barbarus an Scytha*.

Basiliscus, proprie, unde Lucanus :

.... *Regnat basiliscus arena*.

Et derivatur basiliscus a Græco *basileos*, quod interpretatur *rex* in Latino, id est quasi rex serpentum dicitur, quia omnes superat veneno, et sui natura est quod solo visu vel flatu interficit hominem ; unde in *Physiologo*, quod aves supervolantes suo flatu interficit. Dicitur etiam diabolus, unde in Psalmo : *Super aspidem et basiliscum ambulabis*.

Basis, proprie, dicitur doctor Ecclesiæ, unde in Job : *Super quem bases illius solidatæ sunt;* in basibus columnæ, in columnis tota fabrica erigitur ; sic doctores, dum recte prædicant, omne pondus Ecclesiæ sustentant. Dicitur etiam propheta, quia, D dum proprie primo de Christi incarnatione locuti sunt, quasi quasdam bases nostræ fidei se posuerunt, unde ad hanc expositionem potest referri præmissa auctoritas. Dicitur etiam intentio animæ, quia bonæ intentioni innititur virtus, quasi columna basi, unde Job : *Super quem bases illius solidatæ sunt?* id est nisi super me, dicit Dominus, cui, dum justa anima intendit, super eum bonam intentionem quasi basem construit.

Beatus notat beatitudinem patriæ, unde in Psalmo : *Beati qui habitant in domo tua*. Notat beatitudinem viæ, unde iterum in Psalmo : *Beati immaculati in via*. Notat beatitudinem conscientiæ, unde in Psalmo : *Beati quorum remissæ sunt iniquitates*. Notat beatitudinem innocentiæ, unde in Eccli. : *Beatus vir qui*

inventus sine macula. Notat beatitudinem experientiæ, unde ibidem : *Beatus vir qui in sapientia sua morabitur.*

Bellum proprie, unde in lib. Reg. David de Saul et Jonatha : *Quomodo ceciderunt fortes in bello ?* Dicitur controversia Christi et diaboli, unde Psalmista : *Benedictus Dominus Deus meus*, etc., *et digitos meos ad bellum ;* dicitur *Dominus* quoad creationem, *Deus meus* quoad sanctificationem. Dicitur controversia bonorum angelorum et malorum, unde in Apoc. : *Factum est silentium in cœlo, dum draco committeret bellum.* Dicitur controversia carnis et spiritus, unde in Psalmo : *Aufers bella usque ad fines terræ.* Et notandum quod, sicut in auctoribus est multiplex bellum, ita et in theologia secundum diversos diversorum afflictus. Exterum, quod fit inter Jerusalem et Babyloniam ; intestinum, quod fit inter proximum et proximum, quod dicitur civile ; et plus quam civile, quod fit inter corpus et animam.

Benedicere, bona optare, unde Isaac in Genesi : *Benedixit filiis suis Jacob et Esau*, id est bona optavit, dicens *de rore cœli et de pinguedine terræ* etc. Signat vera dicere, unde idem Jacob *benedixit filiis suis*, id est vera eis dixit. Non enim bona omnibus optavit, quod patet per hoc quod dixit in Genesi : *Simeon et Levi, in consilium vestrum non veniat anima mea.* Signat bona dare, unde legitur in lib. Reg. quod David benedictionem petiit a Nabal. Signat *multiplicare*, unde in Genesi : *Benedixit Deus Adæ et Evæ, et dixit : Crescite et multiplicamini ;* et sacerdos dicit : *Benedic, Domine, dona*, id est multiplica. Signat *laudare*, unde dicitur Dan. : *Benedicamus Patrem et Filium cum sancto Spiritu.* Signat gratias agere, cum dicitur *Benedicamus Domino*, id est *gratias agamus Domino.* Signat materiam laudis divinæ præbere, unde in hymno puerorum : *Benedicite omnia opera Domini Domino*, et in eodem : *Benedicite, sol et luna, Domino*, id est materiam laudis divinæ præbete, etc. Signat [diem] solemnem et celebrem instituere, unde in Genesi : *Benedixit Deus diei septimo*, id est solemnem et celebrem instituit eum. Signat *consecrare*, unde sacerdos : *Benedic, Domine, panem in altari*, id est consecra. Signat *maledicere*, unde in Job : *Dixit uxor Job ad eum : Benedic Deo et morere*, id est maledic, id est cito libereris a præsenti angustia. Item III Reg. XXI : *Benedixit Naboth Deum et regem*, id est maledixit.

Berillus lucet quasi aqua sole percussa ; calefacit manum tenentis, et significat eos qui frigidi sunt, sed percussi gratia veri solis, lucent bonis operibus et calefaciunt eos cum quibus conversantur exemplo bonæ vitæ. De hoc habetur in Apoc.

Bestia proprie, unde in Genesi : *Creavit Deus bestias et reptilia terræ.* Et dicitur bestia quasi *vastia* a *vasto, vastas.* Dicitur diabolus, unde in Psalmo : *Ne tradas bestiis animas confitentes tibi ;* et alibi Dominus ad Job : *Omnes bestiæ agri ludent ibi ;* per bestias immundi spiritus, per agrum præsens sæculum designatur. Bestiæ ergo agri in herbis lu-

A dunt, cum reprobi spiritus humana corda ad illicitas cogitationes pertrahunt, modo per terrorem, modo per transitoria gaudia decipiunt. Dicitur bestialis homo fatuus, unde Apostolus in secunda Epistola ad Corinthios : *Si pugnavi ad bestias Ephesi*, id est contra bestiales homines Ephesi, etc. Dicitur etiam Antichristus, unde in Apoc. : *Vidi bestiam decem cornua habentem.* Dicitur Romanum imperium, secundum aliam expositionem, quod divisum est in decem regna ; dicitur etiam hæresis vel conventus hæreticorum, unde in Apoc. : *Bestia egrediebatur de abysso quæ universa devoravit.* Dicitur bestialis motus, unde in Job quod justo non nocebunt bestiæ, id est motus bestiales.

Bibere, proprie, dicitur Ecclesiæ uniri, quia sic-
B ut vinum constat ex multis guttis, ita Ecclesia ex multis fidelibus ; unde in Evangelio : *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis ejus sanguinem*, etc., id est nisi fueritis de unione ecclesiastica, *non habebitis vitam æternam.* Dicitur etiam spiritualiter incorporari, unde in Evangelio : *Non bibam amodo de hoc genimine vitis*, id est non incorporabo mihi Judæos, vel aliquem Judæorum, *donec bibam illud*, id est incorporem me *vobiscum*, et hoc *novum*, id est innovatos, incorporem, inquam, *in regno Patris mei*, id est in statu immortalitatis. Dicitur spiritualiter reficere, unde in Joanne : *Qui biberit ex aqua hac non sitiet in æternum.* Signat passionem suscipere, unde in Evangelio : *Potestis bibere
C calicem quem ego bibiturus sum, calicem quidem meum bibetis*, id est passionem suscipietis. Signat instrui, unde in Joanne : *Si quis sitit, veniat ad me et bibat*, id est si quis doctrinam desiderat, veniat et instruatur.

Biblus juncus qui crescit in Nilo, unde quidam :

Pluraque Niliacis tradam mendacia biblis.

Dicitur liber, cujus materia est biblus, unde Bibliotheca est repositio biblorum in hoc libro, etc.

Bilibris dicitur pondus duarum librarum, de quo in Apoc. legitur. Prædicatores utriusque Testamenti dicuntur bilibres, qui moluntur tribulatione vitæ præsentis et excoquuntur igne passionis ; in Apoc. ergo una bilibris ex duobus sextariis intelligitur Ecclesia ex duobus populis ; sub duali ergo nume-
D ro comprehenditur propter duo Testamenta vel propter geminum dilectionis præceptum. Bilibris itaque tritici denario valet, quia omnes sancti pretioso sanguine sunt redempti ; unde *Bilibris tritici denario uno* dicitur meritum quod consistit in bona cogitatione et bono opere ; secundum aliam expositionem potest exponi hæc auctoritas : *Bilibris tritici denario uno*, id est meritum quod consistit in bono opere adimplendo præcepta Novi Testamenti, quod per frumentum significatur, acquirit nobis æternæ beatitudinis denarium.

Bilis dicitur receptaculum fellis. Dicitur etiam ira, sicut dicitur : *Iste non potest continere bilem*, id est iram, etc.

Bini, proprie, unde in Evang. : *Misit eos binos et*

binos ante faciem suam; hic enim hoc separative ponitur. Dicuntur duo, unde in Evangelio: *Erant ibi lapideæ hydriæ sex positæ, capientes singulæ metretas binas vel ternas*, id est duas vel tres, etc.

Biothanatus vel *biothematus*, simplex nomen quod est expositivum ex *bis* et *ota, otæ*, quod est *auris*, quia habet divisas otas, id est aures; et in simplici quod intrat per unam et exit per aliam; unde et *idiota* dicitur qui habet divisas aures ab *iduor, iduaris* quod est *divido, dividis*, et *ota, otæ* quod est *auris*, vel *biota, biotæ* idem est quod *ovis*, unde dicitur *biothanatus*, id est fatuus, unde legitur in passione sanctorum Gervasii et Protasii: *Vis tu biothanatus fieri*, id est fatuus, *sicut frater tuus?* Dicitur damnatus in corpore et anima; secundum hoc componitur hoc nomen ex *bis* et *thanatos*, quod est *mors*, quasi bis mortuus in corpore, scilicet anima; unde legitur quod *Ægeas sepultus fuit inter biothanatos*, id est inter damnatos corpore et anima, et de hoc in *legenda sancti Andreæ*.

Bonus quandoque ponitur essentialiter et substantive cum dicitur de Deo, unde in Evangelio: *Quid me vocatis bonum? Nemo bonus nisi solus Deus*, quia ipse bonitas est. Quandoque ponitur negative, unde: *Bonum erat ei*, id est minus malum, quod non puniretur, nisi pro originali; quandoque denominative, vel notat initium boni principii, unde in Genesi: *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, et erant valde bona*, id est a valde bono facta. Quandoque notat actum justitiæ, unde: *Iste est bonus*, id est justus. Quandoque notat usum rei, unde: *Hoc est bonum*, id est utile; vel opera sunt bona, id est utilia. Quandoque notat delectabile, unde in Psalmo: *Ecce quam bonum et jucundum!* Quandoque notat occasionem, ut cum dicitur *malum esse bonum*, id est occasio boni; unde Augustinus: *Qui summe bonus est nunquam malos esse sineret, nisi ex malis bona eliceret.*

Bos dicitur prædicator, quia sicut bos, vomere mediante, proscindit terram et germinare facit eam, ita prædicator vomere prædicationis suæ proscindit terram, ut fructificet eam virtutibus; unde in Apostolo: *Non alligabis os bovis triturantis*, id est non prohibebis prædicatorem vivere ex Evangelio, id est prædicatione, sed ei providebis, nam idem dicit Apostolus: *Si spiritualia vobis seminemus, non est magnum si a vobis carnalia metamus.* Dicitur diabolus, unde in Job: *Fenum sicut bos comedit;* fenum ergo sicut bos comedere appetit, quia dente suggestionis conterere mundam vitam quærit.

Dicitur Judaicus populus, unde in Isaia: *Bos cognovit possessorem suum*, id est Judæus, *et asinus præsepe domini sui.* Dicitur Christus, quia sicut bos in Veteri Testamento immolabatur, ita in Novo Testamento Christus immolatus fuit pro peccatis nostris. Dicitur luxuriosus, unde [Salomon] loquens de luxuriosa et petulante muliere, ait: *Sequitur eam quasi bos ductus ad victimam.* Dicitur virtuosus vel justus, unde in Psalmo: *Omnia subjecisti sub pedibus ejus, oves et boves;* per oves innocentes, per boves virtuosos intelligere debemus. Dicitur etiam bonis operibus fecundatus ibidem.

Botrus proprie dicitur gemmula illa quæ in vere apparet in vite, unde in Cantico Moysi: *Uva eorum uva fellis et botrus amarissimus.* Dicitur gentilis populus, unde in sequentia magistri Adami (48):

> *Botrus Cypri refrigescit,*
> *Dilatatur et excrescit.*
> *Synagogæ flos marcescit,*
> *Et floret Ecclesia.*

Dicitur Christus in Canticis: *Botrus Cypri dilectus meus mihi*, id est comparabilis botro propter multiplices rationes seu causas. Dicitur uva, unde in Numeris dicitur de exploratoribus: *Botrum tulerunt in phalanga.* Dicitur reprobus, unde in Apoc.: *Mitte falcem tuam et vindemia botros vinearum terræ.* Botri hic dicuntur mali, de quibus legitur in Deut.: *De vinea Sodomorum vitium [vinea] eorum.* Dicitur initium gratiæ, quia sicut botrus præcedit uvam, ita tempus gratiæ præcedit vitam gloriæ.

Brachium, proprie, dicitur Filius Dei, unde in Isaia: *Et brachium Domini tui revelatum est.* Et dicitur ideo brachium, quia, sicut brachium exit a corpore, et remanet ejusdem naturæ cum corpore, ita Filius exit a Patre sine omni diminutione, et remanet ejusdem naturæ cum Patre; et sicut homo operatur per brachium, ita Pater per Filium. Dicitur Antichristus, unde Dominus: *Et brachium excelsum confringetur.* Quid aliud per excelsum brachium intelligitur, nisi superbia Antichristi et celsitudo quæ super reprobas mentes hominum fastu gloriæ sæcularis erigitur, ita ut homo peccator tum homo æstimari despiciens, se Deum super homines mentiatur? Dicitur gravis vindicta, unde in Psalmo: *Initium potenti et brachio excelso*, etc. Dicitur potestas sive potentia, unde in Psalmo: *Quoniam brachia peccatorum conterentur*, etc. Dicitur bona operatio, unde in Psalmo: *Posuisti ut arcum æreum brachia mea.*

Bruchus proprie, unde Psalmista: *Bruchi non erat numerus*, etc. Dicitur locusta *atelebus* idem, sed diversas significationes habent. Bruchus dicitur *fetus* et dicitur *abromum*, quod est consumere. Dicitur locusta quasi longa hasta; alæ ejus sunt innatæ. *Atelebus* dicitur quasi *alte labens*. Dicitur luxuria, quia sicut bruchus nascitur ex locusta arefacta in pariete, qui, cum alas non habeat, inhæret terræ, et consumit et comedit quidquid in terra invenit; ita luxuria hominem devastat, famam aufert, bursam evacuat, corpus enervat, animam commaculat, visum obtenebrat, Deum perdit, proximum offendit: cibus est diaboli, odium angelis; unde Joel: *Residuum bruchi*, id est luxuriæ, *comedit locusta*, id est superbia, quia, peracta luxuriæ pœnitentia, invadit hominem superbia et infestat. Dicitur timor vel tri-

(48) Adam. a S. Victore, seq. V *De resurrect. Domini*, Patrol. CXCVI.

stitia de rebus amissis secundum aliam expositionem. Et notandum quod quatuor sunt hominis status, scilicet spes de futuris bonis, timor de futuris malis, gaudium de habitis bonis ac tristitia de amissis, unde Boetius *De consolatione* :

Gaudia pelle,
Pelle timorem,
Spemque fugato.
Nec dolor adsit.

Buccina proprie, a *bucca*, quæ alio nomine dicitur *tuba*. Dicitur etiam prædicatio, unde in Psalmo : *Buccinate in neomenia tuba*, id est prædicate Novum Testamentum. Dicitur aliquid eminens signum, unde : *Canet buccina, et sancti, qui mortui sunt in Christo, resurgent primi;* sed non sic erit ad litteram, sed erit ad aliquod signum eminens quo resuscitabuntur sancti omnes, quod alibi clamor dicitur in Evangelio : *Media nocte clamor factus est.*

Butyrum proprie quælibet esca, unde in Isaia : *Butyrum et mel comedit*, id est quamlibet escam sumet, ut verus homo ostendatur; et sic erit verus homo ut sit verus Deus. Significat contumelias quas passus est, et est sensus secundum aliam expositionem : Butyrum comedet in contumeliis, et butyrum acre est, mel in miraculis. Signat amaritudinem activæ vitæ, mel dulcedinem contemplativæ vitæ. Tunc enim butyrum et mel comedimus cum amaritudine activæ vitæ afficimur et dulcedine contemplativæ refovemur, ut sciamus reprobare malum, id est præsentem vitam contemnere; et eligere bonum, id est futuram vitam. Dicitur etiam doctrina majorum, unde in Deut. : *Butyrum de armento et lac de ovibus*, id est fideles majorem doctrinam a majoribus, et minorem a minoribus accipiant. Dicitur bonum opus, unde per butyrum bona operatio, per mel dulcis sermo Christi intelligitur, ut sciat malum reprobare, id est damnare, et eligere bonum ad vitam. Dicitur etiam pinguedo lactis, primi motus dicuntur butyrum, unde quis dicitur comedere butyrum, id est primos motus destruere, et mel, id est delectationes carnis.

Buxus proprie ille qui, excæcatus infirmitate, bona opera facere non potest, sed tamen parentum fidem tenet, unde in Isaia : *Ponam in deserto ulmum et buxum simul.* Buxus arbor simplex est et humilis ; non fructificat, viret tamen, et significat illos qui fidem tenent et virent, excæcati tamen infirmitate, bona opera facere non valent, etc.

Byssus dicitur species lini quod crescit in Ægypto, quod multa attritione vertitur in candorem. Dicitur vestis facta de bysso, unde in Luc. : *Homo quidam erat dives, qui induebatur purpura et bysso.* Dicitur filum byssinum, unde in Exodo legitur quod cortina erat ex bysso, et purpura, et hyacintho, et cocco, id est ex filo byssino purpureo, hyacinthino et coccineo.

C

Cadaver proprie, dicitur damnatus, unde Isaias propheta : *Et egredientur et videbunt cadavera mortuorum qui prævaricati sunt in me.*

Cadere, proprie, unde in lib. Reg. : *Cecidit Heli resupinus a cathedra, et mortuus est.* Quandoque significat casum ab honore, unde Isaias : *Quomodo cecidisti, Lucifer, qui mane oriebaris*, id est a quo honore. Quandoque casum a virtute, unde Paulus : *Qui stat videat ne cadat*, id est qui stat in virtute, videat ne cadat a virtute. Quandoque casum a peccati immunitate, quamvis non in mortale, tamen in veniale peccatum. Quandoque casum a statu præsentis vitæ, unde : *Ubi ceciderunt fortes in bello.* Quandoque casum ab utilitate, unde Isaias : *Verbum misit Dominus in Jacob*, id est verbum evangelicum prædicavit Christus Judæis qui descenderunt de Jacob, *et cecidit in Israel*, et periit vel fructum non fecit ; vel aliter : *Verbum misit Dominus in Jacob*, id est in Synagogam, *et cecidit in Israel*, id est in gentibus quæ conversæ fuerunt, et fructum fecit, Israel enim interpretatur *Deum videns.*

Cæcus proprie mente excæcatus, unde in Evangelio : *Si cæcus cæcum ducit, ambo in foveam cadunt;* et alibi . *Cæci sunt duces cæcorum.*

Cædere proprie *verberare*, unde Christus in Joanne : *Cur me cædis*, et alibi : *Sine causa flagellis ceciderunt me.* Dicitur *evenire* (48*), unde dicitur quod male cessit Herodi Agrippæ propter mortem Domini. Signat locum dare, unde in Catone : *Cede, cede majori.* Signat etiam *loqui*, ut in multis locis in Terentio, etc.

Calamus proprie, arundo qui de facili agitatur et flectitur. Dicitur doctoris peritia, unde Isaias ait quod *in cubilibus, in quibus dracones habitabant, orietur viror calami et junci;* oritur, quia in eis populis, quos antiqui hostis malitia possidebat et doctorum scientia et auditorum obedientia coacervatur. Dicitur miseria gloriæ temporalis, unde Isaias : *Calamum quassatum non confringet ;* regnum Judææ quassatum calamum vocat, quia ipsi de suo genere regem non habebant, sed alienigena regnum possidebat ; Christus autem veniens istud regnum non fregit potestate judicii, sed cum patientia toleravit. Recte per calamum temporalis gloria designatur, quia intus in conscientia per fatuitatem vacua est, sed foris per speciem et ostentationem pulchra. Dicitur homo mundanus qui more calami leviter flectitur ad bonum et ad malum, ad prosperitates et adversi-

(48*) Verbum *cædere* a *cedere* non distinguit, utroque in veteri scriptura diphthongo carente.

tates, unde : *Behemoth latet sub umbra calami*, quia A ibi delectatur, ibi requiescit, scilicet in homine mundano. Dicitur propheta David, unde in Psalmo : *Lingua mea calamus scribæ, velociter scribentis*, quia sancti Spiritus fuit scriptor. Dicitur Filius Dei, ut in eodem exemplo secundum aliam expositionem, quia per eam nobis manifestatur et demonstratur voluntas Patris sui omnipotentis.

Calcaneus proprie dicitur a *calce*, id est ab extremitate pedis dictus. Dicitur finale opus, unde in Gen. : *Inimicitias ponam inter te*, o dæmon, *et mulierem*, id est Ecclesiam ; *et ipsa conteret caput tuum*, id est tuas primitivas suggestiones, *et tu insidiaberis calcaneo ejus*, id est finali operi.

Dicitur mors Christi vel passio secundum aliam expositionem : *Ponam inimicitias inter te et mulierem*, B id est gloriosam Virginem ; *et ipsa conteret caput tuum*, quia per ipsam, o dæmon, potestas tua debilitata est ; *et tu insidiaberis calcaneo ejus*, id est insidiaberis ut ipsum Christum occidi facias. Et alibi de Judæis Christus ait : *Observaverunt calcaneum meum*, id est mortem meam. Dicitur malitia occulta vel dolosa cogitatio, unde Christus de Juda in Psalmo : *Qui edebat panes meos mecum, erexit adversum me*, id est contra me, *calcaneum suum*, id est occultam malitiam suam.

Calceamentum, proprie, dicitur incarnatio Christi, unde in Evangelio : *Non sum dignus solvere corrigiam calceamenti ejus*, id est mysterium vel secretum incarnationis Christi. Et Gregorius : *Venit ad nos* C *calceata Deitas*, id est Christus in carne ; et in Psalmo : *In Idumæa extendam calceamentum meum*, id est in mundo extendam fidem incarnationis et passionis meæ. Dicuntur virtutes Dei, unde Apostolus : *Calceati pedes in evangelium pacis*, et in Canticis : *Quam pulchra es in calceamentis, filia principis!*

Calcedonius lapis est qui, quandiu in domo est, non lucet, volentes eum sculpere contristat; calefactus radio solis vel fricatu digitorum paleas ad se tollit. Signat eos qui suam bonitatem celant, et sua bona faciunt in abscondito, et nolunt videri ab hominibus, juxta illud Veritatis : *Tu autem, cum jejunas*, etc.; et iterum : *Cum facis eleemosynam*, etc. *Tu autem cum oraveris*. Et si quis voluerit talibus D adulari vel laudare eos, quasi sculpere et pingere, non recipiunt eorum laudem et vanam gloriam ; et isti a flatu veri solis vel digitis, id est donis Spiritus sancti, quasi tacti, verbo suæ prædicationis et exemplo suæ bonitatis peccatores attrahunt ad se, et hic lapis pallidus qui pallore patientiam demonstrat.

Calculus, proprie, carbo, unde Isaias : *Volavit ad me unus de seraphin, et sumpto calculo de altari, tetigit labia mea*. Dicitur præmium æternæ beatitudinis, unde in Apoc. : *Vincenti dabo manna absconditum, dabo ei calculum candidum*. Dicitur sententia secundum quod soliti sumus dicere, nondum ventum est ad diffinitivum calculum.

Caligo, proprie, dicitur diabolus qui in se caliginosus est, et per obstinationem est obcæcatus et alios per pravam suggestionem excæcat ; unde in Psalmo : *Et caligo sub pedibus ejus*, id est diabolus Deo submissus. Dicuntur mali homines per infidelitatem excæcati secundum aliam expositionem, et est sensus : *Caligo sub pedibus*, id est damnati erunt Deo subjecti. Dicitur stupor, unde Sophonias propheta de die judicii dicit : *Dies illa, dies erroris et caliginis*. Dicitur obtenebratio visus, unde in Gen.: *Genuit Isaac, et caligaverunt oculi ejus*. Dicitur erroris confusio, unde Job de diabolo sub figura diei in qua natus est dicit : *Occupet eum caligo*, quia dum diabolus a lucis intimæ ordine cecidit, semetipsum intrinsecus erroris caligine confudit. Dicitur mentis confusio ex pœnitentia nascens, unde sic potest exponi prædicta auctoritas de pœnitenti : *Occupet eum caligo*, id est pœnitens pro peccato confundatur.

Calix proprie dicitur vas quo mensurate potus distribuitur. Dicitur passio sanctorum, unde Christus in Evangelio : *Calicem quidem meum bibetis*, id est passionem pro me sustinebitis. Recte calix dicitur passio, quia sicut calice potus mensuratur bibentis, ita mensurate cuique patienti, juxta quod sustinere potest, passio datur. Dicitur sanguis Christi, unde Paulus : *Probet se unusquisque homo et de calice bibat;* et alibi: *Hic est calix novi testamenti;* et item : *Calix meus inebrians quam præclarus est.* Dicitur species vini sub qua latet sanguis Christi, unde in Evangelio de Christo dicitur : *Accepit calicem et dedit discipulis suis*. Dicitur sacra Scriptura, unde in Psalmo : *Calix in manu Domini vini meri plenus misto ;* per merum intelligitur spiritualis intelligentia , per mistum litteralis observantia , unde ibidem : *Verumtamen fæx ejus non est exinanita*, id est litteralis intelligentia quam adhuc Judæi observant. Dicitur æterna beatitudo, unde David : *Calicem salutaris accipiam*, id est fruar æterna beatitudine. Dicitur terrena voluptas, unde in Apoc. dicitur de calice aureo Babylonis quo inebriavit Deus omnes gentes, quia terrena voluptate omnes inebriantur. Dicitur etiam vas in quo sacramentum celebratur Eucharistiæ in altari.

Callis dicitur via. Calles dicuntur sanctorum exempla, unde in Proverbiis : *Et calles justorum custodiat*.

Calor, proprie, dicitur Spiritus sanctus, unde Psalmista : *Nec est qui se abscondat a calore ejus*, id est non sunt in corde alicujus cogitationes quas ipse non videat. Dicitur concupiscentia, unde in Paralip. : *Hi sunt qui descenderunt de calore Rechab*, quia concupiscentia celebratur, calore mediante. Dicitur etiam charitas secundum aliam expositionem, et melius in prædicto exemplo, ut sit sensus : Qui imitatur Rechab qui voverat se non bibiturum aliquid quo posset inebriari, et semper sub dio habitabat, quod posteritas ejus tota sic faciebat, et est sensus historicus : *Qui descenderunt*

de calore Rechab, id est qui observant religionem A vel charitatem Rechab.

Camelus, proprie, dicitur peccator pondere peccatorum oneratus, unde in Marco : *Facilius est camelum per foramen acus transire.* Dicitur etiam Christus, unde Dominus ait quod Judæi colant culicem et deglutiunt camelum. Culex susurrando vulnerat, camelus sponte se ad onera inclinat. Colaverunt ergo Judæi culicem qui seditiosum Barrabam petierunt; camelum vero glutierunt, quia eum qui nostræ immortalitatis onera sponte suscepit exstinguere clamando conati sunt, dicentes: *Crucifige, crucifige.*

Caminus, proprie, unde in Daniele dicitur quod Nabuchodonosor misit tres pueros in caminum ignis. Dicitur tribulatio, unde in lib. Sapientiæ : *Quoniam* B *in igne probatur aurum et argentum*, homines vero reptibiles in camino humiliationis. Dicitur humiliationis tribulatio, quia in ea humiliatur homo. Dicitur charitas, unde in Isaia de ipsa legitur quod nunc *Est ignis in Sion et* erit *caminus in Jerusalem.* Dicitur infernus, unde in Evangelio legitur quod mali detrudentur *in caminum ignis.*

Campus proprie, unde in Gen.: *Egressus est Abel cum Cain fratre suo in campum.* Dicitur mundus propter sui amœnitatem, unde a Græcis dicitur *cósmos*, id est ornatus, unde in Psalmo: *Omnia subjecisti sub pedibus ejus: oves*, id est innocentes; *boves*, id est virtuosos; *et pecora campi*, id est mundanos homines. Dicitur etiam Ecclesia Dei, quia sicut in campo varii sunt flores, sic in Ecclesia Dei; est enim ibi C rosa martyrii, viola humilitatis, lilium virginitatis, uva castitatis, unde in Cant. : *Ego flos campi et lilium convallium*, etc. Dicitur amplitudo vel latitudo vitiorum, unde in Psalmo : *Invenimus eam in campis silvæ*, id est vagantem in vitiis. Dicitur gentilitas, ad quam expositionem potest referri prædicta auctoritas ; *invenimus eum in campis silvæ*, id est Ecclesiam in gentilitate, id est in silvestribus hominibus, et loquitur in persona apostolorum. Dicitur aliquis a tumore superbiæ in humilitate descendens, unde in Psalmo : *Ascendunt montes et descend nt campi.* Dicuntur sancti, unde David : *Et campi tui replebuntur ubertate*, id est sancti replebuntur ubertate virtutum et bonorum operum, etc. D

Canalis, proprie, dicitur cor humanum, quia sicut per canalem decurrit aqua, ita per cor compunctio et passionis Christi recordatio ; unde in laudibus sponsæ : *Comæ capitis tui, sicut purpura regis juncta canalibus.* Purpura regis jungitur canalibus quando passio Christi intimatur nostris cordibus, ita ut vera charitate Christo compatiamur. Dicitur etiam prædicator per quem descendit spiritualis aqua in areolas aromatum, id est in mentes sanctorum ; unde dicitur quod per canales descendit aqua ad areolas, secundum quam significationem potest exponi illa auctoritas : *Purpura regis canalibus* jungitur, quando prædicatores Christi passionem exponunt.

Cancellus, fenestra interius lata, exterius stricta. Dicitur deambulatorium, unde in lib. Reg. [dicitur] quod *rex Israel cecidit per cancellos.* Dicitur obscura doctrina, unde in Cant. : *En ipse stat post parietem nostrum, aspiciens per fenestras et cancellos.* Fenestræ ampliores sunt, cancelli strictiores ; per fenestras ergo intelligitur manifesta doctrina, quæ minoribus a Christo est proposita ; per cancellos altior et obscurior doctrina, quæ majoribus est oblata. Dicitur etiam cor humanum, unde in Proverbiis : *De fenestra domus prospexi per cancellos ;* verba sunt prospicientis Dei de altitudine cœli per meritorum intuitum corda hominum.

Candelabrum, proprie. Quandoque etiam significat crucem, ut in Evangelio : *Nemo lucernam accendit et in abscondito ponit eam, sed super candelabrum.* Dicitur etiam Christus, ad quam significationem potest referri prædicta auctoritas, quia in fide Christi debet aliquis lucernam accendere. Dicitur caro, quia homo prædicationem verbi Dei amori carnis debet præponere. Quandoque significat donum Spiritus sancti, unde in Apoc. septem candelabra significant septem dona Spiritus sancti.

Canere, proprie, *manifestare*, unde in Evangelio : *Cum facis eleemosynam, noli tuba canere ante te*, id est noli opus tuum manifestare intuitu favoris humani vel terreni emolumenti. Nota quod eleemosyna quandoque fit in occulto, quandoque in aperto; in occulto, ut in prædicto exemplo, scilicet *cum facis*; in aperto, ut in Evangelio : *Luceant opera vestra coram hominibus ut glorificetur Pater vester qui in cœlis est.* Signat *prophetizare*, unde in prosa : *Isaias cecinit*, id est prophetizavit, *Synagoga meminit, nunquam tamen desinit esse cæca ;* et alibi de Sibylla : *Diva, cane et vaticinare*, etc. Signat metrice describere, unde : *Cecinit Moyses carmen Domino*, id est proposuit carmen Domino metrice scriptum. Et Virgilius :

Arma virumque cano.

Signat *laudare*, unde Virgilius

......*Regemque canebant*,

id est laudabant.

Canis, proprie, dicitur prædicator vel bonus prælatus. Canis insignes habet proprietates : bonos significat pastores; secundum dejectos mercenarios et fures. Canis autem hæ sunt insignes proprietates. Canis est animal exhibens homini familiaritatem, domini custodiens ædem, furem arcens, latrans contra lupum venientem, fugans latronem, linguam medicinalem habens : secundum has proprietates signat bonum pastorem qui tenetur subditis exhibere compassionis familiaritatem, judicare subditorum infirmitatem, congaudere sanis, compati ægris, regere viantes, corrigere deviantes ; hic etiam tenetur custodire domum Domini, id est Ecclesiam Dei ne fur, id est hæreticus, aliquem subripiat de Ecclesia per suggestionem ; ne lupus, id est diabolus, aliquem devoret per tentationem ; ne latro, id est tyrannus, in Ecclesia irruat per violentam tyrannidem, unde Psalmista : *Famem patientur ut canes*, et alibi ;

Lingua canum tuorum. Sed nostris temporibus canis lupum induit, latroni consentit, furi obedit; in furem vertitur, et si non per sensum, saltem per consensum; quia vel negligentia ductus non arguit, vel ignorantia obtenebratus arguere nescit, vel pecunia tactus in Ecclesia esse permittit; contra lupum venientem non latrat, quia diaboli insidias non denudat, quia negligit vel denudare nescit, vel dæmonis insidias sequendo ejus tentationi succumbit; et latronem, id est tyrannum, fugit, non fugat, quia negligentia laborat, vel ignorantia errat, vel prece vel pretio remissus, vel cupiditate illectus; de quibus dicitur in Isaia: *Væ vobis canes muti non valentes latrare*, quia contemnitis. Canis dicitur etiam pravus prælatus secundum dejectas proprietates. Canis est animal lunaticum, immundum, revertens ad vomitum. Sic prælati nostri temporis indiscrete in subditos sæviunt, et tanquam lunatici canes, legitimum ordinem prætermittunt et indiscrete latrant, (quia quos deberent arguere mulcent, et quos deberent mulcere latratu inordinatæ apprehensionis mordent. Canis est animal immundum natura, sic prælati immundi sunt multiplici causa: effluunt enim luxuria, defluunt gula, incandescunt ira, ardent avaritia; de istis dicitur: *Væ vobis canes muti non valentes latrare.* Dicitur etiam hæreticus propter immunditiam, unde Christus apostolis dixit in Evangelio: *Nolite sanctum dare canibus.* Dicitur gentilis populus, unde Christus in Evangelio Chananeæ dixit: *Non est bonum sumere panem filiorum*, id est Judæorum, et *mittere canibus*, id est gentilibus; panem, id est prædicationem divinam tam Judæis quam gentilibus. Dicitur apostata, unde dicit Petrus: *Tanquam canis revertitur ad vomitum.* Dicitur vilis, unde in lib. Reg. Abner dicit Isboseth: *Reputasti me quasi caput canis*, unde in eodem dicit David de Saul: *Melior est canis vivus leone mortuo*, id est melior est aliquis vivens in præsenti quam aliquis mortuus, quantum ad possibilitatem merendi, quia iste potest mereri majorem beatitudinem quam aliquis habeat in æterna beatitudine. Ille vero qui est in patria non potest, econtra aliquis qui est in patria dicitur melior ratione certitudinis et beatitudinis. Ad hoc potest assignari quod dicitur de Joanne Baptista: *Inter natos mulierum non surrexit major Joanne Baptista*, et statim quasi contrarium sequitur: *Qui minor est in regno cœlorum major est illo;* hoc ita exponitur: Ille qui est in patria dicitur minor in possibilitate merendi, et ideo dicitur mortuus, sed major est ratione hujus dignitatis; vocat eum leonem; ille qui est in via est minor possibilitate peccandi, major potestate merendi, et dicitur canis propter immunditiam, quia quandiu sumus in hac vita immundi sumus.

Canticum dicitur mentis exsultatio proprie habita de æternis in vocem prorumpens. Dicitur prædicatio Novi Testamenti, unde Psalmista: *Immisit in os meum canticum novum.* Dicitur oratio exprimens Dei laudem, unde in cantico Moysi: *Cantemus Domino gloriose.* Dicitur exsultatio æternæ beatitudinis, unde in Apoc.: *Cantabunt sancti canticum novum in conspectu Agni.* Quandoque, antonomastice, Cantica canticorum, scilicet epithalamium Salomonis quod canit de ineffabili conjunctione Christi et Ecclesiæ, scilicet: *Osculetur me*, et hoc ratione dignitatis; et nota quod Cantica canticorum dicuntur duobus modis: aut temporis antiquitate, ut illud Moysi, quia ante non legitur aliquod fuisse editum; aut mysterii dignitate, ut illud Salomonis quod dicitur Sir Hasirim, id est Cantica canticorum, Cantilena Sponsi vel Sponsæ, Carmen dilecti, Canticum amoris, Canticum dilectissimi, vel amantissimi, vel desiderantissimi, vel laudes Sponsi vel Sponsæ, etc.

Capere proprie, unde: *Capite nobis vulpeculas parvas quæ demoliuntur vineam meam*, id est hæreticos qui demoliuntur Ecclesiam meam. Signat contingere, et capitur impersonaliter, unde Christus discipulis sibi dicentibus ne rediret in Galilæam propter Herodem qui sibi insidiabatur, ait: *Dicite vulpi illi*, id est Herodi qui dicitur vulpis propter dolositatem et fraudulentiam, *quoniam non capit*, id est contingit, *prophetam*, id est me, qui antonomastice dicor propheta, *perire extra Jerusalem*, id est Jerusalem patiar et non alibi. Signat fructum facere, unde in Joanne Christus ad incredulos: *Sermo meus non capit in vobis*, id est non proficit vel fructum non facit, etc. Signat aliquem in exemplum habere, unde Apostolus in II Epist. ad Cor.: *Capite me*, exemplum signat, etc.

Capillus proprie. Dicuntur sancti vel fideles, qui attenuant corpus suum per abstinentiam ad exornationem capitis sui, id est Christi; unde in Canticis: *Capilli tui sicut grex caprarum.* Sicut enim capilli in ornamentum capitis, sic sancti in ornamentum Christi; dicuntur peccata venialia, unde in Psalmo: *Multiplicati sunt super capillos capitis mei*, id est peccata et *iniquitates;* unde clericis præceptum est ut removeant capillos (longitudo enim capillorum multitudinem significat peccatorum), ad hoc significandum quod ipsi tenentur deponere peccata mortalia et quædam venialia. Capilli dicuntur mali, unde in Psalmo secundum aliam expositionem: *Multiplicatæ sunt super capillos capitis mei.* Capillis capitis comparat inimicos, qui a Christo rasi sunt, per ipsorum infidelitatem. Dicitur cogitationum sublimitas, unde in Canticis: *Capilli tui sicut grex caprarum, quæ ascenderunt de lavacro.* Est enim sensus: *Capilli tui*, cogitationes tuæ, sunt *sicut greges caprarum*, id est comparabiles sunt motibus contemplationum, quia ad contemplationes tales cogitationes pertinent, quæ eleganter per capreas significantur. Sicut enim capreæ in montibus pascuntur et subtiliter intuentur, ita et tales motus in cœlestibus delectantur et cœlestia speculantur; quæ

ascenderunt de lavacro; quia, mente purgata ab amore terrenorum, procedunt diversi motus contemplationum.

Capparis proprie est herba in cujus vertice oritur lanugo quæ flatu venti spargitur. Dicitur etiam Synagoga, unde in Eccle.: *Florebit amygdalus, impinguabitur locusta, dissipabitur capparis*, id est Synagoga in infidelitate vivendi ordinem amisit.

Caprea proprie, unde in lib. Reg.: *Erat Azàel quasi unus de capreis*, etc. Dicitur Christus qui capreæ similatur secundum divinitatem; asserunt namque hi quibus peritia medicinæ est, inesse animali huic inter viscera humorem quemdam, qui caliginem depellit oculorum, et obtusiones visus acuit. Meritò ergo Christus capreæ assimilatur, quia non solum ipse videt Patrem, sed videri ab his facit quorum visus ipse curavit, unde in casu [Cant.]: *Similis est dilectus meus capreæ hinnuloque cervorum.* Prophetæ comparantur capreæ propter propheticam revelationem; quia sicut caprea subtilem habet visum, ita propheta in prævidendis futuris subtilem habet intellectum.

Caput, proprie, dicitur Dei judicium. Dicitur principium, unde David in persona Christi: *In capite libri scriptum est de me*, id est in principio Psalterii, ubi dicitur: *Beatus vir*, etc. Dicitur mens humana vel ratio: *Convertetur dolor ejus in caput ejus*, id est pœna peccati hominis; *convertetur in caput ejus*, id est ratio obtenebrabitur. Dicitur prima suggestio a diabolo, unde in Gen. dixit Deus diabolo, qui erat in serpente: *Ponam inimicitias inter te et mulierem*, id est Ecclesiam; *et ipsa conteret caput tuum*, id est suggestionem primam; *et tu insidiaberis calcaneo ejus*, id est finali operi. Dicitur maritus uxoris, unde Apostolus: *Vir est caput mulieris, caput viri Christus, caput Christi Deus.* Dicitur terminus rei, unde in Threnis: *In capite omnium platearum*, id est in termino. Dicitur Synagoga respectu cujus gentilitas dicitur cauda, unde: *Caput mutatur in caudam et cauda in caput*, id est Synagoga, quæ erat caput ante Christi adventum, facta est cauda gentilitate ad fidem conversa, juxta illud Evangelii: *Erunt primi novissimi.*

Carbo, proprie, est charitas; unde Jacobus [Paulus]: *Hoc faciens, carbones ignis congeres super caput ejus*, id est patientia tua accendens eum in charitate divina. Dicitur mens in peccatis frigida, unde in Threnis: *Denigrata est super carbones facies eorum.* Mentes peccatorum nigræ post candorem fiunt, quia, amissa Dei justitia, cum peccatores de se præsumunt, in ea etiam quæ non intelligunt peccata dilabuntur. Dicitur illuminatio fidei, unde in Psalmo: *Præ fulgore in conspectu ejus nubes transierunt, grando et carbones ignis*, id est præfulgidi prædicatores, scilicet apostoli transierunt per universum orbem comminando, quod significatur cum dicit *grando;* et post grandinem comminantem secuti sunt *carbones ignis*, id est illuminatio fidei quæ significatur per carbones; apostoli dicuntur præfulgidi et

A respectu prophetarum, quia in dictis suis fuerunt obscuri, unde David: *Tenebrosa aqua in nubibus aeris*, id est obscura intelligentia in prophetis. Dicitur prædicator qui sua prædicatione alios accendit in amorem Dei, unde Psalmista: *Sagittæ potentis acutæ cum carbonibus desolatoriis*, id est prædicatoribus Dei, qui desolantur peccatores ab amore terrenorum, prædicatione sua consolantur ad cœlestia capessenda. Carbones dicuntur prædicatores prius vivi per fidem et gratiam, et postea mortui per infidelitatem, unde David: *Carbones succensi sunt ab eo*, id est diu mortui per gratiam Dei illuminati a Christo Salvatore nostro.

Carcer, proprie, quandoque significat carnem, unde in Psal.: *Educ de carcere animam meam.* Quan-
B doque significat peccatum vel infernum, ut: *Educ vinctos de domo carceris et umbra mortis*, id est de carcere peccati vel inferni. Dicitur tribulatio, unde Apoc.: *Ecce missurus est diabolus ex vobis in carcerem.*

Cardo proprie materia quæ circa cardinem vertitur ostii, et circa materiam opus vertitur, unde: *Cardo disputationis externæ res erat publica.* Dicitur oriens, unde in hymno: *A solis ortus cardine*, id est ab oriente ubi oritur sol.

Carmelus est mons Christus, qui vera circumcisione ab omnibus vitiis fideles suos circumcidere novit. Carmelus enim interpretatur *cognitio circumcisionis*, unde in Cant. amantissimi: *Caput tuum*
C *sicut Carmelus.*

Carmen dicitur oratio metrice scripta, unde Boetius [*De consol. Philos.*]:

Carmina qui quondam studio florente peregi,
Flebilis, heu! miseros cogor inire modos.

Dicitur sacra Scriptura, unde in libro Sapientiæ: *Requirentes modos musicos et narrantes carmina Scripturarum.* Dicitur laus divina, unde in Psalmo: *Immisit in os meum canticum novum, carmen Deo nostro.* Dicitur verbum incantationis, unde dicitur quod incantatores carminibus suis decipiunt homines.

Caro, proprie, dicitur reprobus, unde in Job de Behemoth dicitur: *Membra carnium ejus cohæren-*
D *tia sibi.* Carnes enim diaboli sunt omnes reprobi qui in prava operatione sunt ei conjuncti. Dicuntur discipuli Domini, unde in persona Christi Job ait: *Pelli meæ, consumptis carnibus, adhæsit os meum*, quasi dicat: Discipuli mei in passione mea per infidelitatem consumpti sunt. Dicitur pœna carnis, unde Job amicis ait: *Quare persequimini me, sicut Deus, et carnibus meis saturamini*, id est pœnis carnis meæ. Dicitur carnalis delectatio, unde in Job: *Tabescet caro illius, et ossa, quæ tecta fuerant, nudabuntur.* Tabescit caro et ossa nudantur, quando per flagella carnalis delectatio extenuatur, et ea quæ sub carne latuerant, virtutum forma patefiunt. Dicitur vita carnalis, unde Job: *Induta est caro mea putredine et sordibus pulveris,*

ac si aperte diceret : Carnalem vitam quam patior A aut tabes lubricæ operationis polluit, aut ex vitiorum memoria caligo miseræ cogitationis premit. Dicitur substantia, unde Apostolus : *Alia caro hominum, alia volucrum, alia piscium, alia quadrupedum*, id est substantia. Dicitur homo, unde in Joanne : *Verbum caro factum est;* et propheta: *Omnis caro fenum.* Dicitur infirmus, unde in Genesi : *Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est*, id est infirmus; *spiritus meus*, id est ira mea, quia fragilis naturæ est et peccavit per infirmitatem; diabolus vero ex adipe iniquitatis. Dicitur homo carnalis, unde Paulus : *Caro et sanguis regnum Dei non possidebunt*, id est carnales homines. Dicitur carnalitas vel sensualitas, unde Apostolus: *Caro pugnat adversus spiritum, spiritus autem adversus* B *carnem ;* et Psalmista : *Non est sanitas in carne mea.* Dicitur corruptio carnis, unde secundum aliam expositionem : *Caro et sanguis regnum Dei non possidebunt*, quia ibi non erit corruptio. Dicitur carnalis scientia, unde in Matthæo : *Beatus es, Simon Barjona, quia caro et sanguis non revelavit tibi*, id est carnalis scientia. Dicitur legalis observantia, unde Apostolus : *Renuntiavit carni et sanguini*, id est legali observationi. Dicitur forma panis, in qua latet corpus Christi Jesu. Dicitur opus carnale, unde in Genesi : *Et erunt duo in carne una*, id est in uno opere carnali. Dicitur etiam homo justus, unde in Psalmo : *Ad te omnis caro veniet*, id est homo vincens carnem. Dicitur cognatus, unde in C Isaia. *Cum videris nudum, operi eum, et carnem tuam ne despexeris.* Dicitur frater, unde in Genesi Ruben volens liberare Joseph, dixit : *Caro enim et frater noster est.* Dicitur mulier, unde in Joanne : *Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis*, id est mulieris in qua major est voluptas quam in viro, unde in emissione partus duplici dolore cruciatur.

Cartilago, proprie. Dicitur simulatio, quia sunt quidam qui ostendunt in se rectitudinis speciem sub qua vitia velant, unde in Job : *Cartilago ejus quasi laminæ ferreæ.* Dicuntur minores Antichristi, unde Greg. : *Cartilago ossis speciem habet, sed ossis fortitudinem non habet ; et sunt nonnulli Antichristi tempore non dignitatibus clari, sed tamen* D *videri quales non sunt ambiunt, et ideo contra bonorum vitam nequiores fiunt.*

Cassia est species aromatica. Est quæ datur in aquis fides baptismi vel nutritur, eo quod cassia nutritur in aquis, unde in Psalmo : *Myrrha et gutta, et cassia.*

Castra, proprie. Dicitur Ecclesia Dei, unde in Cant. : *Terribilis ut castrorum acies ordinata.* Dicitur dæmon, unde dicitur quod dæmones sunt castra militantia Deo. Dicitur exercitus angelorum, unde in Genesi legitur quod exercitus angelorum apparuit Jacob revertenti a Mesopotamia, unde locus ille ubi apparuerunt angeli dicitur Manaim, id est *castra*, etc.

Casus, proprie, fortunæ a prosperitate in adversitate, de quo Boetius in lib. *De cons. Philos.* :

Qui cecidit, stabili non erat ille gradu.

Casus naturæ de vita in mortem, de quo legitur in libro Reg. : *Quomodo ceciderunt fortes in Israel ?* Casus gratiæ de virtutibus in vitia, unde Apostolus : *Qui stat, videat ne cadat.* Casus gloriæ, unde Isaias : *Quomodo de cœlo, Lucifer, cecidisti qui mane oriebaris ?* Casus in ruinam gehennæ, unde in Psalmo : *Cadet cum dominatus fuerit pauperum.*

Cataclysmus, dicitur diluvium a *cata* quod *fluxus;* unde in lib. Sapientiæ : *Cataclysmus aridam inebriavit.* Dicitur infernus, unde in lib. Philonis qui et Salomon dicitur : *Super iniquos creata sunt omnia hæc, et propter illos est cataclysmus*, id est infernus, quia propter malos puniendos creatus est, etc.

Cataractæ dicuntur brachia Nili ; septem enim rivuli in quibus divisus est Nilus ab Alexandro, dicuntur proprie *cataractæ* et *catadupla* a *cata*, quod est *fluxus*, etc. Sunt etiam meatus terræ subterranei per quos defluit aqua, sive dracones vel scaturigines dicuntur. *Cataractæ* dicuntur etiam nubes quæ apertæ sunt, id est resolutæ in pluviam, tempore diluvii, unde in Genesi: *Cataractæ cœli apertæ sunt.* Signant prædicatores, quia per prædicatores descendit pluvia cœlestis doctrinæ in subjectos, unde in Psalmo : *Abyssus abyssum invocat, in voce cataractarum.* Sunt etiam duo Testamenta quæ nos irrigant cœlesti doctrina, ut sit sensus : *Abyssus abyssum invocat*, id est gravis pœna quæ inflicta est Adæ pro uno peccato, significat quanta pœna infligenda sit peccatoribus pro multis gravioribus peccatis, et hoc attestantur duo Testamenta, etc.

Catena, proprie, dicitur infirmatio potestatis dæmonis, unde : *Vidi angelum descendentem de cœlo, habentem clavem abyssi, et catenam magnam in manu sua*, etc.

Cathedra, proprie, dicitur doctrina vel amor dominandi, unde in Psalmo : *In cathedra pestilentiæ non sedit*, id est doctrinam pestiferam non dedit vel amorem dominandi non habuit, qui amor pestilentiæ nomine dicitur ; quia, sicut morbus qui pestilentia dicitur quasi pestilenti lacte vagatur et totum gregem corrumpit, sic amor dominandi plures inficit. Dicitur etiam regnum, unde in Psalmo : *In cathedra seniorum laudent eum*, id est regimine pastorali.

Catulus proprie leonis. Dicitur etiam Christus, quia sicut leo tertia die a nativitate catulos suos suscitat, ita Deus Pater Filium suum Jesum die tertia suscitavit; unde in benedictionibus Jacob : *Juda, te laudabunt fratres tui, catulus leonis Juda.* Dicitur aliquis inspiratus a dæmone, unde in Psalmo : *In medio catulorum leonum dormivi, conturbatus*, et in pluribus aliis locis. Dicuntur etiam minores dæmones, unde David : *Catuli leonum rugientes, ut quærant a Deo escam sibi.* Dicuntur discipuli hæreticorum, unde in Threnis : *Lamiæ nudaverunt mammas et lactaverunt catulos suos.* Lamia est quoddam

animal vultum virgineum habens et pedes equinos, per quod figurantur qui in primis vera proponunt et in fine falsa concludunt, juxta illud: *Latent sepe vineam circumlita melle verborum; et tandiu præceptor vera simulat quandiu verba falsa dicit.*

Cauda, proprie, dicitur Antichristus, unde legitur in Apoc. quod draco traxit cauda sua secum tertiam partem stellarum, quia maxime diabolus per Antichristum in fine mundi despiciet justos. Dicitur potestas terrena, unde in Apoc. dicitur quod *in caudis scorpionum erant aculei*, quia hæretici, qui maxime significantur per scorpiones, infestabunt sanctos per terrenam potestatem. Dicitur etiam gentilis populus, unde Isaias: *Cauda vertetur in caput et caput in caudam*; quia Judæi, qui fuerunt primi sancti, sunt novissimi: et gentiles, qui erant novissimi, facti sunt primi.

Cauma dicitur fervor, unde in catalogo creaturarum: *Benedicite cauma et frigus Domino.* Dicitur etiam tribulatio, unde Job: *Cutis mea denigrata est super me, et ossa mea aruerunt præ caumate*, etc.

Caupo, proprie. Dicitur falsus prædicator qui admiscet falsa veris, unde Isaias: *Caupones tui miscent aquam vino*, etc.

Caverna, proprie. Dicitur vulnus Christi factum lancea, unde in Cant.: *In foraminibus petræ, in caverna maceriæ.* Per foramina intelliguntur vulnera Christi, quæ sunt facta clavorum perforatione; per cavernam, vulnus factum cum lancea intelligitur. Est ergo sensus: In fide habita de vulneribus factis sive per clavos sive per lanceam judicabunt, id est habitant per fidem. Dicuntur etiam imperfectiores qui minora de Deo sentiunt, ut in eadem auctoritate secundum aliam expositionem: per foramina enim intelliguntur magis perfecti, per cavernam non ita perfecti in fide Christi.

Dicitur pravum cor hominis quod inhabitat diabolus, unde in Isaia: *Puer ablactatus, mittens manum in cavernam reguli*; id est Christus, postquam ablactatus fuerit, extrahet hominem a dæmonis potestate, etc.; vel Christus ejiciens diabolum in caverna reguli, id est ab homine pravo quem inhabitat Lucifer qui dicitur regulus; unde magister Adamus (49):

Anguem forat in maxilla,
Christus hamus et armilla.
In cavernam reguli
Manum mittit ablactatus,
Et sic fugit exturbatus
Vetus hospes sæculi.

Hamus; dicit, juxta illud: *Quis capiet Leviathan hamo*, ad idem dicit magister:

Manum mittit ablactatus, etc.

Cedrus, proprie, unde legitur in lib. Reg. quod Salomon *fecit templum de cedris Libani.* Dicitur angelus, unde Isaias: *Quid faciet virgula deserti, cum movebitur cedrus paradisi?* id est: Quid faciet homo peccator in die judicii quando sic tremebunt angeli; et alibi de Lucifero dicitur: *Cedri non fuerunt altiores illo in paradiso*, id est angeli. Dicitur etiam aliquis exaltatus in terrenis honoribus, unde in Psalmo: *Vidi impium superexaltatum et elevatum sicut cedrus.* Cedrus radicata ad modicum utilis est, eradicata vero magnam affert utilitatem; sicut aliquis potens in terrenis inutilis est, humiliatus vero per pœnitentiam magnam confert utilitatem, unde in Psalmo: *Vox Domini confringentis cedros.* Dicitur aliquis habens potestatem super multos, unde in lib. Reg.: *Carduus venit ad cedrum Libani, dicens: Da filio meo filiam tuam in uxorem*; hoc dicit Joas rex Israel, qui valde potens erat, Amasiæ regi Juda minus se potenti et cum eo pugnare volenti. Dicitur sanctus; quia sicut cedrus arbor procera et odorifera est et suo odore fugat serpentes: sic sanctus celsitudine virtutum eminet, bonæ opinionis odorem mittit, verbo, opere et exemplo fugat serpentes, id est dæmones; unde Cant.: *Tigna domorum nostrarum sunt cedrina laquearia cupressina*; et Psalmista: *Justus ut palma florebit, sicut cedrus Libani multiplicabitur.* Dicitur virtutes sanctorum, unde Ezechiel: *Aquila magnarum alarum comedit medullam cedri*, id est diabolus, qui dicitur *aquila magnarum alarum* propter subtilitatem suggestionum, *comedit medullam cedri*, id est abundantiam virtutum. Dicitur templum ex cedro coopertum, ut ponatur materia pro materiato, ut in prædicto exemplo, quantum ad litteram, *aquila magnarum alarum* dicitur Nabuchodonosor, propter multitudinem potentiæ; *qui comedit medullam cedri*, id est templum destruxit de cedro coopertum et constructum, mediante Nabuzardan principe suo, etc.

Censere significat *numerare*, unde legitur quod *multa millia filiorum Israel recensita sunt*, id est numerata. Secundum hoc census dicitur a *censio*, quia antiquitus pecunia tradebatur numero vel pondere, unde dicitur appropensa. Signat *repetere*, unde in oratione Natalis Domini dicitur: *Recensita nativitas.* Nota quod dicitur *recensita* per *i* productum, et secundum hoc descendit a *recensio, is*, quod est quartæ conjugationis; alii dicunt quod corripitur, et est supinum hujus verbi *recenseo, es*, quod est secundæ conjugationis, et facit præteritum *recensui* et supinum *recensitum*; alii dicunt *recensetum* et venit a *recenseo, es, recensui*, et secundum hoc potest dici *recensita nativitas*, *i* producto vel correpto.

Cera, proprie, dicitur cor vel mens hominis per pœnitentiam ad ignem charitatis emollita vel liquefacta, unde David: *Factum est cor meum tanquam cera liquescens.* Dicuntur mali, unde in Psalmo: *Sicut cera quæ fluit a facie ignis, sic pereant pecca-*

(49) Adam. a S. Victore, seq. V *De resurrect. Domini*, Patrol., t. CXCVI.

tores a facie Dei, et fluent a facie ignis gehennalis, etc.

Cervix, proprie, dicitur superbia; unde in Deut. dixit Moyses populo Israel: *Scio enim contentionem tuam et cervicem tuam durissimam;* et in Psalmo: *Dominus concidet cervices peccatorum*. Dicitur potentia, unde in benedictionibus Jacob: *Manus tua in cervicibus inimicorum tuorum*. Dicitur etiam libertatis erectio, unde Job in persona Ecclesiæ ait: *Tenuit cervicem meam, confregit me*, id est quam infirmus habui, discretio suæ passionis inclinavit.

Cervus, proprie, dicitur Christus, vel humana Christi natura, ut habetur in titulo: *Deus, Deus meus, respice in me;* dicitur ibi *in fine psalmi David* pro cerva matutina. Eleganter comparatur humana B Christi natura cervæ matutinæ; quia, sicut cerva matituna surgens in mane, cornibus suis penetrat et pertransit dumeta, et constituit se super montium excelsa; sic Christus, mane surgens, a somno mortis transivit spineta pœnarum et mortalitatis, et constituit se in excelso montis; quia post resurrectionem transiit in cœlum, penetravit etiam dumeta, id est humanos defectus cornibus imposita divinitas evasit: ideo Christus comparatur cervæ et non cervæ, ut notetur quod humana natura inferior est divina, etc.

Dicuntur etiam prophetæ, unde in Cant.: *Adjuro vos, filiæ Jerusalem, per capras hinnulosque cervorum*. Dicuntur etiam sancti, unde in Psalmo: *Montes etiam excelsi cervis, et petra refugium erinaceis*. C Montes cervis sunt refugium, id est sancti qui tribulantur, recurrere debent ad montes excelsos, id est ad apostolos vel ad eorum exempla, petra, id est Christus, est refugium erinaceis, id est peccatoribus conversis et pœnitentibus, qui sic hic figurantur per erinaceos propter ericii proprietatem. Dicitur neophytus vel perfectus secundum quod illud dupliciter exponitur: *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum;* hoc enim exponitur de neophytis, quantum ad baptismum, vel de perfectis quantum ad vitam æternam.

Chamus, proprie, dicitur minor tribulatio, quia chamus non ita constringit fauces equi sicut frenum; unde per chamum minor tribulatio, per D frenum major tribulatio intelligitur; unde in Psalmo: *In chamo et freno maxillas eorum constringe*, id est in minori et majori tribulatione. Dicitur minoratio potestatis, unde in lib. Reg. Dominus de Sennacherib ait: *Ego ponam chamum in caput ejus*, id est potestatem ejus diminuam, et hoc factum fuit cum angelus Domini in una nocte percussit Sennacherib, cum obsedisset Jerusalem, et occidit octoginta millia de exercitu ipsius regis.

Character, figura. Dicitur imitatio Antichristi, unde in Apoc.: *Et factum est vulnus sævum in homines ac pessimum qui habent characterem*, id est qui imitantur bestiam, id est Antichristum. Dicitur susceptio sacramentorum, unde fideles dicuntur habere Christianæ religionis vel fidei characterem

Charitas virtus, unde Apostolus: *Charitas non agit perperam*. Dicitur etiam Deus, unde in Epistola canonica: *Deus charitas est et qui*, etc. Dicitur etiam signum charitatis, unde in Evangelio: *Majorem charitatem nemo habet*, id est majus signum charitatis.

Cherubin, ordo angelorum; dicitur etiam *plenitudo scientiæ*, unde David: *Ascendit super cherubin, et volavit super pennas ventorum*, quia quantacunque scientia sit præditus aliquis, Deum comprehendere non potest; dicitur scientia divina referti, quia super illos ascendit Deus, id est ascendere dicitur super cherubin. Dicitur charitas, quia est *plenitudo scientiæ* sine qua meritoria non est scientia vel perfecta, unde in Psalmo: *Qui sedes super cherubin, manifestare coram Ephraim*, etc. Dicitur imago angeli, unde in Exod.: *Fecit Moyses duos cherubin ex auro ductili*.

Chorda, proprie, præceptum Decalogi, unde in Psalmo: *In psalterio decem chordarum psallite illi*, id est adimplete Decalogum, qui designatur nomine decem chordarum, quia docet observantiam decem præceptorum. Dicitur consonantia vocis et operis, unde in Psalmo: *In chordis et organo*. Dicitur virtus, unde super illum locum Isaias: *Venter meus de Moab sicut cithara clamabit*. Sicut cithara sonum compositum non emittit si una chordarum rupta fuerit, sic spiritualis venter prophetæ dulce melos non resonabit si una chorda virtutum defuerit. Philosophorum quoque sententiæ confirmant virtutes cohærere, ut, si una defuerit, omnes deessent.

Chorus proprie conventus aliquorum, unde Augustinus et Ambrosius: *Te gloriosus apostolorum chorus*. Dicitur chorea, unde legitur quod *puellæ ducebant choros*. Dicitur organicum instrumentum, unde in Psalmo: *In tympano et choro*. Dicitur ordo, unde dicitur: *Chorus angelorum eam suscipiat*. Est nomen mensuræ, unde in Luca: *Quantum debes domino meo? qui ait: Centum choros* [coros] *tritici*. Dicitur ventus, unde in Act. apostolorum ubi describitur Pauli naufragium, legitur quod illi qui erant cum Paulo in navi volebant... *hiemare, portum Cretæ respicientem ad Africum et Corum*. Est etiam nomen loci, unde: *Usus dedit ei stallum in choro et vocem in capitulo*.

Christus est nomen notum et exortum a Græco *Christus*, quod interpretatur *unctus; Christus* enim Græce, *unctus* Latine, *Messias* Hebraice, et secundum hoc generaliter quilibet unctus oleo potest dici christus. In distincta vero significatione et specialiter sic appellantur in Veteri Testamento reges et sacerdotes quorum capita ungebantur; unde David ait nuntianti sibi mortem Saulis in lib. Reg.: *Nunquid ausus fuisti manum mittere in christum Domini;* item in Psalmo: *Faciens misericordiam in christo suo David*. Isti dicebantur christi in signum honoris et spiritualis gratiæ, in unctione collatæ. Christus restringitur quandoque ut soli sancti dicantur christi, non a materiali oleo

inuncti, sed a spirituali, unde in Psalmo : *Nolite tangere christos meos*. Quandoque Christus dicitur antonomastice Filius Dei, Christus qui inunctus plenitudine gratiarum, unde Petrus in Matthæo : *Tu es Christus Filius Dei vivi*, et notavit in nomine Christi trinitatem, scilicet inungentem Filium inunctum quantum ad humanitatem, Spiritum sanctum quo est inunctus. Nota quod Jesus fuit proprium nomen personæ et fuit ab æterno Jesus, quia persona fuit ab æterno : hoc nomen Christus fuit agnomen, quia ab eventu habuit hoc nomen, quia ex tempore incœpit esse inunctus plenitudine gratiarum, de qua inunctione dicit Psalmista : *Unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ*, et ita non fuit ab æterno Christus : cognomen fuit filius hominis vel filius virginis. Humana Christi natura dicitur Christus, unde Hieronymus : *Qui negaverit Filium Dei assumpsisse Dominum nostrum Jesum Christum, anathema sit. Certe Dominus noster Jesus Christus non fuit assumptus sed assumens.* Est sensus : Quicunque negaverit Filium Dei assumpsisse humanam naturam, secundum quam Dominus noster Jesus, id est Salvator et Christus, quia humana natura inuncta, divina inungens (49*) non enim credibile est quod assumpserit personam hominis hominem, scilicet unum, scilicet humanam naturam, id est corpus et animam, anathema sit.

Chrysolithus resplendet quasi aurum et emittit de se scintillas argenteas. Signat sapientes et charitativos et qui quod sciunt et intelligunt aliis in opere et sermone demonstrant, et hoc est scintillas emittere : chrysos enim *aurum*, et per aurum sapientia et charitas intelligitur quæ est major omnibus virtutibus; de quo etiam in Apoc. legitur, etc.

Chrysoprasus est purpurei coloris et interguttatus guttulis aureis, etc. Signat eos qui semper in tribulatione et labore passionum vitam suam ducunt manendo semper in charitate. Signat illos qui puri sunt, quod per aurum demonstratur. Chrysos *aurum*, prasus *marrubium*; per aurum puritas, per marrubium colorem viriditas fidei et candidatio castitatis denotantur; marrubium enim candidum est et viride : de hoc legitur in Apoc.

Cibare, proprie, ut in Evangelio : *Si esurierit frater tuus, ciba illum*. Notat spiritualem refectionem, unde in libro Eccli. : *Cibavit illum Dominus pane vitæ et intellectus.*

Cibus, proprie, dicitur spiritualis Christi refectio, unde in Evangelio : *Hic est cibus meus ut faciam voluntatem Patris mei*; et : *Alium cibum habeo manducare quem vos nescitis*. Dicitur caro Christi, tam spiritualis quam materialis ; unde in Evangelio : *Caro mea vere est cibus*. Dicitur spiritualis sapientiæ refectio, unde in lib. Eccli. : *Cibavit illum pane vitæ et intellectus*. Dicitur vita æterna, Tobiæ dixit angelus : *Ego cibo invisibili*; et in Evangelio : *Ut edatis et bibatis.*

(49*) Locus corruptus.

Cilicium, proprie, humana Christi natura propter pœnæ asperitatem, unde in Psalmo : *Ego autem, cum mihi molesti essent, induebar cilicio*; et alibi : *Posui testamentum cilicium.*

Cincinnus vel *cirrus* dicitur proprie capillorum congeries vel intricatio quam solent deferre puellæ. Dicuntur sancti sibi invicem conglutinati, unde in Cant. : *Cincinni mei pleni sunt guttis noctium*, quia sancti quandoque trahuntur amore terrenorum quæ oculos rationis obtenebrant, et ideo dicuntur guttæ noctium. Dicuntur etiam mali magnis inter se vitiis implicati, et qui sunt capilli specietenus, sed distorti ad illicita, unde sic potest exponi prædicta auctoritas.

Cingulum, proprie, castitas; quia, sicut cingulum restringit fluxus vestium, nec sinit vagari huc vel illuc, sic castitas fluxum et motum concupiscentiarum stringit et refrenat, unde Salomon : *Mulierem fortem quis inveniet?* Per mulierem figuratur Ecclesia Dei quæ venit audire sapientiam Salomonis, id est Christi pacifici, de finibus terræ. *Et cingulum tradidit Chananæo*, id est Ecclesia Christo obtulit castitatem, et de hac dicitur in Luca : *Sint lumbi præcincti*. Dicitur etiam justitia; quia, sicut cingulum vestes ordinate tenet, sic justitia restringit superflua, tribuens unicuique quod suum est ; unde Psalmista : *Erit justitia cingulum.*

Cinis, proprie, homo ratione materiæ, unde in Gen. : *Memento quia cinis es*. Dicitur homo ratione humilitatis, unde in Gen. : *Dixit ad Deum Abraham : Quia semel cœpi, loquar ad Dominum, cum sim pulvis et cinis.* Dicitur pœnitentia, unde dicitur : *Cinis et cilicium sunt arma pœnitentium*; et Job in persona pœnitentis dicit : *Saccum consui super cutem meam, et operui cinere carnem meam.* Dicitur miseria, unde in Psalmo : *Quia cinerem tanquam panem manducabam.* Nimis subtiles et inutiles inquisitiones de humana Christi natura dicuntur cinis, unde Amos : *Ne ossa regis Idumææ redigantur in cineres.* Legitur in lib. Reg. quod rex Jerusalem cum rege Idumæorum, qui erat ei tributarius, voluerunt obsidere civitatem Moabitarum eo quod Moabitæ volebant a tributo resilire; rex vero Moab, non potens sufferre insultus obsidentium, voluit egredi per portam cum familia sua ; rex autem Idumææ, qui deputatus fuerat ad custodiam illius, viriliter restitit ei, nec permisit eum egredi, imo coegit eum in civitatem redire. Rex vero præ timore, ira succensus, summitatem muri ascendit, et ibi in conspectu totius obsidentis exercitus, proprium filium immolavit, quia speravit Hebræos pietate moveri, quod videntes filii Israel ab obsidione recesserunt. Post multum vero temporis mortuus est rex Idumææ. Moabitæ vero, in vindictam illius facti, extraxerunt eum e sepulcro, et ossa ipsius combusserunt, et cineres disperserunt. Per regem Idumæorum intelligitur Christus, quia ipse

dixit ad Idumæam : *Extendam calceamentum in* A *Idumæa;* Idumæa enim interpretatur *terra;* per regem Moabitarum intelliguntur hæretici et eorum fautores ; et est sensus : Ne ossa regis Idumæorum redigerentur in cineres, id est in nimis subtiles et inutiles sententias de humana Christi natura excogitatas : hoc enim esset ossa regis Idumæi in cineres et in vanitates redigere. Per ossa enim subtiles et vanæ quæstiones et inutiles et occultæ sententiæ intelliguntur, quæ sparguntur a Moabitis, id est ab hæreticis.

Cinnamomum est species aromatica, interna contemplatio; quia cinnamomum est dulcissimi corticis, ideo significat internæ contemplationis dulcedinem, unde in Cant. : *Nardus, crocus, fistula, cinnamomum.* Dicitur etiam bona fama sive opinio, unde: B *Sicut cinnamomum et balsamum.*

Circuire, proprie, omnia bona vel beneficia divina memoriæ commendare, unde in Psalmo : *Circuivi et immolavi,* id est omnia beneficia divina memoriæ dando pertractavi. Signat mente exquirere, ut: *Omnes voluntates Dei homo adimpleat*, secundum quam significationem potest exponi prædicta auctoritas : *Circuivi*, id est mentem meam exquisivi, ut omnes voluntates ejus adimplerem. Signat exempla præcedentium sanctorum circumspicere ut quilibet homo informet vitam suam, et hoc est : *Circuivi et immolavi.* Aliquando significat circumventionem vel dæmonis suggestionem, unde dicit apostolus de diabolo : *Circuit quærens quem devoret*, id C est decipiat per suggestionem quos sibi incorporet ; Et in Job Dominus ad Satan : *Unde venis? et respondit : Circuivi terram*, id est terrenos circumveni. Signat *custodire*, unde dicitur de prædicatoribus in Psalmo : *Et famem patientur ut canes*, id est famem patientur seminandi verbum Dei et convertendi subditos ad fidem ; *et circuibunt civitatem*, id est custodiunt Ecclesiam. Signat *considerare*, unde in Cant. : *Surgam et circuibo civitatem.* Signat inhærere terrenis rebus volubilibus, unde in Psalmo : *In circuitu impii ambulabant.* Signat *vagari*, unde Apostolus. *Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis.* id est *vagabantur de loco in locum.*

Circuitus, proprie, mutabilitas temporalium, unde D in Psalmo : *In circuitu impii ambulabant.* Dicitur etiam humana Christi natura quæ fuit mutabilis, in qua latuit divinitas quasi punctum immobile, unde David : *Factus sum tanquam vas perditum, quoniam audivi vituperationem multorum commorantium in circuitu*, id est Judæorum qui in me tantum consideraverunt humanam naturam humanis defectibus mutabilem, nec pervenerunt ad punctum divinitatis. Dicitur etiam fallacia, unde in Psalmo : *In circuitu impii ambulabant.*

Circulus proprie cum quælibet pars æqualiter distat a centro. Dicitur nitor eloquii quo utitur hæreticus qui, ut falsitatem suam velet, utitur splendore verborum ut decipiat corda simplicium, unde Salomon : *Circulus aureus in naribus suis, mulier pulchra et fatua;* hæretica pravitas velat fatuitatem colore verborum. Dicitur refrenatio, unde Dominus loquens ad Job ait : *Nunquid pones circulum in naribus ejus*, id est nunquid potes refrenare diabolum sicut et ego. Dicitur circumvolutio, unde solet dici : *Istud cantatur per circulum anni.* Dicitur terminus vel rotunditas, unde : *Evangelium hoc prædicatur per circulum orbis*, id est per circulares partes vel terminos orbis.

Cithara, proprie, significat Filium Dei qui fuit cithara moriendo ; quia cithara resonat ab inferiori; psalterium resurgendo, quia psalterium resonat a superiori ; gloria ascendendo, unde in Psalmo : *Exsurge, gloria mea, exsurge, psalterium et cithara.* Dicitur tempus tribulationis, unde David : *Confitebor tibi in cithara, Deus, Deus meus*, id est in tempore tribulationis. Dicitur etiam servitium pro terrenis, psalterium servitium pro æternis, unde *Psalterium jucundum cum cithara.* Dicitur carnis mortificatio, unde in Psalmo : *Laudate eum in psalterio et cithara*, id est in mentis devotione et carnis mortificatione. Dicitur carnis exsultatio, unde Job : *Versa est in luctum cithara mea.* Dicitur passio, unde Isaias : *Venter meus ad Moab et cithara clamabat.*

Cito notat imminentiam temporis. Aliquando notat totum tempus usque ad diem judicii, unde in Apoc. : *Quæ oportet fieri cito*, id est in præsenti tempore. Omne enim tempus præsentis vitæ comparatum æternitati, quasi unius horæ parvissimum est momentum.

Civitas, proprie, Ecclesia militans, unde in Psalmo : *Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei;* et alibi : *Latera aquilonis civitas Regis magni*, et iterum : *Magnus Dominus noster et laudabilis nimis in civitate*, etc. Dicitur mundus iste, unde ibidem : *In civitate munita.*

Dicitur conventus malorum, unde in Apoc. : *Cecidit Babylon, civitas illa magna.* Dicitur vita æterna, unde in Psalmo : *Jerusalem quæ ædificatur ut civitas*, etc. Dicitur anima cujuslibet fidelis, ut in Psalmo : *Ut disperderem de civitate Domini*, id est de anima fideli, *omnes operantes iniquitatem*, id est omnes malas cogitationes, quæ sunt mali cives. Dicitur infernus, unde in Psalmo : *Quis deducet me in civitatem munitam ?* Infernus civitas munita dicitur, quia ante passionem Christi nullus egrediebatur. Dicitur congregatio infidelium; unde Isaias : *Ego Dominus et civitatem non ingredior*, id est congregationem infidelium.

Clamare, proprie, quandoque significat mentis devotionem, unde dixit Dominus ad Moysen, in Exod. : *Quid clamas ad me?* et in Dan. legitur quod Susanna clamavit ad Dominum. Quandoque rei evidentiam, unde dixit Dominus ad Cain, in Gen. : *Vox sanguinis fratris tui clamavit ad me de terra*, id est evidens est factum facinus tuum nec indiget clamore accusatoris, unde Augustinus :

Evidentia patrati sceleris non indiget clamore accusatoris. Quandoque significat orationem, unde in Psalmo : *Clamavi ad te, Domine, et exaudi.* Quandoque auxilii invocationem, unde in Psalmo : *De finibus terræ ad te clamavi.* Quandoque mentis perfectionem, unde in Psalmo : *Clamavi in corde meo.* Quandoque audaciam vel animositatem, unde Dominus ad Isaiam : *Clama, ne cesses*, id est audacter prædica ; et alibi : *Vox clamantis. Et dixi : Quid clamabo ? Omnis caro fenum.*

Clamor, proprie, signum evidens et manifestum ad quod resurgent omnes qui mortui sunt ante diem judicii, unde in Evangelio : *Media nocte clamor factus.* Dicitur etiam illa vox quæ profertur in die judicii, unde Sophon. : *A prima porta erit clamor et ululatus a secunda;* [a prima] scilicet a visu, quando videbunt se detrudendos in abyssum inferni ; erit clamor a secunda, scilicet ab auditu erit ululatus, quando audient illud verbum horribile : *Ite, maledicti.* Dicitur etiam religio, unde David : *Clamor meus in conspectu ejus ;* et alibi : *Intellige clamorem meum.* Dicitur manifestatio sive evidentia peccati, unde Dominus ad Abraham, in Gen. : *Clamor Sodomorum venit ad me ;* et alibi : *Publicaverunt peccata sua ut Sodoma*, etc.

Claritas, proprie, dicitur divina natura, unde in Joanne : *Pater, clarifica Filium tuum claritate quam habui antequam mundus fieret.* Dicitur nobilitas, unde in quadam prosa : *Clara ex stirpe David.*

Clavus, proprie, dicitur verbum Dei, unde : *Verba sapientium sunt quasi stimuli in altum defixi.* Dicitur amor hujus sæculi, unde Salomon : *Clavus clavo retunditur*, id est amor hujus sæculi amore Domini excluditur.

Clerus proprie conventus clericorum, et est nomen collectivum, et dicitur clerus a *cleros* Græce, quod *sors* Latine, unde dicuntur clerici, id est *sorte Dei electi ;* et secundum aliam translationem, quia clerus interpretatur *sors*, ponitur hoc nomen cleri pro hac dictione *sortes*, unde : *In manibus tuis cleri mei*, ubi nos dicimus *sortes mei.* Dicitur Novum vel Vetus Testamentum quasi per sortem datum, quia per gratiam Dei, quæ sorti comparatur, unde in Psalmo : *Si dormiatis inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ, et posteriora dorsi ejus in pallore auri*, vel virore auri ; construe sic : O vos prædicatores, *si dormiatis*, id est per contemplationem quiescatis, *inter medios cleros*, id est in consideratione et intelligentia utriusque Testamenti, Novi scilicet et Veteris, vos eritis *pennæ columbæ* spiritualis, id est Ecclesiæ, quibus ipsa sustentatur, quæ dicitur columba propter multiplices proprietates columbæ quibus pennis mediantibus ad superiora progreditur ; *pennæ* dico *deargentatæ*, id est propter eloquentiam argento comparatæ ; argentum enim sonorum metallum est. *Et posteriora dorsi ejus*, id est perfecti qui sunt in Ecclesia, scilicet activi qui sustinent pondus diei et æstus pro subditis suis, sunt posteriora dorsi ejus, id est Ecclesiæ, et isti sunt *in pallore auri* vel virore auri, in charitate perseverantes.

Clibanus, proprie, ardens conscientia, unde in Psalmo : *Pones eos ut clibanum ignis in tempore vultus tui*, id est facies eos ardentes in conscientiis, et hoc in tempore vultus tui, id est vultuositatis tuæ, cum apparebis in judicio vel in die judicii. Dicitur cumulus feni, unde in Evangelio : *Si fenum quod hodie viret, cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit....* Signat etiam quamlibet gravem pœnam ut Hæc dies judicii erit clibanus. Signat diabolum, unde in Thren. : *Pellis nostra est velut clibanus a facie tempestatum*, id est carnalitas nostra, id est diabolus.

Clypeus, proprie, diaboli repugnatio, unde de sancto prædicatore sub equi nomine dicitur : *Super ipsum sonabit pharetra, vibrabit hasta et clypeus ;* pharetra, occulta pravorum imaginatio contra equum Dei, id est contra prædicatorem disputatio. Ergo super prædicatorem pharetra vibrat, hasta et clypeus, quia pravorum consilia perstrepunt aperte, unde exoritur disputatio [qua] quasi clypeo prædicatori resistitur.

Cœlum aer dicitur, unde in Psalmo : *Aves cœli comederunt illud.* Dicitur firmamentum, unde in Gen. : *Vocavit Deus firmamentum cœlum*, id est firmamentum quod est cœlum. Dicitur cœleste judicium, unde in Job, Domino interrogante, scriptum est : *Nunquid nosti ordinem cœli ?* Cœli ordinem nosse est supernarum dispositionum occultas prædestinationes videre. Dicitur immensitas divina, unde in Isaia de diabolo dicitur : *Ascendam in cœlum*, id est immensitatem divinam, *et similis ero Altissimo.* Dicitur cœlestis vita, unde in Job de hypocrita dicitur : *Si ascenderit usque ad cœlum superbia ejus, quasi sterquilinium in fine perdetur.* Superbia hypocritæ *usque ad cœlum* ascendere dicitur, quia ejus elatio vitam cœlestem agere videtur, sed *quasi sterquilinium in fine perdetur*, quia de morte in tormenta deducetur. Dicitur sacra Scriptura, unde in Isaia dicitur : Cœlum sicut liber plicabitur, et hoc tempore Antichristi, quia tunc nullus erit expositor sacræ Scripturæ; et in Psalmo : *Extendens cœlum sicut pellem ;* per cœlum sacra Scriptura signatur nobis, et sol sapientiæ, et luna scientiæ, et antiquis Patribus stellæ exemplorum atque virtutum lucent. Istud cœlum sicut pellis extenditur, quia per scriptores suos carnis lingua formatum, ante oculos nostros per verba doctorum exponendo displicatur ; per aquas angeli designantur, unde in Psalmo : *Qui tegis aquis superiora ejus ;* hujus cœli superiora Dominus tegit aquis, quia ea quæ de natura divinitatis vel de æternis gaudiis narrat, nobis adhuc nescientibus, solis angelis in secreto sunt cognita. Cœlum ergo et coram nobis extenditur, et tamen aquis superiora ejus teguntur, quia quædam sacri eloquii jam nobis per apertionem spiritus patent, et quædam, quæ solis angelis possunt esse manifesta, nobis adhuc servantur. Dicitur etiam Deus, unde in Psal-

mo : *Posuerunt in cœlum os suum.* Dicitur sanctus, unde in Psalmo : *Qui habitat in cœlis irridebit eos;* et alibi : *Dominus de cœlo sedes ejus.* Dicuntur cœli apostoli, unde in Psalmo : *Cœli enarrant gloriam Dei.* Dicitur Ecclesia, unde in Apoc. : *Factum est silentium in cœlo.* Dicitur vita æterna, unde in quadam antiph. : *Gaudent in cœlis animæ sanctorum.* Dicitur empireum cœlum, unde in Gen. : *Creavit Deus cœlum et terram,* id est mundanam machinam. Dicitur ratio, unde in Evangelio : *Fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terra,* id est fac ut sicut ratio nostra est tibi obediens, ita sensualitas, quod erit in futuro. Dicitur incorporea substantia, unde in Pentateucho : *In principio creavit Deus cœlum et terram;* cœlum, id est spiritualia, scilicet et angelicam naturam; et corporalia, scilicet materiam omnium corporum. Dicitur mens humana, unde in Psalmo : *Veritas de terra orta est, et justitia de cœlo prospexit,* id est confessio de mente. Moraliter dicitur Christus, unde David : *Dominus de cœlo prospexit super filios hominum,* etc. Cœli dicuntur angeli, unde in Psalmo : *Elevata est magnificentia tua super cœlos,* id est super angelos. Dicitur Spiritus sanctus vel operatio Spiritus sancti, unde Apostolus in secunda Epistola ad Cor. : *Primus homo de terra est terrenus, secundus homo de cœlo cœlestis ad regnandum,* id est operatione cœlesti vel Spiritus sancti; vel *de cœlo,* id est cœlestis naturæ, quia divinæ et humanæ.

Cœna, proprie, evangelica doctrina; unde in Evangelio de patrefamilias legitur *qui fecit cœnam magnam et vocavit multos.* Dicitur communicatio corporis et sanguinis Domini vel ipsum sacramentum Eucharistiæ, unde Paulus : *Convenientibus vobis in unum, jam non est Dominicam cœnam manducare,* etc.

Cognoscere dicitur Deus per scientiam, unde David : *Tu cognovisti omnia novissima et antiqua.* Dicitur Deus per approbationem, unde in Psalmo : *Domine, probasti me et cognovisti me,* id est approbasti *sessionem meam,* id est humiliationem in passione, *et resurrectionem meam,* id est glorificationem in resurrectione. Dicitur Deus per causam, unde in Gen. dixit Dominus ad Abraham : *Nunc cognovi quod times Dominum,* id est cognoscere feci; et alibi : *Cognovi te ex nomine.* Dicitur Deus per æternam beatitudinem, unde Apostolus : *Tunc cognoscam sicut cognitus sum.* Dicitur homo cognoscere per carnale commercium, unde in Gen. : *Cognovit Adam uxorem suam.* Dicitur animal cognoscere per imaginem, unde in Jer. : *Milvus et hirundo cognoverunt tempus adventus sui : Israel autem me non cognovit.*

Colare, proprie, unde quidam versificator ait :

Scit bene colare culicem, glutire camelum,
Qui de justitiis præcipit tollere velum.

Notat *reprobare* vel *purgare,* unde in Evangelio dicitur de Scribis et Pharisæis : *Colant culicem et deglutiunt camelum,* id est minora peccata reprobant et confitentur et purgant; majora vero retinent et faciunt.

A *Colere,* proprie, *frequentare,* unde dicitur : *Colo domum,* id est frequento. Notat *celebrare,* unde : *Festum tale colitur,* id est celebratur. Notat debitum cultum Deo exhibere, unde Apostolus : *Creaturam potius coluerunt quam Deum.* Nota quod apud grammaticos hæc eadem distinctio habetur, unde versus :

Agros, rus, formam, superos colit atque parentes,
Hos arat, hoc habitat, ornat, honorat, amat.

Colligere, proprie, *removere,* unde in Evangelio : *Mittet Dominus angelos suos messores, et colligent de regno ejus omnia scandala,* id est de Ecclesia removebunt omnia nociva. Signat ecclesiasticam unionem ducere, unde in Evangelio : *Qui non colligit mecum, dispergit.* Notat *acquirere,* unde in Evange-
B lio : *De fructu colligent vitam æternam,* id est acquirent. Notat *probare,* unde : *In decretis hinc colligitur,* id est probatur; et Boetius : *Omnis logica aut diffinit, aut dividit, aut colligit,* id est probat.

Collis, proprie, dicitur superbus, unde in Luc. : *Omnis vallis implebitur, et omnis mons et collis humiliabitur;* per vallem humiles, per montes et colles superbos habemus, etc. Dicuntur minus perfecti in Ecclesia, unde in Evangelio, de die judicii : *Tunc dicent montibus : Cadite super nos; et collibus : Cooperite nos;* per montes intelliguntur hic magis perfecti, per colles minus perfecti. Dicuntur apostoli et vicarii eorum propter eminentiam virtutum, unde in Psalmo : *Montes exsultaverunt ut arietes, et colles sicut agni ovium.* Dicitur sacræ Scripturæ excel-
C lentia, unde in Joele : *In illa die : stillabunt montes dulcedinem, et omnes colles fluent lac,* id est sacra Scriptura diversa pocula propinat. Dicitur vita æterna propter eminentiam gloriæ, unde inter benedictiones Jacob, in illa scilicet quam fecit Joseph, dicitur : *Benedictiones patris tui confortatæ sunt benedictionibus patrum ejus, donec veniret desiderium collium æternorum,* id est æterna vita desiderata a sanctis, quæ per colles significatur et dicitur multipliciter propter diversitatem beatitudinum, etc.

Collum, proprie, dicitur prædicator, quia sicut per materiale collum trajicitur cibus, ita prædicatio in stomachum mentis auditorum; unde de Ecclesia in Cant. dicitur : *Collum tuum sicut turris eburnea*
D propter candorem castitatis; in collo guttur, in gutture vox est; per collum ergo sanctæ Ecclesiæ sacra eloquia designantur. Dicitur superbia, unde in Prov. : *Sublimium colla propria virtute calcavi,* id est humiliavi. Dicitur discretio humana, unde in Dan. : *Dabitur torques collo ejus,* id est humanæ discretioni remuneratio dabitur.

Coluber, proprie, Antichristus, unde in Gen. : *Dan coluber in via, cerastes in semita.* Dicitur diabolus, unde in Job : *Et obstetricante manu ejus, eductus est coluber tortuosus.* Dicitur autem draco, unde devorat negligentes, aspis cum occulte percutit, avis cum per superbiam decipit, basiliscus cum palam venenat, leo cum persequitur violenter. Dicitur etiam Achab pater Ezechiæ, unde legitur quod *de radice*

colubri nascetur regulus, id est de rege Achab Ezechias qui subjugabit sibi hostes.

Columba, proprie, dicitur Ecclesia; unde in Cant.: *Columba mea, dilecta mea in foraminibus petræ, in caverna maceriæ;* et alibi: *Oculi tui columbarum;* et in Psalmo: *Si dormiatis inter medios cleros, pennæ columbæ*, quia Ecclesia dicitur columba propter multiplices columbæ proprietates. Dicitur aliquis sanctus propter simplicitatem, unde in Psalmo: *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ?* et alibi: *Et quasi columbæ ad fenestras suas.* Dicitur Deus, unde in Jer.: *Deserta facta est terra a facie iræ columbæ*, id est a præsentia iræ Domini. Columba namque valde simplex animal est, et quia in nullo Domini furoris inæqualitas serpit, furorem Domini iram nominavit, ut diei discretionis vim imperturbabilem demonstraret, etc

Columna, proprie. Dicitur donum Spiritus sancti; quia, sicut materiale ædificium sustentatur materialibus columnis, ita spirituale ædificium donis Spiritus sancti tanquam spiritualibus columnis; unde: *Sapientia ædificavit sibi domum, excidit columnas septem*, id est humanam naturam ædificavit sibi Filius Dei domum, et in ea excidit dona Spiritus sancti, quod insinuat Isaias, dicens: *Egredietur virgo de radice Jesse*, etc., *et requiescet super eum Spiritus Domini.* Dicitur etiam quilibet contra diaboli tentamenta fortis, unde in Domino dicitur: *Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei.* Nam quisquis in Dei opere recta intentione firmatur, columna in structura fabricæ spiritualis erigitur; vel in hoc templo, quod est Ecclesia, positus sit, et utilitati et decori, etc. Columnæ dicuntur quatuor evangelistæ, unde Dominus ad Moysem in Exod.: *Facies columnas quatuor et bases earum, vestitas argento:* in argento claritas divini sermonis accipitur, per bases doctores sanctæ Ecclesiæ intelligimus, per quatuor columnas quatuor evangelistarum dicta intelligi oportet; dicuntur summi Ecclesiæ prædicatores super quos in cœlestibus crescens universa spiritualis fabricæ structura surgit, unde in Job: *Columnæ cœli contremiscunt;* sed iste tremor non est pœnalis, nec timoris, sed admirationis. Dicuntur apostoli, quia primitiva Ecclesia innitebatur in apostolis tanquam in columnis, unde in Psalmo: *Confirmavit columnas ejus*, id est apostolos. Dicuntur specialiter Petrus et Joannes, unde dicitur in Act. quod Apostolus veniens Jerusalem neminem invenit nisi Petrum et Joannem qui erant columnæ Ecclesiæ. Dicuntur angeli, unde Job: *Columnæ cœli contremiscunt ante Deum*, id est angeli. Dicitur sanctus, unde: *Ego in altissimis habitabo*, Sapientia dixit, *et thronus meus in columna nubis*, id est in sancto, qui est columna Ecclesiæ; quem obumbrat nubes, id est gratia Spiritus sancti. Dicitur prophetia: est enim lex Mosaica tanquam basis supposita, prophetia vero statuitur vel columna vel super basim, Evangelium vero tanquam epistylium: unde post legem addita est prophetia tanquam columna, post prophetiam Evangelium capitellum.

Coma, proprie. Dicuntur coma fideles Christo adhærentes et in ejus ornatum credentes, unde in Cant.: *Comæ ejus sicut elatæ palmarum*, etc.

Comedere, proprie, *delere* vel *destruere;* unde in Psalmo de Chaldæis dicitur: *Comederunt Jacob*, id est destruxerunt Judæos descendentes a Jacob. Significat *occidere*, unde David: *Zelus domus tuæ comedit me*, id est invidia Judæorum Synagogæ occidit me. Significat *pati* vel *compati*, unde in eodem exemplo secundum aliam expositionem ut sit sensus: Amor Synagogæ invitavit me passioni vel incendit me amore charitatis ad passionem Synagogæ. Quandoque notat spiritualem incorporationem, unde in glossa de Christo legitur quod *non comedit nisi unum latronem tempore passionis*, id est Ecclesiæ incorporavit. Quandoque notat ecclesiasticam unionem, unde in Joanne: *Nisi comederitis carnem*, id est nisi fueritis de unione ecclesiastica, *non habebitis vitam in vobis.* Quandoque notat spiritualem cibum, unde Sap.: *Qui edunt me, adhuc esurient*, etc.

Compes, proprie, miseria sæculi vel culpa; unde in Psalmo: *Ut audiret gemitus compeditorum.* Dicitur etiam divinum præceptum, unde in Psalmo: *Ad alligandos reges eorum in compedibus*, id est in præceptis Dei; et Salomon ait: *Injice pedes tuos in compedes*, id est in præcepta Dei, etc.

Con, inseparabilis præpositio; semper notat completionem, quod patet in his nominibus: *contritio, confessio, contristatus.* Potest etiam concomitantiam notare, ut sit sensus contristatus, id est *cum alio tristatus.* Notat pluralitatem, unde contristatus, id est *pluribus tristatus;* conturbatus, id est *pluribus turbatus.*

Concubina, proprie, anima quæ non caste, id est vera dilectione Deo servit, sed pro terrena commoditate aut humana laude, unde: *Sexaginta sunt reginæ et octoginta concubinæ*, in Cant.

Concupiscere, quandoque notat ferventissimum motum caliditatis, unde in Psalmo: *Concupiscit et deficit.* Quandoque notat primum motum concupiscentiæ, unde Apostolus: *Quod nolo hoc concupisco*, id est primis motibus moveor ad concupiscentiam, non ad actum vel consensum. Quandoque consensum et actum, unde in lege: *Non concupisces rem proximi tui;* et Apostolus: *Nesciebam concupiscentiam esse peccatum, nisi lex diceret: Non concupisces*, id est primos motus concupiscentiæ non produces ad actum vel ad consensum. Quandoque primum motum rationis, unde in Psalmo: *Concupivit anima mea desiderare justificationes tuas.* Nota quod primus motus rationis in existente in peccato mortali non exstinguitur, vult enim homo existens in mortali peccato malum: facit etenim, sed vellet facere bonum vel velle bonum; vult velle esse bonum sed non vult esse bonus, quod provenit primo motu rationis qui ad effectum non producitur propter mortale peccatum; unde in prædicto exemplo: *Concupivit anima mea*, etc.; non dicit desiderat, sed *concupivit desiderare;*

loquitur enim in persona peccatoris. Et ad illud idem facit illud Pauli : *Velle bonum adjacet mihi*, ex primo motu rationis qui in me exstingui non potuit, *perficere autem non invenio* ex velle naturæ, nisi adsit velle gratiæ.

Conferre, id est *dare* vel *ligare*, unde in quibusdam orationibus dicitur : *Deus dignetur nobis conferre gratiam suam*. Notat *prodesse*, unde dicitur : *Nihil mihi contulit hæc medicina*, id est profuit. Notat *colloqui*, unde legitur in Evangelio de euntibus in Emmaus : *Qui sunt hi sermones quos confertis ad invicem ?* Notat *ponere*, unde in Jure : *Contulerunt se ad arbitros*, id est posuerunt. Notat *symbolizare*, id est portionem ponere; unde ponentes in duodena dicuntur conferre, et *Credo in Deum* dicitur Symbolum, id est collectio apostolorum, a *sin* quod est *simul*, et *bolus* quod est *portio*, quia unusquisque apposuit in eo partem suam. Signat etiam *congregare*, unde in Bucolic. :

Contuleruntque greges Corydon.

Confessio exactionis est quæ ex coactione provenit, ut illa qua dæmones confessi sunt Filium Dei, dicentes : *Jesu, Fili Dei vivi, utquid venisti ante tempus torquere nos ?* Dicitur desperationis quæ ex desperatione provenit, ut illa qua confessus est Judas : *Peccavi tradens sanguinem justum*, etc. ; et Cain ait : *Major est iniquitas mea quam ut veniam merear*. Dicitur pœnitudinis quæ ex pœnitudine, id est pœnitentia procedit, de qua Jacobus in sua canonica Epistola : *Confitemini alterutrum peccata*. Dicitur confessio laudis qua confitemur Dei bonitatem, unde in Psalmo : *Confitemini Domino quoniam bonus*.

Confiteri, aliquid fateri vel profiteri et non negare, unde dicitur de Joanne in Evangelio : *Confessus est et non negavit*, id est professus est. Notat universaliter omnia peccata confiteri ; nullus enim confiteri dicitur, nisi omnia peccata confiteatur ; unde Jacobus : *Confitemini alterutrum peccata vestra*. Notat materiam laudis divinæ præstare, unde David : *Confiteantur tibi, Domine, omnia opera tua*. Notat laudare, unde in Psalmo : *Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo ;* et alibi : *Confitemini Domino quoniam bonus*. Notat etiam gratiarum actionem, ut inquit Joannes episcopus super homiliam Matth. : *Confitebor tibi, Domine Deus.*

Confundere notat confusionem naturæ vel aliquarum rerum commistionem ubi utraque corrumpitur, ut fit in hydromelite quod fit ex aqua et melle. Quandoque notat permistionem personæ, unde Athanasius : *Neque confundentes personas, ut Sabellius, neque substantiam separantes, ut Arius*. Quandoque notat confusionem erubescentiæ, unde Paulus : *Spes autem non confundit*, id est spes humana de Christo nullum facit erubescere. Quandoque confusionem pœnitentiæ quando aliquis de peccato confunditur, unde David : *Confundantur et erubescant*. Quandoque confusionem damnationis, unde in Psalmo : *In te, Domine, speravi, non confundar.*

Considerare significat *intelligere*, unde Abdias A *Considera opera tua ;* et in Cant. amoris : *Nolite me considerare, quod fusca sum*, etc. Dicitur *videre*, unde : *Qui finxit oculum, non considerat*. Dicitur *insidiari*, unde David : *Ipsi consideraverunt me ;* et alibi : *Considerat peccator justum.*

Consilium, proprie, dicitur suggestio ; unde in Psalmo : *Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum*. Dicitur consensus, unde in benedictionibus Jacob dicitur Simeon et Levi : *In consilium vestrum non veniat anima mea*. Dicitur judicium, unde in Psalmo : *Ideo non resurgent impii in judicio, neque peccatores in consilio justorum ;* quia judicium non debet fieri sine consilio, judicium consilium dicitur. Dicitur humilis Christi adventus ab ipso Dei Filio cum summa dispensatione factus, unde in Psalmo : *Consilium* B *inopis confudistis*. Dicitur præceptum arctius, unde Apostolus : *De virginibus præceptum Domini non habeo : consilium autem do*. Dicitur deliberatio, unde David : *Quandiu ponam consilia in anima mea*. Dicitur donum Spiritus sancti, unde Isaias : *Spiritus consilii et fortitudinis*. Dicitur etiam illud quod subjacet consilio, unde Psalmista : *Comprehenduntur in consiliis quibus cogitant.*

Constare, proprie. Quandoque notat compositionem, unde Augustinus : *Sicut homo constat ex anima et corpore, ita Christus ex Deo et homine*. Quandoque notat constantiam, unde in Paralip. : *Constantes estote, videbitis*. Quandoque immobilitatem, unde in lib. Reg. : *Constat ex agro lentis*. Quandoque comparationem, unde communiter dicitur : C *Quantum constitit hoc vas ?* Quandoque manifestationem vel certitudinem, unde dicitur : *Hoc constat*, id est certum et manifestum est.

Consul, proprie. Dicitur angelus ; unde Job : *Nunc dormiens silerem, et somno meo quiescerem, cum regibus et consulibus terræ*, quia nisi homo peccasset cum angelis quiesceret ; angeli recte consules vocantur qui spirituali reipublicæ consulunt, dum nos sibi ad regnum æternum socios jungunt, quia, ipsis nuntiantibus, voluntatem Conditoris agnoscimus, et in eis procul dubio consultum ab hac angustia nostræ tribulationis invenimus.

Conterere, proprie, *damnare ;* unde Jeremias : *Duplici contritione conteres eos, Domine*, id est damnabis in corpore et anima ; et alibi : *Super quem* D *ceciderit lapis, conteret*. Signat *pœnitere*, unde David : *Cor contritum et humiliatum.*

Contingere, id est *evenire : Contigit autem ut moreretur mendicus*. Notat *pertinere*, unde in Luca de filio prodigo : *Da mihi portionem substantiæ quæ me contingit*, id est quæ ad me pertinet. Significat *tangere*, unde in Levit. : *Contingebant se parietes templi*, id est tangebant. Quandoque notat habitudinem cognationis, unde dicitur : *Isti contingunt se in primo gradu.*

Contra proprie notat contrarietatem, unde in Job : *In omnibus his non peccavit Job labiis suis neque stultum quid contra Deum locutus est*. Notat etiam rei præsentiam, unde David : *Peccatum meum contra*

me est semper, id est coram me in facie, quia peccatum debeo semper in memoria habere, etc. Quandoque notat materiam, unde Job: *Contra folium quod a vento rapitur*, id est in folio. Quandoque proprietatis rei inhærentiam, unde Job: *Scribis enim contra me amaritudines*, id est pœnas amaras infligis. Quandoque notat *coram*, unde in Psalmo: *Tota die verecundia mea contra me est*, id est coram me est *verecundia mea*.

Contritio. Est contritio pœnitentium, unde in Psalmo: *Cor contritum et humiliatum Deus*. Est contritio perfectorum, unde in Cant.: *Quæ est ista quæ ascendit.... et universi pulveris;* per pulverem contritio figuratur. Dicitur contritio malorum in præsenti, unde in Psalmo: *Contritio et infelicitas in viis eorum*, etc. Dicitur contritio malorum in futuro, unde Jeremias: *Duplici contritione contere eos*, etc.

Convenire, proprie, *consentire*, unde David: *Astiterunt reges terræ, et principes convenerunt in unum*. Signat pactum facere, unde Matthæus: *Serve nequam, nonne ex denario convenisti mecum?* Signat in causam trahere, unde Augustinus: *Vos, inquam, convenio, o Judæi*. Signat *competere* vel *aptari*, unde a vulgo: *Hæc vestis convenit isti*, etc.

Cophinus proprie vas contextum ex foliis palmarum et junco, unde in Evang.: *Et impleverunt duodecim cophinos fragmentorum*. Dicitur immunditia vitæ, unde in Psalmo: *Manus ejus in cophino servierunt et in operibus peccati Pharaoni*, id est diabolo, etc.

Cor proprie. Dicitur anima humana, unde in Psalmo: *Qui finxit sigillatim corda eorum*, id est qui singulis creat animas, et est contra eos qui dicunt animas per traducem infundi, imo quotidie creat animas, et creando infundit et infundendo creat. Dicitur ratio, unde David: *Cor meum conturbatum est in me*. Dicitur voluntas, unde in Evangelio: *De corde exeunt adulteria, furta*. Dicitur cogitatio, unde Psalmista: *Scrutans corda et renes Deus*. Dicitur intellectus, unde in Exod.: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*. Dicitur etiam cor Jerusalem, unde in Evangelio: *Sicut fuit Jonas in ventre ceti, sic erit Filius hominis in corde terræ*, id est intra Jerusalem sepultus, quæ dicitur cor terræ, quia est in medio terræ, scilicet inter occidentem et orientem, non inter plagam septentrionalem et australem. Dicitur etiam superior animi potentia qua contemplatur Deum et cœlestia quæ variis censentur nominibus. Dicitur intellectus, intelligentia, intellectualitas, unde: *Intellectus solius Dei est et admodum paucorum hominum.—Accedet homo ad cor altum*, et ad illud fuit raptus Paulus. Dicitur Filius Dei ut in eodem exemplo secundum aliam expositionem, et erit alia littera: *Accedet homo ad cor altum*, id est divina et humana natura simul accedunt in Christo. Dicitur profunditas vitiorum, unde in Psalmo: *Transferentur montes in cor maris;* vel cor maris dicuntur minores in gentibus ad quos convertendos transferentur montes, id est prædicatores, etc.

Coram, quandoque notat præsentiam rei, unde in lib. Sapientiæ: *Et si coram hominibus*. Notat rei contrarietatem, unde legitur de filio prodigo: *Pater peccavi in cœlum*, id est contra cœlum, *et coram te*, id est contra te. Quandoque approbationem, unde Apostolus: *Providemus enim bona non solum coram Deo*, id est ut Deus approbet, *sed etiam coram omnibus hominibus*, id est ut homines approbent.

Cornu, proprie. Dicitur humana Christi natura; sicut enim cornu in eminentiori parte corporis habet locum, et est durius carne et mollius osse, et cum eo animal ventilat animalia sibi nociva; sic Christus de eminentiori genere naturæ humanæ assumpsit sibi carnem, et est dignior omni humana natura, et inferior divina secundum humanitatem. Et Christus cornu, id est humana natura, ventilavit omnes inimicos suos, tam visibiles quam invisibiles, unde in Cant. Zachariæ: *Erexit cornu salutis nobis in domo David pueri sui*, id est familia David. Dicitur brachium crucis, unde Habac.: *Cornua in manibus ejus*, et est hypallage, id est manus Christi in cornibus, id est in brachiis crucis. Cornua vel superbia potestas terrena, unde in Psalmo: *Cornua peccatorum confringam*. Dicuntur bona opera justi, scilicet virtutes, unde David: *Et exaltabuntur cornua justi*, id est virtutes Christi, quibus tanquam cornibus ventilat inimicos. Dicitur repugnatio vel insultus inimicorum, unde in Psalmo: *Erue animam a cornibus inimicorum*, id est Judæorum. Dicitur eminentia, unde in Psalmo: *Constituite diem solemnem..., usque ad cornu altaris*. Dicitur abundantia, unde Isaias: *Plantavi vineam meam*, id est Ecclesiam vel Synagogam, dicit Pater *dilecto meo*, id est Jesu Christo, *in cornu filio olei*, id est in abundantia plenitudinis gratiarum quam habuit Christus, qui dicitur filius olei, id est charitatis, quæ per oleum significatur. Dicitur regnum, unde in Apoc.: *Vidi de mari bestiam..., habentem capita septem et cornua decem*, id est Antichristum qui subjugabit sibi decem regna mundi. Dicitur Spiritus sanctus vel donum Spiritus sancti, unde legitur quod Joannes vidit anum habentem septem cornua, id est septiformem Spiritum sanctum vel septem dona Spiritus sancti.

Corona, proprie, unde in lib. Mach.: *Ornaverunt faciem templi coronis aureis*. Dicitur vita æterna, unde Jacobus: *Beatus vir, qui suffert tentationem*, etc.; quia sicut victori datur corona, ita triumphantibus in Christo datur vita æterna. Dicitur elatio superbiæ, unde Isaias: *Væ coronæ superbiæ ebriis Ephraim*. Dicitur sublimitas gloriæ, unde Isaias: *In die illa erit Dominus exercituum corona gloriæ*. Dicitur ordo sanctorum, unde in Psalmo: *Posuisti, Domine, super caput ejus coronam de lapide pretioso*, quia sancti sunt quasi lapides in corona Christi. Dicitur tempus gratiæ, unde David: *Benedices coronæ anni benignitatis tuæ*, etc.

Corpus, proprie. Dicitur corpus Christi; unde in

Evangelio: *Ubi fuerit corpus, et congregabuntur aquilæ*, id est in empireo cum Christo erunt sancti renovati sicut aquilæ. Dicitur Ecclesia, unde Apostolus: *Nos sumus unum corpus.* Dicitur bonum opus, unde in Evangelio: *Si oculus tuus*, id est intentio, *simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit.* Dicitur universitas peccati, unde Paulus: *Destruatur corpus peccati.* Signat perfectionem et plenitudinem propter soliditatem, unde Apostolus: *In quo habitat plenitudo divinitatis corporaliter*, id est solide, plene et perfecte. Signat conjugem, unde in Apostolo: *Qui fornicatur, in corpus suum peccat*, id est contra honorem conjugis.

Corruptio proprie putredo, unde in Psalmo: *Nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.* Dicitur vulneratio, unde David: *Quæ utilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem?* Dicitur peccatum, unde in Psalmo: *Corrupti sunt et abominabiles facti sunt.* Dicitur *defloratio*, unde in passione Nerei et Achillei: *Cum Deus omnia potest, non potest de corrupta facere virginem.*

Cortex, proprie, sanctus qui non erubescit passionem Christi, unde in Sir hasirim: *Genæ tuæ sunt cortex mali punici*, quia doctores sanctæ Ecclesiæ qui sacram Scripturam exponunt, memoriam habent passionis Christi, non solum credendo sed etiam imitando. Dicitur litteralis sensus, unde in Job: *Qui mandebant herbas et arborum cortices:* cortices arborum comedunt, qui in sacris voluminibus solam litteræ superficiem venerantur, nec quidquid de spirituali intellectu custodiunt, cum nihil in verbis Dei amplius, ubi hoc quod exterius audierunt, esse suspicantur. Dicitur bene inchoantis opus, unde secundum aliam expositionem: *Et mandebant herbas et arborum cortices;* herbas comedere est minima præcepta vel opera non servare; cortices arborum mandere est majora præcepta vel bona opera contemnere.

Cortina, proprie, fidelis, unde in Apoc.: *Qui audit, dicat: Veni*, et cortina cortinam trahat, id est fidelis fidelem ædificat, quod significabatur per cortinas in Veteri Testamento ansulis hyacinthinis connexas quod una tracta aliæ sequebantur.

Corvus, proprie. Dicitur gentilitas; unde in Job, Domino Job interrogante, dicitur: *Quis præparavit corvo escam suam, quando pulli ejus clamant ad Deum?* per corvos pullosque eorum gentilitas in gratia ex peccatorum fuligine designatur; pullis corvorum esca datur, cum desideria eorum nostra conversatione reficiuntur. Isti corvo (?) esca fuit præparata, quando ipsum Ecclesia ad fidem suam convertit. Dicitur prædicator sanctus, unde Salomon: *Oculum qui subsannat patrem, et qui despicit partum matris suæ, effodiant illum corvi de torrentibus.* Qui Dei judicia contemnunt, subsannant Patrem; qui sanctæ Ecclesiæ prædicationem derident, partum matris despiciunt; sancti vero prædicatores, dum fluentis sacræ Scripturæ istos impugnant, qui corvi de torrentibus oculos eorum, id est rationes exstinguunt, qui corvi ideo dicuntur, quia per gratiam humilitatis se peccatores esse cognoscunt. Dicitur prædicator mercenarius. Corvus tria habet: raucam emittit vocem, est niger, utitur cadaveribus; sic prædicator mercenarius raucus efficitur, vel quia non valet vel quia non vult, quia prædicat favore terreni emolumenti. Niger est fuligine peccatorum, utitur terrenis honoribus qui cadaveribus comparantur; unde Psalmista: *Et pullis corvorum invocantibus eum;* pulli corvorum dicuntur prælatorum mercenariorum subditi. Dicitur etiam corvus aliquis extenuans carnem suam per abstinentiam et in servitutem redigens, unde in Cant.: *Comæ tuæ sicut elatæ palmarum, nigræ sicut corvus*, id est sicut illi macerantes carnem fuligine tribulationum sunt denigrati; de simili nigredine legitur in Sir hasirim: *Nigra sum, sed formosa, filiæ.*

Costa, proprie. Dicitur animi sensus, unde: *Attenuet fames robur ejus, et inedia invadat costas ejus;* invadit inedia costas quando, omni spirituali refectione subtracta, sensus mentis deficiunt et cogitationes suas regere vel tueri non possunt: costæ uniuscujusque sunt sensus animæ qui latentes cogitationes muniunt; inedia invadit iniqui costas, quia fames interna sensus mentis extenuat ut cogitationes suas nullatenus regat. Nam, dum sensus mentis obtusi fuerunt, cogitationes ad exteriora prodeunt, et quasi costis infirmantibus, ea quæ in occulto sana latere poterant, foras viscera funduntur.

Cras aliquando notat futurum, unde in Genesi: *Cras respondebit mihi*, id est in futuro. Aliquando ponitur pro incerto, unde *curare de crastino*, id est de incerto. Aliquando notat sequentem annum, unde Christus in Evangelio ait: *Ego hodie et cras dæmonia ejicio et sanitates perficio*, id est primo et secundo anno meæ prædicationis faciam miracula, tertia die consumor, id est tertio anno moriar et resurgam.

Crassitudo, proprie, pinguedo. Dicitur etiam charitas, unde Isaias: *Audite audientes me, et delectabitur in crassitudine anima vestra.* Dicitur mors martyris, quæ ideo dicitur crassitudo, quia, sicut crassitudo fecundat terram, ita mors unius sancti fecundat Ecclesiam, et per mortem unius multi convertebantur ad vitam; unde in Psalmo: *Sicut crassitudo terræ erupta est super terram.* Dicitur superbia, unde Job: *Operuit faciem ejus crassitudo*, id est superbia excæcat mentem humanam.

Crater, proprie. Dicitur prædicator qui aliis propinat poculum salutis; unde in Cant.: *Umbilicus tuus sicut crater tornatilis*, etc.

Creare proprie ex nihilo aliquid facere, quando scilicet materia et forma creantur insimul, unde potest dici Deus creator, opus ejus creatio. Dicitur res creata creatura, quasi concreatura, quia simul materia et forma creantur, unde in Genesi: *In principio creavit Deus cœlum et terram.* Dicitur *plasmare* vel *procreare*, unde in Genesi: *Creavit Deus cete grandia.* Dicitur *recreare*, unde

in Psalmo : *Dixit et facta sunt; ipse mandavit, et creata sunt*, id est recreata. Signat *innovare*, unde Isaias : *Creo cœlum novum et terram novam*, id est innovo. Signat *permittere*, unde Isaias : *Faciens pacem et creans malum*, id est permittens. Signat *exaltare*, unde in lib. Reg. de David : *Creavi te de nihilo*, id est exaltavi te, etc. Signat *gignere*, unde dicit Sapientia : *Ab initio et ante sæcula creata sum*; et alibi : *Primo omnium creata est sapientia*, id est genita; et sic exponit Hilarius : *Hinc sumpsit fomentum erroris sui Arius, qui dicit Filium Dei non esse ab æterno, sed creatum ante omnia temporalia.*

Creatura, proprie, homo, quia habet similitudinem cum omni creatura esse cum lapidibus, vivere cum herbis et arboribus, sentire cum brutis, ratiocinari cum angelis; unde in Evangelio : *Ite, prædicate Evangelium omni creaturæ*. Dicitur sanctus propter quem facta est creatura, unde in Apoc. : *Vanitati creatura subjecta est*.

Credere quandoque notat informem qualitatem, unde Jacobus in Epistola canonica : *Dæmones credunt, et contremiscunt*, et secundum hoc fides est perceptio rerum cum assentatione sine causarum cognitione. Quandoque notat virtutem fidei, id est fidem operantem per dilectionem, unde in Evangelio : *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit*. Quandoque notat sponsionem certi voti, unde patrinus respondet pro parvulo : *Credo*, id est istum crediturum spondeo. Quandoque notat certitudinem rei, unde Paulus : *Scio cui credidi et certus sum*; et in Psalmo : *Credidi, propter quod locutus sum*; hic *credidi* non notat fidem, sed certitudinem.

Cribrare, proprie. Quandoque significat dejectionem in amorem terrenorum, unde Christus Petro dixit in Evangelio : *Simon, ecce Satanas expetivit vos ut cribraret sicut triticum*, et ut cogeret te descendere in amorem terrenorum vel inclinaret in appetitum terrenorum. Sicut triticum in cribro descendit dum cribratur vel residiat (*sic*), ita contigit de Petro, quia dejectus fuit in amorem terrenorum dum Christum negavit.

Crocus, proprie. Dicitur divina Sapientia, unde in Epithalamio Christi et Ecclesiæ : *Nardus et crocus, fistula et cinnamomum*. Crocus est aurei coloris, ideo significat divinam Sapientiam.

Crus, proprie. Dicitur ille qui portat nomen Christi; unde in Cant. : *Crura illius columnæ marmoreæ*.

Crux dicitur patibulum, dicitur carnis mortificatio; unde in Evangelio : *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam*. Dicitur fides vel prædicatio crucis, unde Apostolus : *Absit mihi gloriari nisi in cruce Domini;* dicitur etiam signum crucis.

Crystalius, proprie. Dicitur obstinatus quem Deus aliquando convertit ad fidem ; unde in Psalmo : *Mittit crystallum sicut buccellas*, quia obstinatum frequenter per gratiam sibi incorporat.

Cubile, dicitur conscientia, unde in Psalmo : *Exsultabunt sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis*. Dicitur luxuria vel torpor, unde Apostolus :

A *Non in cubilibus et impudicitiis*. Dicuntur malorum corda in quibus habitant dæmones, unde in Cant. : *A cubilibus leonum et a montibus pardorum*, etc.

Culmus, proprie, dicitur hypocrita; unde Osee : *Culmus stans non est in eis germen, et non faciet farinam :* culmus quippe germen non habet, cum hypocritæ vita virtutibus caret; farinam culmus non facit, cum eis, qui in præsenti sæculo proficiunt nullum boni operis, fructum reddit.

Cum, præpositio, quandoque notat rerum pluralitatem vel diversitatem, et tenetur copulative, ut ibi in catalogo creaturarum : *Benedicamus Patrem et Filium cum sancto Spiritu*, id est Spiritum sanctum. Quandoque notat auctoritatem vel dignitatem illius rei cui adjungitur, ut ibi : *Qui tecum vivit et regnat*,
B auctoritas intelligatur penes Patrem et ne minor intelligatur Filius; non evenit econtrario, unde in Psalmo : *Tecum principium*, ut sit sensus : O Fili, tecum est mecum principium cum Spiritu sancto qui est splendor sanctorum. Quandoque notat contrarietatem, unde in Apoc. : *Factum est silentium in cœlo, dum committeret draco bellum cum Michaele*, id est contra Michaelem. Quandoque notat identitatem rei, unde in lib. Sap. : *Qui cum tranquillitate omnia judicas*, id est in judicio es tranquillus. Quandoque notat abundantiam proprietatis, unde in Psalmo : *Venient cum exsultatione*. Quandoque notat habitum, unde in Josepho legitur quod *uxor Agrippæ venit cum magna ambitione*, id est cum magno apparatu.
C Quandoque concomitantiam loci, unde in Evangelio : *Ancilla dixit Petro : Nunquid et tu cum illo eras?* Quandoque temporis concomitantiam, unde in Luca legitur quod *Anna vixit cum viro suo a virginitate sua septem annos*. Quandoque notat temporis instantiam. Quandoque notat in compositione personarum diversitatem et substantiæ identitatem, ut *Filius est consubstantialis Patri*, id est ejusdem naturæ cum Patre. Similiter cum dico *Filius est coæternus Patri*, id est cum eo æternus. Quandoque notat conformitatem naturæ, unde dicitur : *Filius est consubstantialis Patri*. Quandoque notat utilitatem vel profectum rei, unde in cant. Zachariæ : *Ad faciendam misericordiam cum patribus nostris*. Quandoque auctoritatem, ut ibi : *Filius est coæternus Patri*. Raro
D enim dicitur : *Pater est coæternus Filio*. Similiter : *Hæc statua similis est Hectori*, non tamen dicitur : Hector est similis huic statuæ; et vere hæc dictio *cum* easdem habet significationes in compositione quas habet in appositione.

Cum, adverbium, aliquando notat tempus, unde in Joanne : *Cum venerit Paracletus*, etc. Quandoque notat causam et tempus simul, unde in Psalmo : *Confitebuntur tibi cum benefeceris ei*. Quandoque tenetur adversative, unde in Evangelio dicit centurio : *Cum ego homo sum sub potestate constitutus*. Similiter : *Cum esset Deus, factus est homo*. Et nota quod sequente hac dictione *tamen*, *cum* semper ponitur adversative. Quandoque conjunctive vel consecutive, unde in Joanne : *Cum gustasset, noluit bibere*. Quandoque

tenetur copulative, ut : *Cum Socrates currit, Plato disputat; igitur Socrates currit et Plato disputat.*

Cuneus, proprie, prophetarum, unde in lib. Reg. : *Cuneus prophetarum venit obviam Eliseo.* Dicitur acies in bello, unde in Vita sancti Martini : *Disposuit cuneos in acie;* et alibi : *Hostium cuneos penetrabo securus.* Et dicitur cuneus ratione similitudinis; est enim cuneus latus a superiori parte, acutus ab inferiori, et sic in cuneis acierum, nam in persona (*sic*) parte ponitur.

Cur notat aliquando finalem causam vel ratiocinativam, unde gloriosa Virgo mater Filio suo : *Fili, cur* vel quid *fecisti nobis sic?* et in Job : *Cur faciem tuam abscondis?* Quandoque notat causam impulsivam quæ alicui convenit, unde Dominus : *Mulier, quid ploras?* Causa impulsiva est qua aliud subitanee fit, ut verecundia causa est ruboris, timoris, palloris; unde dicitur : *Cur pallet iste?* Quandoque notat auctoritatem, unde in Evangelio : *Cur ergo baptizas, si non es Christus neque propheta*, id est qua auctoritate vel præsumptione.

Curare notat curam et sollicitudinem, unde in Evangelio : *Nolite curare de crastino.* Quandoque notat curationem et sanationem, unde Dominus per prophetam : *Curavi Babylonem, et non est curata*, id est de curantibus nihil omisi quantum ad me, nec tamen est curata. Et sic ibi notat curam et diligentiam medentis, ut sensus sit : *Curam adhibui, non tamen curavi.* Signat *purgare*, unde dicitur : *Cura triticum, cura domum.*

Currere, proprie, unde in Evangelio : *Joannes cucurrit citius Petro.* Significat transire stadium hujus vitæ, unde Apostolus : *Sic currite per stadium hujus vitæ ut comprehendatis bravium æternæ vitæ.* Quandoque notat impetum et sollicitudinem male agendi, unde in Psalmo : *Si videbas furem, currebas cum eo.*

Currus, proprie, voluptas sæculi, vel vana gloria, vel pompa sæcularis, unde in Psalmo : *Hi in curribus et hi in equis.* Dicitur exercitus bonorum, unde in Psalmo : *Currus Dei decem millibus multiplex.* Dicitur conventus malorum, unde in Cant. : *Equitatui meo in curribus Pharaonis.* Dicitur similitudo currus, unde in lib. Reg. : *Vidit Eliseus currum igneum.* Dicitur angelorum exercitus, unde : *Vidi currus et equites eorum.*

Cursus, proprie. Dicitur status præsentis vitæ; unde Apostolus : *Cursum consummavi, fidem servavi.* Dicitur fluxus nostræ mortalitatis, unde in Psalmo : *Et erit tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum.* Dicitur spatium majus diæta, unde Vegetius *De re militari* : *Spatium diætæ exercitus sunt tantum duodecim milliaria; si autem una die amplius procedat exercitus, non est diæta sed cursus*, et in hac significatione sumitur in Lucano, unde Lucanus :

. . *Gelidas cursu superaverat Alpes*,

cucurrerat per Alpes.

Custos, proprie. Dicitur Deus, unde Isaias : *Quid de nocte est vox Idumæorum in captivitate existentium et clamantium : Quid erit de nocte nostra, o custos*, id est de miseria nostra, o Deus. Cum Judæi sint a captivitate liberati a Domino, qui custos est hominum. *Quid disposuisti de nocte?* id est de recta captivitate. Quibus respondit custos : *Venit mane*, id est liberatio vestra, *et nox* captivitatis recedit. *Si quæritis* per clamorem, *quærite* per devotionem : *convertimini* per fidem *et venite* per bonam operationem. Vel potest intelligi de patribus Veteris Testamenti qui erant in ora inferni clamantibus : *Custos, quid de nocte?* id est quid erit de nostra miseria? Respondit custos : *Venit mane* tempus liberationis, id est tempus gratiæ, *fugit nox* culpæ, pœnæ et ignorantiæ. *Si quæritis* ore, *quærite* corde : *convertimini et venite.* Dicitur etiam alibi Christus custos, unde in Evangelio dictum est ei : *Samaritanus es tu et dæmonium habes*, unde consensit se esse Samaritanum, quod interpretatur *custos.* Dicitur prælatus Ecclesiæ, unde in Cant. amoris : *Invenerunt me custodes civitatis*, id est Ecclesiæ, cum quærerem dilectum meum. Dicitur angelus, unde Isaias : *Super muros tuos constitui custodes.* Præest angelus custos provinciæ civitati hominum, et sic de similibus.

Cutis, proprie. Dicitur mollities infirmitatis, unde in Thren. per Jeremiam de Nazaræis dicitur : *Adhæsit cutis eorum ossibus, aruit, et facta est quasi lignum* : per ossa duritia fortitudinis, per cutem mollities carnis exprimitur. Cutis ergo adhærere ossibus dicitur, quia ab eis prava sentientibus infirmitas vitii duritia virtutis putatur. Infirma enim sunt quæ faciunt, secundum elationis fiduciam decepti, fortibus ea suspicionibus jungunt. Et quo de se magna sentiunt ea, eo ab se nequitiam emendari contemnunt, unde sequitur : *Aruit, et facta est quasi lignum*; culpa quippe eorum tanto insensibilior redditur, quanto apud eos laudabilis habetur. Dicitur etiam peccatum carnis, unde Job in persona pœnitentis : *Saccum consui super cutem meam, et operui cinere carnem meam* : per saccum et cinerem pœnitentia, per cutem et carnem peccatum carnis intelligitur. Cum ergo quidam post lapsum carnis ad pœnitentiam redeunt, quasi saccus super cutem consuitur, et cinere caro operitur, quia culpa carnis per pœnitentiam tegitur, ne indiscreti judicii examine ad ultionem videatur. Dicitur etiam de his qui in sanctæ Ecclesiæ corpore exteriori curæ deserviunt, unde Job : *Cutis mea aruit et contracta est*, in sanctæ Ecclesiæ corpore; quippe qui solis exterioribus curis deserviunt congrue cutis vocantur, quæ nimirum cutis arescendo contrahitur; quia mentes carnalium cum præsentia diligunt, quæ quasi juxta posita concupiscunt, ad futura tendere, per pusillanimitatem nolunt, qui, dum internæ spei pinguedine negligunt ut attrahantur, arefiunt; quia si eorum corda desperatio non siccaret, nequaquam æstus hæc pusillanimitatis attraheret. Cutis ergo arescens contrahitur cum cor, rebus exterioribus deditum atque ex desperatione siccatum, in auctoris sui amorem non tendit sed in semetipso, ut ita dixerim, rugosa cogitatione replicatur.

Cymbala proprie dicuntur parvæ campanæ quæ acutum reddunt sonum. Dicuntur etiam illi qui prædicant ore et dissonant opere a prædicatione, unde de talibus dicit Apostolus quod *ipsi sunt æs sonans et cymbalum tinniens*. Dicuntur etiam spirituales A fidelium concordiæ, unde David : *Laudate eum in cymbalis bene sonantibus*. Dicuntur laudes ineffabiles quæ ore plenarie exprimi non possunt, unde : *Laudate eum in cymbalis iubilationis*.

D

Dæmonium proprie significat unum dæmonem, unde Judæi de Christo in Joanne : *Nonne benedicimus nos, quia dæmonium habes*. Nota quod dæmon interpretatur *sciens*, et a dæmone venit *dæmonium*, et secundum hoc tam boni angeli quam mali possunt dæmones dici, id est scientes. Ipse enim Deus dicitur dæmon, unde in Asclepia: *Qui in præsenti nolunt credere verbis, in futuro cogentur credere pœnis;* B *transibunt enim ad summi judicis potestatem*, id est Dei, unde boni angeli dicuntur calodæmones a *calo*, id est *bonum*, id est bona scientes, et bene, quia in bonos usus convertunt scientiam suam; mali vero dæmones dicuntur cacodæmones a *caco* quod est *malum*, quia male scientia sua utuntur. Dicitur etiam diabolus, quia, quamvis omnis sciens potest dici dæmon, restringitur tamen ad significandum malignos spiritus tantum, ut per antiphrasim dæmones dicantur, quia in pravos usus scientiam suam convertunt. Quandoque dæmonium notat multitudinem dæmonum, unde in Luca : *Erat Jesus ejiciens dæmonium et illud erat mutum*, ab effectu, quia obsessum hominem reddebat mutum. A quo cum Christus quæreret quomodo vocaretur, respondit dæ- C monium: *Legio mihi nomen est*, quasi dicat : *Multi sumus*. Dicitur etiam peccatum mortale, unde legitur in Marco quod Christus ejecit a Maria Magdalena septem dæmonia, id est septem peccata mortalia, quæ proveniunt ex dæmonis suggestione, sine quibus raro est mulier delicati corporis. Dicitur manifesta et gravis tentatio, unde in Psalmo : *A sagitta volante*, etc., *et dæmonio meridiano*. Hic notantur quatuor genera tentationum. Aperta et levis cum dicitur : *A sagitta volante in die*, id est ab aperta et levi tentatione *a negotio perambulante in tenebris*, id est ab occulta et levi tentatione; *ab incursu*, id est ab occulta et gravi; *et dæmonio meridiano*, id est ab aperta et gravi. Dicitur etiam luxuria, unde D in Evangelio : *Hoc genus dæmonii non ejicitur nisi in oratione et jejunio*, et dicitur dæmon, quia difficile recedit, et quia frequenter per hanc diabolus decipit, et quia aliis vitiis materiam præstat.

Damnare, proprie, damnum inferre, unde : *Iste damnatur pœna pecuniaria*. Notat etiam æterna pœna punire, ut in hoc exemplo : *Qui venisti salvare perditos, noli damnare redemptos in corpore et anima*.

Dare, proprie, proferre cum utilitate, unde David : *Dedit vocem suam, mota est terra*. Dicitur *gignere*, unde Joannes : *Sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit et Filio*, id est genuit Filium vitam habentem in semetipso. Notat *discernere* vel *dividere*, unde in Eccle. : *Da partes septem, necnon et octo*, id est distingue inter Vetus Testamentum et Novum. In Veteri enim Testamento patres deservierunt septenario, patres Novi Testamenti deservierunt octonario. Notat datum manifestare, unde Apostolus : *Propter quod Deus dedit illi nomen*, id est manifestavit ei datum in resurrectione, *quod nulli alii datum est*; et alibi in Evangelio : *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra*, id est manifestatum est me habere potestatem in cœlo et in terra.

David, dicitur Christus, unde in titulo hujus psalmi : *Deus, Deus meus, in fine psalmi David pro susceptione et assumptione matutina*; ibi enim hoc nomen David, sumitur in designatione Christi; dicitur *pœnitens*, ut in titulo hujus psalmi ubi dicitur *in fine psalmi David : pro octava :* hic enim hoc nomen sumitur in designatione pœnitentis. Dicitur populus sub lege Mosaica constitutus, ut in titulo illius psalmi : *Usquequo, Domine, oblivisceris; in fine psalmi David :* hic enim per David Judaicus populus intelligitur, Christi adventum exspectans.

De, quandoque notat locum, ut ibi in Psalmo : *De post fetantes accepit me*. Notat tempus, unde David : *De die in diem salutare ejus*. Notat auctoritatem vel efficientiam, unde in Symbolo : *Qui conceptus est de Spiritu sancto*, id est auctoritate operis Spiritus sancti. Notat materiam, unde ibidem: *Natus de Maria virgine;* et in Cant.: *Fecit sibi ferculum de lignis Libani*. Notat originem, unde in Symbolo : *Deum de Deo, lumen de lumine*. Notat decisionem, unde in Evangelio : *Ramos cædebant de arboribus*. Notat integritatem, unde Apostolus : *Si dicat auris : Non sum de corpore, nunquid non est de corpore*, id est de corporis integritate. Notat sermonem fieri de aliquo, unde Christus in Evangelio : *Unus ex vobis me traditurus est*; hoc autem dixit de Juda. Notat causam finalem, unde Joannes : *Cum venerit Paracletus, arguet mundum de peccato*, id est pro peccato. Notat causam quasi formalem, unde *De adipe iniquitatis*. Notat exinanitionem vel humiliationem, unde : *Christus descendit de cœlis*. Notat transitum de statu in statum, unde in Evangelio : *Nemo ascendit in cœlum nisi qui descendit de cœlo*.

Decor, proprie, dignitas immortalis, unde in Psalmo : *Dominus regnavit, decorem indutus est*, id est dignitatem immortalitatis. Dicitur species et pulchritudo virtutum, unde in Psalmo : *Domine, dilexi decorem domus tuæ*, id est Ecclesiæ. Dicitur conventus sanctorum qui sunt diadema Christi et corona, unde Isaias : *Regem in decore suo videbunt*. Dicitur divinitas, unde in Isaia : *Vidimus eum non habentem speciem neque decorem*, id est divinitatem,

Dedicare, proprie rem alicui usui applicare, unde legitur in Deut. quod formidolosi non ibant ad bellum, et qui vineam de novo plantaverat, et qui uxorem duxerat et non humiliaverit (*sic*) eam,et qui domum ædificavit et non dedicavit,id est communi habitationi non deputavit. Dicitur *consecrare*,unde ecclesia dicitur dedicari, id est consecrari, quasi communi usui populi deputari. Dicitur glorificare, unde in titulo Psalmi *Exsultate*, qui talis est : *Psalmus cantici in dedicatione domus David*, quod intelligitur de glorificatione militantis Ecclesiæ quam in futuro in corpore, id est anima, habebit.

Deducere significat in altum ducere, unde in Psalmo : *Deduc me in semita mandatorum tuorum;* et alibi : *Deduxit me super semitas justitiæ*, id est arctiora præcepta et perfectiora consilia quibus a [*f.* in quorum] semitis pauci ambulant. Notat per diversa ducere, id est de bono in melius, scilicet de virtute in virtutem ducere,unde in lib. Sapientiæ : *Justum deduxit Dominus per vias rectas*. Notat ducatum vel securitatem præstare, unde : *Servi Pharaonis deduxerunt Abraham in exitu Ægypti*, etc.

Deficere notat proprie defectum corporis, unde in Evangelio: *Et si dimisero eos jejunos, deficient in via*. Deficere ab amore terrenorum, unde in Psalmo : *Concupiscit, et deficit anima mea*, tendens scilicet *in atria Domini*, id est anima mea deficiens a terrenorum arca, tendit in atria Domini. Et David alibi : *Deficit in salutare tuum anima mea ;* hujusmodi concupiscentiam et defectum non intelligit nisi Spiritus sanctus, sicut nec illud : *Liquefacta est anima mea propter quadrigas Aminadab*, id est amore et furore charitatis anima justi liquefacta est ita, *sicut cera a facie ignis*. Notat defectum in malo quo aliquis habet propositum faciendi malum, et non potest, in Psalmo : *Defecerunt scrutantes scrutinio*, id est Judæi defecerunt in consiliis et cogitationibus suis quibus Christum voluerunt delere. Notat defectum a bono, unde in Psalmo : *Defecerunt oculi mei* præ inopia ; verba sunt Christi qui dicit *oculi*, id est apostoli, defecerunt in fide præ inopia animi.

Delere, proprie, in divina pagina notat privationem effectus prædestinationis æternæ, quando aliquis deletur de libro vitæ, unde in Exod. Moyses : *Aut dimitte eis hanc noxam, aut dele me de libro vitæ*, etc. Nota quod liber vitæ dicitur æterna prædestinatio, quia, sicut in libro multa continentur, ita multi in æterna prædestinatione ; et sicut scribitur manu alicujus, ita æterna prædestinatio facta auctoritate divina ; in hoc libro scribitur quis duobus modis : quantum ad æternam prædestinationem, et secundum hoc impossibile est aliquem deleri de libro vitæ ; quantum ad justitiam præsentem vel hominum opinionem, et secundum hoc aliquem possibile est deleri. Juxta duos modos scribendi duo dicuntur modi delendi, unus quantum ad æternam reprobationem, alter quantum ad præsentem justitiam. De primo habemus, ut dicit Moyses : *Obsecro te, Domine, aut dimitte eis hanc noxam, aut dele me de libro tuo quem scripsisti ;* quasi dicat : Sicut impossibile est me deleri de libro vitæ, quantum ad æternam prædestinationem, ita impossibile quin dimittes eis hanc noxam ; videtur tamen quis posse deleri de libro vitæ licet fuerit scriptus, quantum ad æternam prædestinationem, secundum quod dicit Propheta : *Deleantur de libro viventium*,quod sic intelligendum : Deleti sunt et cum justis non scribantur, id est non sunt scripti. Secundo modo delendi multi delentur, quia,licet in præsenti videantur deleti, quantum ad præsentem justitiam et hominum opinionem sunt tamen prædestinati, ut fuit Paulus et omnes salvandi, quia ,

Exitus acta, finis non pugna coronat,

quod ex hoc patet quia, quamvis Judas fuerit scriptus in libro vitæ quantum ad præsentem justitiam, non tamen fuit scriptus quantum ad prædestinationem æternam.

Delictum large peccata et delicta comprehendit, id est commissiones non committendorum, quæ proprie dicuntur peccata, unde in Psalmo : *Delicta juventutis meæ*. Stricte vero dicitur delictum quando omittimus quod non debemus omittere, unde David : *Delicta quis intelligit ?* quasi dicat : Aut rarus aut nullus; unde dicuntur delicta quasi derelicta. Dicuntur peccatum proveniens ex ignorantia, unde distinguitur inter hostiam pro delicto, quod peccatum ignorantiæ appellatur, et hostiam pro peccato ex industria proveniente. Dicitur peccatum ex impotentia et infirmitate proveniens, et secundum hoc restringitur ad peccatum proveniens ex adipe iniquitatis ; unde distinguitur inter hostiam pro peccato impotentiæ, quod ibi delictum dicitur, et hostiam pro peccato iniquitatis. Dicitur etiam superbia, unde in Psalmo : *Et emundabor a delicto*

Denarius est genus nummi valens decem nummos usuales vel cursales, unde in Evangelio : *Ut quid perditio hæc ? potuit enim venundari trecentis denariis*. Dicitur vita æterna, unde in Matth. : *Nonne ex denario convenisti mecum*. Nota quod vita æterna dicitur a denario numero propter adimpletionem Decalogi; vel a denario nummo, quia in eo sunt duo, scilicet imago regis et nomen. Sic et sancti erunt in vita æterna imago Christi quantum ad naturalia, et similitudo quantum ad gratuita, et habebunt sancti nomen Christi qui dicentur nomine Christi. Dicitur passio Christi vel Christus, unde in Apoc.: *Bilibris tritici ex denario uno*, id est sancti Veteris et Novi Testamenti, qui per triticum significantur, emuntur denario, id est per passionem Christi vel per Christum. Recte ergo sancti per frumentum significantur, quia sicut frumentum primo molitur, consequenter in pastam formatur, post in clibano coquitur, tandem ad mensam transfertur : sic sanctus in tribulatione molitur, in passione decoquitur, tandem ad mensam æternæ beatitudinis transfertur. Signat peccatum, unde in Evangelio legitur quod *unus debebat quingentos denarios, alius quinquaginta. Non habentibus illis unde redderent*,

donavit utrisque, quod intelligendum est de peccato; unde diabolus dicitur exactor, qui primis parentibus mutuo dedit denarium et quotidie a nobis exigit.

Dens, dicuntur maledicta verba vel detractiones, unde Psalmista : *Dentes peccatorum*, id est Judæorum, o Christe, *contrivisti*, id est maledicta verba Judæorum per passionem, resurrectionem et ascensionem tuam contrivisti; quia tunc, scilicet in resurrectione, *obstructum est os loquentium iniqua*. Mali prædicatores dicuntur dentes, etiam falsi prædicatores, unde in Job de Antichristo dicitur : *Per gyrum dentium ejus formido*, id est formido evenit per falsos prædicatores Antichristi qui circuibunt terram. Timebunt enim omnes prædicationem quam facient prædicatores Antichristi in gyro, id est circuitu, scilicet per diversas mundi partes. Dicitur persecutor, unde propheta : *Infremuit contra me dentibus suis*, id est persecutionibus; et loquitur Ecclesia de diabolo. Nota quod dicitur diabolus habere dentes quia comedit hominem per mortale peccatum, incorporat per pravam consuetudinem vel suggestionem dirigit in infernum per pravum finem. Dicitur prava suggestio, unde Job : *Rugitus leonis*, id est diaboli, *vox et leænæ*, id est Synagogæ, quæ adversus Christum intonuit, *et dentes catulorum leonum*, id est pravæ suggestiones dæmonum, *contriti sunt*. Dicitur opus malum, unde Job : *Conterebam molam*, id est peccatorem, *et a dentibus ejus*, id est a pravis operibus ejus, *prædam auferebam*, id est impediebam ne peccarent; vel *a dentibus ejus prædam auferebam*, id est mentem humanam liberabam quam homo per prava opera deprædatur. Dicitur etiam prædicator Ecclesiæ, unde in Cant.: *Dentes tui sicut grex tonsarum quæ ascenderunt de lavacro, omnes gemellis fetibus*; per dentes Ecclesiæ prædicatores sanctos accipimus qui prædicationibus suis peccantium duritiam convertunt; qui non immerito detonsis ac lotis ovibus comparantur, quia innocuam vitam sumentes in lavacro baptismi, conversationis pristinæ vellera vetusta deponunt. Dicitur apostolus, unde Job in persona Christi loquens, ait : *Derelicta sunt tantummodo labia circa dentes meos*. Quid enim per labia nisi locutio, quid per dentes nisi apostoli designantur. In passione ergo circa dentes labia derelicta sunt, quia adhuc quidem confabulari noverant, sed prædicare jam eum aut (50) infidelium vitia formidabant. Dicitur interius sensus sicut per Job dicitur : *Quare lacero carnes meas dentibus meis?* ac si patenter dicat : Cur interius sensibus carnalia si qua feriunt in me facta discussio, si meis spectatoribus prodesse non possunt.

Deponere proprie a se aliud removere, unde in Act. : *Deposuerunt vestimenta sua secus*. Notat ab honore removere, unde beata Virgo Maria : *Deposuit potentes*. Notat ab onere carnis removere vel privare, unde dicitur sanctorum depositio, quia tunc removentur ab onere carnis vel privantur. Notat aliquid alicui commendare, unde Apostolus : *Potens est depositum meum servare*, id est animam. Notat cautionem dare, id est sponsionare, unde in Bucolicis :

De grege non ausim quidquam deponere tecum.

Notat deorsum ponere, unde in Evangelio : *Deposuit Joseph corpus de cruce;* potest ita poni in litteris : *Ego deponam tecum pro centum mancis quod ita sit.*

Descendere dicitur Deus per assumptam humanitatem, unde in Evangelio : *Nemo ascendit ad cœlum nisi qui descendit de cœlo*. Dicitur descendere per angelorum apparitionem, unde in lege descendit Deus super tabernaculum Moysi. Notat punire per vindictæ exsecutionem, unde in Gen. : *Descendam et videbo, utrum peccata opere compleverint*, id est puniam et pœna probabo, scilicet per vindictam cognoscere faciam quod tale commiserunt peccatum. Notat *revelare*, unde in Gen. : *Descendamus et confundamus linguas eorum*, et revelemus angelis, ut descendant et confundant linguas eorum. Notat descendere per gratiæ collationem, unde in Act. descendit Spiritus sanctus super apostolos. Nota quod Spiritus sanctus dicitur descendere quia significat descendisse, unde : *Spiritus sanctus descendit corporali specie sicut columba in ipsum*, id est columba quæ apparuit in corporali specie signavit Spiritum sanctum descendisse in eum ab articulo Incarnationis, sed non tunc primum; et ideo dicitur descendisse corporali specie, quia columba fuit illius descensus signum. Dicitur descendere homo per humilitatem, unde Isaias : *Descende, filia Sion, sede in pulvere*, id est humiliare. Dicitur descendere homo de bono in malum, unde in Evangelio : *Homo quidam descendebat a Jerusalem in Jericho*, id est a visione pacis in defectum culpæ. Dicitur descendere homo a statu honoris in statum dejectionis, unde in Jona : *Descendit rex Ninivitarum de throno suo et sedit in sacco et pulvere.*

Describere significat rem manifestare vel proprietatem rei declarare, et secundum quod dicitur apud logicos, *descriptio*. Notat professionem subjectionis Romano imperio per censum capitis factam et in scriptis redactam, unde in Evangelio : *Exiit edictum a Cæsare Augusto, ut describeretur universus orbis*. Notat prædestinationem æternam, unde Greg. : *Justum est ut universus describeretur orbis a Cæsare Augusto in nativitate illius qui suos descripserat et prædestinaverat in æternitate.*

Desertum, proprie, ut in Evangelio : *Ductus est Jesus in desertum a spiritu;* et alibi : *Erat Joannes in deserto prædicans*. Dicitur Judæa vel Judaicus populus a Deo desertus, unde in Evangelio : *Vox clamantis in deserto*, id est in Judæa a rege et a Deo derelicta. Dicitur mundus, id est mundi homines a Deo deserti, ut in prædicto exemplo; secundum aliam expositionem in Isaia : *Vox clamantis in deserto*, id est in mundo, id est in mundanis homi-

(50) Videtur deesse aliquid, ut mox post verba *Cur interius sensibus*, etc.

nibus. Dicitur gentilis populus desertus a Deo, et a Dei cognitione et amore et cultu alienus, unde Isaias : *Emitte Agnum, Domine, dominatorem terræ de petra deserti.* O Pater, dicunt sancti, emitte de sinu tuo in sinum uteri virginalis Agnum, id est Filium tuum innocentem, *dominatorem terræ, de petra deserti*, id est a gentilitate deserta, *ad montem filiæ Sion*, id est ad populum Judaicum : hæc ideo dicunt quia Christus descensurus erat ab utroque genere gentilium propter Rahab et Ruth, et Judæorum; quod satis patet in Job : *Quis dedit inundanti aquæ cursum, et quis fecit viam sonanti tonitruo ut ros plueret super terram absque humore in deserto?* Aqua inundans est divina gratia, sonans tonitruum, divina comminatio. Est ergo sensus : *Quis dedit cursum* divinæ gratiæ ut per inundantiam perveniret ad populum gentilem, *et quis fecit viam* ut divina comminatio perveniret ad eumdem, *ut ros* divinæ gratiæ *plueret super terram absque humore* aridam, scilicet sine humore divinæ gratiæ, *in deserto*, id est in gentilitate, id est quis fecit ut gentiles converterentur ad fidem? Dicitur etiam paradisus, quia desertus fuit ab angelo et homine. *Quis ex vobis homo habet centum oves*, etc., *in deserto? quis* notat hic dignitatem : iste *habens centum oves* est divina Sapientia, quæ habuit angelicam et humanam naturam per centum oves significatam; in centenario enim numero notatur perfectio, in ovibus primitiva utriusque Ecclesiæ innocentia. Amisit ergo unam ovem per primi hominis lapsum; nonaginta novem ovibus in deserto (51), id est novem ordinibus angelorum in cœlo; assumendo humanam naturam, venit quærere ovem perditam, id est genus humanum, et eam inventam in humeris suis impositam reportavit ad caulam, id est Ecclesiam. Dicitur etiam mundana felicitas vel terrena voluptas quæ facit homines a Deo desertos, unde Job : *In desertis torrentium*, id est terrenis voluptatibus. Comparatur autem infelicitas torrenti, quia modo superabundat et cum impetu movetur, modo deficit ut torrens. Dicitur animus alicujus sancti a curis mundanorum et a tumultu pravarum cogitationum desertus, unde in Threnis : *Sicut struthio in deserto.*

Deus ponitur substantive, unde in Exod. : *Audi, Israel : Dominus Deus tuus unus est.* Supponit divinitatem, ut : *Deus est trinitas.* Supponit trinitatem, unde in Gen. : *Deus dixit*, scilicet, *Faciamus hominem ad imaginem nostram.* Supponit Patrem, unde in Gen. : *In principio creavit Deus cœlum et terram.* Supponit Filium, ut ibi : *Deum de Deo.* Supponit Spiritum sanctum, unde Apostolus : *Templum Dei sanctum est, quod estis vos.* Tenetur etiam adjective, unde : *In principio creavit Deus cœlum et terram.* In Hebræo habetur *heloim*, plurale hujus nominis *hel* quod significat *dii*, et non notatur *dii* pluralitas divinitatis, sed personarum, ut sit sensus : Creaverunt dii, id est divinæ tres personæ, sicut dicitur *divus Adrianus*, id est divinus. Tenetur etiam adoptive pro perfectis, unde Psalmista : *Ego dixi : Dii estis*, et alibi : *Deus stetit in Synagoga deorum*, et Apostolus : *Sive plures, sive dii, sive in cœlo, sive in terra.* Tenetur nuncupative pro dæmonibus nomine tantum et non significatione, unde : *Dii gentium dæmonia.* Sumitur pro idolis, unde in Gen. : *Dixit Laban ad Jacob : Cur furatus es deos meos?* id est idola. Sumitur potestative, unde in Exod. : *Dominus ad Moysem : Constitui te deum Pharaonis*, id est potentem super Pharaonem. Et Jacob ad Esau, in Gen. : *Vidi faciem Dei*, id est alicujus potentissimi. Sumitur pro sacerdote, unde in Levit. : *Si servus voluerit manere cum domino suo, in perpetuum vivet, perforet auriculam suam subula et offerat eum dominus diis*, id est sacerdotibus præsentabit.

Dextera, proprie, propitiatio divina; unde in Psalmo : *Manus tua protexit me;* et alibi : *Cadent a latere tuo mille et decem millia a dexteris tuis.* Dicitur vita æterna, unde in Cant. : *Læva ejus sub capite meo*, in præsenti scilicet, dum confert mihi temporalia, dicit Ecclesia; *et dextera illius amplexabitur me*, in æterna beatitudine. Dicitur potentia vel Filius Dei, unde in Psalmo : *Et educet te mirabiliter dextera tua.* Dicitur æqualitas Filii cum Patre, unde in Psalmo : *Sede a dextris meis;* quos enim a dextris collocamus, nobis æquales facimus vel reputamus. Dicitur prosperitas, unde : *Non declines a via regia*, scilicet neque ad dexteram sequendo prospera, nec ad sinistram timendo adversa. Spiritualia dicuntur dextera, unde in Evangelio : *Si quis te percusserit in dexteram, præbe ei et aliam*, id est si quis hæreticus voluerit te vulnerare in spiritualibus, præpone temporalibus spiritualia ut ante vulnereris in temporalibus quam in spiritualibus. Dicitur vita contemplativa secundum aliam expositionem, ut sit sensus : *Si quis voluerit te scandalizare in contemplativa, transfer te ad activam*, id est si non potes tollere contemplativam, transfer te ad activam, etc.

Diabolus interpretatur *deorsum ruens.* Dicitur Leviathan, id est *addimentum.* Dicunt quidam quod Leviathan est piscis qui vocatur cete, quia, sicut cetus adjicit sibi alios pisces per incorporationem, sic diabolus malos sibi incorporat per suggestionem. Dicitur Satan, id est *adversarius*, et Satanas quod idem est, quia nobis adversatur. Dicitur etiam Sathael, id est *contrarius Deo.* Dicitur peccator qui a throno justitiæ ruit in lutum culpæ, unde : *Nonne vos duodecim elegi de mundo, et unus vestrum diabolus est*, scilicet Judas qui cecidit a dignitate apostolatus in apostasiam.

Diadema proprie corona, et dicitur diadema quasi duo demens : principium et finem. Dicitur diætas vel æternitas quia caret principio et fine, unde Martianus (52) : *Jupiter detraxit diadema a capite*

(51) Deest aliquid.
(52) *De nuptiis Philologiæ et Mercurii*, ed. Ultr. Frid. Kopp., Francof., 1836, 4°, p. 27.

A *primitivæ filiæ Æternitatis, et posuit illud in capite Siches Endelechiæ, filiæ Solis.* Dicitur vita æterna, unde Isaias : *Et diadema regni in manu Dei tui.* Signat æternam beatitudinem, quia regnum est; in significatione habet duos circulos, et nos erimus in futuro beati in corpore et anima ; unde dictum est de sanctis in libro Sapientiæ : *Accipient diadema speciei*, id est speciosam beatitudinem, *de manu Domini.* Dicitur humana Christi natura quasi duo demens, scilicet culpam incipiendo et mortem perseverando , unde : *Egredimini, filiæ Sion, et videte regem Salomonem ;* et o vos fideles animæ, egredimini a contuitu terrenorum ad amorem cœlestium, id est *videte regem Salomonem*, id est verum pacificum Jesum Christum, qui reformavit pacem inter Deum et hominem, inter angelum et hominem, inter hominem et hominem, *in diademate* suo, id est humana natura, *quo coronavit eum mater sua*, Virgo gloriosa, *in die desponsationis ejus et in die lætitiæ cordis ejus*, quia nunquam habuit tantum gaudium quantum in illa die quando dictum est ab angelo: *Ecce concipies ;* vide textum, vel : *In diademate*, id est in carne quam assumpsit a matre sua virgine ; *in die desponsationis suæ*, id est quando sibi desponsavit Ecclesiam. Dicitur etiam corona, ut in præfata auctoritate : *Egredimini, filiæ Sion*, id est o vos mulieres, quæ solebatis esse in comitatu Jesu Christi, *egredimini a* civitate *et videte regem Salomonem*, id est Christum ; *in diademate*, id est in spinea corona, *qua coronavit eum mater sua*, id est Synagoga de qua secundum carnem natus est ; *in die desponsationis suæ*, id est conceptionis, quia revolutis annis eo die quo conceptus fuit et passus est.

Dicere , proprie, *promittere ;* unde in Psalmo : *Dixit Dominus ad me : Dabo tibi gentes*, id est promisit mihi. Dicitur *prœordinare*, unde David : *Dixit et facta sunt.* Significat aliud de facili facere, unde in Genesi : *Dixit Deus : Fiat lux et facta est lux*, id est ita fecit lucem de facili sicut quis profert vocem de facili. Notat Filium æqualem sibi gignere, unde in Psalmo : *Dixit Dominus Domino meo*, id est Deus Pater genuit Deum Filium sibi in omnibus æqualem. Significat etiam *præcipere* , unde in Evangelio : *Dic verbo et sanabitur puer meus.* Notat *inspirare*, unde in prophetis : *Et dixit Dominus ad me*, id est inspiravit mihi. Notat *manifestare*, unde dicitur in Job quod Dominus dixit ad Satan : *Unde venis, Satan*, quod nihil aliud est quam perversas vias diaboli omnibus revelare. Notat posse dicere, unde in Evangelio Dominus ad Pilatum : *Tu dicis*, id est, brevi facta permutatione modi pronuntiandi, dicere potes.

Dies, proprie, tempus præsentis vitæ, unde in Psalmo : *Quandiu ponam consilia*, etc. Per diem dicitur tempus indeterminatum, unde Isaias : *In illa die stillabunt montes dulcedinem.* Dicitur tempus gratiæ ut in prædicto exemplo secundum aliam expositionem ; et alibi : *Hæc est dies quam fecit Dominus.* Dicitur tempus judicii, unde Sophon. : *Dies illa, dies iræ*, non quod certum sit quod de die fiat, quia scriptum est de eo : *Dies Domini fur in nocte, ita veniet*, et de eo dicitur in Evangelio : *Media autem nocte clamor factus est*, sed ideo dicitur dies, quia tunc libri conscientiarum erunt aperti, clari, manifesti. Dicitur lux gratiæ, unde Apostolus : *Nox præcessit*, scilicet ignorantiæ dies, *lux*, id est gratiæ, *appropinquabit.* Dicitur vita æterna, unde in Psalmo : *Melior est dies una in atriis*, et alibi : *Et numerus dierum quis est*, et dicuntur ibi dies pluraliter propter diuturnitatem, etc. Dicitur prava conscientia, unde Statius :

... Assiduis circumvolat alis
Sæva dies animi.

Dicitur prosperitas, unde in Psalmo : *In die mandavit Dominus misericordiam suam.* B Dicitur intellectus humanus, unde Apostolus : *Mihi autem pro minimo est ut a vobis judicer aut ab humano die*, id est ab humano intellectu. Judæi ad fidem conversi dicuntur dies, unde : *Et nox sicut dies illuminabitur*, sicut apostoli de Judæis ad fidem conversi. Dicitur spiritualis doctor, unde in Psalmo : *Dies diei eructat verbum*, id est spiritualis spirituali de pleno profert *Verbum* quod *erat in principio apud Deum.* Dicuntur animæ electorum, unde Job de nocte conquestus ait : *Non computetur in diebus anni, nec numeretur in mensibus ;* per annum prædicationem supernæ gratiæ intelligimus, quia sicut in anno congestis diebus mensis, et tempus perficitur, ita C in superna gratia multiplex virtutum vita completur ; per dies ergo electorum mentes, per menses multiplicatæ eorum Ecclesiæ quæ unam Ecclesiam catholicam faciunt designantur. Illa ergo nox non computetur in diebus anni, nec numeretur in mensibus, quia antiquus hostis, qui per noctem intelligitur, superbiæ suæ tenebris pressus, adventum Salvatoris conspicit, sed nequaquam ad veniam cum electis rediit. Dicitur æternitatis longitudo, unde Job : *Ab Omnipotente non sunt abscondita tempora ; qui autem noverunt eum ignorant dies illius*, quia cum ipse sit æternitas, qualiter tamen sit ipsa æternitas ignoramus, quia, etsi Deum per fidem novimus, qualiter sit æternitas, sine præterito ante sæcula, sine futuro post sæcula, sine mora longa, sine D præstolatione perpetua non videmus. Dicitur miseria temporis vel peccati delectatio, unde Job : *Pereat dies in qua natus sum et nox in qua dictum est : Conceptus est homo.* Per diem peccati delectatio designatur ; per noctem cæcitas mentis, per quam se homo patitur in culpæ perpetratione positum. Dicitur etiam status angelicæ naturæ, unde Job : *Cum quadam die assisterent filii Dei*, id est angeli, *coram Domino, adfuit Satan inter eos* non per essentiam, non per gratiam , sed naturam habendo angelicam sicut ipsi, etc.

Digitus, proprie. Dicitur Spiritus sanctus quia , sicut in digito sunt diversæ juncturæ et unciæ, ita diversa sunt Spiritus sancti dona ; et sicut digitus procedit a manu et corpore, manens ejusdem na-

turæ cum utroque, ita Spiritus sanctus a Patre et Filio, manens ejusdem naturæ cum utroque; et sicut digitis operamur, ita Spiritu sancto operantur Pater et Filius; unde in Evangelio: *Si in digito Dei ejicio dæmonia*, id est virtute Spiritus sancti, *filii vestri in quo ejiciunt*. Et magi Pharaonis in tertio signo deficientes, dixerunt: *Digitus Dei est hic*, id est opere Spiritus sancti fit hoc. Dicitur æternitas beata, quia sicut diversi digiti sunt distincti in eadem manus substantia, ita diversæ personæ in eadem natura; et sicut operamur digitis, ita omnia fiunt opere Trinitatis, unde Isaias: *Quis appendit terræ molem digitis tribus*, id est quis creavit terram et reddidit eam immobilem? Trinitas. Dicitur opus bonum, unde per minimum digitum significatur minimum opus bonum, unde dives in Evangelio ait ad Abraham: *Mitte Lazarum ut intingat extremum digiti sui in aquam, ut refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma*, id est: Si ego haberem unum minimum bonorum suorum operum, haberem refrigerium cruciatus quem sustineo pro peccato linguæ; et alibi Dominus Jesus Pharisæis: *Imponunt hominibus onera importabilia, digito autem suo nolunt ea movere*, id est nec minimum opus bonum facere volunt. Dicitur discretio, unde in Job: *Attendite me et obstupescite, superponite digitum ori vestro*, id est considerate quæ ego egi et admiramini; considerantes mala quæ patior, vosmet a vestra culpa considerate.

Diligere Deus dicitur, id est prædestinare, unde in Malach.: *Jacob dilexi*, id est prædestinavi ab æterno; *Esau autem odio habui*, id est reprobavi ab æterno. Notat in suo esse conservare, et secundum hoc Deus diligit universa et etiam secundum hoc diligit diabolum, unde in lib. Sap.: *Nihil odisti eorum quæ fecisti*, id est omnia in suo esse conservasti. Notat *approbare*, unde in Psalmo: *Dilexisti justitiam*, id est approbasti, *et odisti iniquitatem*, id est reprobasti. Notat spiritualia bona conferre, et secundum hoc dicitur Deus Judam dilexisse, id est bona spiritualia ei contulit; unde in Gn̄ (?): *Exhibitio operis probatio est dilectionis*. Notat signa dilectionis exhibere, unde in Joanne: *Hic est discipulus ille quem diligebat Jesus*, id est cui signa dilectionis exhibuit; et alibi de Maria Magdalena: *Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum*. Nota quod hic potest præponi talis quæstio: Hic sunt duo quorum alter sit prædestinatus ad gloriam majorem, et sit minus bonus quantum ad præsentem justitiam; alter prædestinatus ad minorem gloriam, magis tamen bonus quantum ad præsentem justitiam, quæritur utrum unum istorum magis diligat Deus. Solutio: Dicimus quod semper magis diligit illum quem ad majus bonum præparat. — Signat etiam specialem motum charitatis in aliquem dirigere, unde in Exodo: *Diliges Dominum Deum tuum*. Dicitur homini bona optare, unde in Evangelio: *Diliges proximum tuum sicut te ipsum*, id est ad tantum, non ex tanto, id est tantum bonum debes optare

A proximo tuo quantum et tibi, sed non ex tanto motu charitatis. Si enim majus bonum velles proximo tuo quam tibi, stultitia esset, si non tantum invidia. Et est sensus: *Diliges proximum tuum sicut te ipsum*, scilicet ad vitam æternam. Signat *appetere*, unde dicitur: *Iste diligit vitam æternam*, id est appetit; et alibi dicitur: *Diligentium bona*, id est appetentium. Dicitur *laudare*, et secundum hoc tenemur diligere omnem creaturam, id est ex omni creatura tenemur sumere materiam laudis divinæ; unde in catalogo creaturarum: *Benedicite, omnia opera Domini, Domino*. Sensus est: Vos omnes creaturæ ex omnibus materiam laudis divinæ præbete. Notat gratias Deo exhibere, unde in Evangelio: *Cui plus committitur, magis Deum diligere tenetur*,
B id est magis gratus debet esse Deo et majores gratias ei exhibere tenetur quam ille cui minus committitur, sed majori motu charitatis eum non tenetur diligere. Notat *approbare*, unde dicitur quod *quilibet tenetur magis bonum extraneum diligere quam patrem malum;* unde dicitur quod *chariora membra majori charitate sunt amplectenda*; sed hoc dicimus quod *Linus magis debet diligere Petrum quam se*, id est approbare, quia *Deus magis approbat Petrum quam Linum*, etc. Signat bona conferre vel exhibere, et secundum hoc potest dici quod magis tenemur diligere injustum notum quam extraneum justum, id est majora bona ei conferre vel exhibere. Hic quæritur in qua acceptione hic teneatur vel accipiatur, cum dicitur: *Homo diligit Deum*.
C Dicimus quod sic exponi approbant: Appetit gratias, exhibet, laudat: ideo dicitur aliquis diligere Deum, scilicet majorem charitatis motum meum dirigendo, ipsum appetendo, approbando, laudando, ei gratias exhibendo. Item quæritur in qua acceptione hic accipiatur, cum dicitur: *Ego teneor diligere Deum magis quam me*. Dicimus quod sic potest exponi: Debeo diligere, id est majorem motum charitatis in Deum quam in me dirigere.

Diluculum proprie significat idem quod aurora. Dicitur lux divinæ cognitionis, unde in Job: *Visitas eum diluculo*, id est luce divinæ cognitionis visitas aliquem justum illuminando eum, scilicet justum justificans et subito probans illum. Primo homo
D justificatur, postea probatur. Dicitur initium divinæ gratiæ, unde in Psalmo: *Adjuvabit eum Dominus mane diluculo*. Dicitur Christi resurrectio, unde Job: *Orietur tanquam diluculum;* dicitur enim resurrectio diluculum, quia diluculo facta est. Dicitur Ecclesia Dei quantum ad primitivum statum, quia, sicut diluculum est initium diei, ita primitiva Ecclesia est initium triumphantis Ecclesiæ, unde Job: *Nunquid post ortum suum providisti diluculo*, id est primitivæ Ecclesiæ de Judæis assumptæ, id est apostolis locum suum, id est statum; et hoc post ortum, id est post assumptionem humanitatis, quasi dicat: imo post ortum meum, id est post assumptam humanitatem.

Diluvium, proprie, fluxus carnalium concupi-

scentiarum, unde in Psalmo : *Verumtamen in diluvio aquarum multarum*, id est qui manent in carnalibus concupiscentiis ad Deum non approximabunt. Dicitur error diversarum sectarum in quibus confidebant Pharisæi, unde sic potest exponi prædicta auctoritas : *Verumtamen in diluvio aquarum multarum*, id est tales qui confidunt in erroribus diversarum sectarum non approximabunt ad Deum. Dicitur aliquis fluens per carnales concupiscentias, unde David : *Dominus diluvium inhabitare facit*, id est sanctos inhabitare illæsos facit inter fluentes submersores, id est arcam Noe servavit inter fluctus et aquarum inundationes. Dicitur baptismus, unde secundum aliam litteram : *Dominus diluvium inhabitare facit*, id est aquas baptismi ; per gratiam quæ crimina mundi purgant, sicut per diluvium mundatus est mundus.

Dimittere, proprie, petitioni satisfacere ; unde in Evangelio : *Dimitte eam, quia clamat post nos*. Significat pœnitentiam suam subtrahere, unde in Exodo legitur de angelo qui *dimisit Moysem*, id est ei apparere desiit. Notat remittere, unde : *Dimitte nobis debita nostra*. Notat aliquem sibi relinquere vel consilium suum ei subtrahere, juxta quod solet dici : *Ille dimisit illum sibi*, etc.

Diplois, duplex vestis, quasi duplex plica. *Plois* enim Græce, *plica* Latine, qualis est mantellus cum serico vel cum pellibus. Dicitur duplex confusio damnatorum, scilicet confusio corporis et animæ ; unde in Psalmo : *Operientur sicut diploide confusione sua*. Dicitur fraus hypocritarum qui aliud habent in corde et aliud in ore, unde dicitur : *Induti diploide*, id est duplicitate ; in corde enim aliud cogitant et aliud ore loquuntur.

Discus proprie dicitur scutella magna. Dicitur mensa, unde legitur in Evangelio : *Da mihi in disco caput Joannis Baptistæ*, id est mensa vel scutella. Dicitur mantile vel mappa, unde legitur quod Dominus ostendit Petro omnia genera animalium in disco quatuor initiis dependenti, id est quatuor angelis vel funiculis subtilissimis. Dicitur plumbatum corpus, scilicet rotundum ex plumbo factum quo ludebant antiqui, unde legitur quod ludebant in disco Græci.

Dispergere proprie in diversa spargere, juxta quod dicitur : *Iste dispersit semina*. Significat in diversa partiri, unde in Psalmo : *Dispersit, dedit pauperibus*, id est diversis partitus est ; non enim omnia debent uni dari, juxta illud Isaiæ : *Frange esurienti panem tuum*. Notat schisma facere, unde in Evangelio : *Qui non colligit mecum, dispergit*, id est qui non manet mecum in unitate Ecclesiæ, schisma facit. Nota quod triplex est vinculum Ecclesiæ, unde Salomon : *Funiculus triplex difficile rumpitur*. Primum est fidei quod hæresis dissolvit, secundum charitatis quod schisma rumpit, tertium obedientiæ quod contumacia dividit. Notat *destruere*, unde in Psalmo : *In virtute tua disperge illos*. Notat *dividere*, unde in Genesi : *Dividam eos in Jacob et dispergam eos in Israel*, id est non habebunt sortem propriam in terra promissionis, et loquitur ibi Jacob in persona Christi vel in propria persona, ut sit sensus : *Dividam eos*, id est prædices eos dividendos, et intelligitur hoc de tribu Simeon et Levi ; quoniam ideo quod fraudulenter interfecerunt Sichimitas, proprias non habuerunt sortes, sed dispersi sunt inter alias sortes ; unde in benedictionibus Jacob : *Simeon et Levi, in consilium vestrum non veniat anima mea ;* vel hoc intelligitur de Scribis et Pharisæis qui descenderunt de Simeon et Levi, qui, quia machinati sunt in mortem Christi, dispersi sunt.

Dissipare, proprie, *dilaniare* vel in diversa dividere, et componitur ex *dis* et *seps, sepis*, quia sepes in diversas partes de facili dividuntur, Signat *destruere*, unde in Psalmo : *Dissipata sunt ossa mea*, id est fortitudo destructa. Signat diversis modis et inutiliter expendere, unde in Evangelio de filio prodigo qui dissipavit substantiam, etc., id est diversis modis et inutiliter.

Dives proprie amans divitias, unde in Evangelio : *Facilius est camelum per foramen*, etc. Dicitur habens et amans divitias, unde in Luca : *Erat quidam dives*, ut notetur habitus ibi et amor. Dicitur superbus, quia ex divitiis nascitur superbia, unde beata virgo Maria : *Esurientes implevit bonis et divites dimisit inanes*. Dicitur aliquis habens spirituales divitias, unde in Psalmo : *Vultum tuum deprecabuntur omnes divites plebis*, id est qui amant divitias spirituales. Dicitur Deus propter totius boni plenitudinem et abundantiam, propter scientiam et potentiam ; unde dicit Apostolus : *Deus autem qui dives est in misericordia*. Dicitur etiam divina natura, unde in Psalmo : *Simul in unum dives et pauper*, id est divina natura secundum quam Christus dicitur dives et pauper, id est humana Christi natura secundum quam fuit pauper.

Divitiæ, proprie, unde in Psalmo : *Divitiæ si affluant, nolite cor apponere* ; unde Job : *Si lætatus fuero super multis divitiis*, quasi dicat : Et si multa cognovi quæ facere debui, intelligentia cor non extulit meum. Sancti enim minime exsultant cum cognoscunt quæ faciunt, sed cum bona faciunt quæ cognoverunt. Dicuntur divitiæ divinum eloquium, unde Job : *Et bibent scientes divitias ejus ;* Judæorum namque divitias gentiles scientes bibunt, quia fluentis sacræ locutionis quæ prius habuerunt Judæi conversæ gentilium mentes irrigantur. Dicitur abundantia, unde Apostolus : *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ !* et alibi : *An divitias bonitatis ejus et patientiæ et longanimitatis contemnitis?*

Dolare proprie lignum rude non perfecte nec plenarie, sed semiplene exspoliare, inde *dolabrum ;* unde legitur in *Legenda Dionysii : Hebetatis dolabris*. Notat *præparare*, unde Osee : *Propter hoc dolavi in prophetis, dicit Dominus*, id est intelligentia divinarum Scripturarum quæ rudis erat in prophetis fuit dolata, id est sacra Scriptura in prophetis ad intelligendum præparata, quæ antea rudis fuerat,

adhuc tamen mansit occulta et quasi inexspoliata usque ad apostolorum tempora per quos fuit exspoliata, id est manifestata et aperte declarata, et per alios sacræ Scripturæ doctores.

Doma, tis, proprie tectum planum, unde, Joab cepit civitatem Jerusalem per domata saliens. Dicitur tropologia vel mortalitas, unde in *scholastica Historia* legitur quod tropologia est doma culmini superpositum; historia est fundamentum, allegoria parietes erigit. Tropologia est doma quod tectum consummat et perficit.

Domus, proprie, corpus humanum; unde Job: *Qui habitat domos luteas.* Dicitur homo peccator, unde in Luca: *Diabolus dicit: Revertar in domum meam unde exivi.* Dicitur Ecclesia militans, unde Psalmista: *Lætatus sum in his,* etc. Dicitur ecclesia materialis vel templum Dei, unde in Evangelio: *Domus mea, domus orationis.* Dicitur anima, unde in Psalmo: *A domibus eburneis;* eadem est templum Dei, unde: *Dominus in templo sancto suo.* Dicitur conscientia, unde Salomon de anima perfecta: *Consideravit semitas domus suæ,* etc., semitas domus suæ considerat, quia omnes conscientiæ cogitationes subtiliter investigat; *panem otiosa non comedit,* quia hoc quod de sacro eloquio intelligendo per præceptum, foras in opere ostendit. Dicitur cœli habitaculum, unde in Psalmo: *Passer invenit sibi domum, et turtur nidum.* Per passerem Redemptor noster, per turturem sancta Ecclesia exprimitur: *Passer invenit sibi domum,* quia cœli habitaculum noster Redemptor intravit; *et turtur nidum,* quia sancta Ecclesia, amore Conditoris affecta, crebris gemitibus utitur et velut nidum pacatissimum fidei quietem construit, in qua crescentes filios quasi pullos, quoadusque ad superiora evolent, charitatis gremio calefactos fovet. Dicitur virtutum fabrica, unde Salomon: *Diligenter exerce agrum tuum, ut postea ædifices domum tuam,* id est castiga carnem tuam ut postea ædifices virtutum structuram. Dicitur corpus Christi, unde in Parabolis: *Sapientia ædificavit sibi domum:* Sapientia sibi domum condidit cum unigenitus Dei Filius in utero virginis, mediante anima, humanum sibi corpus creavit. Dicitur Ecclesia triumphans, unde in Psalmo: *Introibo in domum tuam,* et hoc secundum unam expositionem, secundum aliam intelligitur de militante. Et alibi in Joanne: *In domo Patris mei,* et hoc de triumphanti. Dicitur sacra Scriptura, unde in Psalmo: *In domo Dei ambulavimus cum consensu,* id est uno modo exponentes. Dicitur sepulcrum mortuorum, unde David: *Sepulcra eorum domus in æternum.* Dicitur infernus, unde Job: *Infernus domus mea est.* Domus etiam significat corpus et cœlum, unde Apostolus: *Scimus quod si domus nostra terrestris dissolvatur, habemus domum non manufactam in cœlis.*

Donec aliquando ponitur exclusive, unde de Joanne in Evangelio: *Sic eum volo manere donec veniam,* quasi dicat: Christus non morietur nisi in adventu meo. Ponitur etiam inclusive et tunc notat finis carentiam vel æternitatem, unde in Psalmo: *Donec ponam inimicos tuos,* id est æternaliter. Ponitur etiam negative et tunc notat impossibilitatem, unde in Evangelio dicitur: *Donec cœlum et terram coeant non faciam istud,* id est nunquam. Similiter habetur ibi: *Antequam convenirent,* id est nunquam convenerunt. Ponitur aliquando copulative, unde in Genesi: *Det tibi Deus et de rore cœli et de pinguedine terræ abundantiam, donec veniat desiderium collium æternorum,* id est desiderium vitæ æternæ per colles significatum.

(53) *Donum* vel *datum* dicitur large quidquid datur. Sunt dona naturalia, scilicet memoria, intellectus, ratio, intelligentia; unde in Epistola canonica Jacobus: *Omne datum optimum, omne donum perfectum;* ibi vocat dona gratuita, scilicet virtutes. Notat quandoque usum gratiæ Spiritus sancti, unde Spiritus sanctus ab æterno fuit donum, id est donabile, ut notetur aptitudo donationis, sed ipse fuit datum ut notetur usus donationis. — *Donum* proprie dicitur, ut omne quod datur dicatur donum. Spiritualia dona ut virtutes Spiritus sancti, unde Jacobus: *Omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est,* scilicet gratuita. Dicitur Spiritus sanctus qui est donum Patris et Filii, et notat aptitudinem et non actum, quia ab æterno fuit donabile, unde Filius dat donum æquale sibi. Restringitur tamen ad designandum septem dona Spiritus sancti antonomastice.

Dormire, proprie *mori,* unde in Psalmo: *Ego dormivi et soporatus sum.* Notat carnale commercium celebrare, unde in Genesi ait Rachel ad Liam: *Dormiat tecum hac nocte pro mandragoris filii tui.* Notat jacere in vitiis, unde Apostolus: *Surge, qui dormis.* Notat etiam sanctos tribulationibus exponere, unde in Psalmo: *Exsurge, quare obdormis?* Notat in proximo a morte suscitare, unde ait Christus in Evangelio: *Non est mortua puella, sed dormit.* Notat a curis sæcularibus vacare, unde in Cant.: *Ego dormio et cor meum vigilat,* quasi dicat: A curis sæcularibus vaco et ita divinis intendo. Notat *quiescere,* unde in Psalmo: *In pace in idipsum dormiam.* Notat *delectari,* unde Salomon: *Cave ab ea quæ dormit in sinu tuo,* id est carnalitate quæ delectatur in te et per quam delectaris.

Dorsum, proprie, fortiores qui sunt in Ecclesia; unde dicit Christus vel Ecclesia in Psalmo: *Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores,* id est infideles persecuti sunt fortiores in Ecclesia, quia sicut dorsum fortius est membrorum in animali et expositum oneribus ferendis, ita prælati Ecclesiæ fortes esse debent et sustinere onera tribulationum

(53) Hujus capituli pars secunda, quæ paucis mutatis eadem cum prima est, in vetusta editione seorsim ponitur.

et adversitatum cæterorum. Dicitur libertas arbitrii, unde in Psalmo: *Et dorsum eorum semper incurva*, id est permitte semper incurvari libertatem arbitrii Judæorum, cui tam bona opera quam mala innituntur, id est tanquam dorsum incurva in appetitu. Dicuntur aliqui a Deo postpositi, quos scilicet non respicit oculo misericordiæ, unde: *Pono eos deorsum*, id est postpono eos. Dicuntur activi, unde in Psalmo: *Posteriora dorsi ejus*.

Draco proprie, unde: *Laudate Dominum de terra, dracones*, nec est ibi dracones (54). Dicit enim Augustinus: *A draconibus incœpit, quia non majora animantia super terram*. Dicitur etiam malitia, unde: *Erit cubile draconum et pascua struthionum*. Per dracones malitia, per struthiones hypocrisis cunctis intuentibus imaginem designat. Struthio enim B speciem volandi habet, usum non habet, quia hypocrisis cunctis intuentibus de se imaginem sanctitatis insinuat, sed tenere vitam sanctitatis ignorat. In perversa igitur mente draco cubat et struthio pascitur, quia latens malitia callide tegitur et intuentium oculis simulatio bonitatis antefertur. Dicitur etiam diabolus, unde in Psalmo: *Super aspidem et basiliscum ambulabis, et conculcabis leonem et draconem*; et in Apoc.: *Factum est silentium in cœlo*, etc.; et in Isaia: *In cubilibus, in quibus prius habitabant dracones, orietur*, etc.; per calamum prædicator, per juncum, qui juxta aquæ humorem semper pascitur vel nascitur, pusilli ac teneri designantur auditores sacri eloquii, per dracones dæ- C monum malitia exprimitur. *In* draconum ergo *cubilibus calami et junci viror* oritur, quia in his populis quos antiqui hostis malitia possidebat, et doctorum scientia et auditorum obedientia coacervatur. Dicitur gentilis populus, unde: *Glorificabunt te bestiæ agri, dracones et struthiones*, et Judaicus populus et gentilis ad fidem conversi. Per dracones mentes malitiosæ in aperto exprimuntur, quæ per terram in infimis cogitationibus reputantur. Per struthiones hi qui se bonos simulant designantur, qui sanctitatis vitam quasi volatus pennam per speciem retinent, sed per opera non exercent. Glorificari itaque Dominus se a dracone vel struthione asserit, id est aperte malos et ficte bonos plerumque ad sua obsequia ex intima cogitatione con- D vertit. Dicitur etiam Antichristus, unde in Apoc.: *Draco movit caudam et traxit secum tertiam partem stellarum*, id est maximam partem sanctorum, quia tunc vix justus salvabitur. Et nisi Deus abbreviasset dies non fieret salva caro. Dicitur enim draco, quia quosdam alliciet per miracula occulte, quosdam manifeste minis et muneribus. Per draconem intelligitur Antichristus, per caudam extrema ejus persuasio, per stellas hypocritarum fictio designatur, qui bona quæ faciunt ad percipiendas laudes hominibus ostendunt. Per caudam ergo draconis tertia pars stellarum trahitur in terram, quia ex- A trema persuasione Antichristi quidam qui videbuntur lucere rapientur in terram. Stellas namque in terram trahere est eos qui videntur studio cœlestis vitæ inhærere, ex amore terreno iniquitate aperti erroris involvere. Nequissimi Judæorum principes dicuntur dracones, unde in Jerem.: *Onagri steterunt in rupibus, traxerunt ventos quasi dracones*. Per onagros vel dracones superbi Judæi intelliguntur, ipsi onagri pro mentis elatione, ipsi dracones pro lutulenta contagione vocati sunt; *hi steterunt in rupibus*, quia non in Deo sed in summis potestatibus hujus mundi confisi sunt, dicentes: *Non habemus regem nisi Cæsarem*, etc.

Dragma, mæ, proprie nomen ponderis, unde in Machab.: *Vir fortissimus Judas concionem fecit, etc.* Dragmatis est medietas dragmæ. *Didragmatis* est una dragma; *didragma, mæ*, est duplex dragma. Dicitur species cantus secundum quosdam, ut in antiph.: *Ante torum hujus Virginis frequentate nobis dulcia cantica dragmis*, ablativi casus, vel *dragmatis* genitivi casus. Sed verius est ut significet ibi dragma ponderationem cantus vel versuum, et dicitur ibi dragma componderatio metaphorice; quia sicut dragma ponderatur, ita versus ibi ponderantur, cum unus dicit unum et alius dicit alium, et erit sensus: Offerte dulcia cantica dragmis, id est componderationibus cantus; vel potest ibi notare componderationem modulationis. Sunt enim in musica componderationes symphoniarum et proportionum factæ juxta regulas musicæ quæ dicuntur axiomata. Dicitur interrogatio, unde dicitur dragmaticum loquendi genus. Sunt enim tria genera loquendi: didascalicon a *didascalo*, quod est *magister*, sic dictum quale in majori Donato et Lucidario et dialogo invenitur, ubi diabolus interrogat et magister respondet hermeneuticum, id est interpretativum, ab *Herme*, id est Mercurio, qui dictus est Hermes, quod est interpres sic dictum quale est in Evangelio, Christo parabolice loquente. Est et dragmaticum genus loquendi, id est interrogativum, quale in *Bucolicis* ut ibi: *Dic mihi, Damœta*; sed melius, ut dicatur ibi dragma componderatio, cum unus dicit unum versum et alius alium, ut patet in prædicto exemplo Virgilii et in Theodolo, ubi in persona Pseusti dicit quatuor versus, Alathiæ quatuor. Dicitur etiam pensum, unde in Luca: *Aut quæ mulier habens dragmas decem*. Dicitur angelica vel humana natura metaphorice, ut in eodem exemplo secundum aliam expositionem. Et dicitur ibi mulier Sapientia Dei; quæ fecit IX pensa, id est novem choros angelorum et humanam naturam quæ componderando fecit. Amisso vero uno penso, id est humana natura, accendit lucernam assumendo humanam naturam. Ante assumptionem enim Christus erat lux, post fuit lucerna, id est lux in testa, et evertit domum, id est potestatem diaboli vel Synagogam, vel quod melius est, id est Ecclesiam.

(54) Locus corruptus.

Dromedarius proprie camelus cursarius, dictus a *dromos* Græce, quod Latine *velox* dicitur. Sunt duo genera camelorum : unum quod deputatur oneribus ferendis, et aliud cursui faciendo, unde dicuntur dromones naves velocissimæ, et hippodromus, id est circulus equorum; unde legitur quod beatus Sebastianus fuit positus in hippodromo, id est in lata platea ubi equi circuibant.

Dulcis, proprie. Dicitur utilis, unde David : *Qui mecum dulces capiebas cibos.* Dicitur placens, unde David : *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua.* Dicitur misericors, unde David : *Dulcis et rectus Dominus.* Dicitur prosperum, unde Isaias : *Qui dicunt dulce amarum et amarum dulce.*

Dulia large accepta dicitur cultus Creatori debitus qui dicitur *latria* vel *theosebia*, id est pietas Christi; unde in Psalmo : *Benedictus Dominus Deus.* — *Dominus*, dicit Gloss., *cui debetur dulia, Deus cui debetur latria.* Et consistit in oratione, in corporis prostratione, in genuflexione, in oblatione, ut in decimis et primitiis, in speciali dilectione, in speciali timore. Theos enim dicitur *timens* vel *videns*, et secundum hoc potest intelligi :

Primus in orbe deos fecit timor;

videtur tamen velle Augustinus : *Latria debetur Christo, non tantum in eo quod est Deus, sed etiam in eo quod est homo, restringitur tamen ad significandum cultum Deo debitum secundum humanitatem qui similiter consistit in prædictis.* Stricte dicitur servitus quæ tantum debetur rationabili creaturæ, ut episcopis, prælatis et aliis, et secundum hoc dicitur a *doulon* quod est *servitus.* Et hæc est quasi positiva quam majoribus debemus, quæ consistit in dilectione, in servitio, in obedientia et hujusmodi. Media vel comparativa est quæ debetur angelicæ naturæ. Maxima vel superlativa est quæ debetur humanæ Christi naturæ.

Durus, proprie, dicitur horribilis, unde Isaias : *De terra horribili visio dura annuntiata est mihi.* Dicitur graviter percutiens, unde Isaias : *In die illa visitabit Dominus in gladio suo duro et grandi.* Dicitur obscurus vel non intelligibilis, unde in Evangelio : *Durus est sermo ille, quis potest eum audire?* Dicitur inflexibilis, unde in Exod. : *Vidi contentionem tuam et cervicem tuam durissimam.* Dicitur impossibile, unde in Act. apost. : *Durum est tibi contra stimulum calcitrare.*

Dux, proprie, apostolus; unde in Psalmo : *Principes Juda, duces eorum;* per principes Juda et Zabulon et Nephthalim intelliguntur apostoli, qui forsitan fuerunt ex his tribubus; et isti sunt duces eorum qui in ecclesiis benedicunt Deum. Dicitur auctor erroris, unde in persona Ecclesiæ ait Job : *Vocem suam cohibebant duces*, quia nimirum hæretici qui post se errantes populos trahere conabantur, nec loqui nunc perversa non audent, et auctoritatis frenantur pondere et rationis virtute. Dicitur principale vitium, unde Job de sancto viro sub equi appellatione dicit : *Procul odoratur bellum, exhortationem ducum, et ululatum exercitus.* Perpendit enim sanctus qua turba iniquitatum cor proruat, unde sequitur : *Exhortationem ducum et ululatum exercitus.* Tentantia quippe vitia quæ visibili prælio contra nos militant, alia more ducum præeunt, alia more exercitus subsequuntur. Dicitur Christus, unde in Psalmo : *Herodii domus dux est eorum;* herodius avis est rapacissima, omnium volatilium major, quæ etiam vincit. Per quam intelliguntur rapaces ; sed nec tales Dominus deserit; et est sensus : Quasi passeres nidificabunt in cedris, et eorum passerum *dux est domus herodii*, id est Christus qui est domus rapacissimorum ad fidem conversorum. Et nota ubi nos habemus *domus herodii*, alia littera habet *domus fulicæ.* Fulica est avis quæ in aquis habitat : hi sunt qui in gratia baptismi confidunt, quorum est domus baptismus; unde sic potest legi hæc littera : Qui sunt cedri, qui sunt passeres, illi qui baptizantur, et horum est fulicæ domus, id est baptismus, qui est domus regeneratorum, dux est eorum, scilicet passerum, id est Christianorum, videlicet ad cœlos ascendentium.

E

Ebur, proprie, castus sive castitas, unde in Psalmo : *Myrrha et gutta a domibus eburneis.* Dicitur aliquis de modernis Patribus ad sustinendum martyrium paratus vel martyrio expositus, unde de prædicatoribus Novi Testamenti legitur in Threnis : *Rubicundiores ebore antiquo*, quia magis parati ad martyrium vel expositi martyrio quam antiqui patres.

Ecce quandoque notat evidentiam, ut hic : *Ecce enim ex hoc.* Quandoque notat admirationem, ut in Evangelio : *Ecce mulier Chananæa a finibus regni.* Joannes Chrysostomus dicit evangelistam dixisse admirantem : *Ecce quam mirum!* Quandoque excitationem, unde Isaias : *Ecce virgo concipiet.* Scriptura etiam, ut ait Jeremias, omnes excitat quasi a somno audire prodigium : *Ecce virgo concipiet.*

Ecclesia est materialis locus in quem conveniunt fideles, unde : *Mulieres in ecclesiis taceant.* Dicitur etiam conventus fidelium, unde in Psalmo : *In medio Ecclesiæ laudabo te;* alibi : *In ecclesiis benedicite Domino.* Dicitur conventus malorum, unde David : *Odivi ecclesiam malignantium.* Dicitur prælatus ecclesiæ, unde in Evangelio : *Et si sic non acquieverit, dic ecclesiæ*, id est prælato vel superiori, etc.

Effundere, proprie. Notat filium luxuriæ, unde in benedictionibus Jacob : *Ruben, effusus es sicut aqua;* sicut enim aqua viliter effunditur, ita tu totus vili libidine *effusus es, quia ascendisti cubile patris tui.* Notat *parturire*, unde in Præfatione beatæ Virginis : *Huic mundo lumen æternum effudit*, id est parturivit Jesum Christum. Notat divinæ vindictæ inundationem, unde David : *Effunde iram tuam in gentes, quæ te non noverunt*, etc. Notat ardorem charitatis

in animam ponere, unde David : *Et effudi in te animam meam.*

Egredi, proprie. Notat etiam æternum egressum Filii a Patre, unde in Psalmo : *A summo cœlo egressio ejus*, et alibi in Michæa propheta : *Egressus ejus sicut a principio a diebus æternitatis.* Dicitur nasci, id est temporalis Filii egressio, unde Isaias : *Egredietur virga de radice Jesse*, etc. Notat præstationem auxilii, unde David : *Non egredieris, Deus, in virtutibus nostris*, quasi de prophetis auxilium præstabas in tribulatione, sed modo *non egredieris in virtutibus nostris*, id est non præstabis nobis auxilium a martyribus nostris. Notat transitum a contemplativa vita ad activam, unde Christus ad Ecclesiam, in Cant. : *Egredere, egredere, ut intueamur te*, id est, tu vir contemplative, qui lates in contemplatione, veni de sinu contemplationis ut appareat quomodo te exercebis in exercitio vitæ activæ, et hoc est *ut intueamur te*, et respondet in Cant. : *Lavi pedes meos, quomodo coinquinabo*, id est mundavi mentis affectiones, *quomodo coinquinabo* temporalia exercendo.

Emissarius dicitur hircus, unde in Veteri Testamento duo hirci decima die mensis Septembris adducebantur sacerdoti; quorum unus pro peccatooﬀerebatur, fronti vero alterius apponebatur charta continens populi peccata quæ populo credebantur esse dimissa. Per hircum emissarium divina Christi natura significatur, quæ in nullo læsa fuit; per illum qui immolabatur, humanitas intelligitur quæ passa fuit; unde in prosa magistri Joannis [Adami] :

Zyma vetus expurgetur,
. . . .
Hircus emissarius,
Et passer effugiunt.

Per passerem qui emittebatur divina Christi natura, per illum qui immolabatur natura humana intelligitur. Dicitur equus qui ponitur in equitio ad cognoscendas equas, unde de Judæis dicit Jeremias, quod sunt velut equi emissarii hinnientes in feminas. Dicuntur satellites vel etiam officiarii, qui etiam quæstionarii, quia in omnibus extorquent veritatem et tormentis homines cruciant. Dicuntur etiam litores a *lita, litæ*, quod est pœna, vel dicuntur lictores, a *lito, litas;* et apparitores, id est assistentes apparituris, id est pœnis, a *paritura, ræ*, quod est pœna; vel quia faciunt reos in curia apparere, unde in Samuele : *Præcepit Saul emissariis ut interficerent sacerdotes*, id est interfectores.

Emittere, proprie. Notat infusionem vel inspirationem Spiritus sancti, unde in Psalmo : *Emitte spiritum tuum, et creabuntur.* Notat Filii hominis incarnationem, unde Isaias : *Emitte agnum, Domine.* Notat bonum operari vel virtutum redolentiam et bonorum operum diversitatem; unde in Cant. : *Ecce emissiones tuæ paradisus*, dicit Christus, id est virtutes tuæ vel opera sunt delectabiles ut paradisus.

Energia, furor, unde et energumenus dicitur ar- A reptus a dæmonio, quasi interius laborans ex mentis defectu. *Epiphania* dicitur illa intelligentia quam habent superiores ordines angelorum, unde Joannes Scotus dividit theophaniam in epiphaniam, hyperphaniam, hypophaniam. *Est autem epiphania incalescentis affectionis altiorisque intellectus judiciique libera resultatio distributa;* per primam partem hujus descriptionis intelligimus seraphim, quod interpretatur *ardens;* per secundam cherubin, per tertiam thronos; resultatio dicitur quia sicut radii solares retro saliunt a clypeo, ita intellectus istorum ordinum retro videtur saltare cum notitiam de Deo plene habere non possit. Dicitur Antiochia, quæ primo dicta est Reblata, post Emath, unde Emathii campi, unde Lucanus : *Bella per Emathios;* B post Antiochia ab Antiocho Magno qui eam reparavit. Et dicitur Antiochia quasi contra ochis, *ochis* enim interpretatur *mare* vel *velox*, et inde oceanus mare; post Epiphania ab Antiocho Epiphane, qui dictus Epiphanes quasi superillustris. Dicitur etiam solemnitas apparitionis stellæ supra domum diversorii.

Equus, proprie. Dicitur præparatio rectæ intentionis, unde Job : *Equus paratus est in die belli, sed Dominus salutem tribuit*, quia contra tentationem se animus præparat, sed nisi adjuvetur desuper, salubriter non decertat. Dicitur prædicator, unde Habac. : *Misisti in mare equos tuos*, quia in mare hujus mundi missi sunt prædicatores sancti per quorum prædicationem C turbati sunt populi. Dicitur potentia terrena, unde in Psalmo : *Fallax equus ad salutem;* et alibi : *Dormitaverunt qui ascenderunt equos*, id est in mortem animæ mentem a veritatis luce clauserunt qui in præsentis vitæ honore confisi sunt. Dicitur honor terrenorum, unde David : *Hi in curribus, et hi in equis.* Dicitur peccator, unde Moyses : *Equum et ascensorem projecit*, id est peccatorem et diabolum. Dicitur sanctus, unde dicitur quod Judas aliquando fuit equus Christi dum bonus fuit. Dicitur etiam humanitas Christi, unde in Gen. : *Dan coluber in via, cerastes in semita, mordens ungulas equi*, id est humanam Christi naturam, *ut cadat ascensor ejus retro*, id est anima Christi separetur a corpore; et secundum (55) per Dan intelligitur Judas; Judas tamen D legitur fuisse de Issachar. Dicitur etiam corpus sancti, unde in Apoc. dicitur quod Agnum sequebantur sancti in equis albis; et certe in equis albis sancti sedere referuntur, quia eorum corpora luce justitiæ et castimoniæ candore claruerunt. Dicitur superbus, unde in Psalmo : *Nolite fieri sicut equus et mulus*, id est superbi et stolidi.

Ericius vel *erinacius* dicitur *cuniculus* secundum quosdam, qui alio nomine dicitur *cyrogrillus.* Dicitur etiam *cuniculus*, quia vadit per cuniculos, id est per meatus subterraneos. Sed verius est ut dicatur *ericius.* Est enim ericius animal spinosum, unde legitur in Passione beati Sebastiani quod beatus Sebastianus coopertus erat sagittis sicut *ericius* spinis.

(55) An *secundum aliam intelligentiam*, ut sæpe alibi?

Dicitur peccator spinis peccatorum obsitus, unde Psalmista : *Petra refugium erinaciis*, id est Christus malis, etc.

Eruca, vermis, ab *eruo, is*, quia flores herbarum eruit. Dicitur radix cujusdam herbæ esibilis. Dicitur luxuria, unde in Joele : *Residuum erucæ comedit locusta*. Et dicitur eruca luxuria, quia sicut eruca terræ insidet, ita luxuria carni adhæret.

Esca, proprie. Dicuntur sancti esca, unde in Job de Behemoth legitur, id est de diabolo, quod delicatas quærit, id est sanctos vult sibi incorporari; et alibi David : *Qui devorant plebem meam sicut escam panis*. Dicuntur necessaria, unde in Psalmo : *Qui dat escam omni carni*. Dicitur verbum divinum, unde in Psalmo : *Qui dat jumentis escam ipsorum*, id est simplicibus pabulum verbi divini. Dicitur benignitas divina quam exhibet Deus omnibus, unde David : *Oculi omnium in te sperant, et tu das escam ipsorum*.

Et quandoque copulat sine distributione, ut : *Et Pater et Filius et Spiritus sanctus*. Quandoque cum distributione, ut *Socrates, et Plato currit*. Est enim *et* terminorum copulatio et rei distributio. Quandoque ponitur causaliter, unde in Psalmo : *Comparatus est jumentis insipientibus*, quia *factus est similis illis*. Quandoque copulat naturas, unde : *Christus Deus est et homo, et Socrates est justus et bonus*. Quandoque tenetur expositive, unde Marcus et Tullius; et in Psalmo : *Judica me, Deus, et*, id est, *discerne*. Quandoque copulat prolatum cogitationi, ut in principio Ezechielis : *Et factum est*; et in Psalmo : *Et scitote quoniam mirificavit Dominus sanctum suum*. Cum ibi sit diapsalma, non continuatur præmisso, sed potius ei quod Psalmista revelaverat in mente de Christo. Quandoque notat diversitatem personarum, ut in Evangelio : *Qui videt me videt et Patrem*; quod ponitur ad signandum unitatem essentiæ et ad probandum pluralitatem personæ, quia si diceretur : *Qui videt me videt Patrem meum*, videretur eadem persona Patris et Filii, sicut de Deo : *Qui videt me videt Filium*; quandoque effectum rei, ut : *Deus est justus et bonus*, id est efficiens causa justitiæ et bonitatis, etc. Quandoque causam cum effectu, ut : *Misericors natura et miserator effectu*, vel potest teneri distributive et repetetur sic : *Et misericors et miserator*. Quandoque notat diversos usus, unde Paulus : *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei!* Sapientia dicitur propter cœlestia quæ sunt ejus notitiæ subjecta; scientia propter terrena. Sapientia et scientia idem de Deo prædicantur. Quandoque notat vocabula et non vocabulorum significationes, unde Boetius in lib. *De Trinit.* : *Marcus et Tullius sunt idem numero*, eadem ratione posset dici : *Marcus est idem Tullio*, vel *est fortior Tullio*, sed incongrue dicetur : *Marcus est idem Marco*, vel *est fortior Marco*.

Euge quandoque notat irrisionem, quandoque testatur adulationem, ut in hoc exemplo potest notari : *Confundantur omnes qui dicunt mihi : Euge, euge*; primum *euge* est irrisorium, secundum vero adulatorium. Quandoque significat congratulationem, ut in Evangelio : *Euge, serve bone et fidelis*. Quandoque notat exhortationem ut : *Euge quod facite*.

Evellere proprie *extrahere*. Significat peccata destruere, unde Isaias : *Ut evellas et destruas, et disperdas, et dissipes, et ædifices, et plantes*.

Ex quandoque notat causam materialem, unde : *Quod natum est ex carne caro est*; Paulus : *Factum ex muliere*; et in Symbolo : *Natus ex Maria virgine*. Notat causam efficientem, unde : *Ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia*, ipse est efficiens causa. Notat originem, unde : *O sapientia, quæ ex ore Altissimi prodisti!* et in Symbolo : *Qui ex Patre Filioque procedit*. Notat causam formalem, unde Paulus : *Justus ex fide vivit*, id est justificatus ex fide vivit, scilicet vita æterna; fides est causa formalis suæ justificationis. Notat causam instrumentalem, unde dicitur : *Ex veneno huic dato imminet huic mors*. Notat causam occasionalem, unde Apostolus : *Periculis ex genere*; Judæi enim, ex quorum genere, fuerunt occasio periculorum. Notat remotionem vel separationem rei abs re, unde David : *Ex usuris et iniquitate redimet animas eorum*. Notat transitum rei, unde : *Inclinavit ex hoc in hoc*. Notat statum immutationis alicujus rei, unde in Actibus apostolorum : *Factus est ex Saulo Paulus*. Notat partes constitutionis, unde in Symbolo Athanasii : *Perfectus Deus, perfectus homo ex anima rationali*, etc., id est divina et humana natura constituit Christum. Notat convenientiam vel exigentiam aliquorum in unum, unde Christus constat ex tribus substantiis, id est divina natura, corpore et anima, id est tres substantiæ conveniunt ad hoc ut sit Christus; divina natura non erat pars Christi, sed Christus. Nullum enim totum est sua pars. Similiter nec humana natura. Alioquin, ut dicit Augustinus : *Christus crevit cum ei accessit humana natura*. Simile habemus in Porphyrio, ubi dicit quod statua constat ex materia et forma; non enim materia et forma sunt partes constitutivæ statuæ, sed exiguntur ad ejus esse; æs enim est materia statuæ et ipsa statua.

Excludere, proprie, *manifestare*, unde David : *Excludas eos qui probati sunt argento*, id est manifestes doctores qui probati sunt eloquio sacræ Scripturæ, quod fit tempore hæreticorum, quia tunc manifestantur boni clerici; per argentum eloquium intelligitur, juxta illud Psalmistæ : *Eloquia Domini, eloquia casta, argentum igne examinatum*. Nota igitur quod ponitur *excludere* pro *manifestare*, quia per aliquarum rerum exclusionem manifestantur illa quæ prius in materia latebant, et inde dicuntur exclusores aurifabri, proprie illi qui imagines in lignis vel lapidibus per artificiosam subtractionem sculpant.

Excutere, proprie. Signat a veniali peccato abstinere vel cavere, unde in Evangelio : *Excutite pulverem de pedibus vestris*, id est in prædicatione vestra debetis cavere a vana gloria. *Aliqui sunt qui*

vanam gloriam non appetunt, sed nulli sunt qui oblatam respuant, ut ait Hieronymus; et alibi: *Hoc solum gloriosum retinet sibi humana gloria ut appetitores suos contemnat et appetat contemptores;* unde apostoli dicuntur excussores vel filii excussorum, id est prophetarum, qui erant pleni sacri frumenti, id est intelligentia spirituali, qui prædicatione apostolorum aperti sunt et excussi: hi apostoli aperuerunt spiritualem intelligentiam prophetarum quæ in prophetis latebat.

Exire, proprie. Notat æternam Filii generationem, unde in Evangelio: *Exiit, qui seminat, seminare semen suum*, id est Filius Dei assumpsit humanam naturam ut seminaret divinam doctrinam, unde in Michæa: *Et tu Bethlehem, terra Juda; ex te enim exiet dux.* Notat divulgationem verbi, unde in Evangelio: *Exiit sermo inter fratres*, id est sermo divulgatus est; et alibi: *Exitum mortis;* et in Prisciano: *Exivit hominem.* Notat *liberare*, unde in Evangelio: *Projicite eum in tenebras exteriores* et non exeat inde, id est non liberetur. Signat transire de quiete ad laborem, unde Psalmista: *Exibit homo ad opus suum.*

Expellere, proprie. Notat *ducere* sive inundantiam charitatis, unde in Marco: *Tunc expulsus est Jesus in desertum a spiritu*, id est nimio affectu charitatis se tentari permisit. Et notat ibi expulsus, id est a A consortio hominum, expulsionem et furorem propriæ charitatis.

Exponere significat *manifestare*, unde in Evangelio: *Expone nobis parabolam hanc.* Notat *publicare*, unde dicitur: *Meretrix exponebat se omnibus.* Notat *exhibere*, unde dicitur: *Iste exponit equum suum venalem*, id est exhibet venalem.

Exsurgere, proprie. Dicitur Deus a mortuis resuscitari, unde in Psalmo: *Ego dormivi, et somnum cepi, et exsurrexi;* et alibi: *Exsurrexi et Dominus suscepit me.* Deus dicitur exsurgere quando fidem tepescentem in homine excitat. Deus dicitur dormire quando fides ejus tepescit in nobis, unde in Psalmo: *Exsurge, quare obdormis, Domine.* Deus dicitur exsurgere, patrocinium alicui conferendo, unde David: *Exsurge in adjutorium mihi.* Dicitur Deus auxilium per vindictam ferre, unde David: *Exsurge, Deus, et dissipentur inimici ejus.*

Extra aliquando notat locum, aliquando notat immensitatem, ut cum dicitur de Deo: *Inter cuncta non inclusus, extra cuncta non inclusus.* Aliquando ponitur exclusive, unde in Joanne: *Extra Synagogam facient vos.* Aliquando notat separationem animæ a corpore, ut cum dicitur: *Anima extra suum corpus*, id est a suo corpore separata est. Aliquando notat mentis alienationem, ut cum dicitur: *Iste est extra se*, id est *Der ist nit pei im selber.*

F

Fabula, proprie, et dicitur ab *olon*, quod est *totum*, et *for, faris*, quia narratio falsorum tota est in verbo et non in facto; unde dicit Apostolus ad Timotheum: *Aniles fabulas devita.* Dicitur etiam historia, unde in Joanne apostolo dicitur: *Audi fabulam et non fabulam.*

Facere dicitur Deus ratione prædestinationis, unde David: *Qui fecit cœlos in intellectu.* Dicitur facere ratione operationis, unde in Genes.: *Vidit Deus cuncta quæ fecerat.* Dicitur ratione locutionis, unde: *Et factum est verbum Domini ad me*, id est prophetæ locutus est, etc. Dicitur ratione permissionis, unde Amos: *Non est malum in civitate quod Deus non faciat*, etc. Homo dicitur facere ratione cogitationis, unde Dominus ad Judam: *Quod facis, fac citius*, id est quod facere intendis. Homo dicitur facere etiam ratione locutionis, unde: *Noli facere verbum super hoc*, id est non loquaris super hoc. Ratione operationis, unde Psalmista: *Hæc fecisti et tacui*, etc

Facies, proprie. Dicitur mentis intentio; unde legitur in Job: *Operuit faciem ejus crassitudo*, quia facies honorabilior pars corporis est; per faciem mentis intentio significatur, per crassitudinem abundantia. Faciem ergo crassitudo operit cum desiderata terrenorum abundantia oculos mentis premit. Dicitur etiam sanctus prælatus, unde in persona Ecclesiæ ait: *Facies mea intumuit a fletu.* C Facies Ecclesiæ sunt hi qui aliis prælati peccata infirmorum plangunt, et hoc est: *Facies mea intumuit a fletu.* Dicitur etiam cogitatio diaboli, unde Job: *Faciem ejus præcedat egestas.* Egestas dicitur carentia æternæ beatitudinis vel virtutum. Faciem ergo diaboli præcedit egestas, quia nemo cogitatione diabolo per expergentiam jungitur nisi prius virtutum divitiis denudetur. Dicitur etiam Filius Dei, quia facies Patris sive voluntas in Filio demonstratur; unde in Malachia: *Ecce ego mittam angelum meum ante faciem meam*, id est Joannem Baptistam ante Filium meum. Dicitur familiaritas, unde in Exodo Deus locutus est ad Moysen facie ad faciem, id est familiariter cum eo loquebatur. Dicitur manifestatio, unde Apostolus: *Videbimus eum facie ad faciem*, id D est manifeste. Dicitur divina propitiatio, unde David: *Quare avertis faciem tuam a me?* Dicitur alias simillimus Deo, unde in Exodo Moyses ad Dominum dixit: *Ostende mihi faciem tuam;* et Dominus respondit: *Non videbit me homo et vivet*, etc.; et Moyses: *Facies tua nos præcedat*, id est aliquis simillimus tibi, scilicet angelus. Dicitur præsentia, unde diabolus de Job: *Nisi in facie tua benedixerit tibi;* et alibi: *Tunc videbis quod in facie benedicat tibi*, id est in præsentia, etc. Dicitur cor humanum, unde in Gen.: *Et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ;* ibi enim per faciem totum corpus intelligitur, secundum figuram quæ dicitur synodo-

che (*sic*). Dicitur etiam animadversio, unde in Psalmo. *Avertit faciem suam ne videat in finem;* et alibi: *Averte faciem tuam a peccatis meis*, etc.

Factum, proprie. Dicitur incarnatum, unde in Evangelio: *Videamus hoc verbum quod factum est;* et in Joanne: *Verbum caro factum est*, etc. Dicitur inspiratum, unde in Luca: *Factum est verbum Domini super Joannem.* Dicitur præfatum, unde Deus dicitur creare quæ facta, id est quæ ab eo prædestinata vel ordinata sint, etc.

Facula, proprie. Dicitur diabolus; unde in Apoc.: *Et cecidit de cœlo stella magna ardens tanquam facula.* Diabolus dicitur stella propter sui originem et naturæ subtilitatem, quæ cecidit de cœlo per superbiam; et est ardens per invidiam et malitiam ut facula, quia alios incendit ad nequitiam et opera iniquitatis.

Fæx proprie. Dicuntur fæx cærimonialia legis, unde in Psalmo: *Et inclinavit ex hoc in hoc, verumtamen fæx ejus non est exinanita.* Dicitur etiam mortale peccatum vel pœna æterna quæ non est exinanita a Judæis; unde Origenes super illum locum in Glos.: *Verumtamen fæx ejus*, id est pœna pro peccato. Dicitur carnalis concupiscentia, unde in Psalmo: *De lacu miseriæ et de luto fæcis.*

Falx, proprie. Dicitur ligatio vel solutio; unde: *Nemo debet dimittere falcem in manu alterius*, id est non licet alicui ligare vel solvere alterius parochianum. Dicitur judiciaria potestas, unde in Apoc.: *Et habebat in manu ejus*, in potestatem suæ dispositionis, *falcem*, id est judiciariam potestatem; *acutam*, id est amputare paratam, id est separare bonos a malis, etc. Dicitur dies mortis vel dies judicii, unde Isaias: *Conflabunt gladios suos in vomeres, et lanceas suas in falces;* quia tunc cessabunt rebelliones ad hoc ut habeamus fructum in die judicii, quando erit tempus messionis, quia secamus falce, etc.

Fama, proprie, laus; unde legitur: *Crudelis est qui famam negligit.* Dicitur omnis divulgatio. Philosophus in libro septimo *Ethic.*: *Fama quam omnes famant in toto non perditur.*

Fames, proprie. Dicitur angelus famis, unde in propheta: *Mittam famem in terram eorum*, id est angelum qui deputatur huic. Dicitur desiderium convertendi aliquos, unde in Psalmo: *Famem patientur ut canes*, id est desiderium convertendi habebunt.

Familia, proprie. Dicitur etiam fidelis populus suo prælato subjectus; unde in Evangelio: *Quis, putas, est fidelis servus, et prudens, quem constituit dominus suus super familiam suam?* Dicitur gentilis populus, unde in Psalmo: *Et adorabunt in conspectu ejus universæ familiæ gentium.*

Farina, proprie. Dicitur fides, vel anima, vel populus propter multitudinem; unde in Evangelio: *Simile est regnum cœlorum fermento quod acceptum mulier abscondit in farinæ satis tribus.* Satum est genus mensuræ modium unum et dimidium continens. Est ergo sensus: Similis est Ecclesia doctrinæ quam ipsa abscondit in fide Patris et Filii et Spiritus sancti, vel in tribus satis farinæ, id est in tribus potentiis animæ, vel in hominibus ex tribus filiis Noe, vel in tribus ordinibus Ecclesiæ, scilicet, virginum, conjugatorum, continentium.

Fasciculus, proprie, congeries plurium. Dicitur Christus, unde: *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi*, id est dilectus meus, dicit Ecclesia, fasciculus myrrhæ mihi fuit, id est ad utilitatem meam Christus sustinuit amaritudinem passionis. Dicuntur mali coadunati in pœna, sicut coadunati fuerunt in culpa; unde in Evangelio legitur quod angeli colligent zizania per fasciculos ad comburendum, id est malos ad puniendum, etc. Dicitur conventus bonorum in patria, unde David, in lib. Regum, cum vellet occidere Nabal, virum stultum, occurrit uxor ejus ei, scilicet Abigail, et procidens adoravit eum, dicens: *Domine, parce viro, ut sit anima tua custodita quasi in fasciculo viventium*, id est sis in congregatione istorum qui vivunt, id est semper virent, sicut fasciculi vitium in aquam mittuntur ut perpetuum habeant virorem.

Fascinare, proprie, verbo vel visu alicui nocere, unde Virgilius:

Nescio quis teneros oculus mihi fascinat agnos.

Dicitur *decipere*, unde Apostolus: *O insensati Galatæ, quis vos fascinavit veritati non obedire?* id est decepit. Significat *invidere*, unde secundum aliam expositionem: *Quis vos fascinavit?* id est quis pseudopropheta vobis invidit?

Fatum dicitur temporalium rerum series secundum divinam Providentiam procedens, unde Boetius, in lib. *De consol. philos.*, distinguit inter providentiam et fatum. Dicitur divina providentia, unde Statius:

Parcarum prænosce manus fatumque quod ultra est.

Solet etiam dici generatio essendi, continuatio, corruptio; unde apud auctores tria assignantur fata: *Clotho*, *Lachesis*, *Atropos.*

Fauces, proprie. Dicitur etiam mens humana sive cogitatio, unde in Psalmo: *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua!* Dicuntur apostoli, quia per ipsos, tanquam per fauces, emittit Christus vocem suam in universum mundum; unde in Psalmo: *Raucæ factæ sunt fauces meæ*, id est apostoli in passione in fide defecerunt. Dicitur mortis devoratio, unde: *Eripuit nos de faucibus mortis.* Dicuntur etiam prærupta montium, unde: *Jonathas descendebat per fauces montium*, id est per prærupta montium, *contra Philisthæos.*

Favilla, proprie, fragile; ut: *Et erit fortitudo vestra ut favilla*, id est fragilis. Dicitur vile, unde Job: *Et assimilatus sum favillæ et cineri.* Dicitur annihilatum vel annihilatio, unde: *Fit radix eorum quasi favilla*, id est intentio eorum annihilabitur vel erit inutilis.

Favus proprie mel in cera. Dicitur pagina Veteris Testamenti quod in se, quasi mel, doctrinam evangelicam continebat; unde in Cant.: *Comedi fa-*

vum meum cum melle meo, id est scientiam Veteris Testamenti, quæ per favum; et scientiam Novi Testamenti, quæ per mel intelligitur, mente incorporavi. Dicitur aliquid desiderabilius in mundo, ut in Psalmo: *Desiderabilia super aurum*, etc., *et dulciora super mel et favum*. Dicitur divinum eloquium, unde in Cant.: *Favus distillans labia tua*, quod de Ecclesia dicitur. Dicitur resurrectio Christi, propter illam ineffabilem delectationem et gaudium, quod habuit Christus in resurrectione; unde secundum aliam expositionem: *Bibi vinum meum cum lacte meo*, id est resurrectionem; unde etiam dicitur Christus comedisse favum mellis post resurrectionem.

Fel, proprie. Dicitur amaritudo mentis vel malitia quam obtulerunt Christo pro esca; unde David: *Et dederunt in escam meam fel*. Dicitur tribulatio, unde Christus: *Et circumdedit me felle et labore*.

Femur, proprie. Dicitur carnis infirmitas; unde in Cant.: *Lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt*, etc., *super femur suum*, id est super carnis infirmitatem. Dicitur etiam humana natura, unde in Psalmo: *Accingere gladio tuo super femur tuum, potentissime*, id est deitate super humanitatem. Dicitur Christus, unde in Genes.: *Abraham dixit servo suo: Pone manum tuam sub femore meo*, id est jura super illum qui descensurus est de femore meo. Dicitur propagatio carnis, unde de Domino dicitur in Apoc.: *Qui habet in vestimento et in femore suo scriptum: Rex regum et Dominus dominantium*. Quia ergo propagatio generis humani venit in mundum ex virgine, id est per incarnationis suæ mysterium, quia rex esset et Dominus, cunctis gentibus indicavit; *in vestimento*, id est in carne, *et in femore scriptum* habuit: *Rex regum et Dominus dominantium*.

Fenestra, proprie. Dicuntur quinque sensus corporis; unde Jeremias: *Mors intravit per fenestras*. Quinque enim sensus sunt occasio mortaliter peccandi. Dicuntur sententiæ apertæ sacræ Scripturæ, sicut cancelli dicuntur obscuræ; unde in Cant.: *Dilectus meus stat post parietem, respiciens per fenestras*, id est per loca manifesta sacræ Scripturæ; *prospiciens per cancellos*, id est per obscura loca sacræ Scripturæ, quia Deus respicit nos per apertas et obscuras Scripturas. Dicuntur virtutes, unde Isaias: *Qui sunt hi qui ut nubes volant*, id est apostoli quorum prædicatio ubique diffusa est; *et quasi columbæ ad fenestras suas*, id est in virtutibus perseverantes. Notat prælatos sanctæ Ecclesiæ, unde Ezechiel, revelatione ultima, templum videns dixit: *Terra usque ad fenestras et fenestræ clausæ in hoc templo*, scilicet in Ecclesia. Fenestræ sunt sacerdotes qui in populo fidelium lumen prædicationis fundunt; sed cum *terra usque ad fenestras et fenestræ clausæ sunt*, quia cum terrena cogitatio sacerdotum cordibus excrescit, fenestræ lumen non fundunt, quia sacerdotes ab officio prædicationis obmutescunt. Dicitur mens contemplativa, unde in Ezech.: *Fenestras obliquas in thalamis*, per quas corda Dei amore ferventia intelligunt. In [fenestris] autem obliquis pars illa per quam lumen intrat angusta est, sed pars interior quæ lumen suscipit ampla; quia nimirum mentes contemplativorum quamvis aliquid tenue de vero lumine videant in semetipsis, tamen in magna amplitudine dilatantur. Etiam dicitur beata Virgo, unde in hymno: *Cœli fenestra facta es*.

Fenum, proprie. Dicitur etiam natura humana propter sui corruptionem; quia, sicut fenum modo floret, modo effloret, et nunc in clibanum mittitur: ita humana natura modo floret per juventutem, modo effloret per senectutem, modo elevatur in prosperis, modo deprimitur in adversis; unde Isaias: *Omnis caro fenum*. Dicitur veniale peccatum, unde: *Quidam ædificant lignum, fenum et stipulam*. Ædificant fenum, id est faciunt veniale peccatum minus; alii lignum, id est majus veniale. Dicitur terrenum bonum, unde David: *Qui producit in montibus fenum*, id est principibus bonum terrenum. Dicitur terrenus honor, unde in Psalmo: *Fiant sicut fenum tectorum*. Dicitur debilis, unde in Apoc.: *Et præcepit illis ne læderent fenum terræ;* hic per fenum sacræ Scripturæ designantur debiles, qui non possunt cibum solidum capere.

Fera, proprie. Dicitur etiam hæreticus; unde in Psalmo: *Increpa feras arundinis*. Etiam dicitur indomitus populus, id est gentilis; unde in Psalmo: *Quoniam meæ sunt omnes feræ silvarum*.

Ferculum proprie. Potest dici tribunal quod fertur de loco ad locum, vel lectus, secundum quam significationem exponitur ad litteram quod legitur in Cant.: *Ferculum fecit sibi Salomon de lignis Libani*.

Fermentum, proprie. Etiam dicitur peccatum; unde Paulus: *Non fermento veteri*. Etiam dicitur prava suggestio et modica, unde in Evangelio: *Modicum fermentum totam massam corrumpit*, modica et prava persuasio, vel suggestio, totum gregem fidelium corrumpit. Dicitur publicus fornicator, unde Apostolus: *Expurgate vetus fermentum*. Etiam dicitur hypocrisis, unde in Evangelio: *Attendite a fermento Pharisæorum, quod est hypocrisis*. Dicitur charitas, unde legitur quod *mulier miscuit fermentum in farinæ satis tribus, donec fermentaretur totum*. Sicut enim fermentum totam massam cui adjungitur sua ariditate in sui naturam convertit, ita charitas sui fervore opera bona consolidat, et totum hominem accendit, et ad amorem Dei invitat.

Ferramenta, proprie. Etiam dicuntur minora Domini flagella; unde legitur de ædificatione templi Salomonis: *Malleus et securis et omne ferramentum non sunt audita in domo Domini cum ædificaretur*. Per domum illam sancta Ecclesia designatur quam Dominus habitat in cœlestibus, ad cujus ædificationem electorum animæ, quasi quidam expoliti lapides, deferuntur; qui, cum ædificantur in cœlis, nulli ictus audiuntur, quia in æterna patria omnes persecutionum strepitus conticescunt. Nequaquam ibi malleus percutit, quia nulla animadversio affligitur;

non securis incidit, quia receptos interius nulla foris severitatis sententia projicit; non ferramenta perstrepunt, quia ultra quælibet minima flagella non sentiuntur.

Ferre proprie *auferre*, unde in Evangelio Maria Magdalena dixit : *Tulerunt Dominum meum*, id est abstulerunt. Dicitur *conferre*, unde Apostolus : *Beatus vir cui Dominus accepto fert justitiam*, id est confert. Notatur *dicere*, unde dicitur : *Istud ferebatur inter eos*, id est dicebatur. Notat *cupere*, unde Ovidius in primo libro *Metamorphoseos :*

In nova fert animus mutatas dicere formas,

id est cupiebat vel cupit. Notat *sustinere*, unde Jacob. : *Beatus vir qui suffert tentationem.*

Ferrum, proprie. Dicitur bona consolatio ; unde Salomon in Parabolis : *Ferrum ferro exacuitur*, quia, dum se invicem consolando fideles instruunt, *ferrum ferro exacuitur.* Dicitur ille qui non derelinquit malitiam suam, unde Isaias : *Domus Israel versa est in scoriam ; omnes hi quasi æs, ferrum, stannum et plumbum in medio fornacis. Æs* quippe, dum percutitur, amplius cæteris metallis sonitum reddit; qui ergo in percussione positus erumpit ad sonitum murmurationis, in æs versus est in medio fornacis. Stannum vero, cum ex arte componitur, argenti speciem mentitur; qui ergo simulationis vitio non caret in tribulatione, stannum factus est in fornace. Ferro autem utitur qui vitæ proximi insidiatur; itaque in fornace est, qui nocendi malitiam non amittit in tribulatione. Plumbum quoque cæteris metallis est gravius; in fornace ergo illius plumbum invenitur qui sic peccati sui pondere premitur, ut etiam in tribulatione positus a terrenis desideriis non levetur, etc. Ferrum dicuntur etiam prædicatores sive eloquium divinum, unde in Job : *Reputabit ferrum quasi paleas et quasi lignum putridum æs*, id est, diabolus decipiens homines per Antichristum, *reputabit ferrum*, id est prædicatores, *quasi paleas et quasi lignum putridum æs*, id est perseverantes. Dicitur etiam soliditas hominis conversi ad fidem, unde Job : *Ferrum de terra tollitur*, etc., scilicet quia infirmus et despectus prius fuerat per terrena negotia, fortis postmodum factus est ad cœlestia prædicamenta. Dicitur mortale peccatum, unde Apostolus : *Quidam super fundamentum fundant aurum, alii argentum, alii lapides pretiosos, alii ferrum et plumbum*, id est mortale peccatum. Dicitur inflexibilitas mentis vel bonæ intentionis, unde Ezechiel : *Pone faciem tuam ferream et frontem tuam durissimam*, id est bonam intentionem tuam inflexibilem.

Fescenniæ, cantus nutricum quibus invitant parvulos ad somnum, et dicuntur fescenniæ a *fascia*, fascia enim dicitur ligamentum illud quo; ligatur puer in cunis. Dicuntur etiam illi cantus quos cantaverunt angeli in nativitate Christi, dicentes : *Gloria in excelsis Deo*, unde Hieronymus ait, quod angeli pro fescenniis cantaverunt.

Feta proprie dicitur ovis. Dicitur etiam prædicator, qui alios parturit ad fidem sua prædicatione; unde dicitur : *Fetas ipse portabit.*

Fetere proprie, unde de Lazaro dictum est Christo: *Ecce jam fetet, quatriduanus est enim.* Notat *vilescere*, unde in Exodo filii Israel ad Moysen : *Judicet Dominus inter nos et vos, quia fetere nos fecisti*, id est vilescere in conspectu Pharaonis. Dicitur manifestum esse, unde communiter peccatum quod est in consuetudine et manifestum dicitur fetere, etc.

Ficus, proprie. Dicitur hæreticus sive mali Christiani ; unde in Jeremia : *Quid tu vides, Jeremia? Ficus malas valde ego video.* Dicitur humana natura, unde in Evangelio : *Quidam plantavit arborem fici in vinea sua :* hæc arbor humanam naturam significat, quæ plantata est sicut ficus; sed in culpa propria sponte lapsa fructum non servat operationis; ad peccatum ex voluntate corruendum, fructum obedientiæ ferre noluit quæ ad similitudinem Dei condita, dum in sua dignitate non perstitit, ad quod plantata fuerit servare contempsit. Dicitur mens humana, unde propheta : *Posuit vineam in desertum, et ficum decorticavit ;* insidiantibus spiritibus Dei vinea in desertum ponitur, cum plena fructibus anima humanæ laudis cupiditate dissipatur ; ficum dirigens decorticavit, quia seductam mentem in favoris appetitum rapiens tegmen humilitatis tollit. Dicitur bona operatio, unde in Evangelio : *Nunquid colligetis in spinis uvas aut de tribulis ficus?* id est creditis bona opera in malis invenire, et econverso. Dicitur Synagoga, unde in Evangelio : *Homo quidam plantavit ficum in vinea, nec fructum fecit;* Synagoga sterilis fuit fructu bonorum operum, unde Christus maledixit ficui non habenti fructum. Dicitur primitiva Ecclesia, unde in Cant. : *Ficus protulit grossos suos*, id est Ecclesia primitiva apostolos.

Fidelis dicitur verax in promissis, unde Apostolus : *Fidelis Deus qui non permittit vos tentari.* Dicitur etiam verax in commissis, unde in Evangelio : *Quis, putas, est fidelis servus?* Dicitur aliquis fidelis fide sacramenti, unde Christiani dicuntur esse fideles. Dicitur aliquis fidelis a sacramento fidei, ut puer baptizatus dicitur fidelis.

Fides, proprie. Dicitur etiam virtus operans per dilectionem, unde Paulus : *Tria sunt : Fides, spes et charitas.* Dicitur gratia, unde in Habac. : *Justus ex fide vivit*, ex gratia Dei justificabitur, et sic æternaliter vivet. Dicitur informis qualitas quam habent falsi Christiani, unde Apostolus : *Si habuero omnem fidem ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum.* Dicitur motus fidei, unde Theologus : *Fides est credere quod non vides.* Dicitur subjectum fidei, unde Apostolus : *Christus est fides nostra.* Dicitur collectio articulorum fidei, unde Athanasius : *Quicunque vult*, etc., *teneat catholicam fidem.* Dicitur scientia, unde Cor. : *Fides*, id est scientia, *non habet meritum cui humana ratio præbet experimentum.* Dicitur fidelitas, unde : *Sedecias fidem*, id est fide-

litatem, *fregit Nabuchodonosor*. Dicitur sponsio certi voti, unde in sacramentis parvulus baptizatur in fide paternorum, quia ipsi spondent pro eo quod ipse credet cum venerit ad annos discretionis, et paterni tenentur ipsum instruere. Dicitur certitudo, unde : *Fac mihi fidem*, id est certitudinem.

Fieri dicitur aliud apud Deum ratione intelligentiæ; unde in Gen. : *Fiat firmamentum*, id est in mente divina fuit præordinatum ab æterno de firmamento creando; et alibi : *Fiat lux*, id est Deus ab æterno præordinavit de luce futura. Dicitur fieri ratione materiæ, in Gen. : *Fiat firmamentum et factum est firmamentum*. Dicitur fieri ratione essentiæ, unde in Gen. : *Et facta est lux*, scilicet in essentia. Fieri etiam dicitur Deus dupliciter ratione humanæ naturæ, unde Paulus : *Qui factus est ei ex semine David*. Dicitur fieri ratione misericordiæ, unde in Psalmo : *Domine, refugium factus es;* et tunc potius notatur aliud fieri in creatura quam in Creatore.

Figulus proprie dicitur, ut in Jerem. : *Vade in domum figuli*. Dicitur etiam Christus, quia, sicut figulus suo labore facit ollam de limo, ita Christus sua passione nos redemit a peccato; unde in Psalmo : *Reges eos in virga ferrea, tanquam vas figuli confringes eos;* et alibi : *Nunquid olla poterit conqueri adversus manum figuli?* etc.

Figura, proprie qualitas quæ attenditur ex lineamentorum dispositione; unde in Daniele legitur quod reddita est figura Nabuchodonosor; non quod prius habuerit formam bovis, consequenter hominis, secundum ipsius opinionem. Hoc dictum est quia tempore suæ mutationis credebat se esse bovem in parte leonem. Dicitur etiam signum, unde dicitur de filiis Israel, quod *omnia in figura contingebant eis*. Figura dicitur Filius Dei, unde Apostolus : *Qui cum sit splendor gloriæ et figura substantiæ ejus*.

Filius, proprie. Dicitur etiam putationis vel opinionis, unde in Luca : *Jesus erat incipiens quasi annorum triginta, et putabatur filius Joseph*. Dicitur cognationis, unde in Evangelio : *Invenimus Jesum filium Joseph a Nazareth*, id est de cognatione. Dicitur legalis, unde in Evangelio Jacob est filius Mathan. Etiam dicitur filius legitimus, ut in Veteri Testamento Joseph, et dicitur legitimus quasi de legitimo matrimonio natus. Etiam dicitur adoptionis, unde in Evangelio Nathan filius dictus est David. Dicitur filius naturalis, unde in Gen. Phares et Zara dicuntur filii Judæ. Dicitur filius educationis, ut Abraham qui dictus est filius Aram patris uxoris suæ, quia eum educavit; unde in Gen. Abraham dixit : *Soror mea et filia patris mei*. Dicitur filius ratione pravæ operationis, unde in Psalmo : *Saturati sunt filiis suis*, id est pravis operibus. Dicitur filius mutationis, unde Apostolus : *Estote filii Dei*, id est imitatores. Aliquis dicitur filius terræ, ut Adam qui de terra plasmatus est, etc. Etiam dicitur filius naturæ, ut Christus, qui

A manet in una et in eadem natura cum Patre. Dicitur filius gratiæ, unde in Psalmo : *Ego dixi : Dii estis et filii excelsi*. Dicitur filius iræ, ut quilibet homo conceptus in peccato, unde Apostolus : *Omnes sumus filii iræ*. Dicitur filius hominis, ut Christus dicitur esse filius hominis, id est virginis. Dicitur filius prædicationis, ut Antichristus specialiter, qui se et multos perditurus est.

Filum, proprie. Dicitur subtilis sententia; unde Boetius, in lib. *De consol.*, ait vestem Philosophiæ contextam tenuissimis filis et indissolubili materia. Dicitur stabilitas, unde Ovidius :

Omnia sunt hominum tenui pendentia filo.

Fimbria proprie extrema pars vestimenti. Dicitur bonum opus finale, unde in Psalmo : *Gloria* B *ejus filiæ regis ab intus, in fimbriis aureis*, id est in bonis operibus quæ perseverant usque in finem, etc.

Fingere proprie *facere*, unde figulus dicitur fingere, id est facere ollam; et dicitur a *fingo, is, ere*. Dicitur etiam *simulare*, unde in Luca : *Christus finxit se longius ire*. Dicitur *creare*, unde in Psalmo : *Qui finxit sigillatim corda eorum*, id est creavit animas eorum. Significat fallere vel decipere, unde : *Hypocrita fingit se esse justum*, id est fallaciter ostendit.

Finis dicitur loci, unde : *Attingens a fine usque ad finem fortiter*, id est a cœlo usque ad terram, quæ dicitur finis, quia ultima elementorum, simi- C liter et cœlum; unde in Psalmo : *Avertit oculos suos ne videat in finem*, id est in terrena. Dicitur finis temporis, unde Apostolus : *Nos sumus in quos fines sæculorum devenerunt*. Dicitur charitas quæ dicitur finis consummationis, unde in Psalmo : *Omnis consummationis vidi finem*, id est charitatem. Dicitur etiam vita æterna finis consummationis, unde in titulis psalmi : *Titulus psalmi David dirigens nos in finem*, id est in æternam beatitudinem. Christus etiam dicitur finis consummationis, quia Christus consummavit quæ de eo prophetæ prædixerunt, ut hic secundum aliam expositionem : *Titulus psalmi dirigens nos in finem*, id est in Christum. Mors etiam dicitur finis consummationis, quia in morte omnia opera bona vel mala D quæ homo egit in vita sua consummantur. Dicitur etiam expletio operis unde : *Hic est finis hujus vel hujus libri*.

Flamen proprie levis flatus venti. Dicitur Spiritus sanctus, unde canitur :

Sanctoque flamini
Necnon ab utroque fuso,

scilicet a Patre et Filio. Dicitur Christus, unde apud gentiles antiquitus sacerdotes dicebantur flamines, a filo, in quorum capitibus erant pileoli, et in summitate cujuslibet pileoli virgula quædam erat erecta, in cujus summitate erat modicum lanæ alligatum filo mediante, ita ut arcerent aves a sacrificiis; habebant etiam archiflamines, id est archiepiscopos, et protoflamen, id est papam.

Flamma, proprie, etiam dicitur donum Spiritus sancti; unde in Apoc. : *Et oculi ejus flamma ignis.* Dicitur æstus carnalium desideriorum, unde in Job : *Ramos ejus arefaciet flamma.* Rami sunt hi qui adhærent malis. Ramos ergo iniqua arefacit flamma, quia exemplo ejus ei adhærentes terrenis accenduntur desideriis. Dicitur pœna, unde in Evangelio : *Crucior in hac flamma.* Dicitur angelus propter agilitatem, propter charitatis ardorem; unde in Psalmo : *Qui facit angelos suos spiritus et ministros suos flammam ignis;* dicitur autem flamma angelus, quia splendet subtilitate scientiæ et naturæ, et quia ardet divino amore, quia homines purgat et incendit charitate, quæ charitas hominum peccata consumit.

Flatus proprie ventus. Dicitur Spiritus sanctus, unde in Psalmo : *Flabit spiritus ejus et fluent aquæ.* Dicitur anima, unde Isaias : *Omnem flatum ego feci*, id est omnem animam. Dicitur superbia, unde dicitur flatus superbiæ, et de superbo dicitur in Isaia : *Flatus in naribus ejus.*

Florere proprie. Florere virtutem habere vel fructum justitiæ facere, unde : *Florebit amygdalus*, id est primitiva Ecclesia de Judæis quæ floruit in hieme infidelitatis gentium; *impinguabitur locusta*, id est gentilitas ad fidem conversa pinguedine charitatis; *dissipabitur capparis*, id est Synagoga permanens in infidelitate. Capparis enim herba est in cujus virtute lanugo oritur, quæ vento dispergitur. Notat juventutis florem, unde in Psalmo : *Mane floreat et transeat.* Significat *resurgere*, unde in Psalmo de Christo dicitur : *Et floruit caro mea*, id est resurrexit. Notat rosam martyrii, unde in Cant. : *Descendi in hortum nucum*, etc., *si floruissent vineæ*, id est martyres. Sicut enim mali punici granum habet in se ruborem et candorem, ita martyres habent in se rosam martyrii et candorem innocentiæ.

Flos, proprie. Dicitur Christus; unde in Cant. : *Ego sum flos campi;* et alibi in Isaia : *Egredietur virga de radice Jesse et flos*, etc. Per virgam virgo Maria, per florem Christus intelligitur. Dicitur etiam humana natura quæ modo floret per juventutem, modo effloret per senectutem; vel modo floret per prosperitatem, modo effloret per adversitatem; unde in Job : *Qui quasi flos egreditur et conteritur, et fugit velut umbra.* Dicitur etiam gloria humanæ vitæ, unde : *Exsiccatum est fenum et cecidit flos.* Dicuntur exempla sanctorum Patrum, unde in Cantilena amicæ : *Fulcite me floribus*, id est confortate me exemplis antiquorum Patrum; *stipate me malis*, id est exemplis modernorum. Dicuntur animæ bonum inchoantes, unde in Cant. secundum aliam expositionem : *Fulcite me floribus;* anima fulcitur floribus quando requiescit in bono opere, quæ adhuc contemplari non valet vultum Dei. Dicuntur primitivi fideles, unde in Cant. : *Flores apparuerunt.*

Fluctus, tumultus tentationum; unde in Job Dominus dicit mari : *Hucusque venies, hic confringes tumentes fluctus tuos;* si per mare cor nostrum accipimus, bene per fluctus tentationes et vitiorum strepitus accipere possumus. Dicuntur pravæ malorum cogitationes, unde in Job : *Pedes meos subverterunt et obstruxerunt quasi fluctus semitas ejus.* Dicitur etiam contradictio infidelium contra bonos, unde in Psalmo : *Elevaverunt flumina fluctus suos.* Dicitur prava suggestio vel tribulationes mundanæ, unde in Psalmo : *Omnia excelsa tua, et fluctus tui super me transierunt.*

Flumen proprie. Actio hujus sæculi, sicut menti reprobæ sub Babylonis specie per prophetam Isaiam exprobrando dicitur : *Denuda turpitudinem tuam, discooperi humerum, revela crura, transi flumina;* in administratione quippe operis turpitudo nudatur, dum vilis mens in ostentatione pravæ actionis cognoscitur, quæ quieta prius magna putabatur; humerum discooperit, quando opus suum quod ignorabatur ostendit; crura revelat, quia quibus desideriorum pessimis mundi lucris inhiet, manifestat; flumina etiam transit quæ actiones hujus sæculi, quæ quotidie ad terminum defluunt, indesinenter appetit. Dicuntur sancti prædicatores, unde in Eccle. : *Ad locum unde exeunt flumina revertuntur, ut iterum fluant*, id est omnes actiones suas ad Deum dirigunt a quo omnis bona actio. Dicitur Spiritus sanctus, unde in Psalmo : *Fluminis impetus lætificat civitatem Dei.* Dicitur donum Spiritus sancti, unde in Evangelio : *Qui in me credit, flumina de ventre ejus fluent.* Dicitur sacra Scriptura, in Psalmo : *Flumen Dei repletum est aquis.* Dicuntur aliqui infideles contradicentes fidei catholicæ, unde in Psalmo: *Elevaverunt flumina, Domine, elevaverunt vocem suam.* Quando apostoli prædicaverunt, *flumina*, id est gentiles, *elevaverunt* contra eos *vocem suam.* Dicuntur contradictiones gentilium seu infidelium, unde in Psalmo : *Abierunt in sicco flumina*, per prædicationem apostolorum. Dicitur fluxus mundanorum tribulationum, unde in Psalmo : *Elevaverunt super flumina Babylonis.* Dicitur mundus præsens, unde in Psalmo : *In flumine pertransibunt pede*, id est sancti pertransibunt in Deum sine iniquitate vel inquinamento, etc.

Fluvius, proprie, ignis extremi judicii; unde in Daniele : *Fluvius igneus egrediebatur a facie ejus.* Dicitur Spiritus sanctus, unde de hypocrita dicitur: *Non videat rivulos fluvii*, id est Spiritus sancti. Dicitur infidelis populus, unde in Job Dominus loquens ad Job ait : *Absorbebit fluvium et non mirabitur*, id est Dominus veniens ad judicium, quosdam qui recte vivere negligunt rapiet, scilicet infideles. Dicuntur negligenter viventes in hoc sæculo, unde qui fidem veritatis agnoverunt, sed vivere fideliter negligunt, recte fluvius dici possunt, quia deorsum fluunt. Dicuntur dicta antiquorum Patrum, unde Job : *Profunda fluviorum ipse scrutatur*, id est antiquorum Patrum dicta et abscondita producit in lucem. Dicitur doctrina diaboli, unde in Psalmo :

Tu siccasti fluvios Ethan, id est suggestiones diaboli destruxisti. Dicitur lapsus mortalitatis, unde Job : *Fluvius subvertit fundamenta malorum*, id est terrena diligentium ; iniqui enim æterna negligunt et præsentia fugitiva esse non intuentur; mentem autem in amore præsentis vitæ figunt et quasi fundamentum habitationis in ea sibi construunt, quando in ejus rebus per desiderium solidantur. Dicitur decursio generis humani, unde in Job : *Absorbebit fluvium et non mirabitur, et habet fiduciam quod fluat Jordanis in os ejus;* per fluvium humani generis decursus designatur, quod velut a fontis sui origine nascendo surgit, sed ad ima defluens moriendo pertransit; per Jordanem hi designantur qui imbuti sunt sacramento baptismi, quia Redemptor noster in hoc flumine baptizari dignatus est; hic omnes baptizati signantur, quia in flumine Jordanis baptismi sacramentum initium habuit. Dicitur præsens vita, unde Job : *Quomodo si recedant aquæ de mari et fluvius vacuefactus arescat: sic homo cum dormierit, non resurget;* mare mens hominis, fluctus sunt cogitationes mentis quæ aliæ tumescunt per superbiam, aliæ tranquillæ sunt per gratiam. Sed cum homo moritur, aquæ maris recedunt, arescit fluvius vacuefactus; quia, subducta anima, vacuum remanet corpus ; et quia viventes modo quibusdam amaritudinibus afficimur, modo dulcedine tranquilli et mites invenimur, præsentis vitæ decursus comparatione exprimitur maris et fluvii.

Fodere, proprie, *pœnitere*, unde in Psalmo de Christo : *Foderunt manus meas*, etc. Signat *humiliare* vel *purgare*, unde in Psalmo : *Fodebam et scopebam spiritum meum*; fodebam, id est humiliabam; vel scopebam, id est purgabam, id est ejiciebam a terrenitate spiritum meum. Significat peccato consentire, unde in Psalmo : *Lacum aperuit et effodit eum*, etc. Aperit per pravum consensum, effodit per pravam operationem, et incidit in foveam per perseverantiam. Notat conteri de peccato, unde in Psalmo : *Incensa igni et suffossa*. Notat terrenis indulgere vel curam impendere, unde in Luca : *Fodere non valeo*, id est terrenis indulgere non possum.

Folium, proprie. Dicitur Christi prædicatio vel ejus verbum ; unde : *Et folium ejus non defluet*. Et dicitur folium triplici ratione ; sicut enim folium velat fructum, ita verbum Dei intellectum ; et sicut major copia est foliorum quam fructuum, ita major abundantia verborum quam sententiarum ; et sicut folium transit et cadit in irritum et putrescit, et fructus reponitur in apothecis, ita verbum Dei transit et cadit in irritum, sed sententiæ, id est sensus verborum, ponuntur in apotheca mentis. Dicitur etiam humana natura quæ transit ad similitudinem folii ; quia, sicuti folium de facili movetur et cito transit, ita humana natura; unde Job : *Contra folium quod a vento rapitur*. Dicitur homo vel mentis levitas, unde Job secundum aliam expositionem : *Contra folium*, etc. Homo folium dicitur, quia ab arbore in paradiso cecidit, quia tentationis vento rapitur et desideriorum flatibus levatur; mens quippe humana quot tentationes patitur, tot ventorum flatibus movetur. Dicitur superficialis intelligentia sive littera Veteris Testamenti, quæ significatur per ficum, in qua non erat fructus sed tantum folia, ita superficialis intelligentia habet multa folia, sed caret fructibus : unde Christus [nihil] invenit in ficu nisi folium, id est in Synagoga litteram.

Fons, proprie. Dicitur donum gratiæ spiritualis ; unde in Psalmo : *Qui emittis fontes in convallibus*, id est confers spiritualia dona humilibus. Dicitur fluentum veritatis, unde in Psalmo : *Tu dirupisti fontes*, etc. Fontes et torrentes Dominus dirupit dum apostolorum suorum cordibus fluenta veritatis aperuit. Dicitur pseudoprædicator, unde Petrus in canonica Epistola : *Hi sunt fontes sine aqua*. Dicitur Christus, unde Isaias : *Dereliquerunt fontem aquæ vivæ*. Dicitur initium boni operis, unde in Psalmo : *Quoniam apud te est fons vitæ ;* vel Christus secundum aliam expositionem. Dicitur sacramentum baptismi sive trina beatitudo, unde in Psalmo : *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum*, id est aliquis primum conversus ad fidem, ut catechumenus ad baptismum; vel aliquis perfectus ad vitam æternam. Dicuntur Scripturæ Veteris et Novi Testamenti, unde in Psalmo : *Et apparuerunt fontes aquarum ;* quia Scripturæ Veteris Testamenti, adveniente Christo, reseratæ sunt. Dicuntur etiam fontes apostoli, unde in Psalmo : *Hauries aquas in gaudio de fontibus Salvatoris*. Dicitur etiam Ecclesia Dei, unde in laudibus sponsæ : *Fons hortorum, puteus aquarum viventium*.

Forma proprie idem est quod figura, scilicet illa proprietas quæ consideratur secundum dispositionem lineamentorum. Dicitur humana natura, unde dictum est de Christo quod formam servi assumpsit, id est humanam naturam. Dicitur divina natura omnia formans et a nullo informata, unde Apostolus : *Qui cum in forma Dei esset*. Dicitur etiam plenitudo gratiarum, unde de Christo in Psalmo dicitur *speciosus forma*. Dicitur sapientia divina, illa scilicet præordinatio sive præconceptio quæ fuit in mente divina ab æterno de rebus creandis, unde Boetius : *Non oportet nos deduci ad imaginarias formas, sed ad formas æternas ex quibus aliæ sunt*. Dicitur similitudo, unde Dionysius in *Hierarch.: Oportet sursum erigi ad anagogicas et symbolicas formas*, id est figurativas, quæ sine materia esse non possunt. Dicitur proprietas rei, unde Boetius : *Considerat enim corporum formas*, id est proprietates. Dicitur informatio, unde : *Prælatus est forma gregis*, id est subditos informare debet bono exemplo.

Formare, aliquid facere, unde in Gen. : *Formavit igitur Deus hominem*. Notat aliquem virtutibus informare, unde Paulus : *Donec formetur Christus in vobis*, id est donec habeat suam formam in vobis quam debet habere per virtutes. Notat *assimilare*, unde Apostolus : *Nolite conformari huic sæculo*, id est similes fieri hominibus mundanis. Notat unio-

nam corporis et animæ, unde Jer. : *Priusquam te formem*, id est priusquam corpori.....

Fornax, dicitur etiam novissima tribulatio futura tempore Antichristi, unde in Apoc : *Et ascendit fumus putei sicut fumus fornacis magnæ.*

Fornicari, proprie, mortaliter videlicet animam peccare; unde in Psalmo : *Perdidisti omnes qui fornicantur abs te*, id est qui peccant contra te. Notat *idololatrare*, unde in Evangelio Joannis : *Nos ex fornicatione nati non sumus.*

Forsitan quandoque notat irrisionem, unde in Evangelio : *Si crederetis Moysi, crederetis forsitan mihi.* Notat aliquando liberi arbitrii libertatem, unde in Evangelio : *Forsitan verebuntur Filium meum.* Alibi notat increpationem, unde Apostolus : *Puto quod forsitan Spiritum Dei habeam in me*, etc.

Fossa, proprie. Dicitur humilitas, unde Isaias : *Ingredere in petram*, id est cordis tui duritiam, *et abscondere in fossa humo a facie timoris Domini*, id est humilitate. Petram ingredimur cum cordis nostri duritiam penetramus; a facie timoris Domini humo abscondimur, si terrenas cogitationes ab ira districti judicis in humilitate nostræ mentis celamus; ingredi in petram et fossa humo occultari præcipimur, ut, cordis nostri duritiam dirumpentes, iram invincibilem declinemus. Dicitur etiam patientia, unde in lege fossa dicitur esse ut in ea videlicet holocausta serventur; si in altari fossa non esset, omne quod in eo sacrificio reperiret, superveniens aura dispergeret per altare; significatur anima justi fossa, id est patientia, quæ humiliat mentem justi ad tolerandas persecutiones. Et sicut fossa custodiebat holocausta ne dispergerentur ab aura, ita patientia custodit animam justi ne commoveatur vento impatientiæ.

Fovea, proprie. Dicitur terrenarum rerum oblectatio; unde in Job : *Absconde eos in pulvere simul, et facies eorum demerge in foveam.* Dicitur infernus, secundum aliam expositionem de superbis ait Job : *Simul et facies eorum demerge in foveam.* Recte facies eorum mergi perhibentur in foveam, quia, sequentes infirma mundi, ad inferni barathrum tendunt; justo enim judicio Dei agitur ut quos hic voluntaria aversio etiam cæcat, illic ab intuitu veri luminis digna supplicii fovea abscondat. Dicitur deceptio, unde Jeremias : *Foderunt foveam animæ meæ*, id est paraverunt deceptionem. Dicitur peccati manifestatio, unde in Psalmo : *Et incidit in foveam quam fecit.* Dicitur latebræ defensionis, unde Job : *Ibi habuit foveam ericius*, id est latebralem defensionem. Dicitur meretrix, unde Salomon : *Fovea profunda est meretrix quæ insidiatur in via quasi latro.*

Fovere, proprie, *sanare;* unde Isaias : *Vulnus, et livor, et plaga tumens, non est circumligata, nec curata medicamine, neque fota oleo*, unde solet dici : *Istius medicamine vulnera foventur.* Signat materiæ assistere vel astare, unde secundum unam translationem : *Et spiritus Domini fovebat aquas*, ut inde aliud faceret; quia, sicut gallina assistit ovis ut inde producantur pulli, ita Spiritus sanctus assistebat aquis, id est primordiali materiæ, disponendo de rebus futuris; et alibi : *Tu foturus es.*

Fragmen proprie dicitur portio alicujus rei, unde in libro Judicum : *Ancilla projecit fragmen molæ super cervicem Abimelech.* Dicitur sanctus vel prædicator, unde in Cant. : *Genæ tuæ sicut fragmen mali punici*, quia ipsi sancti sunt genæ Ecclesiæ masticando cibum doctrinæ, et sunt fragmen mali punici, id est rubri passione et candidi castitate; hoc est dicere : Prædicatores tui, qui debent habere candorem castitatis et ruborem martyrii, sunt siculi mali fragmen punici et genæ habent candorem et ruborem.

Framea proprie gladius ex utraque parte acutus. Dicitur anima Christi, quia, sicut aliquis framea hostes expugnat, ita Deus Pater anima Christi hostem malignum expugnavit; unde in Psalmo : *Erue frameam ab inimicis meis.* Dicitur divina vindicta, unde David : *Effunde frameam, et conclude adversus eos.* Dicitur mors sive potestas dæmonis, unde in Psalmo : *Erue a framea, Deus, animam meam*, id est a morte, ne detinear in ea.

Frangere proprie *dividere*, unde in Psalmo : *Frange esurienti panem tuum.* Dicitur *separare*, unde Apostolus : *Si naturales rami fracti sunt ab oliva*, id est si Judæi separati sunt ab Ecclesia, quid de vobis, o gentiles, qui multo magis ? Signat *humiliare*, unde Prudentius in *Psychomachia* : *Frangit Deus omne superbum.* Notat pactum non servare vel rumpere, unde : *Sedechias, frange pactum Nabuchodonosor.* Notat *exponere*, unde Psalmista : *Parvuli petierunt panem, et non erat qui frangeret eis.* Notat aperte, unde legitur de Maria Magdalena quod, fracto alabastro, aperte fudit unguentum super caput Jesu. Notat *pacificare*, unde : *Fregit ille animum ipsius*, id est pacificavit. Notat *deflorare*, unde dicitur : *Mulier est fracta*, id est deflorata.

Frater proprie natura, ut Jacob et Esau. Dicitur frater gente, ut omnes Judæi dicuntur fratres; unde : *Si emeris fratrem tuum*, id est Judæum. Dicitur frater cognatione, unde in Gen. : *Abraham ad Lot filium fratris sui dixit : Non sit jurgium inter te et me; fratres enim sumus.* Dicitur frater similitudine, unde Jacobus Alphæi dictus est frater Domini, quia similis ei erat. Dicitur frater morum conformitate vel consensu vel affectu, unde in Psalmo : *Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum.*

Fremere proprie ferarum, est irrationabili iræ motu moveri, unde in Psalmo : *Quare fremuerunt gentes ?* id est irrationabili motu iræ moti sunt in sanctos. Signat *horrere*, unde solet dici : *Totus animus illius fremebat*, id est horrebat vel timebat.

Frendere proprie ferarum. Frendere etiam dicitur homo quando tanta ira movetur, quod non potest verbis exprimere quid habet in corde; unde in Psalmo : *Frenduerunt super me dentibus suis*, etc.

Frenum, proprie. Dicitur etiam major tribulatio; unde in Psalmo : *In camo et freno*, etc.; id est in majori et minori tribulatione. Dicitur qualiscunque refrenatio qua quis hortatur, unde Isaias : *Ponam frenum in maxillis eorum*, id est eos a tyrannide sua et malitia refrenabo.

Frons, proprie, conscientia ; unde in Apocal. : *Et nomen ejus in frontibus eorum*, id est memoria nominis Dei scripta, id est firmiter fixa in frontibus, id est in conscientiis eorum. Dicitur etiam opus vel verbum doctorum, unde in Ezech. : *Per singula gazophylacia ostium in frontibus portarum;* gazophylacia, ut exponit Gregorius, sunt corda doctorum in quibus scientiæ divitiæ servantur. Per ostium intellectus figuratur; per frontes portarum verba atque opera doctorum intelligimus; in quibus eos foris agnoscimus quales apud se intrinsecus vivant.

Fructus, proprie, opus sive bonum sive malum ; unde in Evangelio : *A fructibus eorum cognoscetis eos ;* et in Psalmo : *Fructum eorum de terra perdes.* Dicitur etiam filius, unde in Psalmo : *De fructu ventris tui.* Dicitur utilitas, unde Paulus : *Quem fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis.* Dicitur virtus, unde Apostolus : *Fructus autem fidei, spes, longanimitas.* Dicitur vita æterna, unde in Evangelio dicitur de fidelibus qui sunt in Ecclesia quod *quidam faciunt fructum tricesimum, quidam sexagesimum, quidam centesimum.* Dicitur bonum temporale, unde in Psalmo : *A fructu frumenti vini et olei*, etc.

Frui proprie, ut dicit Augustinus, alicui rei adhærere, propter se tantum uti Deo. Notat uti terrenis bonis; quandoque ponitur *uti* pro *frui*, et econverso. Dicitur etiam aliquis frui virtutibus propter usum earum, unde Ambrosius super Apostolum ait *ideo dici fructus, quia fruimur eis.* Notat hominem ex charitate diligere, unde Paulus : *Fruor te in Domino.*

Frumentum, proprie, Christus qui nos spiritualiter reficit; unde in Joanne: *Nisi granum frumenti.* Dicitur temporale beneficium in victualibus, unde in Psalmo : *A fructu frumenti.* Dicitur sacra Scriptura, secundum quam expositionem potest exponi prædicta auctoritas. Dicitur verbum prædicationis, unde Salomon : *Qui abscondit frumenta maledicetur in populis.* Frumenta quippe abscondere est prædicationis sanctæ verba apud se retinere, in populis autem talis maledicetur quando quisque solius culpa silentii pro multorum, quos corrigère potuit, pœna damnabitur. Dicitur viriditas æternæ beatitudinis vel spirituale opus quod mentem respicit; unde enumeratis bonis quæ fecerat, se maledictionis sententia feriendo si hæc non fecerit, ait Job : *Pro frumento oriatur mihi tribulus ;* ac si aperte dicat : Si injustum quid erga subditos gessi, si exegi debita, et ipse quid debui non impendi, sed exercitatione boni operis aliis invidi, pro bonis quæ in æternum reficiunt, tribuantur mihi in judicio mala quæ pungunt. Dicitur anima justi, unde Job : *Frumentum desiderat nubes*, id est justi anima desiderat irrigationem cœlestis doctrinæ. Dicitur perfectio justitiæ, unde in Evangelio : *Ultra enim terra fructificat primum herbam, deinde spicas, deinde plenum frumentum;* herba mentis devotio quæ, quamvis sit viridis, tamen per infirmitatem tenera. Quasi in herba erat Petri devotio cum ad vocem ancillæ inflexus a bona intentione ; sed quasi in spica inventa est, quando persequentibus principibus Petrus resistebat, dicens : *Obedire oportet Deo magis quam hominibus.* Plenum vero frumentum inventum est quando in tritura persecutionis nequaquam palearum more inventus est.

Fugere, proprie, unde in Psalmo : *Ut fugiant a facie arcus ;* vel de die judicii potest intelligi hæc auctoritas, scilicet *ut fugiant a facie arcus.* Nota secessum animi ab aliquo, unde in Psalmo : *Elongavi*, scilicet a curis temporalibus, *fugiens et mansi in solitudine*, id est in contemplatione. Notat *vitare*, unde Apostolus : *Fornicationem fugite.* Notat separationem malorum a bonis, unde in Psalmo : *Fugiant qui oderunt eum a facie ejus.*

Fulgura, proprie, miraculum ; unde Job : *Nunquid mittes fulgura, et ibunt, et revertentia dicent tibi : Adsumus?* Vadunt itaque fulgura cum prædicatores sancti mira opera ostendunt; sed revertendo dicunt adsumus, cum in eo quod faciunt ad potentiam Salvatoris recurrunt. Dicuntur comminatio, unde in Psalmo : *Fulgura in pluviam fecit*, id est terrorem et comminationem in pluviam cœlestis gratiæ convertit.

Fulmen, proprie, tremenda sententia superni judicii; unde ad Job de diaboli tentatione Dominus loquens, ait : *Mittet contra eum fulmina, et ad alium locum non ferentur.* Sententiæ supremi judicii sui eleganter fulmina dicuntur, quia nimirum quos feriunt in perpetuum incendunt.

Fumus, proprie, oratio vel virtus orationis; quia, sicut fumus tendit in altum, ita oratio charitate inflammata ad Deum dirigitur; unde in Apoc. : *Ascendit fumus aromatum*, id est orationes justorum, *in conspectu Domini.* Dicitur pœna æterna, unde in Apoc. : *Fumus tormentorum ejus ascendit in sæcula sæculorum.* Dicitur Ecclesia vel compunctio, unde in Cant. : *Quæ est ista quæ ascendit sicut virgula fumi ;* quia, sicut fumus, quanto magis ascendit, tanto magis subtiliatur, ita aliquis contemplator quanto magis ad Deum per contemplationem tendit sursum, tanto magis castigat corpus suum. Dicitur etiam superbia, unde Salomon : *Tria sunt quæ ejiciunt hominem de domo : fumus, stillicidium et mala uxor;* quia, sicut fumus turbat oculos corporis, ita superbia oculos mentis. Dicitur etiam pœnitentia; quia, sicut fumus movet oculos ad lacrymas, ita pœnitentia promovet corda hominum per compunctionem [ad] contemplandum Deum : unde in Psalmo : *Tange montes et fumigabunt*, id est superbos tangent per pœnitentiam et fumigabunt per

A compunctionem. Signat etiam lapsum humanæ naturæ, unde in Job : *Homo transit sicut fumus ex area.* Dicitur obscuritas sacræ Scripturæ, unde dicitur : *Tota domus*, id est tota Scriptura, *plena est fumo*, id est obscuritate. Dicitur caliginosa dubietas, unde in Job de Christo dicitur : *De naribus ejus procedit fumus;* fumus de naribus procedere dicitur, quia de miraculorum infidis ad momentum caliginosa dubietas etiam in electorum cordibus generatur.

Funis, proprie; unde in lib. Judicum per funem dimissi sunt exploratores. Dicitur sors sive hæreditas, unde in Psalmo : *Funes ceciderunt mihi in præclaris.* Dicitur terrena voluptas, unde Isaias : *Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis veritatis.* Dicitur peccatum, unde in Psalmo : *Funes peccatorum circumplexi sunt me.* Dicitur virtus, unde Salomon : *Funiculus triplex difficile rumpitur*, scilicet fides, spes et charitas.

Fur proprie. Dicitur etiam dies judicii, unde in Apostolo : *Dies Domini sicut fur in nocte, ita veniet.* Dicitur etiam prælatus mercenarius qui per simoniam intravit honorem, unde in Joanne : *Qui non intrat per ostium in ovile ovium, fur est.* Dicitur hæreticus, unde in Evangelio : *Fur non venit nisi ut mactet;* et alibi in Psalmo : *Si videbas furem, currebas cum eo*, etc. Dicitur Christus vel mors, unde in Evangelio : *Si sciret paterfamilias qua hora fur veniret.*

Furor, proprie, est vindicta divina; unde in Psalmo : *Domine, ne in furore tuo arguas me.* Dicitur etiam malitia, unde ibidem : *Furor illis secundum*
B *similitudinem serpentis.*

G

Gallus, proprie, sanctus prædicator; unde in Proverbiis : *Tria sunt quæ bene gradiuntur, et quartum quod incedit feliciter : leo, fortissimus bestiarum, ad nullius pavebit occursum; gallus succinctus lumbos.* Gallus succinctus lumbos est Ecclesiæ prælatus, inter hujus noctis tenebras verum mane nuntians; qui succinctus lumbos esse dicitur, quia a membris suis luxuriæ fluxus restringit; in lumbis quippe luxuria dicitur esse, unde in Evangelio : *Sint lumbi vestri præcincti;* et in Job : *Quis dedit gallo intelligentiam*, nisi ego, ait Dominus, qui doctorum mentes ad intelligendum occulta instruxi.

Gaudere proprie *frui*, unde in quadam antiph. : *Gaudent in cœlis.* Signat *placere*, unde in Joanne : *Gaudeo non propter me, sed propter vos.* Dicitur diabolus gaudere, quando exsultat de peccatis nostris. Dicitur spiritualiter *exsultare*, unde in Apostolo : *Gaudete in Domino semper.*

Gazophylacium proprie dicitur locus in quo ponuntur gazæ, id est divitiæ; unde dicitur de muliere quod misit duo minuta in gazophylacium, ut ponitur in Evangelio. Dicitur porticus illa in qua erat illa arca, unde in Evangelio : *Erat Jesus in gazophylacio*, subaudi secundi atrii, *docens in templo.* Dicuntur corda doctorum, unde Ezech. : *Et eduxit me ad atrium exterius, et ecce gazophylacia;* per gazophylacia corda doctorum sapientiæ et scientiæ divitiis plena designantur. Dicitur sacra Scriptura in qua reponuntur gazæ cœlestes, unde in aliis : *Cupientes aliquid de penuria ac tenuitate nostra cum paupercula in gazophylacium Domini mittere.*

Genæ, proprie, prælati Ecclesiæ; unde in Cant. : *Genæ tuæ sicut cortex mali punici*, quia prælati affectu vel sanguinis effusione rubent.

Generatio, proprie; unde Isaias : *Generationem ejus quis enarrabit?* Dicitur generatio geniti, unde in Psalmo : *A generatione in generationem.* Dicuntur homines regenerati per gratiam, unde in Psalmo : *Laudabitur in generatione altera.* Dicitur glorificatio corporis et animæ, unde in Evangelio : *In regeneratione, cum sederit Filius hominis.*

Genimen proprie propagines arborum vel vinearum. Dicuntur illi qui nascuntur ab aliis, unde : *Genimina viperarum, quis ostendit vobis fugere a ventura ira?* Dicuntur Judæi vel Synagoga, unde in
C passione Domini : *Non bibam amodo de hoc genimine vitis donec*, id est non incorporabo mihi aliquem de Judæis, donec post resurrectionem aliquos eorum incorporem innovatos, et hoc *in regno Patris mei*, id est in statu immortalitatis; vel ad litteram : *Non bibam donec in regno Patris mei*, id est in statu immortalitatis post resurrectionem.

Genua, proprie, fortes in Ecclesia Dei, ut apostoli; unde in Psalmo : *Genua mea infirmata sunt.* Dicuntur opera, unde Isaias : *Israel manus erigite remissas et genua dissoluta.* Dicitur peccandi consuetudo, unde Job : *Exceptus genibus.* Dicitur rei præsentia, unde in Gen. : *Benjamin vidit filios usque in tertiam et quartam generationem*, id est filios Achis nascentes in genibus.

D *Genus* proprie parentela, secundum quod dicitur : *Iste est de genere Abrahæ.* Dicitur generatio, unde Petrus : *Vos, genus electum, regale sacerdotium.* Dicitur maneries, unde in Gen. : *Producat terra herbam virentem et facientem fructum juxta genus suum.* Dicitur principium generationis, unde Abraham potest dici genus Judæorum. Dicitur majus substantiale, unde apud logicos aliqua quæstio dicitur esse de genere, unde hæc qua quæritur *utrum Socrates sit homo* dicitur esse de genere. Dicitur qualitas rei, unde : *Filius Dei assumpsit carnem de excellentissimo genere humanæ naturæ.* Dicitur etiam illud universale quod prædicatur de pluribus differentibus specie, in eo quod quid est dicitur genus. Augustinus ait (?) Dicitur divina natura, unde Hilarius :

Esse non est accidens Christi, sed naturalis generis proprietas.

Gerere proprie *operari*, unde : *Reddet unicuique secundum quod gessit in corpore suo*, id est secundum quod operatus est. Notat *habere*, unde : *Gerebat crucem in pectore*, id est in mente habebat memoriam crucis Christi.

Germen, proprie, Filius Dei; unde in Isaia : *Et erit germen Domini in magnificentia.* Dicitur virtus, unde Osee : *Israel germinabit sicut lilium.* Dicitur filius, unde Isaias : *Sic radix eorum quasi favilla erit et germen eorum ut pulvis.* Dicitur prava operatio, ut in prædicta auctoritate per radicem potest intelligi intentio, per germen operatio.

Germinare, proprie, cœleste germen proferre, unde Isaias : *Germinet radix Jesse.* Significat etiam bonum opus facere, unde Isaias : *Israel germinabit et florebit sicut lilium.*

Gigas, proprie, Christus, unde in Psalmo : *Exsultavit ut gigas ad currendam viam suam;* quia, sicut gigas duplicis substantiæ est propter magnitudinem, ita Christus duplex fuit in substantia divinæ et humanæ naturæ. Et sicut gigas expugnat hostes magnitudine et fortitudine sua, ita Christus expugnat hostes visibiles et invisibiles. Dicuntur obstinati, unde Job : *Gigantes gemunt sub aquis*, id est in gremio. Dicitur aliquis potens, unde in Psalmo: *Et gigas non salvabitur in multitudine virtutis suæ.*

Gignere proprie. Notat æternam generationem, unde in Psalmo : *Ego hodie genui te.* Notat regenerationem, unde Petrus in Epistola : *Quasi modo geniti infantes.* Significat *docere* vel *instruere*, unde Apostolus : *Vos omnes genui in Christo.*

Gladius, proprie. Dicitur judiciaria potestas; unde in Evangelio : *Qui gladio percutit, gladio peribit;* qui abusus fuerit judiciaria potestate, ferietur, id est damnabitur; et alibi : *Ecce gladii duo hic;* hi duo gladii significant duos judices, scilicet judicem fore et judicem poli, id est regem et sacerdotem. Notat dissensionem, unde in Isaia : *Conflabunt gladios suos in vomeres et lanceas suas in falces*, id est dissensiones frangent vomere verbi Dei. Dicitur martyrium, unde in Simeon : *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius*, id est, o gloriosa virgo Maria, animam ipsius Christi, quam tu judicas esse tuam, pertransibit gladius, id est martyrium. Item in Evangelio : *Qui habet tunicam, vendat eam et emat gladium*, id est justus, si opus fuerit, exponit carnem suam martyrio. Dicitur discordia vel divisio, unde in lib. Reg. Nathan ait ad David : *Non recedat gladius de domo tua.* Dicitur pestis, unde : *Mittam gladium in terram Ægypti*, id est pestilentiam. Dicitur Christianus, unde in Psalmo : *Gladium suum vibravit.* Dicitur propinqua tentatio, unde in Psalmo : *Confringes arcum et gladium et scutum;* per arcum, quo a longe pugnatur, remota tentatio, per gladium quo prope pugnatur propinqua, per scutum defensio intelligitur. Dicitur pœna æterna, unde propheta : *Si multiplicati fuerint inimici ejus, in gladio erunt;* et in Job : *Eruens animam ejus de corruptione et vitam ejus ut non transeat in gladium;* omnis enim peccator ex hac corruptione peccatorum vel vitiorum illuc ad gladium compellitur transire pœnarum, ut unde hic inique delectatus est, inde juste crucietur. Etiam dicitur novacula, unde Ezech. : *Sume gladium et rade capillos tuos et barbam.* Dicitur ille ignis qui positus fuit ante portam paradisi; unde in Gen. : *Posuit cherubin et flammeum gladium atque versatilem;* cherubin ut arceret angelos, gladium ut arceret homines. Dicitur sermo divinus, unde Apostolus : *Et gladium spiritus quod est verbum Dei;* item : *Vivus est sermo Dei et efficax et penetrabilior omni gladio ancipiti.* Dicitur sententia futuri judicii, unde in Deut. : *Gladius meus devorabit carnes;* devorabit, quando in extremo judicio ejus sententia eos qui carnaliter sapiunt occidet. Dicitur ira vel tentatio dæmonis, unde in Psalmo : *A gladio maligno eripe me;* et alibi : *Qui liberasti David servum de gladio maligno;* sanctæ prædicationis gladius benignus est quo percutimur ut a culpa moriamur. Gladius diabolicæ persuasionis est malignus quo male quisque percutitur ut a via rectitudinis exstinguatur, et alibi : *Porro salvum faciet egenum de gladio oris eorum, et de manu violenta pauperem;* gladius namque oris est iniquitas persuasionis, manus autem violenta est adversitas peccantis; pauper est qui apud semetipsum elevatus est.

Gleba, proprie, uniri per charitatem, unde Job : *Quando fundebatur pulvis in terram, et glebæ compingebantur.* Glebæ in Ecclesia compinguntur quando sancti in collectione charitatis uniuntur per gratiam Spiritus sancti infusi, etc. Dicuntur diversi ordines sanctorum Veteris Testamenti, unde Job : *Glebæ illius aurum*, id est diversi ordines sanctorum qui sunt tanquam aurum per excellentiam glebæ, namque ex humore et pulvere constringuntur. Omnes ergo qui ratione gratiæ infusi sunt, ex mortis debito se pulverem esse veraciter confessi sunt; dum vitæ virtute clarescerent, quasi aureæ glebæ in illa jacuerunt.

Gloria, proprie laus, unde canitur : *Gloria in excelsis Deo.* Dicitur vana gloria, unde Apostolus : *Quærentes gloriam ab invicem.* Dicuntur subditi, unde Apostolus : *Vos estis gloria mea.* Dicitur natura, unde : *Sedet ad dexteram in gloria Dei Patris*, id est in eadem natura. Dicitur vita æterna, unde in Psalmo : *Gratiam et gloriam dabit Dominus;* et alibi : *Exsultabunt sancti in gloria.* Dicitur puritas conscientiæ, unde Apostolus : *Gloria mea est testimonium conscientiæ meæ.* Dicitur justitia per quam Deus glorificatur in homine, unde Paulus : *Omnes quidem peccaverunt, et egent gloria Dei*, id est justitia, vel indulgentia, vel venia peccatorum. Dicitur splendor glorificatorum, unde Apostolus : *His qui secundum patientiam boni operis, gloriam et honorem.* Dicitur caro Christi, unde Psalmista : *Exsurge, gloria mea.* Dicitur filius, unde præfata auctoritas potest exponi de Filio, etc.

Gloriari, proprie *delectari*; unde in Psalmo : A *Quid gloriaris in malitia?* Notat *superbire*, unde Salomon in Proverbiis : *Gloriantur cum malefecerint.* Notat *sperare*, unde Apostolus : *Mihi autem absit gloriari!* id est *nisi in cruce Domini.* Signat *jactare*, unde in Apostolo : *Qui gloriatur, in Domino glorietur.*

Gradi, proprie videre gradi; unde in Ezechiele : *Recte gradiebantur quo spiritus ducebat eos.* Notat *ascendere*, unde Isaias : *Iste formosus in stola, gradiens in multitudine fortitudinis suæ.*

Gradus, proprie, unde in lege : *Dominus præcepit ne sacerdos ascenderet per gradum ad altare, ne præcipitaretur et pudenda ejus paterent.* Dicitur status innocentiæ, unde per hoc quod Dominus præcepit Jeremiæ, ut absconderet lumbare B suum in flumine, et sicut putridum lumbare ad pristinum nitorem redire non potuit; signatur quod homo qui lapsus fuerit in peccato mortali non potest reverti ad pristinum gradum innocentiæ. Dicitur status consanguinitatis, unde dicitur : *Isti sunt in tertio vel in quarto gradu.* Dicitur status dignitatis, unde Boetius in lib. *De consol. philos.* :

Qui cecidit, stabilis non erat ille gradus.

Grando, proprie, durum et frigidum cor pravi hominis, unde in Job : *Nunquid ingressus es thesauros nivis, aut thesauros grandinis aspexisti?* id est dura et frigida corda pravorum hominum intellexisti. Dicitur communicatio divinæ vindictæ; unde C in Psalmo : *Nubes transierunt, grando...* Dicitur præsens pœna quam Deus infert homini, unde in Job : *Post grandinem sequitur nix.* Dicitur grando persecutio mali ; quia, sicut grando cadens dissipatur et aliud destruit, sic mali dum bonos persequuntur se ipsos destruunt ; unde in Apocalypsi : *Et facta sunt fulgura, et voces, et terræmotus, et grando magna.*

Granum, proprie, Christus ; unde in Evangelio : *Nisi granum frumenti cadens in terram.* Dicitur fides, unde in Evangelio : *Si habueritis tantum fidei quantum est granum sinapis.* Per granum sinapis significatur fides eleganti metaphora; quia, sicut sinapis granum quanto magis teritur, tanto magis acutum reddit saporem, ita fides quanto magis teritur per D tribulationem, tanto magis subtiliatur et informatur. Dicitur etiam sanctus; unde Joannes : *Et grana colligentur in horreis.*

Gratia, proprie id quod gratis datur; a Deo peccati remissio, unde Apostolus : *Gratia et pax a Deo Patre*, id est remissio peccati et mentis tranquillitas. Dicitur honor qui exhibetur Deo, unde Paulus : *Gratias ago Deo meo.* Dicitur gratuita Dei voluntas, unde Paulus : *Gratia Dei sum id quod sum.* Dicitur apostolatus collatus Apostolo, unde Paulus : *Per gratiam Dei quæ data est mihi ;* et alibi : *Gratia ejus in me vacua non fuit.* Dicitur vita æterna vel virtus, unde : *Gratia pro gratia*, id est gloria glorificationis pro gratia justificationis. Dicitur Filius Dei, unde Paulus : *Apparuit nobis gratia Dei.* Dicitur causa, unde solet dici : *Venio gratia tui*, id est causa tui. Dicitur licentia, unde solet dici : *Ego recedam cum gratia tui.* Dicitur indulgentia, unde : *Sanatus hoc facit hac gratiâ*, id est indulgentia.

Gravare, proprie, aliquando notat mentis oppressionem, unde : *Videte ne graventur corda vestra ira et ebrietate.* Aliquando mentis obdurationem, unde : *Cor eorum aggravatum est.*

Gravis proprie, ut cum dicitur : *Justus gravis est ad videndum malum.* Dicitur gravis gravitate peccati, unde Isaias : *Væ genti peccatrici, populo gravi iniquitate!* Dicitur gravis gravitate virtutis, unde in Psalmo : *In populo gravi laudabo te.*

Gressus, proprie, opus; unde Job : *Tu quidem gressus meos dinumerasti.* Dicitur effectus mentis, unde in Psalmo : *Pene effusi sunt gressus mei*, id est in malum præcipitati. Dicitur incarnatio Christi, unde in Psalmo : *Viderunt ingressus tuos, Deus.*

Grex, proprie, prædicator; unde in Cantico : *Dentes tui sicut grex ovium.* Significat Judaicum populum, unde in Psalmo : *De gregibus ovium sustulit eum, de post fetantes accepit eum ;* quia Christus de Judæis, qui erant steriles, ad gentes sublatus est, ad majorem populum. Dicitur conventus fidelium, unde Isaias : *Sicut pastor gregem suum pascit.* Dicitur exercitus angelorum, unde Michæas propheta : *Et tu turris gregis nebulosa*, quia ibi apparuit grex angelorum pastoribus.

Gula, proprie gulositas, secundum quod gula connumeratur inter septem vitia, quæ sunt : superbia, invidia, ira, gula, etc.

Gurges, proprie, impetus et persecutio malorum; unde Habacuc : *Gurges aquarum transiit.* Dicitur multiplex expositorum sacræ Scripturæ prædicatio, unde Job : *Qui aufert stellas pluviæ* [aliqua littera habet *stillas pluviæ*], *et effundit imbres ad instar gurgitum.* Stellæ, id est prophetæ, qui in cœlo, id est in Ecclesia positi, aliis lucebant per exemplum, et subditos irrigabant fluentis cœlestium doctrinarum. Sed istæ stellæ subtractæ sunt, dum peractis suis cursibus sanctorum animæ in thesauris intimæ dispensationis reconduntur. Sed, quia terra aresceret si cœlestis doctrinæ fluenta cessarent, recte sequitur : *Et effundit imbres ad instar gurgitum.* Nam cum prophetas abstulit eorum vice Dominus apostolos misit, qui in similitudine gurgitum pluerent, quia uberiores fuerunt prædicationes apostolorum quam prophetarum.

Gurgustium, instrumentum vimineum quo capiuntur pisces. Dicitur Ecclesia, unde Job : *Nunquid tu gurgustio capies pisces?* id est, nunquid curiosos et peccatores incorporabis Ecclesiæ?

Gustare, proprie ; unde in passione : *Cum gustasset, noluit bibere.* Notat *experiri*, unde in Psalmo : *Gustate et videte quoniam suavis est Dominus.*

Gutta, proprie, peccatum veniens ex ignorantia; unde in Cant. : *Cincinni mei pleni sunt rore*, id est

sancti, inquit Ecclesia, qui sunt mecum glutinati glutino charitatis, pleni sunt rore gratiæ; *et capilli mei guttis noctium pleni sunt*, id est quidam eorum tenentur obnoxii peccatis ignorantiæ. Dicitur humilitas, unde in Psalmo : *Myrrha, et gutta, et casia a vestimentis tuis*; myrrha, quæ est amara species, vermes arcet; unde et per eam significatur carnis mortificatio; gutta autem, quæ amonica dicitur, et omnes inflaturas et tumores expellit, hæc est humilitas quæ curat duritias cordium. Casia in aquosis locis nascitur et crescit; vestis autem Christi, a qua effluunt, Ecclesia est. Dicitur prædicatio Christi qua duritiam cordium sua prædicatione solvit, et secundum hoc per myrrham significatur mors Christi quæ nobis profuit, per casiam redemptio per aquam baptismi facta; et hoc est : *Myrrha, et gutta, et casia a vestimentis tuis* stillabunt, id est a corpore Christi.

Guttur, proprie, intentio; unde in Parabolis : *Circumda eas*, scilicet pacem et misericordiam et veritatem; *gutturi tuo, et describe in tabulis cordis tui.* Misericordia et veritas ab ore tuo nunquam absint; veritas dicendo, misericordia impendendo necessaria pro Christi gutture; organum vocis in tabulis cordis latitudinem insinuat cogitationis. Sic ergo virtus misericordiæ et veritas radici mentis sit infixa, ut pronuntietur voce loquentis de occulto, inspectori placeant arcana intentionis et proximos juvent officia locutionis; bene autem decet virtutes circumdari gutture cum vox loquentis in gutture fieri solet, quia vox prædicationis potius de interius manat, sed extra circumdat. Dicitur prælatus cujus in prædicatione intelligentia spiritualis trajicitur in stomachum mentis, unde in Cant. amoris : *Guttur illius suavissimum*. Dicitur mens, unde in Psalmo : *Exsultationes Dei in gutture eorum*. Dicuntur verba maledicta et venenosa, unde in Psalmo : *Sepulcrum patens est guttur eorum*, id est comparabile sepulcro patenti; quia, sicut sepulcrum exterius pulchrum est, unde et sepulcrum dicitur, quia seorsum pulchrum et patens ad recipiendum cadavera et fetens propter contenta : sic maledici exterius proponunt pulchra verba et alios malitia trahunt, id est per pravam intentionem fetent. Dicitur veracitas, unde prædicta auctoritas de gulosis potest exponi, quorum gula comparabilis est sepulcro patenti, etc.

Gyrus circumvolutio rerum, unde in Proverbiis : *Gyrum cœli circuivi sola*, id est mihi soli patet circumvolutio solis. Gyrans gyrat spiritus, id est spiritus solaris, id est motus solaris.

H

Habere notat possessionem, unde in Evangelio : *Anima mea, habes multa bona*, id est possides, etc. Notat applicationem rei ad rem, unde in lib. Reg.: *Habebat hastam in manu*. Notat inhærentiam rei, unde : *Habe charitatem et fac quidquid vis*; et alibi : *Omni habenti dabitur et abundabit*. Notat unionem rei ad rem, unde legitur quod corpus Christi habuit animam. Quandoque notat usum vel alienum modum habendi, unde dicitur : *Iste habet uxorem*, id est utitur ea. Nota quod quidam habent aliquid in se, sed non ad se, nec de se, ut dolium habet vinum et continet in se, sed non ad se, quia non per applicationem, nec de se, quia non est pars ejus. Quidam habent in se et ad se, sed non de se, quia non est pars eorum. Quidam habent in se et ad se et de se, ut Christus habuit corpus et animam in se, quia fuerunt ad se per applicationem; de se, quia fuerunt partes ejus. Quidam habent in se et de se, sed non ad se, ut homo habet humanitatem; habet, inquam, in se, quia in eo est, de se quia proprietas ejus, sed non ad se per applicationem; unde Augustinus dicit, quod notat essentiam rei nihil haberi potest quod ipse non sit, excepto quod relative dicitur.

Habitare, proprie, *habere;* unde de Deo dicit Apostolus : *Qui habitat lucem inaccessibilem*, et habet lucem ad quam non potest humanus intellectus accedere. Notat *esse*, unde in Psalmo : *Qui habitat in adjutorio Altissimi*, id est, etc. Notat unionem divinæ naturæ ad humanam, unde Paulus : *In quo habitat plenitudo Divinitatis corporaliter*, id est vere et perfecte non tantum animæ sed etiam corpori unita est divinitas; unde in Evangelio : *Verbum caro factum est et habitavit in nobis*. Notat infusionem gratiæ, unde Paulus : *Si sanctus Spiritus, qui suscitavit Jesum a mortuis habitat in vobis*. Notat collationem gloriæ, unde in Apoc.: *Et habitabit cum eis per gloriam*.

Hædus, proprie, dicitur Christus propter sui simplicitatem, propter sui innocentiam, et quia de peccatoribus natus ut de Ruth, de Thamar, de David, de Salomone; et sicut in Veteri Testamento offerebatur hædus pro peccato, ita Christus pro peccatis nostris oblatus est; unde in Levit.: *Non coques hædum in lacte matris suæ*, id est, o Judæe, non occides Christum in die conceptionis suæ. Dies autem conceptionis vocatur lac matris, quia extunc paratur materia lactis in matre, quod minime observaverunt Judæi; quia quo die conceptus, revolutus triginta tribus annis eo die passus. Vel de Herode potest legi : O Herodes, non occides Christum in lacte matris suæ, id est puerum adhuc ubera matris sugentem, quia tempore congruo pro peccatis est moriturus, juxta illud : *Non capit Scriptura prophetam perire extra Jerusalem*. Dicitur peccator, unde in Evangelio legitur quod Christus statuet agnos a dextris et hædos a sinistris. Dicitur justus, unde in Cant.: *Si ignoras te, o pulchra inter*

mulieres, id est si ignoras qui sint tui, *noli vagari juxta gregem sodalium tuorum*, id est hæreticorum, qui fingunt se sodales esse, *sed pasce hædos meos*, id est subditos, *juxta tabernacula pastorum*, id est juxta doctrinam apostolorum.

Hæreditas, proprie; unde in Psalmo: *Dominus, pars hæreditatis meæ*, id est pars hæreditaria. Dicitur Ecclesia quæ est hæreditas Christi, unde David: *Postula a me et dabo tibi gentes, hæreditatem tuam.* Dicitur vita æterna, unde in Psalmo Ecclesia ad Dominum: *Tu es qui restitues hæreditatem meam mihi.* Et quare vita æterna dicitur hæreditas Ecclesiæ, quia dabatur sanctis qui sunt in Ecclesia Dei ratione primæ creationis.

Hamus, proprie. Dicitur etiam ficta simulatio; unde in Psalmo [Eccli.]: *Nescit homo finem suum, sed sicut pisces capiuntur hamo.* Dicitur Filius Dei humanitate vestitus, unde Job: *In oculis ejus hamo capiet eum;* ibi per Leviathan diabolus, per hamum Christus. Cum piscis capitur hamo, hamus velatur vermiculo; et dum piscis capit vermiculum, hamus capit pisciculum: sic Dei Filius vestivit se carne, ut ejus divinitas lateret dæmonem; sed dum dæmon persecutus est carnem, expertus est Deitatis virtutem.

Hasta, proprie. Dicitur Filius Dei; unde in Habacuc: *Ibunt in splendore fulgurantis hastæ tuæ.* Eleganter Filius Dei dicitur hasta Patris; quia, sicut aliquis hasta impugnat inimicos, ita Deus Pater per Filium propulsat incredulos. Apostoli autem et apostolici viri iverunt per mundum in splendore fulgurantis hastæ divinæ, id est manifestatione divinæ sapientiæ. Dicitur aperta pravorum persecutio. Sicut de prædicatore sub equi nomine voce Dominica dicitur: *Super ipsum sonabit pharetra, vibrabit hasta.* Contra equum Dei pharetra sonat, quando pravorum consilia perstrepunt; hasta vibrat, quando aperta pœna exquiritur. Etiam dicitur jaculum prædicationis, unde de Leviathan dicitur in Job: *Cum apprehenderit eum gladius, subsistere non poterit neque hasta, neque thorax.* Quid autem per hastam nisi prædicationis jaculum, quid per thoracem nisi fortitudo patientiæ designatur?

Herba, proprie, viror gloriæ temporalis, unde: *In primo mane sicut herba transeat.* Mane sicut herba florere atque transire, est in prosperitate hujus sæculi temporalis gloriæ decus velociter arescere. Dicitur sustentatio prædicatorum, unde David: *Qui producit in montibus fenum et herbam*, per quam significatur quod sublimes hujus sæculi ad fidem vocati sanctis prædicatoribus in hac vita transitoria alimenta largiuntur. Dicitur scientia vel doctrina æternæ veritatis, unde Jer.: *Onagri steterunt in rupibus, defecerunt oculi eorum, quia non erat herba;* hi sunt Judæi qui steterunt in rupibus, quia non in Deo, sed in suis potestatibus confisi sunt; *defecerunt oculi eorum*, quia spes eorum ab eo quod intendebant corruit; et *non erat herba*, quia eorum cordibus defuit æternitatis scientia. Dicitur homo carnalis, unde propheta: *Germinabunt inter herbas sicut salices juxta præterfluentes aquas;* per herbas carnales signantur, inter quos sancti sicut salices germinant, dum inter arescentem vitam carnalium perpetua mentis viriditate perdurant.

Herodius, falco. Et dicitur herodius quasi heros avium, vel ad heroes pertinens, unde prohibetur comedi vel sacrificari. Dicitur sanctus, unde Job: *Penna struthionis similis est pennæ herodii vel accipitris;* per herodium sive accipitrem intelliguntur sancti, quia herodius vel accipiter parvum habent corpus, tamen magnum videtur alarum amplitudine, ita sancti parum habent terrenitatis, magis vero sunt virtutum amplitudine; et multas habet alas, id est virtutes, quibus extolluntur supra ventum humani favoris. Per struthionem vero hypocritæ designantur; quia, sicut struthio magnum habet corpus, et videtur habere alas quibus possit volare, cum semper ponderositate sua terrenis adhæreat, et non potest se extollere in altum: ita hypocritæ terrenis adhærentes, multa habentes vitia, videntur habere alas, id est virtutes, quibus mediantibus ad cœlestia dirigantur; sed non possunt extolli in altum propter ponderositatem vitiorum, et ita hypocritæ videntur esse similes sanctis. Dicuntur reprobi sive mali, unde in Psalmo: *Herodii domus dux est eorum*, id est Ecclesia ad quam confugiunt mali; et sicut herodius avis est intenta rapinis, ita mali. Dicitur etiam Christus, ut in præfato exemplo secundum aliam expositionem.

Hiems, proprie. Dicitur tentatio sive gelicidium infidelitatis; unde in Cant.: *Hiems transiit.* Dicitur adversitas, unde in Evangelio: *Cavete ne fuga vestra sit in hieme vel Sabbato.* Dicitur dies judicii, qui dicitur hiems gratia damnatorum, et saluberrimum gratia salvandorum, nulli enim tunc fuga patebit. Dicitur vita præsens, unde in Job: *Qui præcepit nivi ut descendat in terram, et hiemis pluviis*, in qua nos etsi spes ad superna erigit, adhuc tamen mortalitatis nostræ frigidus torpor astringit; præcepit ergo pluviis hiemis ut descendant in terram, quia in præsenti vita necessaria est doctrina sanctorum; cum vero æterni judicii æstus incanduerit, nullus verba prædicantium necessaria tunc habebit; sed nunc necessarium est ut pluviæ hiemis in terram descendant, quod fit cum Dominus inspiratione sancti Spiritus, pro corrigendis peccatoribus sanctos ad ministerium prædicationis humiliat (*sic*).

Hinnire, proprie, luxuriose moveri; unde in Jeremia legitur quod Judæi sui temporis erant quasi equi emissarii, hinnientes in feminas. Notat *flere*, unde Isaias: *Hinni voce tua, filia Gallim.*

Hinnulus, fetus cervi, etc. Dicitur populus Judaicus vel gentilis qui se peccatorem intelligit, sed in charitate currens, omnia obstacula mundi transit, in saltibus contemplationum ad superna conscendit; unde Cant.: *Duo ubera sicut duo hinnuli capreæ.* Dicitur Christus, qui in assumptione carnis compa-

ratur capreæ, in ostensione virtutum et miraculorum hinnulo; unde in Cant.: *Similis est dilectus meus capreæ, hinnuloque cervorum.*

Hircus, proprie, divinitas Christi; unde in prosa (56):

Hircus emissarius,
Et passer effugiunt.

Dicitur petulantia, unde in Psalmo: *Offeram tibi boves cum hircis*, id est mactabo in me petulantiam. Dicitur peccator qui de suis peccatis pœnitet, unde: *Offeram tibi boves*, id est doctores qui in vinea Dei operantur; *cum hircis*, id est cum peccatoribus qui peccata sua eleemosynis redimunt.

Hodie, proprie. Aliquando etiam signat tempus gratiæ, unde in Psalmo: *Hodie si vocem ejus audieritis.* Aliquando notat vitæ tempus, unde: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Aliquando notat æternitatem, unde David: *Dixit Dominus ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te.*

Holocaustum dicitur hostia quæ tota incendebatur Domino, unde David: *Holocaustum et pro peccato.* Dicitur Christus, qui se totum obtulit Deo Patri in ara crucis; unde Psalmista: *Et holocaustum pingue fiat.* Dicitur intentio secundum aliam expositionem: *Et holocaustum tuum.* Dicitur ille qui se totum offert Deo, omnia mundana relinquens et soli Deo serviens; unde in Psalmo: *Tunc acceptabis sacrificium justitiæ, oblationes et holocausta.*

Homo, proprie, et secundum hoc ponitur in plenitudine suæ significationis, juxta illud Gen.: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram.* Aliquando ponitur in parte plenitudinis, et tunc aliquando in designatione dignioris partis, quando sumitur pro rationabili, secundum quod legitur: *Secundum altitudinem tuam multiplicasti filios hominum*, id est rationalium. Aliquando ponitur in designatione deterioris partis, quando ponitur pro infirmo, vel mortali, vel peccatore; juxta illud David: *Quid est homo, quod memor es ejus?* id est infirmus, mortalis, peccator; et alibi: *Filii hominum, usquequo gravi corde?* Aliquando æquipollent huic orationi corpus et anima, secundum quod dicitur Christus assumpsisse hominem, id est corpus et animam; unde Augustinus super illum locum Joannis: *Potestatem habeo ponendi animam meam*, dicit: *Ex quo Filius Dei assumpsit hominem*, id est corpus et animam, *nunquam deposuit corpus et animam.* Aliquando ponitur in designatione substantialis status qua homo est homo, id est humanitas, juxta quod dicitur: *Homo est unitus Deo*, id est humanitas divinitati in Christo; et alibi dicit, auctoritas: *Qui negaverit Christum assumpsisse hominem, anathema sit*, id est humanitatem; quia, quando mortuus est, desiit habere humanitatem et in resurrectione assumpsit eam. Aliquando significat corpus, aliquando significat animam; unde Apostolus distinguit inter interiorem hominem et exteriorem hominem, id est inter A corpus et animam. Aliquando significat rationem, aliquando sensualitatem; unde Paulus, secundum unam expositionem, vocat interiorem hominem rationem, exteriorem sensualitatem. Dicitur culpa, unde Apostolus: *Vetus homo crucifixus est cum Christo.* Dicitur gratia hominem reparans, unde Paulus: *Exuite veterem hominem cum actibus suis, et induite novum hominem*, id est gratiæ novitatem. Dicitur etiam caro, unde Job: *Homo nascitur ad laborem, avis ad volandum;* ad laborem quippe homo nascitur, quia nimirum is qui accepta præditus est ratione, considerat quam valde sit sibi impossibile ut hic peregrinationis suæ tempore sine labore evadat; avis ad volandum nascitur, quia inde mens ad summa evolat, unde caro in infirmis B durius laborat. Dicitur etiam homo Deus Pater, unde legitur quod, *homo quidam plantavit vineam*, etc.; per hominem Deus Pater, per vineam Synagoga, per agricolas prophetæ et alii prælati Ecclesiæ, per hæredem Christus intelligitur. Aliquando ponitur pro diabolo, unde: *Inimicus homo hoc fecit*, id est diabolus.

Honor, proprie; unde David: *Homo cum in honore esset, non intellexit.* Dicitur cultus Deo debitus qui Latria dicitur, unde Job: *Honorem meum aliis non dabo.* Dicitur gloria divina sive natura divina, unde Paulus: *Cui honor et gloria.* Dicitur fama, unde David: *Gloria et honore coronasti eum, Domine.* Dicitur æterna beatitudo, unde Apostolus: C *Gloria autem, et honor, et pax.*

Hora, proprie. Dicitur etiam tempus gratiæ; unde Paulus: *Scientes quia hora est jam nos de somno surgere.* Dicitur hora tempus præsentis vitæ, quod comparatum æternitati, quasi unius horæ parvissimum est momentum; unde Joan.: *Filioli, novissima hora est.* Dicuntur finales justi secundum quod exponitur illud quod dicitur in Psalmo: *Sicut unguentum in capite, quod descendit in oram vestimenti ejus.* Dicitur officium horæ deputatum, secundum quod soliti sumus dicere: *Iste orat Horas suas.* Dicitur etiam apostolus, unde Dominus: *Nonne duodecim horæ sunt diei et partes ejus?* ita apostoli de Christo et membra Christi: et sicut horæ addictæ sunt diei, non dies horis, sic apostoli D addicti Christo nec Christus eis. Et est sensus: *Nonne duodecim horæ sunt diei?* id est vos debetis me sequi, non ego vos. Dicitur extremitas rei, unde David: *Sicut unguentum*, etc., *in oram vestimenti.* Dicitur plaga, unde solet dici: *In ora orientis vidi eum.*

Hordeum, proprie, terrenarum rerum dispensatio; unde Job: *Pro frumento oriatur mihi tribulus, et pro hordeo spina;* quasi diceret Job: Egisse quidem bona magna et minima scio, sed si non ita est, pro bonis magnis mala minima et pro bonis minimis mihi respondeant mala majora.

Hortus, proprie. Dicitur etiam Ecclesia; quia, sicut in horto variæ species florum et herbarum sunt, sic in Ecclesia Dei est diversitas sanctorum

(56) Adam. a S. Victore, seq. V *De resurrect. Dom.*, Patrol. t. CXCVI.

et varietas virtutum; unde in Cant.: *Surge, aquilo, et veni, auster, et perfla hortum meum;* et alibi: *Hortus conclusus, fons signatus.* Dicitur sacra Scriptura; quia, sicut in horto sunt diversi flores, ita in sacra Scriptura sententiarum diversitates; unde in Cant.: *Descendi in hortum nucum.* Dicitur vita æterna, unde in Cant.: *Veni in hortum meum*, etc. Invitat Christus Ecclesiam ad æternam beatitudinem, dicens se messuisse myrrham, id est omnem amaritudinem passibilitatis et mortalitatis a se præcidisse per resurrectionem et immortalitatem.

Hostia, proprie. Dicitur sanctus; unde Paulus: *Obsecro vos per misericordiam Dei, ut ex corde vestro hostiam offeratis.* Dicitur Christus, unde in hymno: *O vere digna hostia!*

Humanitas, humana natura, unde Christus dicitur sumpsisse humanitatem, id est humanam naturam. Dicitur etiam misericordia Dei, unde Paulus: *Apparuit benignitas, et humanitas Salvatoris Dei nostri*, etc.

Humanum proprie dicitur opus humanum, unde solet dici: *Hoc est opus humanum*, vel ratio humana. Dicitur modicum vel tolerabile, unde Apostolus: *Humanum dico, propter infirmitatem* vestram vel *carnis vestræ.* Dicitur excusatio, unde idem: *Non apprehendat vos tentatio nisi humana.*

Humerus, proprie. Dicitur virtus divina, unde legitur in Evangelio de Pastore cœlesti quod *relictis nonaginta novem ovibus in deserto, abiit quærere unam oviculam quæ perierat, et reportavit in humeris suis ad caulas*, id est hominem qui perierat, divina virtute reduxit. Dicitur etiam crux Christi quam gessit in humeris, unde Psalmista: *Principatus super humeros ejus*, id est principatum consecutus est per crucem quam gessit in humeris. Dicitur socialis vitæ conjunctio, unde Job vitæ suæ celsitudinem narrans, maledicti sententiam sibi protinus subjicit si qua eorum quæ prædixit opere non implevit, dicens: *Humerus meus a junctura sua cadat, et brachium meum cum suis ossibus conteratur;* liquet profecto quod brachium corpori per humerum jungitur. Si ergo per brachium operatio, ita per humerum socialis vitæ designatur conjunctio; unde propheta Sophonias, quosque sanctos universalis Ecclesiæ populos Deo concorditer servituros videns, ait: *Et servient ei humero uno;* in eo ergo quod Job dicit: *Si levavi super pupillum manum meam, etiam cum viderem me in porta superiorem*, miram virtutem patientiæ servasse se asserit, qui gravari se minimis personis, nec contra hoc quod sibi juste competere poterat, declinavit. Quod si minime fecerit, adjungit: *Humerus meus a junctura sua cadat*, quia nimirum, qui patientiam servare contempserit, socialem vitam per impatientiam citius deserit. Dicitur etiam operatio, sicut menti reprobæ sub Babylonis specie per prophetam exprobrando dicitur: *Denuda turpitudinem tuam, discooperi humerum, revela crura, transi flumina:* hoc expositum est supra ubi flumen.

Humiliare proprie notat *vilipendere*, unde Dominus: *Qui se humiliat exaltabitur.* Notat *affligere*, unde David: *Humiliabam in jejunio animam meam*, id est affligebam. Notat *dolere*, unde David: *Quasi lugens et contristatus, sic humiliabar*, id est dolebam. Dicitur humiliter virtute præeminere, unde Psalmista: *Credidi, propter quod locutus sum nimis*, etc. Notat *inclinare*, unde dicitur: *In jejunio humiliate capita vestra Deo.* Notat etiam *deflorare*, unde a lege præcipitur quod si aliquis humiliaverit a quo [*f.* aliquem], non auferat ei pretium deflorationis.

Humilis, dejectus, unde: *Deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles*, id est dejectos. Dicitur virtuosus, unde David: *Et humiles spiritu salvabit*, id est virtuosos quosque spiritualiter.

Humilitas proprie dicitur dejectio, unde in Psalmo: *Vide humilitatem meam de inimicis meis*, id est devotionem. Dicitur etiam humiliatio, unde: *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ.* Dicitur virtus, unde Gregorius: *Qui sine humilitate virtutes congregat, in ventum pulverem portat.*

Humor, proprie. Dicitur divina gratia, unde Job: *Nunquid virere potest scirpus absque humore*, id est sine gratia Dei.

Humus, proprie. Dicitur mens electorum, unde propheta: *Super humum populi mei.* Quære infra de Spina. Dicitur humana Christi natura, unde Isaias: *Abscondere in fossa humo*, id est per fidem absconde te in passione Christi. Vel humus fossa dicitur mens humana a peccatis mundata, unde: *Abscondere in fossa humo;* vel dicitur amor terrenorum secundum aliam expositionem.

Hydria, proprie. Significat cor; unde in Evangelio sex hydriæ significant corda hominum sex ætatum, quæ aqua, id est historiali sensu replebuntur. Hydria quam reliquit Samaritana ad puteum significat concupiscentiam. Significat facundiam, unde in Gen.: *Deposuit Rebecca ab humero suo hydriam*, scilicet Spiritus sancti facundiæ arrogantiam.

Hymnus, laus Dei cum cantico. Dicitur mentalis laus, quia sancti in futuro laudabunt Deum; unde in Psalmo: *Hymnus omnibus sanctis ejus.*

Hyssopus est humilis herba, et adhæret petræ et purgat pectus. Dicitur humilitas Christi, unde in Psalmo: *Asperges me, Domine, hyssopo;* quia, sicut hyssopus purgat tumorem pectoris, ita humilitas elationem mentis; et sicut hyssopus petræ adhæret, ita humilitas fuit in petra, scilicet in Christo.

I

Ibis est ciconia Ægyptiaca, unde: *Moyses detulit in vasis purpureis ibices.* Dicitur etiam quoddam animal cornutum quod vulgo dictum est *stempock;* unde David: *Ascendit ad munitissima loca Engaddi, pervia ibicibus.*

Idiota, proprie, simplex vel fatuus, quasi iduatus,

id est divisus, a *iota*, vel quasi habens iduatas otas, id est *divisas aures;* ota enim *auris* dicitur, unde biotanatus, id est *aures divisas habens*. Dicitur pauper, unde in Gen. Joseph fratribus suis ait in Ægypto : *Filii idiotæ estis*, quasi diceret : Non estis filii Jacob, sed alicujus pauperis.

Idolum, proprie, et dicitur ab *idos*, id est *forma;* idos est exemplar ad cujus similitudinem aliquid fit lignum calceri (?), idolum vero est illud formatum ut calcerus. Dicitur doctrina hæreticorum, unde : *Ascendam super nubem levem*, id est super humanam naturam, levem per innocentiam; *et ingrediar Ægyptum*, id est mundum; *et corruent idola Ægypti*, id est pravæ doctrinæ hæreticorum. Dicuntur legales observantiæ post evangelicam doctrinam, unde Apostolus : *Quæ conventio Christi ad Belial, lucis ad tenebras, legis Dei cum idolis?* Dicitur tabernaculum factum contra legem, unde legitur : *De idolo Michææ*, id est de tabernaculo. Dicitur forma idoli, unde in Evangelio : *Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil*, id est peccatum vel idolum.

Ignis, proprie, charitas; unde in Evangelio : *Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut ardeat*, id est, charitatem veni mittere in terram, id est in homines, *et quid volo nisi ut ardeat*, id est peccata consumat. Dicitur malitia, unde in Job : *Et nunc ignis adversarios consumit*, quia cor pessimum ex sua malitia tabescit. Sicut ignis amoris mentem erigit, ita ignis malitiæ involvit; quia Spiritus sanctus cor quod replet elevat, et ardor malitiæ ad inferiora semper incurvat. Dicitur flamma invidiæ, unde Job : *Ignis Dei descendit de cœlo et tactas oves puerosque consumpsit*, id est a præpositorum cordibus flamma invidiæ corruit, et quidquid boni in plebibus oriebatur incendit. Dicitur Spiritus sanctus, unde Apostolus : *Deus noster ignis consumens est.* Dicitur tribulatio, unde in Psalmo : *Igne me examinasti.* Dicitur pœnitentia, unde in Evangelio : *Et baptizabit vos in spiritu et igne.* Dicitur pœna gehennalis, unde in Evangelio : *Ite, maledicti, in ignem æternum.* Dicitur etiam quælibet gravis pœna, unde rex Babylonis dicitur senes frixisse in igne, etc. Dicitur angelica natura, unde in Psalmo : *Qui facit angelos suos, spiritus : et ministros suos, ignem urentem.* Dicitur ardor cupiditatis, unde in Psalmo : *Ignis et sulphur et spiritus procellarum.* Dicitur ardor iræ vel luxuriæ, unde in Psalmo : *Sicut fluit cera a facie ignis.*

Imago, proprie, natura divina; unde in Gen.: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram*, id est juxta naturam nostram divinam. Dicitur homo ibi secundum aliam expositionem : *Faciamus hominem*, etc., id est ut sit imago nostra. Dicitur Filius Dei, unde Apostolus : *Qui est imago Dei.* Dicitur similitudo sive umbra, unde in Psalmo : *Verumtamen in imagine pertransit homo*, in similitudine imaginis speculi vel umbræ, quæ cito evanescit. Dicuntur naturalia, ut ibi secundum aliam expositionem; quia, quamvis admittat similitudinem, id est gratuita, tamen in imagine, id est in naturalibus pertransit. Dicitur ratio, unde : *Reformatur imago Dei in nobis.*

Imber, proprie, tribulatio; unde in Cant : *Imber abiit et recessit.* Notat eloquium, unde Salomon : *Mittet tanquam imbrem eloquia sua.* Notat rorem cœlestis gratiæ, unde Isaias : *Imbrem matutinum et serotinum dabo vobis.* Dicitur Filius Dei, Isaias : *Sicut imber et nix descendit de cœlo, et infundit terram, et germinare facit eam, et dat semen serenti, et panem comedenti : sic erit verbum meum quod egredietur de ore meo*, etc.

Immittere proprie notat immissionem, unde David: *Immittet angelus Domini in circuitu timentium eum*, id est immissionem faciet in circuitu pure timentium eum, *et eripiet eos.* Notat etiam *inspirare*, unde in Psalmo : *Et immisit in os meum canticum novum.*

Immolare, proprie, notat *offerre;* unde in Psalmo : *Circuivi et immolavi in tabernaculo ejus hostiam vociferationis;* et alibi: *Immola Deo sacrificium laudis.*

Implere proprie *complere*, unde in Evangelio : *Impletum est tempus ut pareret.* Notat *reficere*, unde in Evangelio : *Ut autem impleti sunt.* Notat etiam *supplere*, unde in Psalmo : *Judicabit in nationibus, implebit ruinas.*

Imponere proprie notat imposturam, id est deceptionem facere; unde in Gen. Abimelech, rex Geraræ, ad Isaac qui uxorem dicebat sororem suam esse : *Quare imposuisti nobis?* id est decepisti nos. Notat de aliquo malum suspicari, unde solet dici : *Iste imposuit mihi tale* aut *tale crimen.*

In quando adjungitur accusativo, aliquando notat motum localem; unde in Matth. : *Venit Jesus in partes Cæsareæ;* quandoque temporalem, unde in Psalmo : *De die in diem salutare ejus;* quandoque sensualem, unde in Psalmo : *Oculos suos statuerunt declinare in terram;* quandoque mentalem, unde : *Concupiscit et deficit anima mea in atria Domini.* Notat etiam motum finalem, unde Apostolus : *Omnia cooperantur in bonum.* Notat adjunctum consequens, unde in Apostolo : *Sumus quibusdam odor vitæ in vitam, quibusdam odor mortis in mortem.* Notat adjunctum comitans, unde in Symbolo : *Ascendit in cœlum, sedet ad dexteram Patris.* Notat contrarietatem, unde in Psalmo : *Insurrexerunt in me*, id est contra me. Notat similitudinem vel ponitur pro *juxta*, unde in Apostolo : *In similitudinem hominum factus est*, id est juxta similitudinem. Notat rei permanentiam, in Cant. Moysi : *Dominus regnabit in æternum et ultra.* Quando vero cum ablativo conjungitur, notat permanentiam in loco, unde: *Vir erat in terra Hus, nomine Job.* Notat motum temporalem, unde Isaias : *In illa die stillabunt montes dulcedinem.* Notat in loco mentali non materiali, unde David : *In corde meo abscondi eloquia tua.* Notat similitudinem rei, unde poeta :

Atalanta insultat in Parthenopæo.

Notat naturæ identitatem, unde in Evangelio : *In principio erat Verbum.* Notat inhærentiam, unde in Evangelio : *Dico tibi in veritate*, id est in eo qui sum

verax. Quando ablativo adjungitur, notat immensitatem, unde: *Deus est in omni loco.* Notat gratiæ infusionem vel habitationem, unde in Psalmo: *Dominus in templo sancto suo.* Notat unionem, unde Apostolus: *In quo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter.* Notat identitatem, unde Augustinus: *Deitas est in Deo,* et non ibi; notat diversitatem essendi, sed intelligendi. Quandoque etiam ponitur pro *ante;* tunc quandoque jungitur accusativo(?), unde in Matth.: *Josias autem genuit Jechoniam et fratres ejus in transmigratione Babylonis,* id est ante transmigrationem; vel ibi ponitur copulative, ut sit sensus: *Et transmigraverunt.* Quandoque ablativo, ut hic in Psalmo: *Exsultabo nomen tuum, quoniam bonum est in conspectu sanctorum tuorum,* id est ante conspectum; et hic: *Intret in conspectu tuo oratio mea,* id est ante conspectum; et hic: *Hoc est mirabile in oculis nostris,* id est ante oculos; *et occidit filios eorum in oculis,* id est ante oculos. Quandoque ponitur pro *juxta,* ut: *Contendebant coram rege in hunc modum,* id est juxta hunc modum. Quandoque ponitur pro *super* et cum accusativo, sic: *Hieronymus in Matthæum;* et similiter cum ablativo, sic: *Posuisti in capite ejus coronam,* id est super caput ejus; et alibi: *Jacta cogitatum tuum in Domino,* id est super Dominum. Quandoque ponitur pro *inter,* sive locum sive personam significet, et jungitur ablativo, ut hic in Psalmo: *Moyses et Aaron in sacerdotibus ejus,* id est inter; et in Evangelio: *Et benedicta tu in mulieribus,* id est inter mulieres. Etiam cum accusativo, unde in Luca: *Accepit eum in ulnas suas,* id est inter. Quandoque ponitur pro *intra* et adjungitur ablativo, sic in Psalmo: *Et oratio mea in sinu meo convertetur,* id est intra sinum meum. Ponitur etiam pro *per,* et tunc jungitur accusativo, sic: *Justificata in semetipsam.* Et est ibi figura quæ dicitur protheseos paraloge, præpositio pro præpositione, et quandoque adjungitur ablativo, sic in Apostolo: *Loquens patribus in prophetis,* id est per prophetas; *et locutus est in Filio,* id est per Filium. Ponitur etiam pro *ad,* et ablativo adjungitur, ut in Psalmo: *Sicut oculi servorum in manibus,* id est ad manus; et hic: *Sicut oculi ancillæ in manibus,* quod in Hebræo dicitur: *Ad manus Dominus erit in latere tuo,* id est ad latus tuum.

Inane proprie vacuum. Dicitur infructuosum, unde in Gen.: *Terra erit inanis.* Dicitur victus, unde: *Si reddidi retribuentibus*, etc., *inanis.* Notat vana, unde Apostolus: *Nolite seduci inanibus verbis.* Dicitur aer, unde poeta:

. . . *Inania captant.*

Dicitur illud in quo, unde Mercurius in *Asclepia.* (57).

Incensum, proprie, oratio; unde in Psalmo: *Dirigatur, Domine, oratio mea sicut incensum;* et in Apoc.: *Incensa multa data sunt ei.* Dicitur peccatum incensum igne cupiditatis, unde in Psalmo: *Incensa igni et suffossa.*

Inclinare, proprie, *humiliare;* unde in Psalmo: *Inclinavit cœlos et descendit,* id est humiliavit se Verbum Dei cum carnem assumeret. Notat *præsentare,* unde David: *Inclina ad me aurem tuam,* id est offer mihi præsentiam clementiæ tuæ. Notat etiam *transferre,* unde David: *Et inclinavit ex hoc in hoc.*

Infernus proprie est locus qui est circa centrum terræ, unde Greg. in *Dialogo* super illam auctoritatem: *Neque in cœlo, neque in terra, neque subtus terram,* id est in inferno. Dicitur ora inferni, unde in Symbolo apostolorum: *Descendit Christus ad inferna.* Dicitur obstinatio, unde in Psalmo: *In inferno autem quis confitebitur tibi?* Dicitur internæ cupiditatis vorago, unde in Psalmo: *Descendunt ad infernum viventes,* id est scienter peccantes. Dicuntur loca terræ inferiora, unde in Numeris descenderunt vivi in infernum Dathan et Abiron. Dicitur diabolus, unde: *Libera animas de manu inferni,* id est de potestate diaboli. Dicitur etiam damnatus, unde in Psalmo: *Si ascendero in cœlum, tu illic es; si descendero ad infernum, ades.*

Inferre proprie intro gerere; unde in Evangelio: *Infer digitum tuum huc.* Notat *colligere,* unde legitur quod signum iræ Dei erat hoc, quod Judæi multum seminabant et parum inferebant, id est colligebant.

Infirmus, propri[e]; [unde] Paulus: *Cum infirmus sum, tunc fortior sum.* Notat fragilitatem rei, unde Paulus: *Quis infirmatur et ego non infirmor?* et alibi: *Qui infirmus est olus manducet,* id est qui pronus est ad lapsum carnis, comedat tenues cibos et aridos. Notat peccatum, unde in Psalmo: *Miserere mei, Deus, quoniam infirmus sum.* Notat dejectionem, unde: *Infirma mundi eligit Deus.* Tenetur etiam negative, unde dicitur infirmus, id est non firmus; unde Gregorius dicit Adam ante peccatum fuisse infirmum, id est non firmum vel non firmatum.

Infra aliquando notat statum temporis in Evangelio: *A bimatu et infra.* Notat unionem, ut cum dicitur: *Anima clauditur infra corpus,* id est unitur corpori. Aliquando ponitur pro *supra,* unde Joannes Chrysostomus exponit sic hanc auctoritatem *a bimatu et infra,* id est a bimatu et supra. Notat statum loci ut patet.

Ingredi, proprie. Aliquando *cognoscere,* unde solet dici: *Iste ingressus est ad illam.* Dicitur *apparere,* unde in Evangelio: *Ingressus angelus ad Mariam dixit: Ave gratia.* Notat potestatem exercere, unde diabolus dicitur ingredi corpus humanum, id est potestatem vexandi habere in homine.

Inimicus dicitur ille qui alicui injuriatur, unde in Matth.: *Diligite inimicos vestros.* Apud Judæos dicitur inimicus omnis idololatra qui non est Judæus, unde: *Diliges amicum tuum,* id est odio habebis inimicum tuum. Dicitur diabolus, unde in Matth.: *Inimicus homo hoc fecit.* Dicitur peccatum, unde in Psalmo: *Inveteravi inter omnes inimicos meos.* Dicitur caro tyrannis desæviens in membris nostris, unde Salomon: *Cave ab ea quæ dormit in*

(57) Deest aliquid.

sinu tuo; et alibi: *Nihil efficacius ad nocendum quam familiaris inimicus.* Dicuntur etiam amici falsi, unde Michæas propheta: *Inimici hominis domestici ejus.*

Iniquitas, generaliter quodlibet peccatum, unde Apostolus: *Sicut exhibuistis membra vestra servire immunditiæ et iniquitati.* Dicitur peccatum contra æquitatem et contra proximum, unde in Psalmo: *Neque iniquitas mea, neque peccatum meum.* Dicitur superfluitas, unde in Evangelio: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis.* Dicitur etiam iniquus emphatice: *Aperuit super me iniquitas os suum.* Dicitur infidelitas, unde Psalmista: *Beati quorum remissæ sunt iniquitates.*

Initium, rei principium. Causa rei, unde de sapientia dicitur: *Initium sapientiæ timor Domini.* Dicitur Deus, unde: *Deus est initium universorum.* Dicitur æternitas, unde Michæas propheta: *Et egressus ejus ab initio a diebus æternitatis.* Dicitur funiculus quo mediante linteum dependet, unde in Act. Petrus vidit linteum descendens de cœlo cum quatuor initiis. Dicitur consecratio, unde in Psalmo: *Initiati sunt Beelphegor. Initiæ, initiarum* sunt exempla (*sic*), dantur initio anni, unde *initiari* verbum deponentale.

Instantia, proprie, propinquitas dicitur; unde dicitur: *Dies natalis instat.* Dicitur continuatio, unde dicitur: *Iste impetravit hoc cum magna precum instantia.* Dicitur angustia, unde Apostolus: *Præter hæc sollicitudo, instantia mea quotidiana.* Dicitur sollicitudo vel glorificatio, unde dicitur: *Da mihi instantiam.*

Institor, proprie, sanctus prædicator; unde in Job: *Non calcaverunt eum filii institorum.* Institores dicuntur sancti prædicatores, qui bonis operibus instant; quia nec filii eorum, id est imitatores, Synagogam calcaverunt, quia ab ejus vocatione cessaverunt.

Insula, proprie, Ecclesia Dei, quasi in salo mundano posita et fluctibus et tempestatibus exposita; unde in Psalmo: *Lætentur insulæ multæ.* Dicitur etiam gentilitas, unde in Psalmo: *Reges Tharsis et insulæ multæ.*

Intellectus, potentia animæ qua comprehendit invisibilia; unde Augustinus in libro qui inscribitur *Perisichen*, id est *De anima*: *Quinque sunt digressiones animæ: sensus, imaginatio, ratio, intellectus et intelligentia.* Dicitur etiam intelligentia, unde in Psalmo: *Intellectus bonus omnibus facientibus eum.* Dicitur donum sancti Spiritus, unde Isaias: *Et requiescet super eum spiritus sapientiæ et intellectus.* Dicitur divina Sapientia, unde in Psalmo: *Qui fecit cœlos in intellectu.*

Interitus dicitur mors. Castigatio carnis, unde Apostolus: *Tradidi hujusmodi in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini.* Dicitur æterna damnatio, vel mors, vel peccatum; unde Psalmista: *Cadent in interitum quem fecerunt.*

Intra notat locum, unde Christus in Evangelio. *Regnum Dei intra vos est*, id est ego regnum Dei sum intra vos. Notat etiam mentis continentiam, unde in Evangelio: *Agricolæ dixerunt intra se: Ecce hæres.* Item *inter* easdem significationes habet quas habet *intra.*

Intrare, proprie, *seducere;* unde in Evangelio: *Intravit Satan in cor Judæ.* Notat *placere*, unde in Psalmo: *Intrat oratio mea in conspectu tuo.* Notat incipere esse de Ecclesia per sacrorum susceptionem, unde in Evangelio: *Amice, quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem?*

Introire, proprie, de unitate Ecclesiæ per collationem incipere esse; unde in Psalmo: *Ego autem in multitudine misericordiæ tuæ introibo in domum tuam.* Notat in conscientia exsultare, unde David: *Portas ejus in confessione aut exsultatione.* Notat incipere ad misericordiam Dei intrare, unde David: *Introite portas ejus in confessione*, id est a confessione incipite ad Dei intrare misericordiam, etc.

Introitus, proprie, adventus; unde in libro Reg.: *Estne pacificus introitus tuus?* etc. Dicitur etiam janua, unde in Gen.: *Posuit Deus cherubin et flammeum gladium in introitu paradisi.* Dicitur initium vitæ, unde Psalmista: *Dominus custodiat introitum.*

Invenire, proprie, *approbare;* unde in Psalmo: *Inveni David servum meum.* Notat doctrinam infundere, unde David: *Invenimus eum in campis silvæ.* Notat *cognoscere*, unde: *Inventus autem quærentibus me.* Notat *consequi*, unde Paulus: *Velle adjacet mihi, perficere autem non invenio.* Notat *experiri*, unde in Luc.: *Quærite et invenietis.* Notat etiam gratiam inferre, unde in Evangelio: *Perierat et inventus est.*

Iota idem quod *i*, etc. Dicitur etiam minimum præceptum, unde in Evangelio: *Amen dico vobis, donec transeat cœlum et terra, iota unum aut unus apex non præteribit a lege.*

Ira proprie dicitur subitaneus motus animi, unde Apostolus: *Sol non occidat super iracundiam vestram.* Dicitur zelus Dei, id est bona ira; unde in Psalmo: *Irascimini contra vitia, et nolite peccare.* Dicitur ignis purgatorius, unde in Psalmo: *Domine, ne in furore tuo arguas me*, id est non damnes; *neque in ira tua corripias me*, id est in igne purgatorio. Dicitur vindicta Dei, unde in Psalmo: *Tunc loquetur ad eos in ira sua;* et alibi: *Thesaurizabit sibi iram in die judicii.* Dicitur originale peccatum, unde in Apostolo homines vasa iræ dicuntur, et alibi filii iræ.

Iris, arcus cœlestis. Dicitur communicatio Dei, quam Deus, visis iniquitatibus nostris, quasi irim nobis ad terrendum ostendit; sed absque chorda quod est propitiationis. Ostendendo vero arcum monstrat nobis quam potens est destruere nos, sed absentia chordæ suam ineffabilem misericordiam nobis ostendit; unde in Apoc.: *Et iris erat in circuitu sedis*, id est propitiatio divina erat in protectione Ecclesiæ. Dicitur humana Christi natura, unde in apostolo: *Vidi angelum descendentem de cœlo, indutum*

nube et iris in capite ejus. Per angelum Christus intelligitur, per caput ejus divinitas, per iridem humanitas; quia, sicut iris opposita sibi varios colores recipit, sic humana natura unita divinitati varias recipit virtutes, etc.

Israel. Hoc nomen fuit primo datum Jacob, ut in Gen. legitur. Dicitur Judaicus populus, unde in Exodo: *Audi, Israel: Deus tuus.* Dicitur gentilis populus ad fidem conversus, unde Isaias: *Misit Dominus verbum in Jacob, et cecidit in Israel,* id est primo propositum est Evangelium Judæis, sed, eis respuentibus, cecidit in Israel, id est fructum fecit in gentibus. Dicitur Ecclesia triumphans specialiter quæ videt Deum per speciem. Israel enim interpretatur *vir videns Deum*, unde in Psalmo: *Exsultabit Jacob, et lætabitur Israel.* Modo Ecclesia dicitur Jacob, quia luctatur cum vitiis; in futuro vero erit Israel, quoniam videbit Deum per speciem.

Iter, proprie, opus bonum sive malum; unde in Psalmo: *Novit Dominus viam justorum et iter impiorum peribit.* Dicitur lex divina, unde in Psalmo: *Juxta iter scandalum posuerunt mihi.* Dicitur progressus, unde in lib. Sapientiæ: *Et nox in suo cursu iter haberet.* Dicitur spatium, unde in Jona legitur quod *Ninive erat civitas itinere trium dierum.*

J

Jacere, proprie, *vilescere*, unde poeta:

. . . *Pauper ubique jacet;*

et in Evangelio: *Qui jacebat ante januam divitis.* Notat *morari* vel *permanere*, unde: *Vos estis qui jacetis in sepulcris*, id est qui moramini in carnalibus concupiscentiis.

Jacinthus lapis, color jacinthinus; unde in Exodo legitur quod velum tabernaculi erat compositum de bysso retorta et de jacintho, et purpura, et cocco bis tincto, id est de filis sericis jacinthini, et purpurei, et coccinei coloris; potest etiam filum jacinthini coloris jacinthus in hoc loco dici. Dicitur etiam vita cœlestis, quia jacinthus habet calorem, unde Salomon: *Manus tuæ tornatiles aureæ, plenæ jacinthis;* per manus Christi intelliguntur sancti qui parati sunt ad tolerandum omnia pro Christo, unde manus tornatiles et aureæ dicuntur propter divinam sapientiam, plenæ jacinthis propter vitam. Dicitur lapis qui mutat colorem suum cum facie solis; si enim cœlum est clarum, lucet; si vero obscurum, fit obscurus: significat eos qui cum sapientibus sapienter et apte agunt et infirmis sensu condescendunt ut secundum modum auditorum se aptent, sicut Paulus ait: *Sapientiam loquimur inter perfectos;* ad eos qui paululum sapiebant, dicebat: *Non potui vobis loqui quasi spiritualibus sed quasi carnalibus; lac potum vobis dedi, non escam.* De hoc in Apoc.

Jacob est proprium nomen viri. Signat etiam Judaicum populum qui descendit de Jacob, unde Psalmista: *Comederunt Jacob*, id est Judaicum populum destruxerunt. Dicitur Christianus populus qui loco Judaici populi successit in hæreditatem, sicut Jacob primogenitus fratrem suum supplantavit, unde in Psalmo: *Exsultabit Jacob et lætabitur Israel.*

Jactare dicitur aliquis de suis bonis operibus. Dicitur *locare*, unde in Psalmo: *Jacta cogitatum tuum in Domino et ipse te enutriet.*

Jaculum, proprie, prædicatio; unde in Psalmo: *Molliti sunt sermones*, etc., *et ipsi sunt jacula.* Jacula Domini sunt verba sanctorum, quæ corda peccantium feriunt, id est percutiunt usque ad confessionem.

Janitor, proprie, prælatus per quem patet in ecclesia; unde: *Et janitori præcepit ut vigilaret.*

Janua proprie introitus: unde legitur quod Christus aperuit januam paradisi; et in Evangelio etiam dicitur: *Et clausa est janua.* Dicitur Virgo Maria quæ aperuit portam paradisi, unde in hymno: *Tu Regis alta janua.*

Jaspis lapis est subobscurus, viriditatem interius habens; significat Filium Dei, qui subobscurus pro homine assumptus et pro hominibus redimendis martyrium passus, ex gratia habens tamen in se viriditatem et divinitatem Patris altissimi. Viror interni desiderii, unde Dominus per prophetam ad Ecclesiam ait: *Ponam jaspidem propugnacula tua et portas tuas in lapides sculptas*, etc.

Jecur proprie epar, unde in Tobia legitur quod Tobias tulit secum jecur piscis et fel. Dicitur mens, unde Jer.: *Effusum est in terra jecur meum.*

Jejunium est abstinentia a cibo et a potu, unde Psalmista de Christo: *Humiliavi in jejunio animam meam.* Dicitur abstinentia a temporalibus bonis. Dicitur etiam immunitas peccati, unde solet distingui inter jejunium mœroris et jejunium exsultationis.

Jericho, nomen loci. Dicitur defectus mortalitatis, unde in Evangelio: *Quidam homo descendebat a Jerusalem in Jericho*, sicut supra scriptum est. Dicuntur sancti qui in præsenti sustinent humanos defectus, unde dicit Sapientia: *Quia ipse est contemplatio in Jericho*, quia ipse adest sanctis per gratiam.

Jerusalem, proprium nomen civitatis. Dicitur populus Judaicus, unde in Matth.: *Jerusalem, Jerusalem, quæ occidis prophetas.* Dicitur tribus Benjamin, unde Propheta: *Judæa et Jerusalem, nolite timere*, id est tribus Juda et tribus Benjamin. Dicitur status innocentiæ in quo creatus fuit Adam, unde in Evangelio de homine qui descendebat a Jerusalem in Jericho, qui incidit in latrones, scilicet Adam qui a statu immortalitatis et innocentiæ descendit in defectum mortalitatis et culpæ. Dicitur Ecclesia militans, unde in Psalmo: *Jerusalem, quæ ædificatur ut civitas.* Dicitur Ecclesia triumphans, unde de chari-

tate ait propheta Isaias quod ipsa sit *ignis in Sion*, id est in præsenti Ecclesia; *et caminus in Jerusalem*, id est in cœlesti patria. Dicitur æterna beatitudo, unde in Psalmo: *Stantes erant pedes nostri in atriis tuis, Jerusalem.* Dicuntur etiam primitivi fideles de Judæis, unde: *De Sion exibit lex et verbum Domini de Jerusalem.*

Jordanis, proprie, electi; unde in Job: *Behemoth habet fiduciam quod influat Jordanis in os ejus.* Dicuntur etiam mali; quia, sicut Jordanis defluit in mare, ita carnales descendunt in magnum mare, id est in hujus sæculi amaricantem malitiam; unde in Psalmo: *Mare vidit et fugit, Jordanis conversus est retrorsum.* Carnales enim in adventu Domini retrorsum ad eum sunt conversi. Dicitur baptismus; Jordanis enim *descensus* interpretatur: oportet autem ut qui baptizatur per humilitatem descendat; unde in Psalmo: *De terra Jordanis.* Dicitur torrens quem transivit Jacob, revertens a Mesopotamia; qui ideo dicitur Jordanis, quia fluit in Jordanem et affinis est terræ promissionis; unde in Gen.: *In baculo meo transivi Jordanem.*

Joseph est proprium nomen. Dicitur gentilis populus per gratiam auctus, unde in Psalmo: *Qui regis Israel*, id est Judæos spiritualiter videntes; *intende*, id est lumen pietatis super nos infunde: *qui deducis Joseph*, id est fidelem populum de gentibus ad majora provehis. Dicitur populus Judæorum, unde in Psalmo: *Testimonium in Joseph posuit.*

Jubilus, proprie, dicitur vox imperfecta nullius intellectus interpretata, quæ fit ad exprimendum ineffabile æternæ gratitudinis gaudium, ut est *neuma*. Dicitur gaudium apostolorum admirantium Christi ascensum; unde in Psalmo: *Ascendit Deus in jubilatione.*

Judas, nomen personæ. Dicitur etiam nomen tribus, unde in Gen.: *Juda, te laudabunt fratres tui.* Et alibi in Judic.: *Cum filii Israel quærerent quis ascenderet ante eos in prælium, respondit Dominus: Juda*, id est tribus Juda. Dicitur regnum duarum tribuum, unde in Evangelio: *Exsurgens Maria*, etc., *in civitatem Juda*, id est quæ erat tunc de regno Judæ.

Judæa, tota terra promissionis; unde in Psalmo: *Facta est Judæa sanctificatio ejus.* Dicitur pars terræ promissionis montuosa, sed quæ dividitur inter Judæam et Galilæam, unde in Matthæo: *Audiens Joseph quod Archelaus regnaret pro patre suo in Judæa.* Et de Jesu legitur quod *descendit a Judæa in Galilæam.* Dicitur una tribus, unde imperatur: *Judæa et Jerusalem*, id est tribus Judæ et tribus Benjamin, *nolite timere.* Dicitur Synagoga, unde in quodam hymno:

Judæa tunc incredula
Vesana curvo spiritu.

Judicium, proprie, reprobatio: unde in Joanne: *Qui non credit jam judicatus est.* Dicuntur sententiæ latæ, unde in Evangelio: *Pater omne judicium dedit Filio.* Dicitur comparatio, unde in Evangelio: *Regina Austri consurget in judicio adversus generationem hanc pravam*, id est, facta comparatione illius ad Synagogam, magis invenitur damnabilis Synagoga. Judicia etiam dicuntur ultiones, ut tangit Hieronymus ad Fabiolam de quadraginta duabus mansionibus, ubi, in prima mansione circa finem, inquit, *Porro quod sequitur « in diis eorum fecit judicia, » sive ut Septuaginta transtulerunt*, ultiones, *illud Hebræi autumant quod nocte qua egressus est populus, omnia in Ægypto destructa sint templa sine motu terræ, sine tactu fulminum.* Dicitur damnatio, unde in Joanne: *Et in judicium non venit.* Dicitur ascensus judicii, unde in Psalmo: *Non resurgent impii in judicio*, id est non assideant, vel non assentiant Christo judicanti. Dicitur coæquatio, unde in Genesi: *Judicavit me et coæquavit me sorori meæ.* Dicitur purgatio, unde: *Judicabitur quasi per ignem.* Dicitur discretio, unde in Psalmo: *Judica me, Domine, et discerne causam meam.*

Jugum, proprie, evangelica doctrina; unde in Evangelio: *Jugum enim meum suave est.* Dicitur potestas diaboli, unde in Isaia: *Jugum enim oneris*, id est potestas diaboli. Dicuntur terrena quæ quinque sensibus sunt subjecta, unde in Evangelio: *Juga boum emi quinque.*

Jumentum, proprie, dicitur mens dudum bruta; unde in Psalmo: *Qui dat jumentis escam ipsorum et pullis.* Jumenta quippe escam accipiunt dum sacræ Scripturæ pabulo jam dudum mentes brutæ satiantur. Dicitur tardior sensu, unde in Job: *Interroga jumenta, et docebunt te; volatilia cœli, et indicabunt tibi.* Per jumenta sensu tardiores, per cœli volatilia summa et sublimia sapientes intelligimus. Dicitur homo qui putrescit in peccato suo, unde in Psalmo: *Homo cum in honore esset non intellexit: comparatus est jumentis*; et in propheta: *Jumentum computrescens in stercoribus suis.* Dicitur humana Christi natura, unde in Evangelio de Samaritano, id est de Christo, qui vulneratum imponit jumento suo, quia per assumptam humanitatem curavit hominem. Dicitur etiam Christus, unde in Psalmo: *Ut jumentum factus sum apud te.* Dicitur simplex in Ecclesia, unde in Psalmo: *Qui dat jumentis escam ipsorum*, id est simplicibus in Ecclesia datur pabulum divini verbi.

Juncus, proprie, dicitur intentio auditorum, unde in Job: *Orietur viror calami et junci*, id est Scripturæ auditorum. Dicitur abundantia terrenorum, quia juncus in flumine abundare solet; unde Job: *Calamus et juncus marcescet*, id est abundantia terrenorum destruetur

Jurare, proprie. Quandoque amicabiliter *promittere*, unde David: *Juravit Dominus, et non pœnitebit eum.*

Justitia, proprie, Deus; unde in Psalmo: *In justitia tua libera me.* Dicitur similitudo justitiæ, unde Apostolus de Judæis loquens, ait quod *statuentes suam justitiam, justitiæ Dei non sunt subjecti.* Dicitur effectus justitiæ, unde Paulus: *Justitia enim Dei in eo revelatur ex fide in fidem*, etc.

Justus, proprie, excedens justitiam, unde Salomon in Proverbiis : *Noli esse nimis justus*. Dicitur Deus, unde in Psalmo : *Justus Dominus et justitias dilexit*, opus enim justum dicitur justus, etc.

Juvenis, proprie, dicitur renovatus per gratiam, unde in Psalmo : *Juvenes et virgines*, etc.

Juventus, proprie, innovatio virtutum vel æterna glorificatio ; unde in Psalmo : *Renovabitur ut aquilæ juventus tua*. Dicitur initium Ecclesiæ, unde in Psalmo : *Sæpe expugnaverunt me a juventute mea*. Hæc sunt verba Ecclesiæ loquentis de persecutionibus suis in hunc modum. *Sæpe expugnaverunt me*, hoc dicit pro frequentia passionum ; et hoc *a juventute mea*, scilicet a primo tempore ætatis Abel, videlicet aliquando Ecclesia in solo Abel et expugnata est a fratre suo malo et perdito Cain. Dicitur status A Ecclesiæ, unde in Psalmo : *Tu es, Domine, spes mea a juventute mea*, id est, ex quo renovata sum per gratiam, dicit Ecclesia. Dicitur confidens et præceps juvenis audacia quæ solet esse in juvenibus ; unde in Psalmo : *Delicta juventutis meæ*, id est, ne serves ad vindictam perpetuam *delicta* quibus viam æquitatis dereliqui; *juventutis meæ*, id est confidentis et præcipitis audaciæ meæ. Dicitur etiam status ante conversionem, unde sic potest exponi præfata auctoritas, *delicta juventutis meæ*, id est quæ feci adhuc vivens in domo patris mei, scilicet diaboli. Dicitur originale peccatum quod in parvulis, unde tunc sic potest exponi præfata auctoritas : *Delicta juventutis meæ*, id est originale peccatum quod est in parvulis, *ne memineris*, id est, ne reserves ad B æternam ultionem.

L

Labium, proprie, lavatorium ; unde in Veteri Testamento de Salomone legitur quod labium fecit, id est lavatorium ; et dicebatur labium, quia in introitu formam labii habet vel habere videatur. Dicitur idioma, quia est instrumentum loquelæ ; unde in Genesi legitur quod in ædificatione turris Babylonis omnes erant unius labii, id est unius idiomatis. Et in Theodolo : *Confusio fit labiorum*. Dicitur verbum, unde in Psalmo : *Disperdat Dominus universa labia dolosa*. Item : *Labia nostra a nobis sunt ;* illi qui dolose loquuntur labia dicuntur. Et ibi *labia dolosa*, id est ipsi existentes dolosi, *in corde et corde*, id est duplici corde, *locuti sunt*. Dicuntur C prophetæ, unde in Psalmo : *Et quæ procedunt de labiis meis non faciam irrita*. Dicitur populus, unde in Psalmo : *Nec memor ero nominum eorum per labia mea*, id est per apostolos per quos loquitur Deus. Vel labia dicuntur duo Testamenta quæ in uno consonant, quibus voluntates eorum ostenduntur, sed nec apostoli nec Testamenta sanctis minantur judicium. Dicuntur prædicatores, unde in Cant. : *Favus distillans labia tua*, etc.

Labor, proprie, tribulatio ; unde in Psalmo : *In labore hominum non sunt*. Dicitur fructus laboris sive laboriosa operatio, unde in Psalmo : *Labores manuum tuarum quia manducabis*, etc. Dicitur iniquitas, unde David : *Sub lingua ejus labor et dolor*, id est iniquitas et pernicies. Dicitur cogitatio de labore sanctorum ; unde, secundum aliam expositionem : *Sub lingua ejus labor et dolor*, id est, cogitationes ejus sunt de labore sanctorum. Dicitur contritio, unde David : *Laboravi in gemitu*, etc.

Laborare, proprie, pœnitere ; unde in Evangelio : *Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis*. Notat patientem esse, unde Dominus ait : *Laboravi sustinens*, id est fui patiens.

Lac, proprie, dicitur minor doctrina quæ minus intelligentibus proponitur ; unde Apostolus : *Tanquam parvulis in Christo lac dedi vobis potum, non escam ;* et alibi : *Quasi modo geniti infantes, lac concupiscite*. Dicitur Vetus Testamentum, quod Judæis quasi parvulis est datum, unde in Cant. : *Mel et lac sub lingua tua*, id est, tu scientiam habes de Veteri Testamento per lac figurato, et de Novo per mel significato propter dulcedinem gratiæ. Notat abundantiam temporalium in Exodo : *Dabo vobis terram fluentem lac et mel*, id est victualibus opulentam. Dicitur manifestatio apostolicæ prædicationis, unde in Thren. : *Candidiores nive, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo*. Per candorem lactis manifestatio prædicationis insinuatur. Dicitur infantilis ætas, unde ad Herodem dicitur : *Non coques hædum in lacte matris suæ*, id est non occides Christum per hædum significatum ; *in lacte matris suæ*, id est infantili ætate. Vel ibi per lac significatur peccatum quod a matre concupiscentia trahitur, unde sic potest exponi : *Non coques hædum*, id est, non fovebis peccatorem per adulationem in peccato suo. Vel Judæis præcipitur ne occidant Christum in die conceptionis suæ, et vocatur lac dies conceptionis Christi. Ex quo puer concipitur, lac in mamillis recipitur ; est ergo sensus : O Judæe, *non coques hædum*, id est non occides Christum in die conceptionis suæ. D

Lacryma, proprie, amaritudo pœnitentiæ ; unde David : *Lacrymis meis stratum meum rigabo*. Dicitur pœnitentia sive dolor de peccato, unde in Psalmo : *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes*, id est dolor pro peccatis fuit mihi spiritualis refectio. Dicitur tribulatio sive dolor vel miseria, quia lacrymas producit ab oculo ; unde in Apostolo : *Absterget Deus omnem lacrymam*. Dicitur fletus, unde in lib. Reg. : *Audivi lacrymam tuam*, id est fletum tuum, *et remisi tibi peccatum*. Dicitur intelligentia, quia, sicut lacryma procedit ab oculo materiali, ita intelligentia ab animo ; unde Sapientia : *Punge oculum, et producet lacrymam*, id est exerce animum et producet intelligentiam.

Lactare, proprie, delicate nutrire, unde in Parabolis : *Lacta filium, et paventem te faciet*. Notat *adulari*, unde : *Si te lactaverint peccatores, non eis acquiescas*. Significat *decipere* vel prave docere, unde in Threnis : *Lamiæ nudaverunt mammam, lactaverunt catulos suos*.

Lactere, proprie, notat simplici doctrina instrui ; unde David : *Ex ore infantium et lactentium*.

Lactuca, proprie, dicitur amaritudo pœnitentiæ ; unde in Exodo : *Et edent nocte illa carnes assas igni, et panes azymos cum lactucis agrestibus ;* in nocte agnum comedimus, quia in sacramento Dominicum corpus accipimus quando adhuc invicem nostras conscientias non videmus. Carnes assas agni comedimus, quando ardorem passionis Christi in mente nostra excogitamus ; panes sine fermento manducamus, quando recta opera sine corruptione vanæ gloriæ exercemus. Lactucæ agrestes valde amaræ sunt, et nos pro peccatis nostris affligi debemus, quatenus ipsa amaritudo pœnitentiæ abstergat a mentis stomacho humorem perversæ vitæ.

Lacus proprie dicitur stagnum vel aqua immobilis. Dicitur fovea vel cavea, unde in Daniele legitur quod missus est in lacum leonum. Dicitur infernus propter sui profunditatem et tenebrositatem, unde Zacharias propheta ait : *Qui eduxisti vinctos de lacu in quo non erat aqua*. Infernus vero non immerito lacus dicitur, quia hos quos semel ceperit superfluctuantes et trepidos tormentis circumfluentibus absorbet. Dicitur profunditas carnalium concupiscentiarum, unde in Psalmo : *Eduxisti nos de lacu miseriæ et de luto fæcis*. Dicitur etiam peccatum, unde in Psalmo : *Lacum aperuit*, id est peccatum inchoavit.

Lætari, proprie, dicitur gaudio spirituali exsultare, unde in Psalmo : *Lætamini in Domino et exsultate justi*.

Læva proprie significat sinistram. Dicitur reprobus, unde Isaias : *Ad dexteram et ad lævam dilataberis ;* dum quosdam conversos de malignitate sua Ecclesia suscipit, tunc ad dexteram dicitur dilatari. Ad lævam quoque dilatatur, dum ad se quosdam etiam in iniquitate permansuros admittit. Dicitur terrenum bonum vel temporalis vita, sicut dextera bonum æternum significat ; unde in Cant. : *Læva ejus sub capite meo et dextera illius amplexabitur me*, id est in præsenti vita sustentabor temporalibus bonis et in futuro fruar æternis. Dicitur etiam adversitas, unde : *Non declines ad dexteram vel ad lævam*, id est ne [frangaris] adversis nec extollaris prosperis. Dicitur pœna vel reprobatio, unde dicitur quod sancti erunt a dextera parte Christi, reprobi a læva.

Lagena proprie est vas, unde Gedeon in Judic., fractis lagenis, terruit hostes, scilicet Madianitas ; signat corpus quod est frangendum jejunio, ut diabolus, qui per Madianitas significatur, exturbetur. Signat etiam legem legere, unde in passione : *Occurret vobis homo lagenam aquæ vel amphoram bajulans*. Ibidem etiam significat fragiles homines ministros gratiæ Dei.

Lambere, proprie, *imitari ;* unde Job : *Pulli aquilæ lambunt sanguinem*. Aquila Christus, pulli martyres qui lambunt Christi sanguinem, id est imitantur ejus passionem. Notat etiam *sumere*, unde prædicta auctoritas potest sic exponi : *Pulli aquilæ*, id est fideles, *lambunt carnem et sanguinem*, id est sumunt carnem et sanguinem in Ecclesia Dei, et hoc Christi Jesu. Notat *tangere*, secundum quod solemus dicere : *Vestis lambit terram*, id est tangit.

Lamia proprie est monstrum virgineam habens faciem, id est aquinos (58), quod carnibus vescitur humanis. Dicitur diabolus, secundum quod quidam dicunt dæmones apparere in specie mulieircularum ad suffocandum parvulos, et secundum quod dictum est, dicuntur lamiæ, quasi laniæ a *laniando* ; unde Beda super illum locum Marci : *Ne veniens sugillet me*, dicit quod sugillo dicitur a *sugo, sugis*, vel *sugillare*, quasi sub gula manum imponere ; et est tractum a lamiis quæ sugendo enecant parvulos. Dicuntur falsi prædicatores vel hæretici, unde in Threnis Jer. : *Lamiæ nudaverunt mammam, lactaverunt*, etc.

Lampas, proprie, cor humanum habens oleum charitatis qua debet accendi ; unde in Evangelio : *Date nobis de oleo vestro, quia lampades nostræ exstinguuntur*. Dicuntur sancti qui lucem boni exempli aliis proponunt, unde in Cant. : *Lampades ejus, lampades ignis atque flammarum*. Dicitur donum Spiritus sancti vel Spiritus septiformis, unde in Apoc. : *Et septem lampades ardentes ante thronum qui sunt septem spiritus Dei*. Per septem lampades intelligitur septiformis gratia Spiritus sancti, vel septem dona Spiritus sancti. Dicitur etiam Christus. In lampade sunt duo, scilicet vitrum et ignis, sic in Christo duo : natura humana quæ fuit quasi vitrum fragilis, et divina natura accendens et illuminans tanquam ignis ; et sicut lampas fragilis est in atria, ita humana natura multiplici fragilitate est obnoxia ; et sicut lampas non habet ex se claritatem, sic humana natura non habet ex se gratiæ splendorem ; ex concursu olei et flammæ lampas profundit lucem ; ante Christi adventum humana natura erat lampas sine luce, lucerna sine lumine, sed lampas ista est accensa, quando humana natura est a Christo assumpta, et lampadi humanæ naturæ infusum est oleum divinæ gratiæ ; unde dicitur quod Salvator ejus ut lampas accensus est, quando humanam naturam in se oleo divinæ gratiæ perfudit et flammam deitatis accendit, et sic in nocte hujus mundi viantibus lumen præbuit. Dicuntur etiam opera nostra, unde in Evangelio : *Simile est regnum cœlorum decem virginibus quæ accipientes lampades :* scilicet omnes lampades habent ; sed omnes lampades oleum non habent, quia plerumque in se bona cum electis reprobi ostendunt. Veniente autem Sponso, omnes virgines surgunt, quia electi et reprobi a somno

(58) Sic. Forte legendum, *et artus anguinos*.

suæ mortis excitantur; lampades ornant, quia secum opera sua numerant pro quibus æternam beatitudinem recipere exspectant. Sed fatuarum lampades exstinguuntur, quia earum opera, quæ clara hominibus apparuerunt, in adventu judicis intus obscurantur, et ideo retributionem non inveniunt, quia pro eis receperunt ab hominibus laudes quas amaverunt et in hoc mundo dilexerunt.

Lana, proprie, dicitur virtus; quia, sicut ex lana fit corporis indumentum vel vestimentum, ita ex virtute fit animæ indumentum; unde in Isaia : *Et fuerint peccata vestra rubea quasi vermiculus, velut lana alba erunt;* quasi diceret : Si ad me conversi fueritis, loco gravium peccatorum quæ sunt in vobis erit virtutum dealbatio. Dicitur divina natura vel Christi innocentia, unde in Apoc. : *Caput ejus velut* B *lana album erat.* Dicuntur fortiores qui sunt in Ecclesia, qui cedunt ornamentum et indumentum Ecclesiæ; unde de Ecclesia dicitur in Salomone : *Quæsivit lanam et linum.* Per lanam, ut dictum est, intelliguntur in Ecclesia fortiores; per linum illi qui sunt pœnitentes, qui per multam contritionem pœnitentiæ assumunt candorem justitiæ.

Lancea, proprie, tentationum jacula; unde Jer. : *Circumdedit me lanceis suis.* Ecclesia lanceis ab hoste suo circumdatur, quando in membris suis ab impugnatore callido tentationum jaculis impeditur. Bene autem circumdari lanceis dicitur, quia antiquus hostis tentationis suæ vulnere nos impedit. Sæpe enim gula restringitur ut libido subigatur. C Si autem corpus abstinentiæ afflictione non atteratur, contra mentem libidinis flamma se excitat. Sæpe dum servare per simoniam nitimur, ad tenaciam labimur; et dum possessa effuse distribuimus, ad avaritiam ducimur, quia rursum colligere quærimus quod tribueramus. Dum ergo antiqui hostis jacula ubique nos impediunt, nunc recte dicitur : *Circumdedit me lanceis suis.*

Lapidare proprie, hoc est lapidibus obruere, unde in Act. apostolorum legitur quod increduli lapidabant Paulum, non quod eum lapidibus occiderint, sed quod eum lapidibus oppresserint. Significat etiam lapidibus occidere, unde in Act. apostolorum : *Lapidaverunt Judæi Stephanum.* Significat etiam *condemnare*, unde in lib. Eccli. : *Piger lapidabitur stercore bovis,* id est ille qui piger est ad D implendum mandata divina, condemnabitur pro eo quod ipse amplectitur stercora, id est terrena; unde *pro croceis amplexati sunt stercora* quæ refutat bos, id est qui fert jugum Dei; vel piger ad impletionem legis Judaicæ vel Mosaicæ *lapidabitur stercore bovis,* id est condemnabitur pro eo quod criminalia adimplet et non spiritualia quæ data sunt Judæo ad implendum; de quo bene dicit propheta : *Cognovit bos possessorem suum.*

Lapis, proprie. Dicitur Christus; unde in Psalmo: *Lapidem, quem reprobaverunt ædificantes.* Item Dan.: *Lapis præcisus de monte sine manibus.* Dicitur autem Christus multiplici metaphora; quia, sicut A lapis angularis duos diversos parietes ex adverso venientes conjungit in unum, sic Christus Judæos et gentiles quasi diversos parietes ex adverso venientes, alterum ab idololatria, alterum a lege Mosaica, in unam fidem collegit; et sicut lapis præbet offendiculum incauto viatori, sic Christus occasionaliter præbuit offendiculum erroris Judæo infideli. Dicitur angelus, unde Ezech. : *Omnis lapis pretiosus indumentum tuum;* hoc de Lucifero dicitur, cui si cæteri angeli comparentur, magis elucescit sua dignitas et natura gloriæ; quia omnis angelus cedebat in decorem et ornatum Lucifero; quia minoribus junctis majoribus, et majora majora, et minora minora esse videbuntur. Dicitur autem angelus lapis pretiosus, et propter naturæ stabilitatem et ejusdem dignitatem. Dicitur justus, unde in Apoc. : *Vidi civitatem sanctam Jerusalem ex lapidibus pretiosis;* hic Jerusalem significat Ecclesiam in cujus ædificium cedunt lapides pretiosi, id est sancti. Et alibi : *Posuisti, Domine, super caput ejus coronam de lapide pretioso,* id est sancti sunt corona Christi, qui positi sunt super caput Ecclesiæ. Dicitur virtus, unde in Apoc. legitur de Jerusalem : *Gemmata omni lapide pretioso;* et Paulus : *Quidam superædificant aurum, quidam argentum, quidam lapides pretiosos.* Aurum contemplatio Dei, argentum dilectio proximi, lapis pretiosus virtus vel bonum opus; ideo autem lapis pretiosus significat virtutem, quia, sicut lapis pretiosus cedit in ornatum corporis, sic virtus in ornamentum mentis. Dicitur etiam gentilis populus incredulus, unde Joannes Baptista ait : *Potens est Dominus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ,* id est gentiles facere filios Abrahæ per imitationem in fide. Qui gentiles lapides dicti sunt propter mentis duritiam et voluntatem in malo induratam. Dicitur lex vetus propter suam duritiam, unde David : *Ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.* Dicitur peccatum, quia sui ponderositate trahit ad imum, unde : *Ejicite lapides de plateis*, id est peccata de cordibus vestris. Dicitur impetus tribulationis qui hominem opprimit velut lapis, unde in Antiph. : *Lapides torrentis illi dulces fuerunt*, id est tribulationes pro Christo toleratæ. Dicitur odium contrarium charitati, unde in Luca : *Quis ex vobis petit a patre suo panem,* id est dilectionem, *et porriget illi lapidem,* id est odium? Dicitur cordis duritia, unde in Job : *Et lapis calore solutus in æs vertitur,* quia cogitatio dura igne charitatis soluta vertitur in laudem Dei, etc. Dicitur pompa sæcularis, quam lapis significat propter sui dignitatem, unde in Psalmo : *Desiderabilia super aurum et lapidem pretiosum multum.* Dicitur dura consuetudo peccandi, unde Jer., loquens in persona Ecclesiæ, ait : *Et posuerunt lapidem super me*, id est oppressi sunt dura consuetudine peccandi. Dicitur dura cogitatio, unde de Jerusalem in Evangelio : *Et non relinquent in te lapidem qui non destruatur ;* per Jerusalem intelligitur anima, per lapides duræ cogitationes intelli-

guntur. Cum enim perversa mens perversæ cogitationi adhuc perversiorem adjicit, *lapidem super lapidem ponit*. Sed in destructa civitate *lapis super lapidem non relinquitur*, quia cum ad ultionem suam anima ducitur, omnis illa cogitationum suarum constructio dissipatur. Dicuntur verba sacræ Scripturæ, unde Ezechiel : *Quatuor autem mensæ ad holocaustum, de lapidibus quadris sunt constructæ;* per mensas corda sanctorum doctorum accipimus, ex quorum doctrina auditorum mentes reficiuntur; holocaustum offerimus, quando omnibus quæ hujus mundi sunt renuntiamus, et ad Deum opere et cogitatione convertimur. Per lapides quadros quadruplex sacræ Scripturæ expositio intelligitur. Corda enim sanctorum mensæ Dei ad holocaustum constructæ sunt, quia dum super verba Dei cogitant, semetipsos Domino a carnali vita mactant.

Laquearia proprie quæ adhærent tignis significant corporum infirmitates quæ adhæserunt corporibus Christi et Virginis; quæ eleganter cupressinæ dicuntur, quia cupressus adhibi corporibus solet quæ comburuntur et mira ab eis fragrantia redditur. Sic et infirmitates ad mortem pertinent, et in Virgine et Christo per patientias quas in infirmitatibus habuerunt mirabiliter redolent in Cant. : *Laquearia nostra cupressina.* Dicuntur auditores qui per doctrinam majorum Deo et Ecclesiæ Dei cohærent, sicut laquearia tribulis, et decorem domus Dei complent. Quare ipsa laquearia cupressina dicuntur quod lignum imputribile et boni odoris est, quia ipsi auditores verbi Dei et factores sunt bonæ fragrantiæ. Et hoc est : *Tigna domorum nostrarum*, id est prophetæ et apostoli et alii Ecclesiæ doctores, *sunt cedrina*, id est inflexibiles et firmi; *laquearia* vero *cupressina*, id est eorum imitatores, viri scilicet apostolici sunt cupressini, id est invincibiles et in bono opere indefessi.

Laqueus, proprie. Dicitur dulcedo carnalis vitæ, deceptio, quæ hominem illaqueat; unde in Psalmo : *Laqueus contritus est*. Dicitur doctrina hæreticorum illaqueans, per quam Deus permittit peccatores seduci meritis eorum exigentibus, unde in Psalmo : *Pluit super eos*, scilicet peccatores, *laqueus*. Dicitur consuetudo vel delectatio peccandi, ut in eodem exemplo secundum aliam expositionem. Dicitur fraus vel dolus quo peccatores justos illaqueare nituntur, unde Psalmista : *Narraverunt ut absconderent laqueos*, et alibi : *In laqueo quem absconderunt comprehensus est pes eorum*. Dicitur etiam affectus terrenorum vel amor, unde secundum aliam expositionem : *In laqueo quem absconderunt*. Dicitur obnoxietas moriendi, unde in Psalmo : *Præoccupaverunt me laquei mortis*. Dicitur originale peccatum, quo primo illaqueamur, quo post pervenimus ad mortem, unde secundum aliam expositionem valet : *Præoccupaverunt me laquei mortis*. Dicitur captivitas illaqueans, unde Psalmista : *Veniat illi laqueus quem ignorat*, etc.

Later, proprie. Dicitur humana natura; unde Ezechiel : *Fili hominis, sume tibi laterem*, id est humanam naturam; *tibi*, id est ad honores tui, *et scribe in eo civitatem Jerusalem*, etc. Dicitur peccatum, unde Isaias : *Venter meus ad Moab sicut cithara clamabat et ad murum decocti lateris*. Murus dicitur peccator qui ponit se murum contra Deum, qui dicitur esse cocti lateris, id est coctus in peccato. Sicut enim later ex luto fit, et per ignem consolidatur, sic peccatum, ex lubrico infirmitatis natum, per pravam consuetudinem induratur. Dicitur etiam peccator, unde solet dici : *Frustra lavo terram laterem*, quia quanto plus later lavatur, tanto magis inficitur. Ita obstinatus quanto plus corrigitur, tanto magis scandalizatur et pejor efficitur. Lateres quos Judæi facere cogebantur in Ægypto significant opera cupiditatis quæ in igne fiunt, et ignis dicitur cupiditas; unde in Psalmo : *Incensa igni et suffossa.*

Latibulum, proprie, immensitas divinæ naturæ, quæ est latibulum, quia in ipsa latet Deus ne cognoscatur; unde in Psalmo : *Posuit tenebras latibulum suum.* Dicitur obscuritas sacramentorum in qua latet divina gratia, unde sub forma panis eucharistiæ, sub visibili forma baptismi invisibilis gratia, secundum quam acceptionem prædicta solet exponi auctoritas. Dicitur occulta spes in cordibus fidelium in qua latet Deus. Et hoc est quod vult David : *Posuit tenebras latibulum suum*, id est Deus per occultam spem latet in cordibus fidelium.

Latitudo, proprie. Dicitur extensio charitatis ad inimicos; unde Paulus : *Ut comprehendamus cum omnibus fidelibus quæ sit longitudo, latitudo, sublimitas, et profundum;* ut intelligamus quæ sit latitudo charitatis, scilicet ejus extensio usque ad inimicum; quæ longitudo, id est perseverantia usque in finem; quæ sublimitas, id est erectio usque ad Deum; quæ profunditas, id est unde charitas provenit. Dicitur mentis dilatio post angustias tribulationum, unde in Psalmo : *Et eduxit me in latitudine salvum.* Dicitur amplitudo æterni præmii, unde David : *De tribulatione invocavi Dominum, et exaudivit me in latitudine Dominus.* Dicitur amplitudo scientiæ, unde in Psalmo : *Et ambulavi in latitudine, quia mandata tua exquisivi.*

Latro, proprie. Dicitur diabolus; unde in Evangelio : *Homo quidam descendebat a Jerusalem in Jericho, et incidit in latrones*, id est Adam descendens a statu innocentiæ et pacis visione et Dei contemplatione incidit in potestatem dæmonum per peccatum. Eleganter autem dæmon dicitur latro, quia nobis furatur virtutes et bona opera. Dicitur hæreticus vel pravus prælatus, quia pravo exemplo vel prava doctrina interficit; unde in Evangelio Joannis : *Qui non intrat per ostium*, etc., *ille fur est et latro.*

Latum, proprie. Amplitudinem præcepti Decalogi signat; unde in Psalmo : *Latum mandatum tuum nimis.* Mandatum enim veteris legis angustum erat, quia uni populo datum erat et uni sexui, scilicet circumcisionis præceptum. Mandatum vero evan-

gelicum latum, quia nec populum, nec sexum, nec conditionem excludit. Signat pluralitatem rei, unde in Evangelio : *Lata est via quæ ducit ad mortem*, id est plures sunt causæ quare obliquis (*sic*) homo ducatur ad mortem æternam.

Latus, proprie, gentilis populus : *Latera aquilonis civitas Regis magni;* et propheta : *Filii tui de longe venient, et filiæ tuæ de latere surgent.* Dicitur familiaris alicujus principis, unde solet dici : *Iste habet pessima latera*, secundum quam acceptionem legitur in Daniele, quod *principes quærebant occasionem accusandi Danielem ex latere regis*, id est ex uxore vel concubinis ejus, et ejus visu vel tactu vel colloquio possent accusare Danielem apud regem, quod familiaritatem vellet habere cum uxore vel concubinis ejus. Vel latera vocat quæ pertinebant ad regem, et super hoc vellent eum accusare quod rebus vel possessionibus regis detraheret. Dicitur divina propitiatio, unde in Psalmo : *Cadent a latere tuo.* Dicitur etiam angulus, unde legitur quod liber Deuteronomii positus fuit in latere arcæ, id est in angulo.

Laudare, proprie ; unde Apostolus : *Laudabo vos, in hoc non laudo.* Notat Deum glorificare, unde David : *Laudate, pueri, Dominum.* Notat materiam laudis divinæ præbere, sed quod inanimata dicuntur laudare Deum, quia ex eis elicitur laus divina; unde in Psalmo : *Laudate eum, sol et luna.* Notat bene operari quod cedit in laudem divinam, unde in Psalmo : *Lauda, anima mea, Dominum, laudabo Deum in vita mea.*

Laus proprie commendatio alicujus. Dicitur Dei glorificatio, unde Psalmista : *Laus mea Deus in sæculum sæculi.* Dicitur etiam Deus, unde David : *Quoniam fortitudo mea et laus mea Dominus.* Dicitur bona operatio, unde in Psalmo : *Laudem meam ne tacueris.* Dicitur laus vana sive inanis.

Lavacrum, proprie, baptismus; unde Sedulius : *Lavacrum puri gurgitis.* Dicitur martyrium, unde in Cant. : *Dentes tui sicut grex tonsarum quæ ascenderunt de lavacro.*

Lavare, proprie, abstinere a mortali peccato, unde : *Beatus vir qui lavat manus suas.* Notat baptismo purgari, unde : *Lavamini, mundi estote.* Notat venialibus carere, unde in Cant. : *Lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos ?* Notat pœnitere, unde David : *Lavabo per singulas noctes lectum meum.* Notat martyrium subire, unde in Apoc. : *Laverunt stolas suas in sanguine Agni.*

Leæna, proprie, Ecclesia, pro eo quod contra adversa audax est ; unde de Judæa reprobatione ait Job : *Non calcaverunt eam filii institorum, nec transivit per eam leæna.* Institores sancti dicuntur prædicatores qui bonis operibus instant; filii eorum, id est imitatores, Synagogam non calcaverunt, quia ab ejus vocatione cessaverunt ; nec leæna, id est sancta Ecclesia, per eam transiit, quia collatione gentium edita minime Judæis prædicavit. Dicitur terrena gloria, unde Job : *Rugitus leonis et vox leænæ et dentes catulorum leonum contriti sunt ;* ac si dicat : Ecclesia virtutem antiqui hostis et cupiditatem terrenæ gloriæ, quæ figuratur per leænam et per suasiones reproborum, omnium meritis vitæ superando calcavit. Dicitur mens humana propter superbiam, unde Job : *Quasi leænam capies me.*

Lectus, proprie, conscientia ; quia, sicut in lecto æger laborat, sanus quiescit : ita in conscientia laborat peccator, justus quiescit ; unde David : *Lavabo per singulas noctes lectum meum*, etc. Dicitur vir contemplativus in quo quiescit Christus per gratiam, unde in Cant. : *Lectus noster floridus est.* Dicitur humana Christi natura, secundum quam expositionem potest exponi prædicta auctoritas. Dicitur beatitudo æterna, juxta quod quidam rhythmicus (59) :

Jam in lecto cum dilecto
Quiescamus et psallamus :
. . . .
Adsunt enim nuptiæ.

Dicitur sensualitas, unde in Psalmo : *Dominus opem ferat illi super lectum.* Dicitur caro ut in eadem auctoritate.

Lecythus proprie est vas in quo deponitur oleum vel defertur, unde in libro Reg. : *Mulier Sareptana dixit ad Eliseum : Non habeo nisi parum olei in lecytho quo ungar*, id est quo reficiar. Dicitur cor humanum charitate refertum, unde in prosa (60) :

Sine lignis fidei
Nec lecythus olei
Valet, nec farinula.

Per ligna fides passionis Christi, per oleum charitas, per farinulam spes figuratur.

Legatus, proprie, prædicator ; unde in Psalmo : *Venient legati ex Ægypto*, id est sancti ex gentilitate ad fidem conversi erunt legati, id est nuntii Christi.

Legere, proprie, *furari;* unde Apostolus (61) sacrilegus dicitur quasi legens, id est furans sacra de sacro, etc. Signat *colligere*, unde solet dici : *Virgo legit flores.* Notat *navigare*, unde quidam versificator ait :

Fur aurum, virgo flores, mare nauta, libros
Clericus : æquivoce singula quisque legit.

Legio proprie collectio hominum continens sex millia sexcengentos et sexaginta sex, unde in Evangelio Dominus ad Petrum : *Non possum rogare Patrem meum, et exhibebit mihi plus quam duodecim legiones angelorum?* Dicitur pluralitas indeterminata, unde in Evangelio : *Dominus interrogavit dæmonium quod est nomen tuum? Respondit : Legio ;* quasi dicat : Male quæris, quia plures sumus, non unus tantum.

Leo, proprie. Dicitur Christus ; quia, sicut leo est rex animalium, sic Christus est rex universo-

(59) Adam. a S. Victore, seq. XIII *In dedicatione ecclesiæ*, Patrol. t. CXCVI.
(60) Id., seq. XX *In inventione S. Crucis*, ib.
(61) *Aptis*, apostolus semper.

rum; et sicut leo suscitat fetum, ita Pater suscitavit Filium; unde in Apoc.: *Vicit leo de tribu Juda.* Dicitur etiam tribus Juda, quæ ideo dicitur leo, quia quoddam privilegium obtinuit inter alias tribus; quia primo mare Rubrum intravit, quando ante alias tribus in terra promissionis contra hostem pugnavit; de ea Christus descendit, ex ea Deus reges elegit; unde in benedictionibus Jacob: *Catulus leonis Judas; ad prædam, fili mi, ascendisti, requiescens accubuisti ut leo.* Dicitur potens vel dives, unde in Eccli.: *Venatio leonis onager in eremo,* quia pascua divitum sunt pauperes. Dicitur diabolus, quia sicut *leo circuit quærens quem devoret*, ita diabolus; unde in Psalmo: *Super aspidem et basiliscum ambulabis, et conculcabis leonem et draconem.* Dicitur Antichristus propter sui sævitiam et potestatem, unde David: *Oculi ejus in pauperem respiciunt; insidiatur in abscondito quasi leo in spelunca sua.* Recte Antichristus leo dicitur, quia eos qui aperte iniqui erunt per sæcularem potentiam ad se trahit, viros sanctos per sanctitatis simulationem et miraculorum operationem decipit: illis suadebit elationem magnitudinis, istos decipiet ostentatione sanctitatis. Dicitur justus ex fide vivens in via, unde dicit Salomon: *Justus quasi leo confidens, absque terrore erit justus;* leoni recte comparatur, quia sicut leo prævalere omnibus se non ignorat, ita justus contra quoslibet insurgentes ad mentis suæ confidentiam redit, et scit quia cunctos adversantes Dei virtute superat. Dicitur quilibet raptor, unde Isaias: *Vitulus, leo et ovis morabuntur simul;* vitulus est qui se immolat Deo, leo qui alios deprædatur, ovis simplex; et omnes hi ad fidem conversi in unitate Ecclesiæ morantur. Dicitur Judæus ad fidem Christi conversus, unde: *Melior est canis vivus leone mortuo.* Gentilis populus dicitur canis propter spurcitiam idololatriæ, et ideo vivus conversus ad fidem; Judæus autem leo dicitur propter sui dignitatem quam contulit ei de præteritis nationibus; mortuus, a fide alienus, etc. Dicitur justus existens in patria, unde prædicta auctoritas potest sic exponi. Justus existens in patria recte dicetur leo propter dignitatem præmii; sed mortuus dicitur quantum ad rationem merendi, quia in patria non potest mereri. Justus vero exiens in via canis dicitur propter miseriam pœnæ et culpæ, quia *justus cadit septies in die;* qui vivus dicitur propter vitam gratiæ; *et melior leone mortuo*, id est justo glorificato, quia potest proficere in merito; justus vero non glorificatus vero respectu dicitur melior, quia est in certiori statu et digniori; unde in Evangelio: *Inter natos mulierum non surrexit major Joanne Baptista; sed qui minor est in regno cœlorum, maj r est illo.*

Lepra, proprie; unde in lege de lepra præceptum habetur. Dicitur Simoniaca hæresis, unde in lib. Reg.: *Dixit Eliseus ad Giezi: Lepra Naaman erit super te et posteritatem tuam*; simonia significata per lepram Naaman, manebit super te et tui imitatores. Dicitur macula in panno vel in pariete, unde præceptum habetur in Levit. de lepra domus et vestis, etc.

Levare, proprie, mentem erigere; unde Psalmista: *Levavi oculos meos in montes.* Notat *complanare* vel *coæquare*, unde Statius:

Pars teretes levare manu, ac disponere mensas.

Levis, proprie, delectabilis; unde in Evangelio: *Et onus meum leve.* Dicitur immunis a peccato, unde Isaias: *Ascendam super nubem levem*, id est assumam carnem a peccato immunem, et secundum hoc illud nomen *leve* contrarium est huic nomini *grave* in significatione, secundum quod aliquid dicitur grave a gravedine peccati, juxta illud Psalmistæ: *Filii hominum, usquequo gravi corde?* Dicitur immunis a gravitate virtutum; dicitur enim aliquid grave virtutum pondere, juxta illud Psalmistæ: *In populo gravi laudabo te;* et secundum hoc aliquis dicitur levis, qui levi flatu pravæ doctrinæ vel superbiæ a statu rectæ mentis movetur; et secundum hoc pulvi comparatur, unde aliquis dicitur levis esse animi, id est mobilis. Dicitur planus, unde in Gen.: *Dominus ad Noe: Fac tibi arcam de lignis levigatis.*

Lex proprie jus scriptum, assistens honestum, prohibens contrarium, ut dicit Tullius. Dicuntur cærimonialia legis, unde Apostolus: *Lex neminem duxit ad perfectum.* Dicuntur moralia legis, unde Apostolus: *Lex quidem sancta est et justa et bona.* Significat Pentateuchum, unde in Evangelio: *Sicut scriptum est in lege et prophetis et psalmis de me.* Dicitur Psalterium, unde in Evangelio: *Nonne in lege scriptum est?* in Psalmo, *Ego dixi: Dii estis et filii Excelsi omnes.* Dicitur sacra Scriptura, unde lex dividitur in veterem legem et novam. Dicuntur decem præcepta Decalogi, unde: *Lex scripta fuit in duabus tabulis.* Dicitur unum solum præceptum, unde: *De lege lepræ et zelotypiæ.* Dicitur fomes peccati, tyrannus sæviens in membris nostris. Dicitur ipsa ratio quæ scripta est in cordibus nostris, unde Apostolus: *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ*, id est rationi. Dicitur sanctificatio, unde in Psalmo: *Sed in lege Domini voluntas ejus.* Dicitur justus, unde Apostolus: *Justi autem sibi sunt lex;* sicut enim lex aliquem regit, ita justus se ipsum.

Libanus proprie mons quidam. Dicitur templum Salomonis de lignis Libani factum, unde Isaias: *Aperi portas tuas, Libane.* Dicitur candor sæculi, id est dignitas sæculi; unde in Psalmo: *Vox Domini confringentis cedros, et confringet Dominus cedros Libani*, id est per pœnitentiam conteret cedros Libani, id est elatos nitore terrenæ nobilitatis; et alibi: *Vidi impium super exaltatum et elevatum sicut cedros Libani.* Dicitur candor immortalitatis, unde David: *Justus ut palma florebit: sicut cedrus Libani multiplicabitur.* Cedrus altior est cæteris arboribus, præsertim in Libano qui interpretatur *candidatio*, ita justus in præsenti est altus virtutibus

et in futuro erit stola immortalitatis candidus. Dicitur etiam candor virtutum, unde Isaias : *Data est ei gloria Libani, decor Carmeli et Saron;* quia Ecclesiæ datus est candor virtutum. Dicitur sanctus virtutibus candidatus, unde in Cant. : *Veni de Libano, veni;* loquitur Christus ad Ecclesiam, monens eam ut cum sanctis veniat ad sui contemplationem et fruitionem. Dicitur etiam thus, sumitur enim hoc nomen Libanus in designatione thuris, unde in Epithalamo Christi et Ecclesiæ dicitur : *Ibo ad montem myrrhæ et ad collem Libani;* alia translatio habet *thuris.*

Liber, proprie, liberatus a peccato; unde Paulus : *Jam non est servus, sed liber*, et sic est adjectivum. Quandoque est substantivum et dicitur similitudo libri, unde legitur quod Dominus ostendit Ezechieli librum grandem in quo erant scripta carmina, lamentationes et væ, et similitudo libri. Dicitur memoria, unde in Apoc. : *Scribe hoc in libro*, id est commenda hoc memoriæ. Dicitur divina prædestinatio, unde Moyses : *Aut dele me de libro vitæ, aut dimitte eis hanc noxam.* Dicitur Christus, unde Joannes in Apoc. vidit librum signatum septem sigillis, quæ nemo potuit solvere nisi Leo de tribu Juda; liber iste Christus in quo fuerunt septem beneficia, quæ in alio esse non potuerunt. Primum fuit Christi incarnatio, secundum baptismus, tertium passio Christi, quartum inferni spoliatio, quintum resurrectio, sextum Spiritus sancti missio, septimum adventus ad judicium; et alibi in Psalmo : *Et in libro tuo omnes scribentur.* Dicitur conscientia, unde Dan. : *Sedit plenus dierum et libri aperti sunt coram eo*, quia in judicio singulorum conscientia patebit.

Licere, proprie; unde Paulus : *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt.* Notat *debere*, unde in Evangelio : *Licet censum dare Cæsari an non?* id est debemus dare, etc.

Ligare, proprie, notat sententiæ ecclesiasticæ subjicere. Notat ligatum ostendere. Notat satisfactionem injungere, unde in Evangelio de triplici significato : *Quodcunque ligaveris super terram*, etc. Notat *vivere*, unde Boetius :

Qui numeris elementa ligas, etc.

Notat omni potestate privare, unde in Evangelio : *Ligatis manibus et pedibus.*

Ligatus, proprie, dicitur etiam aliquis uxori astrictus; unde Apostolus : *Ligatus es uxori, noli quærere solutionem.* Dicitur aliquis sententiæ Ecclesiæ subjectus, unde in Evangelio : *Quodcunque ligaveris*, etc. Dicitur aliquis usu libertatis arbitrii privatus, unde in Evangelio : *Ligatis manibus et pedibus.* Illi enim qui erunt in inferno manus habebunt ligatas et pedes, quia nec bonum nec malum facere poterunt, nec pravos effectus producere ad effectum.

Lignum, proprie. Dicitur Christus, unde Psalmista : *Et erit tanquam lignum.* Eleganter Christus dicitur lignum, quia lignum in terra plantatur, pluvia irrigatur, viret, frondet, floret, fructum fert.

A Sic Christus in terra aliena plantatus, quando in Virgine Maria est incarnatus; pluvia cœlestis gratiæ irrigatus, viruit per virtutem, fronduit per sanctam prædicationem, floruit per odoriferam conversationem, fructum fecit per humani generis redemptionem. Dicitur crux Domini, unde in lege dicitur : *Maledictus omnis qui pendet in ligno*, et *Mittamus lignum in panem ejus;* lignum in panem mittere est Dominico corpori crucem adhibere. Dicitur Sapientia, unde in lib. Salomonis : *Sapientia est lignum vitæ amplexantibus eam.* Dicitur justus, unde in Cant. : *Ferculum fecit sibi Salomon de lignis Libani*, id est Ecclesiam construxit Christus ex sanctis; et alibi, hoc est in Evangelio : *Si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?* Dicitur veniale peccatum quod est
B gravius, unde Apostolus : *Alii superædificant lignum, fenum et stipulam;* per lignum grave veniale, per fenum minus, per stipulam minimum designatur.

Lilium, proprie, imago lilii, unde in Exodo legitur quod *in candelabro erant sphærulæ et lilia*, id est imagines liliorum. Dicitur virtus, unde in Cant. : *Ubera tua sicut hinnuli capreæ quæ pascuntur in liliis*, id est in virtutibus vel in operibus bonis. Dicitur Christus, unde in Cant. : *Ego sum flos campi et lilium convallium.* Dicitur Ecclesia, unde in Cant. : *Sicut lilium inter spinas.* Dicitur humilis, quia lilium in vallibus crescit; per lilium significantur humiles : *Dilectus meus loquitur mihi qui pascitur inter lilia.* Dicitur Israeliticus populus, unde Isaias :
C *Et Israel florebit tanquam lilium.*

Limus, proprie, unde in Gen. : *Et formavit Deus hominem de limo terræ.* Dicitur etiam Judaica iniquitas, unde : *Infixus sum in limo profundi et non est substantia.*

Lingua, proprie, falsa doctrina; unde Dominus ad Job de diabolo ait : *Et fune ligabis linguam ejus;* Christo enim veniente in carnem, firmitate fidei Christianæ falsitas diabolicæ doctrinæ constricta est. Dicitur linguæ similitudo, unde in Act. apostolorum legitur quod Spiritus sanctus apparuit in linguis igneis, quia quidam radioli splendoris apparuerunt super capita apostolorum in similitudine linguarum. Dicitur verbum, unde Psalmista : *Disperdat Dominus universa labia dolosa, et linguam magniloquam.* Dicitur
D idioma, unde in Evangelio et in Act. : *Loquebantur variis linguis.* Dicitur pœna inflicta pro peccato linguæ, unde legitur quod anima divitis loquebatur Lazaro : *Intinge extremum digiti tui in aqua ut refrigeret linguam meam*, id est pœnam inflictam mihi pro peccato linguæ.

Linteum proprie dicitur imago lintei, unde legitur in Actibus apostolorum quod Petrus vidit linteum continens in se omnia genera animantium.

Linum, proprie. Dicuntur gentiles naturalem legem habentes, unde Isaias : *Linum fumigans non exstinguet*, id est gentes suscitabit ad scintillam fidei. Dicuntur fideles qui multo labore consequuntur candorem virtutum, unde de Ecclesia dicitur in lib. Salomonis : *Quæsivit lanam et linum;* per linum

intelliguntur illi qui sunt pœnitentes, qui per multam contritionem pœnitentiæ assumunt candorem justitiæ; per lanam fortiores in Ecclesia.

Liquari [notat] *resolvi*, unde poeta : *Ut cera liquatur*. Notat *infundi*, et secundum hoc in vi passivi, unde poeta: *Elementa liquavit*, id est infundit. Notat similiter *profluere*, *decurrere*.

Liquere notat *manare*. Notat *resolvi*, unde cera dicitur liquere. Significat *innotescere*, secundum quod dicitur : *Istud liquet*, id est manifestum est.

Littera proprie charta vel epistola, unde legitur in lib. Reg. quod Urias tulit secum litteras mortis suæ. Dicitur historia, secundum quod soliti sumus dicere : *Istud exponitur ad litteram*, id est historice. Dicitur litteralis intelligentia, unde Apostolus : *Littera occidit, spiritus autem vivificat*.

Livere, proprie, *invidere*, unde et *livor* (62). Dicitur etiam proprie *inspirare*, unde David : *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus*, id est intelligentia quid mihi inspiret. Notat *generare*, unde David : *Semel locutus est Deus*, id est æternaliter genuit Filium. Notat *exercere*, unde Isaias : *Qui loquitur justitiam et propugnator est ad salvandum*. Notat *manifestare*, unde David : *Tunc loquetur ad eos in ira sua*, id est tunc manifestabit eis iram suam. Notat *cogitare*, unde in Psalmo : *Qui loquitur veritatem in corde suo*.

Livor, proprie, invidia; unde Lucanus:

Livor edax tibi cuncta negat.

Dicitur lividus color qui nascitur in cute ex verbere, unde in Gen. ait Lamech : *Occidi virum in vulnus meum, et adolescentem in livorem;* inducunt Judæi quod Lamech, cum cæcus esset, intendebat venationi cum duceretur ab adolescente; adolescens Cain latentem infra tecto [videns], credidit esse feram; ad cujus insinuationem Lamech mittens sagittam interfecit Cain, quod agnoscens, ira motus, instanter percussit juvenem quod eum interfecit. Et hoc est quod dicit : *Occidi virum*. Dicitur passio Christi, unde Isaias : *Cujus livore sanati sumus*.

Locus, proprie, mundus, qui dicitur locus malorum, quia in eo delectantur mali, unde de impio dicitur in Psalmo : *Et non est inventus locus ejus;* quia, sicut impii in futuro damnabuntur, ita et mundus dissolvetur. Dicitur sanctus, unde David : *Deus in loco sancto suo*, quia anima justi per gratiam dicitur locus Dei. Dicitur sacra Scriptura, unde *in loco pascuæ ;* eleganter dicitur locus pascuæ, quia nos spiritualiter pascit. Dicitur Ecclesia, unde David : *In loco ubi steterunt pedes ejus ;* hic locus dicitur Ecclesia, in quo pedes ejus, id est Christi, stant. Pes est inferior pars animalis, et per pedes Christi intelliguntur sancti qui in bono perseverantes usque ad finem sunt in Ecclesia Dei. Dicitur Christus, unde in prædicta auctoritate, per locum potest intelligi Christus, in quo per fidem et charitatem sunt pedes ejus, id est Ecclesiæ. Pedes Ecclesiæ dicuntur prædicatores, per quos et fides Ecclesiæ dilatatur et ipsa diffunditur. Dicitur Ecclesia triumphans vel vita æterna, unde David : *Domine, dilexi decorem domus tuæ et locum habitationis tuæ*. Dicitur occasio, unde Paulus : *Nolite locum dare diabolo*, id est occasionem possidendi vos. Dicitur peccator, unde prædicta auctoritas sic potest exponi : *Nolite locum dare diabolo*, id est nolite vos facere locum diaboli. Dicitur idololatria, unde in Deut.: *Inveni eum in loco horroris et vastæ solitudinis*. Dicitur etiam vagina, unde Dominus ad Petrum ait : *Converte gladium in locum suum*.

Locusta, proprie. Dicitur vana gloria vel superbia, unde propheta : *Residuum bruchi comedit locusta ;* per bruchum significatur luxuria; quia, sicut bruchus, qui est fetus locustæ, terræ insidens totam herbam corrodit, sic luxuria totum hominem corrumpit; per locustam, quæ habet deciduum volatum, figuratur superbia vel vana gloria, quæ cito decidit. Dicitur hæreticus, unde in Apoc. : *Obscuratus est sol et aer de fumo putei, et exierunt locustæ de fumo putei et ceciderunt in terram*. Sensus est : Per prædicationem hæreticorum obtenebrabitur fides Christi, qui per solem significatur ; per puteum intelligitur diabolus de cujus fumo, id est de cujus prava suggestione nascentur hæretici, qui in varias hæreses propter appetitum temporalium et inanis gloriæ decidunt.

Loquela proprie idioma, unde David : *Non sunt loquelæ neque sermones*. Dicitur etiam modus loquendi, unde in Evangelio : *Nam et loquela tua manifestum te facit*, id est modus loquendi.

Lorica proprie dicitur munitio, unde in Apoc. : *Et vidi equos in visione, et qui sedebant super eos habebant loricas igneas ;* dæmones enim per tribulationes quas intulerunt sanctis, per idololatras munierunt se contra fideles. Dicitur justitia, unde Petrus : *State ergo succincti lumbos et induti lorica justitiæ*.

Lotus, proprie, sacramento baptismi ablutus; unde in Evangelio : *Qui lotus est, non indiget*. Dicitur humilis vel pro cœlestibus compunctus, unde: *Si lotus fuero aquis nivis*. Hoc superius in *Aqua* expositum est.

Lucere, proprie, *offerre* vel *præsentare;* unde in Evangelio : *Et lux in tenebris lucet , et tenebræ eam non comprehenderunt ;* sensus est : Divina sapientia se offert omnibus, tam bonis quam malis, sed tenebræ , id est mali, interiori luce privati, lucem divinam non comprehendunt ; sicut sol radios suos offert tam videnti quam cæco : videns comprehendit radios, sed cæcus non.

Lucerna, proprie. Dicitur anima vel vita; unde in lib. Sapientiæ : *Lux sanctorum lætificat; lucerna autem impiorum exstinguetur*. Dicitur Joannes Baptista, unde in Psalmo : *Paravi lucernam Christo meo*. Dicuntur primitivi fideles de Judæis, unde David : *Quoniam illuminas lucernam, Domine Deus meus , illumina tenebras meas;* orat Ecclesia

(62) Quæ sequuntur spectant ad verbum *Loqui*, quod reipsa suo loco deest infra, et reponenda sunt post vocem *Loquela*.

ut sicut primitivi de Judæis, ut apostoli et alii, conversi sunt ad fidem et fuerunt lumen Ecclesiæ, ita tenebræ suæ, id est Judæi qui modo obtenebrati sunt per infidelitatem, in reliquiis illuminentur ad fidem; et ita erit quod reliquiæ Israel salvi fiant. Dicitur gaudium carnale, unde Job : *Et lucerna quæ super eum est, exstinguetur.* Lucerna in testa est gaudium in carne; lucerna ergo quæ super impium est, exstinguetur, quia in die judicii in malis gaudium carnale destruetur, cum malorum retributio eos sequetur. Dicitur Christus incarnatus, quia sicut lucerna est lux in testa, sic lux Divinitatis latuit in testa humanitatis ; unde in Evangelio Lucæ: *Quæ mulier habens drachmas*, etc., *accendit lucernam*; mulier ista est Dei sapientia quæ decem drachmas habuit, id est novem ordines angelorum et hominem ab ipsa creatum ; sed unam drachmam amisit, quando homo peccavit ; ipsa consequenter lucernam accendit, quando divinam naturam humanæ univit, ut decimam drachmam recuperaret, id est humanam naturam redimeret. Dicitur prædicatio, unde in Evangelio : *Nemo accendit lucernam et ponit eam sub modio, sed super candelabrum.* Sensus est : Nemo debet cessare a prædicatione timore mortis, ut parcat carni propriæ. Dicitur intentio, unde in Evangelio : *Lucerna corporis tui est oculus tuus*, id est si bona est intentio, bonum est opus, etc. Dicitur charitas in opere, unde in Evangelio : *Sint lumbi vestri præcincti et lucernæ ardentes;* sensus est : Non sufficit castitas in corpore nisi charitas sit in opere. Dicitur verbum Dei, unde David : *Lucerna pedibus meis verbum tuum.* Quod eleganter significatur per lucernam; quia, sicut lucerna est lux in testa, ita verbum Dei continetur in corde hominis lubrico et fragili ; unde Paulus : *Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus.*

Lucifer, proprie; unde : *Cujus flammam Lucifer matutinus inveniat.* Dicitur tempus, unde in Psalmo : *Ante Luciferum genui te*, id est ante tempus; quasi diceret æternaliter. Dicitur Christus, unde Petrus : *Donec oriatur Lucifer in cordibus vestris.* Dicitur justus, unde Job : *Cum te consumptum inveneris, orieris ut Lucifer.* Dicitur etiam diabolus, unde propheta : *Unde cecidisti, Lucifer?*

Lucta, proprie, controversia inter carnem et spiritum ; unde Apostolus : *Non est vobis colluctatio adversus carnem et sanguinem;* et alibi : *Ubi major lucta, major corona.*

Ludere, proprie, *deludere;* unde legitur in Gen. quod Sara vidit Ismaelem ludentem cum Isaac, id est eum deludentem et cogentem ut adoraret luteas imagines. Notat *idololatrare*, unde in Exodo : *Sedit populus manducare et bibere, et surrexerunt ludere*, id est vitulum adorare. Notat *auguriari*, unde Isaias : *Væ qui in avibus cœli ludunt*, id est garritu vel volatu avium auguriantur. Notat *delectari*, unde in Proverbiis : *Ludens coram eo*, id est congaudens.

Lumen, proprie. Dicitur Christi prædicatio, et Patris et Spiritus sancti cognitio; unde : *Quoniam* A *apud te est fons vitæ et in lumine tuo videbimus lumen.* Sermo dirigitur ad Christum; et est sensus : *Apud te est fons vitæ*, id est initium omnis boni; et *in lumine tuo*, id est per tui prædicationem, *videbimus lumen*, id est habebimus Patris et Spiritus sancti cognitionem. Dicitur fiducia veritatis, unde in Evangelio : *Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine*, id est, vos qui estis in timore, prædicate in lumine, id est cum fiducia; fiducia enim aufert timorem. Dicitur manifestatio, unde sic potest exponi prædicta auctoritas : Ea quæ in abscondito dixi, in manifesto prædicate. Dicitur Christus, unde Joannes : *Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine.* Dicitur sanctus, qui a Christo illuminatur, unde Jacobus : *Omne datum* B *optimum descendens a Patre luminum.* Dicitur intelligentia, unde in Joanne : *Modicum adhuc lumen in vobis est*, id est modica intelligentia. Dicitur vita æterna, unde in Joanne : *Qui sequitur me*, etc., *sed habebit lumen vitæ.* Dicitur gratia, unde David : *Signatum est super nos lumen vultus tui*, id est ratio nostra, per quam sumus tibi similes, velut lumen est signata super nos, id est superiori parti animæ impressa, id est rationi. Dicitur ratio humana, unde sic potest exponi præmissa auctoritas : *Lumen vultus tui*, id est ratio nostra per gratiam tuam illuminata, est signata super nos, id est superiori parti animæ impressa. Dicitur crux Christi, unde in Psalmo : *Signatum est super nos lumen*, C id est crux per quam nobis tuam expressisti voluntatem est signata super nos in fronte per impressionem, in mente per fidem.

Luna proprie, unde David : *Fecit lunam in tempora.* Dicitur mutabilitas temporalitatis, unde in Apoc. : *Mulier amicta sole, et luna sub pedibus ejus;* in sole illustratio veritatis; in luna, quæ menstruis deficit, mutabilitas temporalis accipitur. Sancta autem Ecclesia, quæ superni luminis splendore protegitur, quasi sole vestitur; quia vero cuncta temporalia despicit, quasi lunam sub pedibus premit. Dicitur etiam stultus, ut Salomon : *Sapiens ut sol permanet, stultus ut luna mutatur.* Dicitur etiam Ecclesia, unde, secundum aliam expositionem, potest exponi prædicta auctoritas de Ecclesia, scili- D cet : *Fecit lunam in tempora*, quæ ædificata est tempore per Christi passionem ; et alibi : *Quoniam videbo cœlos tuos*, etc., *lunam et stellas.* Eleganter autem per lunam figuratur Ecclesia; quia, sicut luna mendicat lumen a sole, ita Ecclesia lumen justitiæ a vero sole, scilicet Christo. Dicitur virgo Maria, unde in Cant. : *Pulchra ut luna.* Dicitur fama boni operis, unde Job : *Si vidi solem cum fulgeret et lunam incedentem clare ;* per solem fulgentem fulgor boni operis, per lunam vero opinio bonæ operationis intelligitur. Dicuntur minores in Ecclesia, unde Habac. : *Sol et luna steterunt in habitaculo suo*, quia et sol, id est majores in Ecclesia; et luna, id est minores, tenent ordinem suum. Dicitur defectus mortalium; quia luna patitur detrimentum et incre-

mentum, per eam significatur defectus mortalium; unde in Psalmo : *Et permanebit cum sole*, id est quandiu tempora volvuntur, quæ per solem ideo accipiuntur, quia juxta cursum solis mutantur et distinguuntur tempora; *et ante lunam*, id est ante omnia tempora, quia omnia temporalia sua immortalitate præcedit. Dicitur mortalitas carnis, unde David : *Orietur in diebus ejus justitia et abundantia pacis donec auferatur luna*, id est pax erit, donec, morte destructa, jam non sit carnis mortalitas quæ per lunam significatur. Dicitur humana Christi natura, unde in Psalmo : *Per diem sol non uret te, neque luna per noctem;* et est sensus : Si protexerit te Christus, sol non uret te per diem, id est non errabis in divinitate sive in sapientia Dei; neque luna uret te per noctem, id est non scandalizaberis in carne, id est non errabis in cognitione divinitatis, nec in cognitione humanitatis. Dicitur depressio quæ aliquando ex adversis provenit; et est sensus : *Sol non uret te per diem*, id est non ureris elatione prosperitatis; *neque luna per noctem*, id est nec depressione adversitatis succumbes.

Lupus, proprie. Dicitur diabolus; unde in Evangelio : *Lupus rapit et dispersit oves, lupus venit et mercenarius fugit;* quia, cum diabolus surgit, falsus pastor curam sollicitudinis non habet; et in Vita beati Martini legitur : *Cur nos, Pater, deseris, aut cur nos desolatos relinquis? invadent enim gregem tuum lupi rapaces*. Dicitur raptor, unde propheta : *Habitabit lupus cum agno.* Quid enim per lupum, nisi rapinis inhiantem, et quid per agnum, nisi mitem intelligere debemus; lupus autem cum agno habitat, quia per sanctæ charitatis fidem in sancta Ecclesia hi qui in sæculo raptores fuerunt, cum mansuetis ac mitibus conquiescunt. Dicitur tyrannus persequens Ecclesiam Dei, unde in Evangelio : *Mercenarius et qui non est pastor, videns lupum venientem, fugit*. Dicitur persequens Christianum, unde in Evangelio : *Ecce ego mitto vos, sicut oves in medio luporum*. Dicitur hypocrita qui alios decipit falsa religione, unde in Evangelio : *Attendite a falsis prophetis*, etc., *lupi rapaces*. Dicitur Paulus apostolus, unde in benedictionibus Jacob : *Benjamin lupus rapax, mane comedens prædam, vespere dividens spolia ;* Paulus enim, qui fuit de tribu Benjamin, in mane, id est in juventute, persecutus est Ecclesiam Dei, eam deprædando, sanctos in carcere cruciando; sed vespere, id est in senectute, ad fidem conversus spolia divisit, id est quos diabolus possidebat sua prædicatione ei abstulit.

Lustrum, proprie spatium quinque annorum; unde in hymno : *Lustra sex qui jam*. Dicitur saltus nemorum, unde in auctoribus frequenter legitur de lustris ferarum, unde *lustrabat lustra ferarum*. Dicitur expiatio, unde Ovidius de gentibus quæ faciebant lustra....

Luter proprie lavatorium, unde legitur in lib. Reg. quod *Salomon fecit decem luteres*. Dicitur animal quod habitat in aquis et utitur piscibus; unde ait Augustinus quod *luter non fuit in arca Noe*. Secundum quod significat lavatorium dicitur *hic luter, hujus luteris;* secundum vero quod significat animal, dicitur *hic luter, hujus lutri*.

Lutum, proprie. Dicitur homo, quia de luto formatus aut plasmatus; unde Job : *Memento, quæso, Domine, quod sicut lutum feceris me*. Dicitur luxuria, quia sicut lutum tenax, fetens, corrumpens : sic luxuria tenax est, quia, quem semel capit, vix deserit. Fetens est, quia fetet apud Deum, fetet apud angelum, fetet per infamiam apud proximum; corrumpens est, quia corrumpit corpus et animam; unde in Psalmo : *Ut lutum platearum delebo eos*. Dicitur profunditas peccati, unde David : *Eduxisti me de lacu miseriæ et de luto fæcis*. Dicitur appetitus terrenorum, unde Petrus : *Tanquam sus in volutabro luti*. Dicitur Judæa, unde in Job : *Restituetur lutum signaculum, et stabit sicut vestimentum*. Dominus plebem Israeliticam ut lutum reperit, quando eam idololatriæ deditam invenit, quam cum tot miraculis ad terram promissionis duxit, quasi mysterii signaculum fecit. Dicitur terrenarum rerum multiplicitas, unde propheta : *Væ ei qui multiplicat non sua, aggravat contra se densum lutum !* Denso enim luto se aggravat, qui per avaritiam terrena multiplicat. Dicitur mens Spiritu sancto illustrata, unde : *Memento, Domine, quod sicut lutum feceris me*. Sicut lutum quippe homo noster interior existit, quia Spiritus sancti gratia terrenæ menti infunditur, ut ad intellectum sui Conditoris erigatur. Dicitur doctrina sordidum sapiens, unde Propheta : *Viam fecisti in mari equis tuis, in luto aquarum multarum*, quasi dicat : Aperuisti iter prædicatoribus inter doctrinam sordidum sapientem. Dicitur etiam desiderii carnalis illecebra, unde David : *Eripe me de luto*. Luto inhærere est sordidis desideriis inquinari.

Lux, proprie, Christus; unde : *Ego sum lux mundi*. Dicuntur gentiles ad fidem conversi, unde Apostolus : *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino*. Dicuntur prædicatores sancti, ut apostoli, unde in Evangelio : *Vos estis lux hujus mundi*. Dicitur nubes lucida, unde in Gen. : *Fiat lux et facta est lux*, id est nubes lucida quæ vicem solis obtinuit. Dicitur divina natura, unde in Apoc. de Deo dicitur : *Qui habitat lucem inaccessibilem*. Dicitur vita æterna, unde : *Lux æterna luceat eis*. Dicitur angelus bonus, unde in Gen. : *Divisit lucem a tenebris*, id est bonos angelos a malis. Dicitur tempus operandi, unde in Evangelio : *Ambulate, dum lucem habetis, ne tenebræ vos apprehendant*. Dicitur fides, gratia; unde Isaias : *Habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis*. Dicitur scientia vel felicitas, unde Salomon : *Lux justi semper erit, lux impiorum exstinguetur*, id est scientia vel felicitas. Dicitur manifestatio, unde in Joanne : *Qui me odit, Agni odit lucem*. Dicitur claritas aeris, unde in catal. : *Benedicite, lux et tenebræ, Domino*. Dicitur gloria vel prosperitas præsentis vitæ, unde : *Nonne lux impii exstinguetur ?* quia fugitivæ vitæ

prosperitas cum ipsa vita citius terminatur. Dicitur cognitio legis in Evangelio, nam *auferetur ab impiis lux sua;* quia Judæi credere veritati renuerunt, cognitionem legis amiserunt. Dicitur gaudium, unde Job : *Lux obtenebrescet in tabernaculo ejus;* quia A in prava conscientia quam male inhabitat, gaudium quod habet de terrenis deficit. Dicitur justitia, unde : *Indica mihi, si nosti omnia, in qua via lux habitet*, id est in quibus habitet.

M

Maceria, proprie; unde David : *Non est ruina maceriæ.* Dicitur spirituale corpus Christi, id est Ecclesia; quia, sicut constat ex lapidibus diversis, ita Ecclesia ex sanctis; unde dicitur : *In foraminibus petræ, in caverna maceriæ.* Petra Christus, foramina vulnera Christo impressa per clavos, caverna majus vulnus quo perforatum est latus : caverna ergo dicitur maceriæ, id est Ecclesiæ, quia et ejus fuit per compassionem, et in ejus cessit utilitatem. Dicitur secundina, id est pellicula illa in qua clauditur puer in utero matris, quæ secundina dicitur, quia secundo post puerum nascitur; quæ maceria dicitur, quia quodam modo puer ea munitur, ne aliquid ei noceat; unde obstetrix dixit ad Phares, quia primus natus est de Thamar : *Nunquid propter te divisa est maceria?* id est divisa secundina, ut prius nascereris quam Emron, qui primo manum suam emiserat, cujus brachio obstetrix alligaverat filum ad servandum quod primo nasciturus erat. Dicitur Christus qui constat ex diversis membris, sicut maceria ex diversis lapidibus; unde in Psalmo : *Quousque irruitis in hominem? interficitis universi vos*, subaudi incumbentes, *tanquam parieti inclinato et maceriæ depulsæ?* volentes Christum delere, ac si sit paries inclinatus et maceria depulsa, quasi possitis nomen ejus delere de terra, qui ait : *Deus susceptor meus, non movebor amplius.* Dicitur difficultas perfectionis, unde Dominus per prophetam Osee ait : *Ecce ego sepiam viam tuam spinis, et sepiam eam maceria.* Spinis electorum viæ sepiuntur, dum idolorum punctiones inveniunt, et quasi interposita maceria viis eorum obviatur, quorum nimirum perfectionis difficultas impugnat. Dicitur munitio disciplinæ, unde in Psalmo : *Utquid destruxisti maceriam ejus?* Et Salomon : *Per agrum hominis pigri transivi et per vineam stulti viri; et ecce totum urticæ operuerunt, et maceria lapidum destructa erat.* Per agrum hominis pigri et per vineam viri stulti transire, est cujuslibet vitam negligentis inspicere, quam urticæ vel spinæ replent, quia in corde negligentis prurientia terrena desideria et compunctiones pullulant vitiorum; *maceria* autem *lapidum destructa erat*, id est disciplina Patrum ab ejus corde dissoluta. Dicitur obstaculum quod fuit inter Judæos et gentiles ante Christi adventum; quia, nec gentiles ad Judæos poterant accedere propter idololatriam, nec Judæi ad gentiles propter legem Mosaicam; unde legitur quod maceria quæ erat inter Judeos et gentiles per Christi adventum lata est.

Mactare, proprie. Notat peccata in homine destruere, unde Petro dictum est : *Macta et manduca;* ac si diceret : In hominibus vitia destrue, et sic incorpora Ecclesiæ.

B *Macula* proprie læsura corporis, unde legitur in Levit. quod agnus offerebatur sine macula, non dico velleris, sed corporis, id est qui non habebat læsuram in corpore, id est nec luscus, nec cæcus, nec claudus vel pede fractus. Dicitur criminalis culpa, unde in lib. Sapientiæ : *Beatus vir qui inventus est sine macula.* Dicitur culpa, unde Christus dicitur esse sine macula, id est immunis a culpa.

Magnificare significat magnum prædicare, unde David : *Magnificate Dominum mecum.* Notat magnum facere, unde Sap. : *Magnificavit eum in laude sua.*

Magnificentia, proprie, potestas; unde David : *Magnificentiam tuam narrabunt.* Dicitur gloria vel fama, unde in Psalmo : *Quoniam elevata est magnificentia tua super cœlos.* Dicitur Filius Dei, de quo C etiam solet exponi præmissa auctoritas, quia Dei Patris magnificentia, id est Filius Patris magnificans elevatus est super cœlos.

Magnitudo, proprie, divina majestas; unde : *Et magnitudinis ejus non est finis.* Dicitur multitudo divinæ misericordiæ, unde in Psalmo : *Et magnitudinem tuam narrabunt.* Dicitur dignitas ejus cui paret multitudo, unde Statius :

Magna cum majestate.

Magnus, proprie immensus, unde David : *Magnus Dominus et laudabilis nimis.* Dicitur insuperabilis, ibidem : *Et magna virtus ejus.* Dicitur firmus vel fervens, unde in Evangelio : *Mulier, magna est fides tua.* Dicitur mirabilis, unde David : *Magna* D *opera Domini.* Dicitur gravis, unde in Apoc. : *Hi sunt qui venerunt de tribulatione magna.* Dicitur abundans, unde in Evangelio : *Homo quidam fecit cœnam magnam;* et alibi : *Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam.* Dicitur multus, unde in Apoc. : *Vidi turbam magnam*, id est multam. Dicitur mentis devotio, magnam rem significans vel ex magna re procedens, unde legitur in Dan. Susannam clamasse voce magna, non quantum ad vocis sonoritatem, sed quantum ad mentis devotionem. Dicitur incensus, unde in Evangelio : *Gavisi sunt gaudio magno valde*, id est incenso. Dicitur profundus, unde David : *Hoc mare magnum.* Dicitur occultus vel utilis, unde Isaias : *Magni consilii Angelus.* Dicitur etiam valde solemnis, unde in Evangelio : *Erat enim magnus dies ille Sabbati.* Di-

citur etiam immeabilis vel intransgressibilis, unde in Evangelio : *Magnum chaos firmatum est.* Dicitur amplus vel spatiosus, unde domus dicitur magna, id est ampla vel spatiosa.

Magus proprie, in arte magica peritus, ut magi Pharaonis. Dicitur aliquis sapiens magus, unde in Evangelio : *Cum natus est Jesus*, etc., *ecce magi venerunt.* Sic dicuntur magi, non a magica arte, sed a majoritate scientiæ.

Majestas, proprie. Dicitur etiam divina potestas; unde in Psalmo : *Vox Domini super aquas multas, Deus majestatis intonuit;* et : *Inquisitor majestatis, opprimetur a gloria.*

Major, proprie. Dicitur major merito, unde in Evangelio : *Inter natos mulierum non surrexit major Joanne Baptista*, id est majoris meriti certitudine vel dignitate; unde sequitur in Evangelio : *Sed qui minor est in regno cœlorum, major est eo;* quia minimus angelorum qui erat in patria, erat tunc major Joanne quantum ad certitudinem. Expedimento, unde virginalis status dicitur major conjugali, id est expeditior; quia expeditius servitur Deo in virginali statu quam in conjugali. Diuturnitate, unde Apostolus : *Fides, spes, charitas : major autem horum charitas*, id est diuturnior. Dicitur major signo, unde in Evangelio : *Majorem charitatem nemo habet.* Dicitur opere, unde dicitur quod officium prælati majus est officio contemplativi, quia fructuosius quantum ad operum multitudinem. Major etiam origine, unde peccatum superbiæ majus dicitur aliis peccatis, quia origo est omnis peccati; unde David : *Et emundabor a delicto maximo.* Dicitur damno, unde peccatum Adæ dicitur majus, id est damnosius. Dicitur communitate, unde peccatum luxuriæ dicitur majus, quia communius. Dicitur contemptu, unde dicitur peccatum Judæ majus peccato Adæ, quia magis contempsit Judas quam Adam. Dicitur consuetudine, unde peccatum consuetudinis majus dicitur peccato operis.

Maledicere, proprie. Notat vindictam exercere, unde Dominus ad Abraham : *Maledicam maledicentibus tibi.* Notat quid reprobare, unde Dominus per prophetam ait : *Maledicam benedictionibus vestris.* Notat finem rei optare, unde Job dicitur maledixisse diei nativitatis suæ, id est finem mutabilitatis in qua natus est optasse. Notat malum prædicere, unde legitur quod Noe maledixit Cham filio suo, id est mala posteritatis ejus prædixit. Notat mala de aliquo dicere, unde : *Maledicentes regnum Dei non possidebunt.*

Malleolus, parvus malleus. Dicitur etiam æramentum quod præbet igni fomentum; unde propheta ait quod *ministri regis succenderunt fornacem malleolis;* alii dicunt quod aliud genus fomenti ignis est.

Malleus, proprie, diabolus; unde Psalmista : *Malleus universæ terræ contritus est.* Dicitur tentatio, unde dicitur quod *modo sunt lapides*, id est sancti, *inter malleum et incudem*, id est inter tentationes et tribulationes hujus mundi.

Malum, peccatum; in Amos : *Non est malum in civitate quod Deus non faciat*, id est fieri non permittat. Dicitur subjectum malitiæ, unde David : *Ab homine malo.* Dicitur pœna, unde Isaias : *Faciens tenebras et creans malum.* Dicitur infirmitas, unde : *Sit sermo vester : Est, est, Non, non; quod amplius, a malo est*, id est ab infirmitate cogentis jurare.

Malus, arbor. Dicitur etiam lignum quod erigitur in navi cui velum apponitur. Dicitur Christus, unde in Cant. : *Sicut malus inter ligna silvarum, sic amicus meus inter filios.* Dicitur crux Christi, unde : *Sub arbore malo suscitavi te.* Loquitur Christus ad Ecclesiam, quasi diceret : Per crucem meam suscitavi te ad fidem. Dicitur bonum opus, unde in Cantilena Ecclesiæ : *Fulcite me floribus et stipate me malis*, id est bonis operibus.

Mamma, proprie, spiritualis doctrina; unde in Cant. Ecclesiæ : *Quam pulchræ sunt mammæ tuæ*, id est doctrina tua spiritualis. Dicitur doctor Ecclesiæ, ad quam significationem potest referri præmissa auctoritas. Dicitur dogma hæreticorum, unde in Threnis : *Lamiæ nudaverunt mammas, lactaverunt catulos suos*, id est hæretici manifestaverunt dogmata sua, et deceperunt simplices.

Mandragora, proprie herba medicinalis et odorifera, quæ fert sui generis poma; quorum usus, ut dicunt multi, aufert sterilitatem. Augustinus enim dicit se diligenter investigasse effectum, tamen in eis talem non invenisse. Dicitur sanctus qui, dum exempla bonorum operum circumquaque per famam sanctam tribuit, quasi odorem, ut ægroti sanentur, spargit; unde in Cant. : *Mandragoræ dederunt odorem suum.*

Manducare, proprie. Notat incorporari unitati ecclesiasticæ, unde Joannes : *Si quis manducaverit ex hoc pane*, etc.; et alibi : *Nisi quis manducaverit carnem.* Augustinus ait quod *manducans non manducat*, id est aliquis qui sacramentaliter sumit corpus Christi, non sumit spiritualiter, quia non est de unitate Ecclesiæ. Notat *frui*, unde David : *Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es*, id est vita æterna pro bonis operibus tuis frueris. Notat *refici*, unde David : *Surgite postquam sederitis, qui manducatis panem doloris*, id est quibus est pœnitentia refectio spiritualis.

Mane, proprie, prosperitas; unde Isaias : *Veniet mane et nox decessit*, id est appropinquat prosperitas, et recedet adversitas. Dicitur initium temporis gratiæ, unde in Psalmo : *Ad vesperum demorabitur fletus, et ad matutinum lætitia.* Dicitur splendor sapientiæ Luciferi qui præcellebat alios angelos, unde secundum aliam expositionem sic potest intelligi : *Quomodo cecidisti, Lucifer, qui mane oriebaris?* Dicitur initium diei, unde in Evangelio : *Et valde mane*, etc. Dicitur initium ætatis, unde in Psalmo : *Mane sicut herba.* Dicitur dies, unde Job :

Ecce nunc in pulvere dormiam, et si mane me quæsieris, non subsistam. Dies judicii dicitur mane, quia tunc manifestabuntur opera hominum; est ergo sensus : In præsenti jam mortem carnis patior, et tamen adhuc de venturo judicio graviorem tuæ discretionis sententiam pertimesco. Dicitur initium rei, unde Isaias : *Quomodo cecidisti, Lucifer, qui mane oriebaris*, id est initio. Dicitur gratia, unde in Psalmo : *Quoniam ad te orabo, Domine, et mane exaudies vocem meam.* Dicitur initium æternæ beatitudinis, unde in Psalmo : *Mane astabo.* Dicitur initium spiritualis intelligentiæ, unde in Cant. : *Mane surgamus ad vineas*, id est ad spiritum a littera surgentes, ab ostio ad mysticum sensum. Accedamus ad sacras Scripturas, in quibus virent frondes historiæ, redolent flores allegoriæ, satiat fructus tropologiæ; et hoc est mane, id est initium spiritualis intelligentiæ. Dicitur initium temporis, unde in Evangelio : *Simile est regnum cœlorum... qui exiit primo mane*, id est paterfamilias Christus, operarii fideles, vinea sancta Ecclesia; hic conduxit operarios in vineam suam tertia, sexta, nona et undecima hora; quia, a mundi hujus initio usque ad finem, ad erudiendum plebem fidelium prædicatores congregare non desistit; mane etenim mundi fuit ab Adam usque ad Noe; tertia, a Noe usque ad Abraham; sexta hora, ab Abraham usque ad Moysen; nona, a Moyse usque ad adventum Domini; undecima, ab adventu usque ad finem mundi : has etiam horarum diversitates ad quemlibet hominem per ætatum momenta possumus distinguere. Mane quippe intellectus nostri pueritia; per tertiam adolescentia intelligi potest, quia tunc sol in altum proficit, dum calor ætatis crescit; sexta vero juventus est, in qua velut in centro sol figitur, dum in ea plenitudo roboris solidatur; per nonam senectus, in qua sol velut ab alto descendit, quia ea ætas a calore juventutis deficit. Undecima hora est ea ætas quæ decrepita vel veterana dicitur; quia vero ad vitam bonam alius in pueritia, alius in adolescentia, alius in juventute, alius in senectute, alius in decrepita ætate perducitur, quasi diversis horis in vineam operari vocantur.

Manere, proprie. Notat *adhærere* vel fructum facere, unde Joannes : *Si manseritis in me*, id est si mihi adhæseritis; *et verba mea in vobis manserint*, id est in vobis fructum fecerint. Notat inhabitare per gratiam, unde Dominus in Evangelio : *Qui manet in me et ego in eo.*

Manica, proprie, judicium divinum; unde in Psalmo : *Et nobiles eorum in manicis ferreis;* quia manicæ stringunt; significant judicium, ut : *Quod Deus conjunxit, homo non separet.* Dicitur æterna damnatio, ut in eadem auctoritate.

Manna proprie cibus qui datus est filiis Israel in deserto. Et dicitur manna descendere, quam admirantes dixerunt : *Manhu?* id est *quid est hoc.* Dicitur sacra Scriptura. Dicitur corpus Christi, unde in Apoc. : *Vincenti dabo manna absconditum.*

Mansio, proprie status essendi in præsenti, unde Apostolus : *Non habemus hic certam mansionem.* Dicitur status essendi quo Deus in aliquo est per gratiam, unde in Evangelio : *Ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus.* Dicitur status præmii, unde in Joanne : *In domo Patris mei mansiones multæ sunt.*

Manus, proprie. Dicitur vindicta divina; unde propheta : *Et adhuc manus tua extensa;* et alibi : *Quoniam tu laborem et dolorem consideras, ut tradas eos in manus tuas*, id est in vindictam divinam. Dicitur potentia divina, unde Psalmista : *Manus tuæ, Domine, fecerunt me; Exsurge, Domine Deus, exaltetur manus tua;* et alibi : *In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum.* Dicitur Filius Dei, unde David : *Emitte manum tuam de alto*, qui ideo dicitur manus Patris, quia per eum Pater operatur. Dicitur munificentia Dei, unde David : *Aperis tu manum tuam.* Dicitur exercitus, unde Act. apost. : *Misit Herodes rex manus.* Dicitur præsentia rei vel opportunitatis, unde in libro Reg. legitur de David quod postulavit ab Abimelech victualia si haberet ad manum, id est in præsentia vel in promptu. Dicitur obumbratio, unde Dominus ait : *Ponam manum ante faciem meam*, id est nubis obumbrationem ante splendorem in quo apparebo. Dicitur etiam ille qui alium regit et sustentat, unde in Evangelio : *Si manus tua vel pes tuus scandalizat te*, etc., id est : Si aliquis qui tibi intrinsecus est, vult scandalizare in fide, potius recedas ab eo corporaliter, quam noceat tibi spiritualiter. Dicitur operatio, unde Job : *Manum meam pono super os meum;* in manu operatio, in ore locutio notatur; manum ergo super os ponere est virtute boni operis culpas tegere pravæ locutionis. Dicitur fortitudo, unde Job : *Nunc quoque in amaritudine sermo meus, et manus plagæ meæ aggravata est super gemitum meum;* quasi diceret : Amici mei, qui deberent dolorem meum minuere, inordinata intentione consolationis magis eum multiplicaverunt. Dicitur propitiatio divina vel misericordia, unde David : *Etenim illuc deducet me manus tua.* Dicitur similitudo manus, unde in Dan. legitur quod Balthasar rex vidit manum scribentem in pariete, id est similitudinem manus. Dicuntur etiam fideles qui, quamvis non valeant in prædicatione, fortes tamen sunt in operatione et eleemosynarum largitione; unde in Cant. : *Manus illius tornatiles.*

Mare proprie congregatio aquarum; in Hebræo enim idiotice quælibet congregatio aquarum dicitur *mare*, unde in Gen. : Congregationes quæ appellantur maria. Dicitur lavatorium æneum, in quo sacerdotes abluebant se; unde legitur quod *Salomon fecit mare æneum*, id est lavatorium ex ære factum. Dicitur sacra Scriptura, unde in Apoc. : *Et secundus effudit phialam suam in mare;* per hoc figuratur sacra Scriptura, quæ Judæis conversa est in sanguinem, id est in intellectum carnalem. Dicitur præsens sæculum, unde David : *Hoc mare magnum et spatiosum.* Eleganter mare præsens sæculum significat;

mare quippe est salsum, inquietum, tumet et fetet; A sic præsens sæculum salsum est per amaritudinem, inquietum per curiositatem, tumet per superbiam, fetet per luxuriam. Navicula est Ecclesia. Sicut enim navicula ad optatam sine submersione pervenit regionem, ita si in fide Ecclesiæ consistimus, ad simplicitatem primam salubriter pervenimus. Sed vento contrario mare turbatur, et navicula fluctibus operitur, dum, instigante maligno spiritu, præsens sæculum undique concutitur et agitatur, et contra sanctam Ecclesiam gravis et importuna ac turbulenta tentatio sive persecutio concitatur. Dicitur mare cor nostrum, unde in Job : *Quis conclusit ostiis mare, quando erumpebat quasi de vulva procedens?* Per mare cor nostrum furore turbidum, rixis amarum, elatione superbiæ tumidum, fraude B malitiæ obscurum intelligimus. Dicitur etiam activa vita, quia, sicut in mari multiplex est tumultus, ita in activa vita multiplex actionum strepitus; unde David : *Qui descendunt mare in navibus*, id est a contemplativa vita ad activam. Dicitur gentilis populus, unde Isaias : *Erubesce, Sidon, ait mare*, id est gentilitas ad fidem conversa insultans Judææ per Sidonem figuratæ, ait : Quæ a fide es aversa, me ad fidem conversa, quæ potius deberes converti, quia tibi tradita sunt eloquia Dei, *erubesce*. Eleganter per Sidonem figuratur Judæa; Sidon enim interpretatur *venatio*, et Judæa tota mentis intentione venatur terrena. Per mare vero gentilitas, quæ amaritudine idololatriæ amara erat; mare enim dicitur C ab *amaritudine*. Dicitur infernus, unde Job : *Nunquid ingressus profundum maris?* Dicitur baptismus, unde in Apoc. : *Et vidi tanquam mare vitreum;* vitreum dicitur propter puritatem fidei, quæ manifestatur in baptismo. Mare hic baptismum significat, testante Apostolo, qui dicit : *Patres nostri omnes sub nube fuerunt, et omnes mare transierunt, et omnes baptizati sunt in nube et mari;* unde Psalmista : *Mirabiles elationes maris.*

Marmor, proprie, firmitas; unde in Cant. : *Crura illius columnæ marmoreæ*, etc. Crura sponsi sunt prædicatores nominis Christi, ut sunt sancti prædicatores qui Christum portant per mundum et annuntiant regibus et principibus, qui fortes sunt et recti, et resistunt vitiis et concupiscentiis hujus D vitæ.

Marsupium, proprie, possessio; unde in libro Sapientiæ : *Unum sit marsupium omnium nostrorum.*

Massa proprie, unde Apostolus ait quod de eadem massa facit figulus vasa in honorem et vasa in contumeliam. Dicitur Synagoga, unde idem ait : *Si delibatio facta est, et massa*, id est primitivi de Judæis fideles, potest fieri ut reliqui sanctificentur. Dicitur etiam universitas operum, unde in Evangelio : *Modicum fermentum totam massam corrumpit.*

Mater, proprie, Eva a qua descendimus; unde David : *Pater meus et mater mea dereliquerunt me*, id est Adam et Eva per peccatum suum exposuerunt me pœnæ et culpæ. Dicitur concupiscentia, unde prædicta auctoritas sic potest exponi : *Pater meus*, scilicet diabolus; *mater mea*, scilicet concupiscentia, *dereliquerunt me ;* sensus est : Ego dereliqui diabolum et pravam concupiscentiam. Dicitur corruptio, unde Job : *Putredini dixi : Pater meus es et mater mea.* Dicitur gratia benedictione, unde : *In novam pariat gratia mater infantiam.* Dicitur anima in qua oritur Christus per gratiam, unde in Evangelio : *Qui fecerit voluntatem*, etc., *et mater est.* Dicitur Ecclesia militans, unde in Cant. amoris : *Egredimini, filiæ Sion, et videte regem Salomonem in diademate quo coronavit eum mater sua.* Hic diadema dicitur conventus sanctorum quo Ecclesia coronat Christum quasi diademate; unde in Psalmo : *Posuisti in capite ejus coronam.* Dicitur etiam triumphans, unde in Cant. : *Tenui illum, nec dimittam donec introducam illum in domum matris meæ*, id est in empyreum cœlum in quo regnat triumphans Ecclesia, quæ dicitur mater militantis. Dicitur Synagoga quæ Ecclesiam de gentibus instruxit ad fidem exemplo et instructione, unde in Cant. : *Filii matris meæ pugnaverunt contra me*, id est Synagoga, scilicet Judæa quæ dicitur fuisse mater Ecclesiæ de gentibus, quia primitivi de Judæa, ut apostoli, gentes converterunt ad fidem. Dicitur terra, unde Adam dicitur filius terræ; a simili, terra dicitur mater Adæ.

Maxilla, proprie. Dicitur etiam bonum spirituale vel temporale; unde in Evangelio : *Si percusserit te in maxillam dexteram*, etc., id est si aliquis voluerit te in spiritualibus, potius te permittas lædi in temporalibus quam in spiritualibus. Dicitur potestas diaboli, unde legitur in Job maxillam serpentis perforatam esse, id est diaboli potestatem infirmatam fuisse per Christi adventum; quæ eleganter dicitur maxilla, quia, sicut trajicitur cibus per maxillam ut incorporetur, ita diabolus potestate sua sibi malos incorporat; unde quidam rhythmicus ait (63) :

Anguem forat in maxilla,
Christus hamus et armilla;
In cavernam reguli
Manum mittit ablactatus,
Et sic fugit exturbatus
Vetus hospes sæculi.

Christus dicitur hamus et armilla; hamus propter assumptam humanitatem, armilla propter virtutem divinitatis. Hunc hamum diabolus appetiit, cum verniculum carnis in cruce deglutivit; sed hamo divinitatis, quæ sub carne quasi sub verniculo rubeo latebat, captus est. Armilla vero, id est virtus divinitatis, perforavit maxillam Leviathan, cum potestatem diaboli minuit, et infernum confregit, et per foramen electos extraxit, et carnem Christi mortificatam tertio die conduxit : hoc enim anima Christi sola sine divinitate minime potuisset, cum

(63) Adam. a S. Victore, seq. V *De resurrectione Domini*, Patrol. t. CXCVI.

anima Christi creatura fuisset et non creatrix. Dicitur prælatus, quia per eum spiritualis cibus sacræ Scripturæ atteritur, et in stomachum mentis trajicitur; per prælatos enim sancta mater Ecclesia iniquos a vitiis conterit, et quasi glutiens in sua membra convertit; unde in Jeremia legitur: *Plorans ploravit in nocte, et lacrymæ ejus in maxillis ejus.* Prælati enim compatiuntur infirmis cum Apostolo, dicentes: *Quis infirmatur et ego non infirmor?* Dicuntur etiam victualia, quia per maxillas cibus atteritur; unde David: *In hamo et freno maxillas eorum constringe*, id est subtrahe eis victualia.

Maximum, proprie de re maxima datum, unde præceptum de dilectione Dei datum dicitur maximum; Christus enim in Evangelio loquens de hoc præcepto: *Diliges Dominum*, etc., ait, *hoc est maximum et primum mandatum*, id est de re maxima, id est de Deo vel ejus dilectione. Dicitur maximum origine, unde in Psalmo: *Et emundabor a delicto maximo*, id est superbia, quæ est origo omnium malorum. Dicitur maximum effectu, unde in benedictione aquæ dicitur: *Maxima quoque sacramenta aquarum substantia conficiuntur.* Baptismus dicitur maximum sacramentum effectu, quia culpam et pœnam delet et confert gratiam.

Medicus, proprie. Dicitur Christus; unde in Evangelio: *Non est opus sanis medicus.* Dicitur ille qui aliud dicit et aliud facit, unde in Evangelio: *Medice, cura te ipsum.* Dicitur etiam doctor vel prædicator, unde in Psalmo: *Nunquid medici suscitabunt, et confitebuntur tibi?*

Medius, proprie, mediator; unde de Christo in Evangelio: *Medius vestrum stat quem vos nescitis*, id est Christus mediator vestri et Dei. Eleganter autem medius; quia, sicut quod medium est habet participium cum extremis, sic oportet mediatorem habere aliquam habitudinem cum illis quos ad concordiam vult reducere. Dicitur etiam præsens, quia quod medium est magis apparet quam extrema, quia se extremis præsentat; unde sic potest exponi: *Medius vestrum*, id est præsens inter vos. Dicitur communis; quia quod medium est communiter se habet ad extrema, medium sumitur pro communi, ut centrum a parte circumferentiæ; unde sic potest exponi quod dictum est: *Medius vestrum*, id est communis vobiscum, id est communem naturam vobiscum habens. Dicitur vilis; quia sicut medium dicitur commune, ita vile, quia omne commune vile, et quanto communius, tanto vilius, sicut omne rarum pretiosum, et quanto rarius, tanto pretiosius; unde et Judæi vilia et immunda vocabant communia. Est ergo sensus: *Medius vestrum*, id est quem vos vilem reputatis, stat. Dicitur medium quod est oppositum medio, unde in Evangelio: *Ambulabat Jesus per medios fines Decapoleos*, id est per viam quæ erat opposita mediis finibus illius regionis quæ continebat in se decem civitates; decas enim *decem*, polis *civitas* dicitur. Dicitur concordia, unde Habac.: *In medio duorum animalium cognosceris*, id est in concordia duorum testimoniorum; et in Psalmo: *Si dormiatis inter medios cleros.* Dicitur etiam rectus, unde in lege Dominus præcepit ut media via incedamus, non declinantes ad dexteram vel ad sinistram.

Mel, proprie, delectabile; unde David: *Desiderabilia super aurum*, etc., *super mel et favum*, id est super omne delectabile. Dicitur victuale, unde in Exod. Dominus: *Dabo vobis terram fluentem lacte et melle;* et in Isaia: *Butyrum et mel comedet*, ut superius expositum est. Dicitur carnalis delectatio, ad quam significationem potest referri quod dictum est in Isaia: *Butyrum et mel comedit*, id est primitivos motus et carnales delectationes in se destruet. Dicitur bona operatio, secundum quam significationem prædictam auctoritatem exponere debes, ut sit sensus: *Reprobabit malum et eliget bonum.* Dicitur spiritualis doctrina quæ dulcior est, unde in Cant.: *Mel et lac sub lingua tua*, quia Ecclesiæ doctores minorem doctrinam, quæ per lac significatur, minoribus propinant et spiritualem majoribus. Dicitur divinitas, unde sic potest exponi mel et lac: mel divina natura, lac humana; mel de rore cœli venit, quia natura divina super omnia est; lac deorsum exprimitur, quia humanitas deorsum assumpta est: igitur nihil aliud est mel et lac sub lingua Ecclesiæ esse quam Ecclesiam de divinitate et humanitate Christi recte cogitare. Dicitur Novum Testamentum. Sicut per favum, qui nil aliud est quam mel in cera, intelligimus Vetus Testamentum in quo erat veritas in umbra, nucleus in testa, sic per mel Novum Testamentum; unde in Cant.: *Comedi favum meum cum melle meo*, id est in mentes fidelium meorum transfudi intelligentiam Veteris et Novi Testamenti. Vel per mel figuratur anima Christi, quæ per mortem separata fuit a carne, per resurrectionem iterum incorporata. Comedit ergo Christus favum cum melle, quando in resurrectione et corpus animæ univit, et animam corpori; quia anima, quæ prius quasi mel, facta favus, quando ad corpus rediit, corporis autem animatio et animæ incorporatio et utriusque glorificatio fuerunt. Dicitur dulcedo sacræ Scripturæ, unde in Apoc.: *Et accepi librum de manu angeli, et devoravi eum, et erat in ore meo quasi mel dulce.* Dicitur sapientia, unde dicitur: *Fili, invenisti mel, sume ad sobrietatem, ne, si nimis, forte evomas illud;* unde Paulus: *Nolite plus sapere quam oportet sapere.* Dicuntur blanditiæ hæreticorum mel, unde Salomon: *Mel distillans labia meretricis.* Dicitur dulcedo prædicationis Christi, unde Deut.: *Suxerunt mel de petra, et oleum de saxo durissimo.* Per petram significatur Christus a quo ante passionem discipuli ejus suxerunt mel, id est prædicationis ejus dulcedinem, vel miraculorum jocunditatem. Ab eodem post resurrectionem, cum jam esset factus saxum durissimum, id est immortalis, *suxerunt oleum*, id est receperunt gratiam Spiritus sancti, misso Spiritu sancto in discipulos.

Melior, proprie. Dicitur major in corpore; unde legitur de Saule in Samuele quod *non erat melior eo in terra*, id est major in corpore. Non enim hoc de merito intelligendum est, cum multi meliores eo essent in terra, id est majoris meriti, ut Samuel et filii prophetarum. Dicitur delectabilior, unde in Cant.: *Meliora sunt ubera tua vino*, id est evangelica doctrina delectabilior est Mosaica, cujus austeritas per vinum figuratur. Dicitur fructuosior, unde Eccle.: *Melior est canis vivus leone mortuo;* quia, ille qui est in via, majorem potest facere fructum boni operis quam ille qui est in patria; unde Apostolus: *Cupio dissolvi et esse cum Christo; manere autem in carne propter fratres multo melius.* Dicitur securior vel gloriosior, unde Psalmista: *Melior est dies una in atriis tuis.* Dicitur utilior, unde David: *Melius est modicum justo.* Dicitur bonum aliquid, unde Apostolus: *Melius est nubere quam uri*, quasi diceret: *Bonum est nubere, sed non uri.* Dicitur minus malum, unde Dominus in Evangelio: *Melius esset ei si non natus fuisset*, id est minus malum esset inde, si non fuisset natus.

Memor, proprie, adimplens promissum; unde David: *Memor esto verbi tui servo tuo.* Dicitur judicans vel damnans, unde Psalmista: *Nec memor ero nominum eorum*, id est non judicabo eos in die judicii, dicens: *Ite, maledicti, in ignem æternum.* Dicitur aliquis gratiam conferens, unde David: *Memor ero Raab et Babylonis*, id est peccatoribus qui significantur per Raab et Babylonem conferens gratiam

Memoria, proprie. Dicitur vita æterna; unde in Psalmo: *In memoria æterna erunt justi.* Dicitur fama vel gloria, unde David: *Periit memoria eorum cum sonitu.* Dicitur pœna memorialis, unde David: *Redeat in memoriam iniquitas patrum ejus*, id est puniatur pœna memoriali.

Mendacium est falsa vocis significatio cum intentione fallendi, unde in Psalmo: *Perdes omnes qui loquuntur mendacium.* Dicitur idolum, quod ideo dicitur mendacium, quia non est quod esse fingitur; unde David: *Utquid diligitis vanitatem et quæritis mendacium.* Dicitur temporale bonum quod non persolvit quod promittit, quia spondet beatitudinem, nec persolvit; unde secundum aliam expositionem: *Utquid diligitis vanitatem.* Dicitur etiam peccatum, unde in Apoc.: *Nec intrabit in eam aliquid coinquinatum et faciens abominationem et mendacium.*

Mendax dicitur falsus, unde in Evangelio Christus ait de diabolo quod *ipse mendax est et pater ejus*, id est mendacii. Dicitur dolosus, unde in Psalmo quod *mendaces* sunt *in stateris*, id est dolosi in suis negationibus. Dicitur mutabilis, unde in Evangelio: *Solus Deus verax, omnis homo mendax.*

Mens, anima; unde Apostolus: *Mente servio legi Dei, carne autem legi peccati.* Dicitur etiam ratio, unde Apostolus: *Sentio aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ.* Dicitur intentio, unde aliquis dicitur mentiri, id est contra mentem ire. Dicitur memoria, unde in Apoc.: *In mente ergo habe qualiter acceperis.* Dicitur sapientia Dei sive Filius, unde Boetius:

> *Pulchrum pulcherrimus ipse*
> *Mundum mente gerens.*

Mensa, proprie. Dicitur sacra Scriptura sicut et Judæi eam prave intelligentes; unde David: *Fiat mensa eorum coram ipsis*, etc. Dicitur eucharistia, unde David: *Parasti in conspectu meo mensam.* Dicitur vita æterna, unde in Evangelio: *Ut edatis et bibatis super mensam meam.* Dicitur esus idololatricorum, id est eorum quæ immolata sunt idolis, unde Apostolus: *Non potestis communicare mensæ Christi et mensæ dæmoniorum.*

Mensis, proprie. Dicitur pluralitas gratiarum, sicut mensis est pluralitas dierum; unde Job diabolum noctem vocans, qui et alios obtenebrat peccatis et obtenebratus est, eum dicit non computari in diebus anni, nec numerari in mensibus, quia diabolus et a pluralitate gratiarum et ab universitate semotus est et alienus; unde per menses intelliguntur Ecclesiarum diversitates, unde sic potest exponi præmissa auctoritas, quia diabolus non computabitur in diebus anni, nec numerabitur in mensibus, quia semper erit a consortio sanctorum alienus. Dicitur etiam Ecclesia; quia, sicut integritas mentis ex diversis diebus, sic Ecclesia ex diversis constat fidelibus: et ideo eleganter per mensem Ecclesia figuratur, unde propheta: *Et erit mensis ex mense, et Sabbatum ex Sabbato*, id est ex Ecclesia præsenti militanti componitur triumphans. Dicitur ordo angelicus; per menses enim possunt intelligi angelici ordines, in quibus non numerabitur qui ad dignitatem angelici ordinis non revertetur. Dicitur etiam actio humana, unde Job: *Sicut cervus desiderat umbram, et sicut mercenarius præstolatur finem boni operis, sic et ego habui menses vacuos.* Sancti enim cum Deo serviunt, plerumque rerum inopia coangustantur; qui enim per actiones suas præsentia non quærunt, a mundi compendiis vacuos menses ducunt.

Mensura, proprie. Dicitur etiam meritum; unde Lucas: *Qua mensura mensi fueritis.* Dicitur vita æterna, unde in Evangelio: *Mensuram bonam et confertam.* Dicitur terminus rei, unde legitur quod *Dominus omnia creavit in numero et pondere et mensura*, id est distincte, et in suis propriis naturis secundum quas feruntur superius vel inferius et in propriis terminis et quælibet res propriis finibus et terminis concluditur. Dicitur capacitas, unde legitur quod *distributiva sunt dona et virtutes, juxta uniuscujusque mensuram.* Dicitur doctrinæ distinctio, unde in Evangelio: *Quis, putas, est fidelis servus et prudens*, etc.; *tritici mensuram*, ut majora majoribus et minora minoribus proponantur.

Mercenarius dicitur negotiator, unde in Deut.: *Non detinebis opus mercenarii usque mane.* Dicitur pseudoprælatus, unde in Joanne: *Mercenarius et*

qui non est pastor. Dicitur servus Dei, unde in Evangelio : *Fac me sicut unum de mercenariis tuis.*

Merces, proprie; unde legitur de Juda in Act. apostolorum : *Hic possedit agrum de mercede iniquitatis.* Dicitur passio Christi, unde propheta : *Ecce salvator et merces ejus cum eo*, id est sustinebit passionem per quam mercabitur nobis æternam beatitudinem. Dicitur vita æterna, unde in Evangelio : *Gaudete et exsultate, quoniam merces vestra.* Dicitur vana gloria, unde Dominus de hypocritis in Evangelio ait : *Receperunt mercedem suam.* Dicitur pœna, unde Petrus : *Et peribunt recipientes mercedem suam.*

Mereri proprie. Notat *exigere*, unde Augustinus : *Charitas habita meretur augeri ut aucta mereatur et perfici.* Notat congruum esse, unde de beata Maria virgine dicitur quod meruit portare Salvatorem, non quod hoc exigerent ejus merita, sed quia ad hoc ratione innocentiæ fuit congrua. Notat *indigere*, unde : *Infelix culpa Evæ, quæ talem ac tantum meruit habere Redemptorem*, id est indiguit tali ac tanto Redemptore, quia meritum et indigentia in hoc conveniunt quod tam meritum quam indigentia aliquid deposcit fieri; et ideo *mereri* quandoque pro *indigere* ponitur : et ideo tamen meritum dicitur congruentius.

Meretrix, proprie, tabernaria ; unde exploratores diverterunt ad domum Rahab meretricis quæ vere meretrix non fuit; sed, quia res venales exponebat, a *merendo* meretrix dicta est. Dicitur doctrina hæreticorum, unde : *Favus distillans labia meretricis.* Dicitur idololatria, unde in Apoc. : *Veni et ostendam tibi damnationem meretricis magnæ;* hic vocatur idololatria vel conventus idololatrarum. Dicitur Judæa quæ cum idolis meretricata est, unde a prophetis meretrix dicitur ; unde in Isaia : *Quomodo facta est meretrix civitas fidelis?*

Meridies, proprie. Dicitur res perpetua; quia, sicut sol existens in meridie non videtur moveri sursum vel deorsum, sic res perpetua non subjacet corruptioni; unde in Psalmo : *Vespere, et mane, et meridie*, etc., id est laudabo vespere pro præteritis, mane pro futuris, meridie pro æternis. Dicitur contemplativa vita, unde sic potest exponi hæc clausula Canticorum : *Indica mihi ubi cubes, ubi pascas in meridie*, id est in cujus mente te pascas per bonam operationem, et in cujus mente quiescas per contemplationem. Dicitur fervor charitatis, unde legitur quod, post peccatum Adæ, Dominus deambulabat per paradisum ad auram post meridiem, id est fervore charitatis jam in Adam deficiente. Quid enim est quod post peccatum hominis in paradiso Dominus non stat, sed deambulat, nisi quod, irruente culpa, se a corde hominis motum demonstrat. Quid est quod ad auram post meridiem, nisi quod lux ferventior veritatis abscesserat, et peccatricem animam culpæ suæ frigor constringebat. Increpavit ergo Adam deambulans, ut cæcis mentibus nequitiam suam non solum sermonibus, sed etiam rebus aperiret, quatenus peccator homo, et per verba quod fecerat audiret, et per deambulationem, amisso æternitatis statu, mutabilitatis suæ inconstantiam cerneret; et per auram, fervore charitatis expulso, torporem suum animadverteret, et per declinationem solis cognosceret quod ad tenebras appropinquaret. Dicitur etiam ascensio, quia in meridie Christus in cœlum ascendit, mane a mortuis surrexit, vespere mortuus fuit. Est ergo sensus : *Vespere laudabo te* pro tua passione, *mane* pro resurrectione, *meridie* pro ascensione. Dicitur dies judicii, quia tunc incandescet ira Dei, et manifestæ erunt cogitationes hominum et opera; unde in libro Sapientiæ : *In meridiano exuret terram, et in conspectu ardoris ejus quis poterit sustinere?* Dicitur tempus passionis Christi, unde in lib. Sapientiæ : *Indica mihi ubi pascas, ubi cubes in meridie*, id est in cujus mente pascas per fidem; *ubi cubes*, id est in cujus animo requiescas per charitatem; et hoc *in meridie*, id est in passionis tempore. Eleganter per meridiem passionis status figuratur; quia, sicut in meridie magis sol fervescit, sic tempore passionis in fideli charitas amplius incandescit.

Messis, proprie. Dicitur etiam finis sæculi; unde Dominus in Evangelio : *Messis quidem consummatio sæculi.* Dicitur etiam conversio ad fidem, unde Job: *Levate capita vestra*, etc., *ad messem*, id est corda hominum parata sunt ad fidei susceptionem. Dicitur ille qui convertitur, unde : *Messis quidem multa, operarii vero pauci*, id est multi sunt qui possunt meti per prædicationem, sed pauci sunt operarii quantum ad prædicationis exsecutionem. Dicitur vita æterna, unde Job : *Famelicus messem comedet*, id est per divini verbi adimpletionem consequitur vitæ æternæ beatitudinem. Famelicus ille dicitur qui esurit panem divini verbi, et secundum quod audit facit, et secundum hoc consequitur beatitudinis fructum. Dicitur sacra Scriptura, unde secundum aliam expositionem : *Famelicus messem comedet*, nimirum gentilis populus verba legis intelligendo agit ad quæ plebs Judaica sine intellectu laboravit. Dicitur donum rectæ intelligentiæ; eadem auctoritas sic potest exponi : *Famelicus*, id est stultus, habet *messem*, quando donum rectæ intelligentiæ accipit et Scripturæ sacræ sententiis docetur, bona loquitur, sed tamen nullo modo quod dicit operatur.

Metere, proprie. Notat *consequi*, unde in Apostolo: *Qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet*, id est consequetur vitam æternam. Dicitur *remunerari* vel *præmiari*, unde : *Qui seminant in lacrymis, in exsultatione metent.* Notat *colligere*, unde in Cant. : *Messui myrrham meam.* Notat *complere*, unde apostolus : *Alius est qui seminat, alius est qui metet;* prophetæ seminaverunt, apostoli messuerunt, id est compleverunt. Notat *exigere* vel *extorquere*, unde in Evangelio : *Sciebam quod homo austerus [durus] es, et metens quod non seminasti.*

Metiri proprie. Notat *remunerare*, unde : *Qua mensura mensi fueritis*. Notat *circumspicere*, unde : *Metiri se quemque decet*. Notat mundum certis terminis circumscribere, unde de Deo in Isaia dicitur quod *mensus est terram pugillo*.

Miles, proprie. Dicitur apparitor sive lictor qui deputatus est officio puniendi homines; unde legitur quod *milites crucifixerunt Jesum*. Non enim credendum est aliquos cingulo militiæ honoratos cum crucifixisse, sed potius ministros non sic honore militiæ præditos. Tamen gregarius miles solet dici, unde de Nabuchodonosor dicitur quod fuerat miles gregarius in palatio regis Assyriorum. Sunt tamen qui dicunt militem gregarium vocari illum qui est de familia alicujus princip's cum aliis militibus. In legibus etiam habetur de milite caligato. Miles etiam dicitur sanctus, qui sub Deo in bonis operibus militat, unde in hymno : *Deus tuorum militum*.

Militare, proprie. Notat *contradicere*, unde apostolus dicit vitia militare adversus animam. *Servire*, dicuntur dæmones: *Castra militantia Deo*, id est servientia.

Militia, proprie, vita humana; unde Job : *Militia est vita hominis super terram*. Dicitur exercitus dæmonum, unde Isaias : *Visitabo super militiam cœli*. Dicitur conventus astrorum, unde legitur quod Judæi adoraverunt in Ægypto militiam cœli. Dicitur exercitus angelorum qui sub Deo militant, id est diversa mysteria sub eo exercent.

Millia idem significat quod mille, unde : *Et tu Bethlehem Ephratha, nequaquam minima es in millibus Judæ*, id est inter mille civitates Judæ. Aliquando significat idem quod infinitum, unde in propheta : *Millia millium ministrabant ei*, id est infinita millia. Aliquando notat perfectionem, unde in Apoc. : *Ex tribu Juda duodecim millia signati*.

Minimus corpore aut ætate, unde in Gen. Jacob de Benjamin ait : *Minimus tenetur*, id est *vinculis*. Dicitur minimus tempore, unde Paulus dicit se minimum apostolorum quia post alios a Domino vocatus. Dignitate temporali, unde in Evangelio : *Quod fecistis uni ex minimis, mihi fecistis*. Reputatione, unde in Evangelio : *Qui scandalizaverit unum ex pusillis istis minimis*. Acredine, unde dicit Augustinus quod *minima est pœna illorum qui originali peccato actuale non addiderunt*. Facilitate ad implendum, unde Dominus iterum : *Qui solverit unum de mandatis meis minimis*. Maximum autem mandatum dicitur quod gravius est ad implendum, a simili minimum quod de facili potest impleri.

Minister, proprie; unde Dominus in Evangelio : *Ubi ego sum, illic et minister meus erit*. Dicitur auctor, unde Apostolus : *Scimus Jesum ministrum fuisse circumcisionis*. Dicitur minor, unde in Evangelio : *Qui voluerit major fieri, sit minister*, id est minor.

Minor, proprie, indignior; unde in Gen. : *Evigilans autem Noe a vino, cum didicisset quæ fecerat ei filius, ait : Servus minor erit fratribus suis*. Cham enim non fuit minor ætate, sed dignitate. Dicitur aliquis A minor merito, unde in Evangelio : *Qui minor est in regno cœlorum, major est eo*.

Minuere proprie notat inferiorem facere, unde in Psalmo : *Minuisti eum paulo minus*. Notat famæ vel gloriæ detrahere, unde in Evangelio : *Me oportet minui*. Notat *privare*, unde sic potest exponi prædicta auctoritas : *Me oportet minui*, id est capite privari; *illum autem crescere*, id est in cruce exaltari.

Minus ponitur comparative, unde David : *Minuisti eum paulo minus ab angelis*. Ponitur exceptive, unde Paulus : *Quinquies quadragenas una minus accepi*, id est una plaga. Ponitur negative, unde Joannes : *In domo Patris mei mansiones multæ sunt, si quo minus*, id est si in aliquo minus, id est non paratæ, *dixissem*.

B *Mirari*, proprie; unde in Cant. : *Nolite mirari quod fusca sum*. Notat *laudare*, unde dicitur quod homines mirabantur opera Christi. Notat *imitari*, unde Lucanus :

Hæmorrhois aspera Tullo
Magnanimo juveni, miratorique Catonis,

id est imitatori

Misericordia, proprie, divina natura; unde David: *Misericordia mea et refugium meum*. Dicitur effectus misericordiæ, unde : *Misericordias Domini in æternum cantabo*. Dicitur manifestatio misericordiæ, unde Jacobus : *Judicium fiet illi sine misericordia qui non fecit misericordiam*, id est manifestationem C suæ misericordiæ non exhibebit Deus damnatis; quia, quamvis non punientur quantum meruerunt, potius tamen apparebit in eis effectus justitiæ quam misericordiæ. Dicitur primus adventus, unde in Psalmo : *Universæ viæ Domini misericordia et veritas*, quia in principio vel in primo adventu exhibuit Deus misericordiam suam, in futuro vero justitiam exhibebit.

Mitis idem est quod mansuetus, unde in Evangelio : *Beati mites*. Dicitur misericors, unde in Evangelio Dominus : *Discite a me quia mitis sum*. Dicitur remissus, unde dicitur quod una pœna mitior est alia, et quod Deus mitius aget cum quibusdam quam cum aliis, id est remissius.

Mittere, proprie. Notat visibilem facere vel incar- D nare, unde in Evangelio : *Misit Deus Filium suum in mundum*. Notat menti humanæ infundere, unde et Filius temporali missione dicitur mitti a Patre, id est humanæ menti per gratiam infundi. Notat *spirare*, unde Spiritus sanctus mitti dicitur a Patre, id est inspirari. Dicitur menti humanæ Spiritum sanctum infundere, unde in Apostolo : *Misit Spiritum sanctum in corda nostra*. Notat *facere*, unde in Psalmo : *Mittit crystallum suam*, id est [fecit]. Notat *subtrahere* vel *permittere*, unde in Job : *Mitte manum tuam*, id est in defensionem tuam vel permitte ut ego tangam te; unde in Evangelio : *Si Filius Dei es, mitte te deorsum*.

Modicum re, unde in Psalmo : *Melius est modicum justo*. Dicitur tempore, unde in Evangelio :

Modicum, et non videbitis me. Modicum fide, unde in Evangelio : *Modicæ fidei, quare dubitasti?*

Modius proprie. Dicitur etiam lex Mosaica, unde in Evangelio : *Nemo lucernam accendit et ponit eam sub modio;* quia Christus est vera lucerna, non prædicat legalia. Dicitur terminus unius gentis, id est Christus lucernam suam non posuit sub modio, quia fidem suam in terminis unius gentis non conclusit. Dicitur temporale commodum quod continet annonam. Et lucerna non est ponenda sub modio, quia pro temporali commodo non est prædicandum; vel nemo debet abscondere lucernam sub modio, id est cessare a prædicatione timore pœnæ corporalis, ut per modium corpus figuretur quod in se continet animam.

Modus, maneries; unde Apostolus : *Multifarie multisque modis.* Dicitur mediocritas sive mensura secundum quod soliti sumus dicere : *Iste nescit tenere modum in factis suis vel verbis;* unde auctor ait : *Excessit medicina modum.* Dicitur affectus secundum quod soliti sumus dicere : *Modis omnibus deprecamur te, ut hoc facias*, id est omni mentis affectu. Dicitur modulatio, juxta quod dicitur : *Iste temperat citharam suam ad diversos modos canendi*, unde in libro Sapientiæ : *Requirentes modos musicos et narrantes carmina scripturarum.* Dicitur intentio, unde in Psalmo : *Quo modo dicitis animæ meæ : Transmigra in montem?* in qua intentione, ut sint duæ dictiones *quo modo*.

Mœchari. Notat etiam aliquam illicite cognoscere, ut mœchia dicatur omnis illicitus concubitus; unde : *Non mœchaberis.* Notat *concupiscere*, unde : *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo.* Notat verum intellectum Scripturæ subtrahere et falsum inquirere, unde Apostolus : *Qui doces non mœchandum mœcharis.* Notat *idololatrare*, unde frequenter Juda dicitur mœchari a prophetis.

Mola, proprie. Dicitur quantalibet pœna temporalis, unde in Evangelio : *Si quis scandalizaverit*, etc., *suspendit mola.* Dicitur dens molaris, unde David : *Dentes molas leonum confringet Dominus.* Mystice tamen hoc significat persecutionem tyrannorum vel pravam suggestionem dæmonum. Dicitur conjugalis status, quia cum multiplici cura et labore est, unde in Evangelio : *Duo in mola, unus assumetur et alter relinquetur;* quia de conjugatis quidam salvabuntur, quidam damnabuntur. Dicitur spes vel timor, quia inter spem et timorem debet moli Christianus, unde in Deuter. : *Non accipies alteram molam loco pignoris;* quia spes sine timore præsumptio est, timor sine spe desperatio. Solet etiam apud auctores signare pulices, etc.

Molle dicitur delicatum, unde verbum sacræ Scripturæ dicitur molle per expositionem quod prius durum erat per obscuritatem; unde in Psalmo : *Molliti sunt sermones ejus super oleum et ipsi sunt jacula.*

Mollire, proprie. Notat *delectare*, unde in Psalmo : *Molliti sunt sermones.* Notat *demulcere*, unde Salomon : *Ut eruaris a muliere extranea, quæ mollit sermones suos*, id est sermonibus demulcet. Notat *turbare*, unde legitur quod Dominus mollivit cor ejus.

Monile, proprie. Dicitur etiam prædicator vel doctor qui facto vel exemplo alios monet, unde : *Collum tuum sicut monilia;* collum Ecclesiæ dicuntur doctores, quia sicut per collum trajicitur cibus in stomachum, sic prædicatores sacram Scripturam exponentes, trajiciunt cibum sacræ Scripturæ in animam. Dicitur virtus, unde in Apoc.: *Vidi civitatem sanctam Jerusalem*, etc., *ornatam monilibus suis.*

Mons, proprie. Dicitur hæreticus propter superbiam, unde David : *Quo modo dicitis animæ meæ : Transmigra in montem sicut passer;* secundum aliam expositionem seu translationem nec hoc dicitur quantum ad rei veritatem, sed quantum ad hæreticorum opinionem, hæretici enim fingunt se altos esse in virtutibus. Dicitur Christus propter eminentiam virtutis : *Erit in novissimis diebus præparatus mons in vertice montium;* hoc Isaiæ. Dicitur etiam diabolus propter eminentiam superbiæ, unde in Evangelio : *Si quis habuerit tantum fidei*, etc., *et dixerit huic monti.* Dicitur sanctus, unde David : *Montes excelsi cervis;* et alibi : *Fundamenta ejus in montibus sanctis.* Dicitur superbus, unde David : *Tange montes et fumigabunt*, id est tange superbos per compunctionem et fumigabunt per lacrymarum effusionem, quia fumus lacrymam producit et fletum; et alibi : *Fundamenta montium.* Dicitur celsitudo virtutis, unde in propheta : *Ascende in montem tu qui evangelizas Sion.* Dicitur sacra Scriptura propter eminentiam doctrinæ, unde Habacuc : *Deus ab austro veniet et sanctus de monte Pharan*, id est umbroso vel condenso. Sacra Scriptura, mons umbrosus vel condensus; propter difficultatem intelligentiæ. Dicitur Ecclesia, unde Psalmista : *Et deducet in montem sanctum tuum.* Dicitur vita æterna propter securitatem, stabilitatem et dignitatem; unde David : *Quis requiescet in monte sancto tuo?* Dicitur primitiva Ecclesia de Judæis, quia prima cepit radios fidei; unde in Psalmista : *Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus.* Dicitur Vetus vel Novum Testamentum, unde David : *Per medium montium pertransibunt aquæ*, quia doctrina theologica consonare debet utrique Testamento. Dicitur Judaicus populus, unde Isaias de diabolo ait : *Sedebo in monte Testamenti, in lateribus aquilonis.* Malignus enim spiritus montem Testamenti tenuit, quando Judaicum populum qui legem acceperat sibi per infidelitatem subjunxit. Dicitur mons sancta, unde Job : *Mons cadens defluit*, cum in mente etiam justi hominis repræsentatio eventu agitur, quatenus sic subito tentetur et hunc inopinato proventu concutiat et prosternat. Dicitur etiam Apostolus, unde : *Transferentur montes in cor maris*, quod est factum cum prædicatores apostoli a Judæa repulsi ad gen-

tes venerunt. Dicitur alta contemplatio, unde Job de onagro ait : *Circumspicit montes pascuæ suæ.* Sancti enim per onagrum signati quanto magis se exterius despiciendo dejiciunt, tanto amplius interius revelationum contemplatione pascuntur. Dicitur aliquis de antiquis Patribus, unde in Psalmo : *Illuminans tu mirabiliter a montibus æternis.* Æternis montibus nos Dominus illuminat, quia per vitam patrum præcedentium radio nos suæ claritatis illustrat. Dicitur etiam tumor sæcularium potestatum, unde Psalmista : *Montes sicut cera fluxerunt a facie Domini.* Multi qui prius a lata rigiditate tumuerunt, Deo in carne apparente, sunt magno timore per pœnitentiam liquefacti. Et iterum : *Ascendunt montes et descendunt campi.* Plerumque enim persecutores Domini superbi contra eum veniunt, sed ab eo humiles revertuntur; quia montes ascendunt per tumorem potentiæ, sed campi descendunt plani facti per cognitionem culpæ vel miseriæ.

Monstrum dicitur res præter cursum naturæ, ut homo bicorpor, vel animal biceps vel triceps. Dicitur homo monstruosus, id est crudelis; unde de Moyse legitur in lib. Sapientiæ quod *in verbis suis monstra placavit,* id est Pharaonem et complices ejus, qui quasi monstra erant per crudelitatem, humiliavit; vel monstrum vocatur vitulus conflatilis, qui monstruose ortus est, qui præcepto Moysi contritus est; vel monstra vocantur serpentes quos fecerunt magi de virgis, quos devoravit serpens Moysi, in quem mutata est virga per Moysi verbum; vel monstra dicuntur serpentes igniti, quorum malitiam placavit Moyses, filiis Israel præcipiendo serpentem æneum aspicere. Dicuntur demonstrationes, unde Aristoteles in *Porphyrionis analyticis* ait : *Gaudeant* (?) *genera et species monstra ei sunt.* Dicitur miraculum, unde in lib. Sapientiæ : *Fecit ipsis monstra et consumpsit eos in flamma ignis.* Monstra vocatur miraculosus terræ hiatus quo absorpti sunt Dathan et Abiron. Et sic potest exponi quod dictum est : *In verbis suis monstra placavit,* quia plagas quibus percussit Dominus Ægyptum verbis suis placavit.

Morbus, infirmitas. Dicitur etiam culpa, unde in Apostolo legitur quod lex Mosaica morbum monstrabat, id est culpam.

Mordere, proprie, *detrahere,* unde Apostolus: *Ne mordentes vos invicem consumamini.* Notat *subtrahere,* unde legitur Christus infernum momordisse, id est aliquos ex inferno extraxisse. Notat *vexare,* unde dicitur Leviathan momordisse vermiculum et captum esse per hamum ; vermiculus Christi humanitas, hamus divinitas; diabolus persecutus est humanitatem Christi usque ad mortis articulum, et captus est per divinitatis aculeum.

Mori, proprie. Notat etiam *peccare,* unde : *Anima peccans morietur.* Notat *pœnitere,* unde aliquis dicitur mori peccato. Notat *damnari*, unde in propheta : *Vita vivet et non morietur,* id est non damnabitur. Et quot modis dicitur mors, tot modis dicitur mori.

Mors, finis vitæ, qua aliquis dicitur moriens ; unde Apostolus : *Christus factus est pro nobis obediens usque ad mortem.* Dicitur separatio animæ et corporis, qua aliquis dicitur mortuus; unde idem : *Absorpta est mors in victoria.* Dicitur timor mortis. Dicitur destructio mortis, unde propheta : *O mors, ero mors tua*, quasi dicat Christus : o timor mortis, ego ero destructio tua; quia antiqui patres qui fuerunt ante adventum Christi, magis timebant mortem quam moderni, sed post adventum Christi fideles, magis roborati exemplo Christi et gratia, minus timuerunt mortem ; unde de multis legimus quod cucurrerunt spontanee ad passionem. Dicitur peccatum, quia est peccatum mortis ; unde in Psalmo : *Quoniam non est in morte qui memor sit tui*, id est nullus permanens in mortali peccato memor est Dei ad veniam, et alibi in lib. Proverb.: *Mors et vita in manibus linguæ.* Dicitur etiam pœna æterna, unde David : *Mors depascet eos.* Dicitur necessitas moriendi, unde legitur : *Quacunque hora comederitis, morte moriemini*, id est necessitati moriendi subjacebitis. Dicitur cupiditas, unde in Psalmo : *Qui exaltas me de portis mortis.* Dicitur diabolus qui fuit causa mortis, unde : *Ab Adam usque ad Christum regnavit mors,* id est diabolus, qui ante adventum Christi magis dominabatur in hominibus quam modo dominari potest; quære verbo *Naturale.*

Morsus, proprie. Dicitur diminutio vel exspoliatio, unde propheta : *O mors, ero mors tua, morsus tuus ero*, *inferne*, id est potestatem tuam diminuam et meos extraham. Eleganter diminutio potestatis vel abstractio sanctorum dicitur morsus ; quia, qui mordet pomum partem abscidit et non omnino absorbet, sic Christus potestatem inferni diminuit et ab inferis suos liberavit. Dicitur etiam diaboli deceptio, unde homo legitur periisse morsu serpentis antiqui.

Mortalis, potens mori ; unde Adam dicitur fuisse mortalis ante peccatum ; non ideo quod non posset non mori, sed quia poterat mori. Dicitur necessario moriturus, unde Apostolus : *Homo per peccatum Adæ factus est mortalis;* ait enim Apostolus : *Mortale hoc induet immortalitatem.* Dicitur corruptibilis, unde Apostolus : *Simul et mortalia corpora nostra.* Dicitur etiam causa mortis, unde peccatum mortale dicitur.

Mortuus, proprie. Dicitur etiam peccator; unde in Evangelio : *Sinite mortuos sepelire mortuos suos.* Dicitur justificatus qui peccato est mortuus, unde Apostolus : *Mortui estis peccato semel.* Dicitur damnatus, unde David : *Non mortui laudabunt te, Domine.* Dicitur mortuus proprii esse egressus, unde in Evangelio : *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit*, id est per putredinem esse desierit. Dicitur etiam qui non potest mereri, unde in Eccle. : *Melior est canis vivus leone mortuo :* hoc dictum est superius. Dicitur vilis et dejectus, unde David de Saul : *Quid*

me persequeris canem mortuum et pulicem unum? Dicitur illud quod nihil in se continet vivum, vel permittit vivere; unde mare mortuum dicitur, quia nihil in se sustinet vivum. Dicitur arens, unde arbor dicitur mortua, id est arens.

Motus, participium; aliquis qui labitur per venialem culpam, unde in Psalmo: *Si dicebam: Motus est pes meus.* Dicitur labens per culpam mortalem, unde David: *Turbati sunt et moti sunt.* Dicitur aliquis humilians se per pœnitentiam, unde Psalmista: *Fundamenta montium conturbata sunt et mota sunt.*

Moveri, proprie. Dicitur *variari*; unde Boetius:

Stabilisque manens aas cuncta moveri.

Notat bono privari, unde Psalmista: *Qui facit hæc, non movebitur in æternum.* Notat ad irám excitari, unde solet dici: *Iste movetur ad iram.* Notat *dubitare*, unde aliquis dicitur moveri super quæstione, id est dubitare.

Mulier est nomen sexus, unde in Evangelio: *Quid mihi et tibi est, mulier?* Dicitur corrupta, unde: *Inter natos mulierum.* Dicitur uxor, unde Apostolus: *Quandiu vivit vir, alligata est mulier viro; si autem mortuus fuerit, absoluta est a lege viri.* Dicitur Ecclesia, unde in Gen.: *Ponam inimicitias inter te et mulierem*, id est inter diabolum et Ecclesiam; et alibi: *Mulierem fortem quis inveniet?* Dicitur sapientia Dei, id est Filius; unde legitur in Evangelio de muliere quæ amissa drachma accendit lucernam, quod superius expositum est. Dicitur sensualitas, unde Apostolus ait quod *vir caput est mulieris*, id est ratio sensualitatis. Et sicut vir debet regere mulierem, ita ratio sensualitatem. Dicitur hæresis, unde Salomon: *Ut eruaris a muliere extranea et ab alienigena quæ mollit sermones suos.* Dicitur idololatria, unde in Apoc.: *Vidi mulierem ebriam de sanguine sanctorum martyrum.* Dicitur carnalis delectatio, unde Salomon: *Speciem mulieris alienæ admirati multi reprobi facti sunt.* Dicitur infirma mens, unde Sapiens ait: *Melior est iniquitas viri quam benefaciens mulier;* quia nonnunquam culpa fortium occasio virtutis, sic etiam virtus infirmorum occasio peccati. Per virum fortis quilibet et discretus designatur, per mulierem mens infirma et indiscreta accipitur. Dicitur etiam vitium, unde Zach.: *Levavi oculos meos, et vidi; et ecce duæ mulieres egredientes, et spiritus in alis earum, et habebant alas quasi alas milvi, et levaverunt eas inter cœlum et terram;* per duas mulieres duo principalia vitia, superbiam et inanem gloriam, quæ impietati absque ulla dubitatione conjuncta sunt, accipimus; quæ in alis suis spiritum habere narrantur, quia in actibus suis Satanæ volanti deserviunt. *Et habebant alas quasi milvi.* Milvus semper studet insidiari pullis; istæ ergo mulieres alas habent quasi alas milvi, quia actiones earum procul dubio milvo sunt similes, quia insidiantur semper vitæ parvulorum.

Multus proprie magnus, unde Paulus: *In multa patientia, in jejuniis multis.* Dicitur etiam gravis; unde in Psalmo: *Multæ tribulationes justorum.* Dicitur etiam omnis, unde: *Multi sunt vocati, pauci electi*, id est omnes. Item: *Dimissa sunt ei peccata multa*, id est omnia. Similiter: *Ibi multa congregata quæ in pulvere dormierunt;* et in Luc.: *Vocavit multos ad cœnam*, id est omnes.

Mulus, proprie, fatuus vel furiosus, unde David: *Nolite fieri sicut equus et mulus.*

Mundus, purus, et sic est adjectivum. *Mundus* substantivum dicitur ornamentum mulierum quo ornabant se ingressuræ ad viros, unde legitur quod custos Esther acceleravit mundum muliebrem. Dicitur mundanorum amator, unde in Joan.: *Et mundus eum non cognovit*, id est mundi amatores; et alibi: *Et princeps hujus mundi ejicietur foras.* Non enim diabolus dicitur princeps hujus mundi quod potestatem habet in rebus mundanis, sed ideo quod in amatoribus mundanorum regnat per culpam. Dicitur sapientia Dei juxta quam mundus factus est, quæ a prophetis dicitur archetypus mundus, quasi principalis mundi figura; unde Boetius:

Pulchrum pulcherrimus ipse
Mundum mente gerens.

Dicuntur homines mundi, unde de Christo dicitur in Evangelio: *Totus mundus abiit post eum*, id est universi homines de mundo. Dicitur mundana conversatio, unde in Joanne: *Sciens Jesus*, etc., *ut transeat ex hoc mundo ad Patrem.* Dicitur superior pars rationis, quæ a munditia dicitur, quia errat nec decipit; unde in Joanne: *Qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, id est ascendentem ad superiorem rationis partem. Dicitur homo qui in multis similis est mundo: sicut in mundo majori firmamentum movetur ab oriente in occidentem et revertitur in orientem, sic ratio in homine movetur a contemplatione orientalium, id est cœlestium, primo considerando Deum et divina, consequenter descendit ad occidentalia, id est ad considerationem terrenorum, ut per visibilia contempletur invisibilia, deinde revertitur ad orientem iterum considerando cœlestia. Et sicut planetæ moventur contra firmamentum et retardant ejus motum, sic, quinque sensus moventur contra rationem et impediunt ejus motum, ratio tamen eos fert secum et servire cogit. Et sicut in majori mundo Deus imperat in cœlestibus; angeli vero, quasi ejus milites, discurrentes per mundum Deo subjecti homines regunt, et eis consulunt, homines vero in terra quasi in suburbio humanæ civitatis habitant: sic sapientia in throno capitis locum habet, voluntas in corde, voluptas in renum suburbio. Et sicut mundus constat ex quatuor elementis, sic homo ex quatuor humoribus, elementorum proprietatibus consonis, id est melancolia quæ gerit vicem terræ; flegmate quod gerit vicem aquæ, sanguine qui gerit similitudinem ignis. Homo etiam habet similitudinem cum omni creatura, cum lapidibus in essendo,

cum arboribus in vivendo, cum brutis animalibus in sentiendo, cum angelis in discernendo.

Munus, proprie, Ecclesia; unde in Psalmo : *Et filiæ Tyri in muneribus.* Dicitur bonum opus, unde Matth. : *Si offers munus tuum ad altare et habes aliquid adversus fratrem tuum*, etc., id est si vis aliquod opus bonum offerre Deo in fide, prius pete a proximo tuo ut tibi remittat injurias. Dicitur homo qui se offert Deo, unde David : *Reges Tharsis et insulæ munera offerent*, id est se ipsos Deo. Dicitur remuneratio, unde Psalmista : *Et munera super innocentem non accepit*, id est remunerationes. Dicitur etiam officium, unde : *Ordo angelicus illius rei censetur nomine quam plenius possidet in munere.*

Murænula, parva muræna, id est lampreda; unde quidam ait : *Suspectus murœna cibus.* Dicitur scientia theologica, quæ eleganter murænula dicitur, quia, sicut murænula est labilis, sic scientia theologica cito elabitur a mente humana; unde in Cant. : *Murœnulas aureas faciemus tibi*, id est in sacra Scriptura varias offeremus tibi sententias, *aureas* per sapientiam, *vermiculatas argento*, id est splendentes eloquentia.

Murmurare proprie *indignari*, unde in Evangelio legitur de operariis qui prima hora operati sunt in vinea, quod ipsi murmuraverunt contra patremfamilias qui unum denarium dedit eis et his qui ultima hora operati sunt; qui ultima hora venerunt significant gentiles; eis autem dabitur idem denarius quantum ad Judæorum opinionem, non quantum ad rei veritatem; videntes ergo Judæi gentiles remunerari denario æternæ beatitudinis, quem sibi deberi putabant, indignabuntur. Notat etiam *dubitare*, unde: *Murmurabant autem Judæi ad invicem, dicentes.* Notat *admirari*, unde secundum aliam expositionem illi qui prima hora operati sunt in vinea usque ad vesperam, significant illos qui omnibus diebus vitæ suæ servierunt Deo. Illi vero qui ultima hora, significant illos qui in fine vitæ pœnitent. In die autem judicii illi qui semper servierunt Deo, murmurabunt contra Deum de hoc quod tantum remunerabit alios quantum se, id est admirabuntur gratiam Dei et misericordiam exhibitam eis qui ultimo venerunt.

Murus, proprie. Dicitur Christus; unde Isaias : *Urbs fortitudinis nostræ Sion Salvator, ponetur in ea murus et antemurale;* ipse enim nobis murus est qui nos undique custodiendo circumdat. Antemurale muri omnes prophetæ fuerunt, qui prius quam Dominus appareret in carne, ad construendam fidem missi sunt. Dicitur Ecclesia, unde in Cant. : *Ego sum murus et verba mea turris*, id est prædicatores mei qui aliis propinant potum cœlestis doctrinæ, sed comparabiles turri qui alios defendunt sicut turris civitatem. Dicitur munimen fidei Christianæ, unde Job de persecutoribus fidelium : *Quasi rupto muro, et aperta janua, irruerunt super me;* quasi murus rumpitur cum pravorum persuasionibus fides de Redemptore nostro in quorumdam cordibus dissipatur. *Quasi rupto muro et aperta janua super* bonos mali *irruerunt* cum accepta temporaliter potestate perversi ipsa quoque in quorumdam cordibus destruere munimina fidei conantur. Dicitur munitio, unde Jer. : *Dominus dissipavit muros filiæ Sion*, id est munitiones; et alibi in Job : *Quasi rupto muro* hostis ingreditur cum vel malorum spirituum vel pravorum hominum persuasione callida disciplinæ munimenta in corde dissipantur. Dicuntur sancti, unde Isaias : *Super muros tuos, Jerusalem, constitui custodes*, id est sanctis tuis, o Ecclesia, deputavi custodiam angelorum. Dicitur sacra Scriptura qua munitur Ecclesia Dei, cujus custodiæ deputati sunt sancti, id est ejus scriptores vel expositores. Dicitur peccatum, unde in Psalmo : *Et in Deo meo transgrediar murum*, id est per gratiam Christi repellam a me peccatum, quod est obstaculum ne transeam ad Deum. Murus quippe est omne quod itineri nostro objicitur ne ad Deum, qui diligitur, transeatur; sed hunc murum transgredimur cum pro amore supernæ patriæ quæque in hoc mundo fuerint subjecta calcamus. Dicitur defensio, unde : *Non ascendisti ex adverso nec opposuisti te murum pro domo Israel.* Dicuntur apostoli, unde propheta : *Tradidi in manus impii muros tuos*, id est apostolos qui sunt muri fidelium, quos *Satan expetivit ut cribraret sicut triticum.* Dicitur fides, unde Jer. : *Luxit antemurale et murus pariter dissipatus est*, id est fides. Dicitur divina potentia, unde Isaias: *Clamavit cor eorum ad Dominum super muros filiæ Sion*, id est contra divinam potentiam.

Mus proprie talpa, unde in lib. Reg. legitur quod mures ebulliebant de terra et corrodebant extales Philistinorum. Dicitur etiam similitudo muris, unde legitur quod Philisthæi arcam remiserunt cum muribus aureis.

Mutire, proprie. Notat *latrare*, unde legitur quod, percussis primogenitis Ægypti ab angelo exterminatore, nec canis mutivit apud Hebræos. Sed *mutere* dicitur *tacere*, unde in Evangelio : *At ille obmutuit.*

Mutus, proprie. Dicitur faciens rem mutam, unde in Luca : *Erat illic ejiciens dæmonium, et illud erat mutum*, id est hominem faciens mutum. Dicitur non volens loqui, unde in Isaia de pravis prælatis dicitur : *Væ vobis, canes muti!* Dicitur non valens nec debens loqui, unde idola dicuntur surda et muta. Dicitur reprehensus ne loquatur, unde Psalmista : *Muta fiant labia dolosa.*

Myrrha, proprie, amaritudo; unde in Cant. : *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi*, quia Christi passio Ecclesiæ summa fuit amaritudo. Dicitur carnis mortificatio, unde in eodem : *Ibo ad montem myrrhæ.* Ecclesia dicitur mons myrrhæ, quia multi multipliciter in Ecclesia suam carnem mortificant. Dicitur vitiorum destructio, unde in Cant. : *Manus meæ distillaverunt myrrham*, id est per bona opera destruxi vitia. Dicitur passibilitas, unde ibidem :

Messui myrrham mea n; verba sunt Christi loquentis de se secundum statum immortalitatis; ac si dicat : Præcidi a me passibilitatem. Dicitur Sapientia Dei, unde in libro Sapientiæ : *Quasi myrrha electa.* Dicitur pœnitens, qui castigat carnem suam et in servitutem redigit, unde David : *Myrrha, et gutta, et casia.* Dicitur virtutum suavitas, unde secundum aliam expositionem : *Myrrha, et gutta, et casia;* Christus veniens, *myrrha, et gutta, et casia in vestimento* utitur, quia ex electis suis, quibus se misericorditer induit, myrrhæ fragrantiam aspergit. Sanctæ namque animæ ab antiquis patribus editæ Redemptorem suum in honorem ejus delectant; quia, ex eo quod bene agunt, suæ laudi nihil vindicant.

Myrtus, proprie, tranquilla mens; unde Isaias : *Pro saliunca ascendet abies et pro urtica crescet* A *myrtus; pro saliunca* namque *ascendet abies,* dum in sanctorum corda pro abjectione terrenæ cogitationis altitudo supernæ contemplationis oritur; *pro urtica myrtus crescet,* cum justorum mentes a prurigine vitiorum et ardore ad castitatis temperiem tranquillitatemque proveniunt, quia tunc terrena non appetunt, dum flammas carnis desideriis cœlestibus exstinguunt. Dicuntur myrtus illi qui tribulationes proximorum temperant, unde Isaias : *Dabo in solitudine cedrum in spinam et lignum olivæ.* Per cedrum, quia magni odoris et imputribilis naturæ, retributionem æternæ vitæ accipimus; per spinam, quæ pungit, pœnitentia pro præteritis peccatis injuncta accipitur; per myrtum illi signati sunt, qui afflictionibus proximorum compati sciunt, eorumque tribulationem per compassionem temperant. B

N

Nardus proprie arbor aromatica. Dicitur factum de spicis nardi, unde in Evangelio de Maria Magdalena quod attulit alabastrum nardi spicati. Dicitur etiam redolentia bonæ famæ vel bona fama, unde : *Cum esset rex in accubitu suo, nardus dedit odorem suum,* id est postquam Christus ascendit in cœlum sedens ad dexteram Patris, fama Christi vel Ecclesiæ dilatata est per universum orbem. Dicitur charitas, unde prædicta auctoritas sic potest exponi : *Cum esset rex in accubitu suo,* id est postquam Christus humiliatus est per incarnationem, *nardus* mea *dedit odorem suum,* id est charitas mea inflammata est, etiam usque ad inimicum extensa. Dicitur bona operatio aliis præbens exemplum bene operandi, unde in Carmine : *Nardus et crocus et fistula.*

Naris, proprie. Dicitur fatuitas; unde Salomon : *Circulus aureus in naribus suis, mulier pulchra et fatua.* Circulus aureus, nitor eloquii hæreticorum, qui est in naribus suis, id est qui procedit a fatuitate hæreticorum. Dicitur prava suggestio diaboli, unde Job loquens de Behemoth, id est de diabolo, ait : *De naribus ejus procedit fumus,* quia a prava diaboli suggestione procedit obtenebratio mentis humanæ. Dicitur præscientia : *Quiescite ergo ab homine cujus spiritus in naribus ejus.*

Nasci, proprie. Notat æterna generatione a Patre procedere, unde Origenes ait quod Filius semper nascitur, id est æterna generatione a Patre procedit. Notat renasci per gratiam, unde Christus ad Nicodemum in Joanne : *Oportet vos denuo nasci.* Notat *oriri* vel *incipere* aperte, unde luna vel sol dicitur nasci ubi primo apparet. Fluvius etiam ibi nasci dicitur, ubi oritur. Notat incipere esse, unde Dominus in Evangelio : *Bonum esset ei si natus non fuisset homo,* id est nullum malum fuisset Judæ, si non incœpisset esse.

Nasus, proprie. Dicitur prælatus aliis præeminens in virtutibus; unde in Cant. : *Nasus tuus sicut turris Libani quæ respicit contra Damascum.* Dicitur discretio, sicut voce Dominica in laudibus Ecclesiæ dicitur : *Nasus tuus sicut turris quæ est in Libano.* Per nasum odores fetoresque discernimus, et ideo per nasum provida sanctorum discretio designatur. Turris in altum speculationis ponitur ut hostis veniens a longe videatur; et ideo nasus Ecclesiæ turri similis dicitur, quia sanctorum C provida discretio, dum circumquaque sollicite conspicit in altum posita, priusquam veniat culpa deprehendit.

Natale dicitur nativitas, unde nativitas Christi solet dici natale. Dicitur mors sancti, quæ eleganter dicitur natale, quia tunc primo anima vere incipit vivere quando egreditur statum nostræ miseriæ; unde mors sancti Laurentii vel Martini dicitur natale. Solet etiam dici depositio, quia tunc deponit carcerem carnis. Dicitur etiam obitus, quia tunc animæ sancti veniunt obviam angeli. Nuncupatur etiam transitus, quia oportet animam sancti multa transire loca, antequam perveniat ad cœlum empireum. Dicitur etiam dormitio; quia, sicut aliquis in dormiendo quiescit, ita anima post mortem D refrigerium invenit; et sicut aliquis dormiens excitatur a somno, cum omnimoda membrorum integritate et incolumitate, ita sancti excitabuntur a somno mortis in die resurrectionis. Sola autem mors beatæ Virginis Mariæ assumptio dicitur, secundum illorum opinionem qui cum corpore eam assumptam in cœlum opinantur. Vel dicitur assumptio, id est super choros angelorum exaltatio, unde in Antiph. : *Exaltata est sancta Dei genitrix super choros angelorum ad cœlestia regna.*

Natare, proprie. Notat profundum sacræ Scripturæ non attingere, unde dicitur quod sacra Scriptura est fluvius in quo et agnus pedat et camelus natat, id est simplex sufficienter instruitur et sapiens

profundum sacræ Scripturæ attingit. Notat *abundare*, secundum quod soliti sumus dicere : *Iste natat in divitiis*. Sumitur etiam *natare* pro *supereminere*, unde Statius : *Natat ignis in ore purpureus*. Sumitur etiam pro *movere*, quia qui natat movetur; unde Statius : *Oculos in mortem natantes*.

Natura aliquando ita large sumitur, quod omne illud, quid, quo modo potest intelligi, natura dicatur; unde Boetius : *Natura est quidquid quid quo modo intelligi potest*. Secundum hanc expositionem et hyle et Deus potest dici natura; quia, quamvis hyle proprie intellectum capi non possit, sed tantum per formæ abnegationem, tamen quo modo intelligitur. Similiter divina forma, quamvis tantum intelligatur per materiæ remotionem, tamen quo modo intellectu capitur. Aliquando sumitur in designatione substantiæ tantum, unde Boetius : *Natura est quidquid agere vel pati potest;* et secundum hanc acceptionem, Deus potest dici natura, quia ipse est causa universorum efficiens. Restringitur tamen hoc nomen *natura* circa substantiam corpoream, unde Boetius : *Natura est principium motus per se et non per accidens;* hoc enim tantummodo pertinet ad substantiam corpoream ut sit principium motus per se, id est ut principaliter et per se moveatur; ipsa enim sola proprie movetur aut a centro ad circumferentiam, ut levia, scilicet ignis et aer; aut a circumferentia ad centrum, ut gravia, scilicet terra et aqua. Restringitur etiam circa substantialem differentiam et specificam quæ adveniens generi facit speciem, ut hoc universale rationabile, unde Boetius : *Natura est reformans specificam differentiam*. Dicitur esse substantiale rei per quod res nascitur, id est suum esse ingreditur; unde dicitur Christus duarum naturarum, quia tam humanitas quam divinitas est esse Christi. Dicitur origo, unde dicitur quod angelus de natura habuit peccare, id est ab origine habuit libertatem arbitrii ad bene agendum vel male; unde Plato in *Timæo* introducens Deum loquentem ad angelos ait : *Dii deorum natura quidem indissolubiles*. Dicitur etiam complexio, unde : *Physica res diversas diversarum naturarum asserit*, id est complexionum. Dicitur vitium inolitum pro natura, unde in jure consuetudo dicitur altera natura, et homo dicitur mori de natura, id est ex vitio inolito pro natura. Dicitur naturalis calor, unde physicus dicit esse pugnam inter morbum et naturam, id est naturalem calorem. Dicitur naturalis ratio, unde Apostolus ait quod *gentes, quæ legem non habent, naturaliter quæ legis sunt faciunt*, id est naturali instinctu rationis; et secundum hoc solet dici quod natura dictat homini ut non faciat aliis quod sibi non vult fieri, id est naturalis ratio. Dicitur potentia rebus naturalibus indita, ex similibus procreans similia, unde aliquis dicitur fieri secundum naturam; unde Hilarius ait quod *Creator factus est creatura, non est naturæ ratio, sed potestatis exceptio*.

Navigium, proprie, navis. Gubernaculum navis, A unde in Joanne: *Mitte in dexteram navigii rete*. Dicitur etiam actus navigandi, unde alibi in Evangelio: *Alii autem discipuli navigio venerunt*.

Navis proprie. Dicitur etiam Ecclesia; quia, sicut mediante nave, aliquis pertransit mare veniens ad portum, ita aliquis mediante Ecclesia quasi spirituali nave pertransiens *hoc mare magnum et spatiosum*, id est mundum, pervenit ad æternæ beatitudinis portum; unde de fidelibus in Ecclesiis constitutis legitur in Psalmo : *Qui descendunt mare in navibus*, id est qui a contemplativa vita descendunt in activam, existentes in Ecclesiis. Dicitur ille qui explorat terrenum gaudium vel per carnales voluptates, vel honores, vel divitias; unde David dicit : B *In spiritu vehementi conteres naves Tharsis*, id est in Spiritu sancto vel amaritudine cordis convertes ad pœnitentiam illos qui explorant terrena gaudia. Tharsis enim interpretatur *exploratio gaudii*. Vel per naves intelliguntur gentiles. Tharsis enim metropolis est Ciliciæ, et per Tharsim intelligitur Cilicia, per Ciliciam gentilitas, ut a parte totum intelligatur. Est ergo sensus : *In spiritu vehementi conteres naves Tharsis*, id est gentiles convertes ad fidem. Dicitur ille qui fluctuat in profundo carnalium delectationum, unde propheta : *Super omnem murum munitum et super omnes naves Tharsis*. Dicitur negotiatio facta in mundo isto terrenis lucris inhians, unde Joannes : *Væ, væ, civitas magna Babylon*, in qua divites facti sunt omnes qui habent C naves in mari.

Ne ponitur interrogative aliquando, unde Job : *Putasne mortuus rursum homo vivat*. Consecutive, unde David : *Domine Deus meus*, etc., *ne quando*. Ponitur negative, unde : *Vide ne facias*. Assertive, unde Boetius in prologo libri *De Trinitate: Sed ne*, id est sed. Quandoque ponitur pro *ut*, unde in Theodolo de chatino dicitur : *Ne patiatur*, id est se simulat, *esse draconem*.

Nebula proprie, unde Salomon ait : *Dixit Dominus ut habitaret in nebula*. Nunquam hoc legitur Dominus dixisse; sed, quia in monte Sina apparuit in nebula, et præcessit Israel in nube, et ante Moysen Dominus in caverna petræ pertransiit etiam in nebula, ideo Salomon ponit dictum pro opere, ut sit D sensus : *Dominus dixit*, id est opere monstravit. Dicitur tribulatio, unde : *Dies tenebrarum et caliginis, dies nebulæ et turbinis*, hoc potest intelligi de Babylonica captivitate vel de die judicii. Dicitur prædicator, unde Job : *Nunquid elevabit ut nebula vocem suam*. Dicitur ignorantia, unde : *Nebulam sicut cinerem spargit*, quia Christus ignorantiæ obscuritatem provenientem ex caligine culpæ tollit per pœnitentiam et humilitatem, significatam per cinerem.

Nec pro *non* et pro *et*, unde : *Mulier, ubi sunt qui te accusabant*, etc., *nec ego te condemnabo*. Aliquando ponitur negative, unde solet dici : *Nec hoc nec illud est verum*.

Necessarium dicitur proprie inevitabile, et secundum hoc necessarium ponitur contra contingens; unde dicitur Deum esse necessarium. Dicitur etiam hoc quo aliquis indiget, et secundum hoc dicitur necessarium contra superfluum, unde Salomon: *Divitias et paupertates ne dederis mihi, sed tantum victui meo tribue necessaria.* Dicitur aliquando utile, unde Dominus in Evangelio: *Porro unum est necessarium.* Et quot modis ponitur necessarium, tot modis ponitur necesse.

Necessitas dicitur indigentia, unde: *In necessitate probatur amicus.* Dicitur inevitabilitas, unde in *Decretis: Necessitas frangit legem.* Dicitur tribulatio vel adversitas, unde David: *Tribulationes cordis mei multiplicatæ sunt: de necessitatibus meis erue me*; adversitates sive tribulationes recte dicuntur necessitates, quia necessarium est nos eas pati usque in finem vitæ, vel quia juxta necem sitæ sunt, necessitates dicuntur, quia et ad mortem sunt præambulæ et mortis significativæ.

Negare significat etiam præcepta divina non implere, unde in Apostolo de peccatoribus dicitur quod ore Deum confitentur, factis autem negant. Notat etiam non dare, unde solet dici: *Terra negat fructum*, id est non dat.

Nequitia dicitur malitia qua quis vult malum aggredi illud quod perficere nequit. Vel dicitur illa malitia qua homo semper laborat proximo nocere, unde dicitur *nequam*, id est non æquus, quia contra æquitatem agit; unde dicit Apostolus: *Repletos omni iniquitate*, etc., *nequitia.*

Nervus, proprie, unde Job: *Ossibus et nervis compegisti me.* Dicitur instrumentum in quo ponuntur damnati, unde legitur in lib. Reg. quod Aza rex Juda posuit prophetam in nervo, qui redargueral eum. Dicitur præsens miseria, unde Job: *Posuisti in nervo pedem meum.* Dicitur habitudo quæ est inter peccata, quando aliquis ita perplexus est quod videtur non posse effugere alterutrum peccatorum, unde Job: *Nervi testiculorum Leviathan perplexi sunt.* Dicitur sententia fortis discretionis, unde secundum aliam expositionem: *Posuisti in nervo pedem meum.* In nervo Deus pedem hominis posuit quando pravitatem illius forti sententia discretionis suæ ligavit. Semitas investigavit, quia subtiliter singula ejus opera dijudicavit; vestigia pedum consideravit quando intentiones operum si recte ponantur examinavit.

Nescire, proprie. Notat etiam *reprobare*, unde Matth.: *Amen dico vobis, nescio vos*, id est reprobo. Notat non facere, unde in Evangelio: *De die autem illo nemo scit, neque angelus, neque Filius hominis*, qui ideo dicitur nescire quia non facit nos scire; ipse tamen scit, sed nos non facit scire. Significat pravum finem ab opere removere, unde in Evangelio: *Nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua.* Sensus est: si bonum facis, non facias intuitu sinistro, id est pro favore humano vel terreno emolimento.

A *Nidus*, proprie, cor sancti in quo Christus habitat per gratiam; unde Job: *Nunquid ad præceptum tuum elevabitur aquila, et in arduis ponet nidum suum.* Dicitur temporalia, quia ex feno et luto solet fieri nidus; per nidum significantur temporalia quæ sunt fenalia, id est transitoria et quasi lutea; unde David: *Illic passeres nidificabunt*, id est in divitibus pauperes temporalia invenient. Dicitur fides Christi, quia ex incarnatione Christi, quæ per fenum figuratur, ampliata est fides Christi; unde Job: *In nido meo moriar;* et David dicit: *Etenim passer invenit sibi domum et turtur nidum*, etc., id est sensualitas invenit fidem in qua reponit bona opera, quia opera sine fide mortua sunt. Dicitur etiam honor vel delectatio terrena, unde Dominus ad principes terræ:
B *Extraham vos de nido vestro.* Dicitur aliquis in quo alius doctrinam suam collocat et in eo delectatur, unde in Evangelio: *Vulpes foveas habent et volucres cœli nidos*, etc., id est hæretici corda habent subditorum, in quibus collocant doctrinam suam, similiter et superbi qui significantur per aves, sed *Christus non habet ubi caput suum reclinet*, qui vix invenit aliquos in quibus doctrinam suam collocet qui eam servent.

Niger, proprie. Dicitur offuscatus tribulatione, unde ait Ecclesia in Cant.: *Nigra sum, sed formosa;* nigra caligine tribulationum, sed formosa candore virtutum. Dicitur despicabilis, unde in Cant.: *Comæ tuæ sicut elatæ palmarum, nigræ sicut corvus.* Sancti enim despicabiles erant sicut avis turpis et clamosa.
C

Nihil ponitur pro *non*, unde in lib. Sapientiæ: *Nihil profuerunt vobis divitiæ.* Dicitur peccatum, unde Joannes: *Et sine ipso factum est nihil*, id est peccatum. Peccatum dicitur nihil vel quia a vero esse separat, vel quia humanam naturam infirmat, vel quia in eo quod est peccatum nihil est. Dicitur idolum, quia illud quod gentiles credebant esse idolum, scilicet quoddam constans ex imagine et divinitate, nihil est; vel illud idolum quod nullam habet similitudinem cum re naturali dicitur esse nihil, id est nullius rei naturalis gerens similitudinem; quod insinuat Glos. super illum locum Joannis: *Et sine ipso factum est nihil*, id est peccatum vel idolum.
D

Nimis aliquando notat superabundantiam, unde David: *Tribulationes invenerunt nos nimis.* Notat perfectionem vel plenitudinem, unde in Psalmo: *Nimis honorati sunt amici tui, Deus.*

Nitrum a Nitra provincia ubi nasci solet dicitur, nec multum a salis ammoniaci specie distat. Sicut enim hoc in littore maris fervor conficit solis durando in petras aquas maris, ita in Nitrea, ubi æstate pluviæ prolixiores infundunt tellurem, ardor nimius aquas excoquit in petram sali vel glaciei simillimam. Hac utuntur indigenæ ad lavandum, unde Psalmista: *Si laveris te nitro.* Dicitur mens quæ induratur per correctionem, unde Salomon: *Acetum in nitro qui cantat carmina perverso.*

Nolle sumitur pro *non velle;* sed quod Deus dicitur nolle aliquid, id est non velle, aliquando insinuat, ut ita loquar, veritatem, et sic insinuat aliquid fieri contra alicujus voluntatem; unde Dominus ad Jerusalem ait: *Quoties volui congregare*, etc., *et noluisti.*

Nomen, proprie. Aliquando large sumitur, ut quælibet dictio nomen dicatur; unde poeta:

Foliisque notas et nomine mandas.

Dicitur gloria vel fama, unde David: *Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum!* et in Cant.: *Oleum effusum nomen tuum.* Dicitur res nominis, unde in Evangelio: *Quæcunque petieritis Patrem in nomine meo*, etc., id est in re hujus nominis Jesus, id est pro salute æterna, Jesus interpretatur *salvator.* Dicitur potestas, unde Apostolus: *Dedit ei nomen*, id est potestatem universorum; et alibi: *Data est mihi omnis potestas.* Dicitur virtus sive numen, unde dicitur: *Baptizo te in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti*, id est in numine vel in virtute. Dicitur invocatio, unde Joannes legitur baptizasse in nomine venturi, id est in invocatione. Dicitur Filius, unde David: *Et in nomine tuo videbimus lumen*, id est in Filio tuo; quia nomine habetur notitia de re, et per Filium notificatus est Pater, nomen Patris dicitur Filius. Dicitur notitia rei, unde David: *Qui numerat multitudinem stellarum, et omnibus eis nomina vocat*, id est de singulis notitiam habens. Dicitur meritum, unde in Evangelio: *Gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in cœlis.* Dicitur sanctus cujus nomen scriptum est in libro vitæ, unde in Apostolo: *Sed habes pauca nomina in Sardis;* per nomina ipsos homines intelligere debemus; ideo autem *nomina* ponit ut ostendat se non solum numerum, sed etiam nomina scire electorum suorum qui Moysem novit ex nomine.

Noscere, proprie. Notat *approbare*, unde Psalmista: *Quoniam novit Dominus viam justorum.* Notat *discernere*, unde de Deo dicitur: *Ipse novit et decipientem et eum qui decipitur*, id est discernit inter istum et illum. Notat *prædestinare*, unde in Apostolo de Deo dicitur: *Ipse novit qui sunt ejus.* Notat facere rem esse, unde Orig.: *Non enim: res sunt, ideo Deus novit eas, sed ideo sunt quia novit.*

Novacula, proprie. Dicitur etiam Nabuchodonosor qui in Isaia dicitur novacula empta. Dicitur Antichristus, unde in Psalmo: *Sicut novacula acuta fecisti dolum.* Dicitur autem Antichristus novacula quæ promittit innovationem, et incidit, sic Antichristus dolosis suis promittet beatitudinem et occidet. Vel mali dicuntur novacula quæ superfluos et inutiles pilos radit, ita mali sanctis capillos radunt, id est inutilia et superflua rapiunt.

Novum, proprie. Dicitur etiam mirabile, unde propheta: *Novum faciet Dominus in terra: femina circumdabit virum.* Dicitur innovatum, unde Joan.: *Vidi cœlum novum et terram novam;* et in Apostolo: *Ecce nova facio omnia.* Dicitur innovans, unde in Evangelio: *Mandatum novum do vobis.* Dicitur purgatum a vetustate culpæ, unde legitur: *Exue me,*

A *Domine, vestimento hoc*, id est indue me novum. Dicitur firmum, unde Adam dicitur vetus homo, Christus homo novus; quia Adam fuit infirmus, Christus fuit firmus; quia ex vetustate infirmitas, ex novitate firmitas. Dicitur inauditum, unde in Act. apostolorum legitur quod Athenienses dixerunt ad Paulum et socios ejus prædicantes Christum: *Qui sunt isti prædicatores novorum dæmoniorum?* Dicitur noviter apparens, unde luna dicitur nova, et apud Judæos dicitur neomenia, id est *nova luna.*

Nox, proprie. Dicitur etiam cæcitas materialis, unde poeta:

Longaque animam sub nocte tenebat.

Dicitur ignorantia, unde Apostolus: *Nox præcessit, dies*, etc. Dicitur culpa, unde David: *Lavabo per* B *singulas noctes lectum meum*, id est purgabo conscientiam meam per singula peccata. Dicitur adversitas, unde in Psalmo: *Et in lege ejus meditabitur die ac nocte*, id est in prosperis et in adversis. Dicitur tempus ante adventum Christi, unde in lib. Sapientiæ: *Dum medium silentium tenerent omnia et nox in suo cursu iter perageret.* Dicitur Vetus Testamentum, juxta quod illud potest exponi: *Nox præcessit.* Dicitur mors temporalis, unde David: *Et usque ad noctem increpuerunt me renes mei;* id est Judæi de quibus natus sum, dicit Christus, persecuti sunt me ad mortem. Dicitur vita præsens, unde in Evangelio: *Sero, an media nocte, an galli cantu, an mane.* Quæ eleganter dicitur nox, quia multis tenebris ignorantiæ et culpæ involvitur. Dicitur hora in C qua Christus veniet ad judicium, quæ ideo nox dicitur, quia qua hora venturus sit ignoratur; unde in Evangelio: *Media autem nocte clamor factus est.* Dicitur minor tentatio, unde David: *Per diem sol non uret te, neque luna per noctem:* hoc superius dictum est. Dicitur etiam miseria temporis, unde Job: *Noctem illam tenebrosus turbo possideat.* Dicitur diabolus, unde in Gen.: *Vocavitque lucem diem et tenebras noctem*, hoc solet exponi de apostatis angelis. Dicitur captivitas, unde Isaias: *Ad me clamavit ex Seir: Custos, quid de nocte? custos, quid de nocte?* ibi enim introducuntur Idumæi conquerentes de sua captivitate. Dicitur peccator, unde in Psalmo: *Et nox ut dies illuminabitur*, quia aliquando peccator convertitur sicut justus. Dicitur D prædicator qui minoribus prædicat, unde David: *Dies diei eructat verbum, et nox*, etc.; quia prædicatores majora majoribus et minora minoribus prædicant.

Nubes, proprie. Dicitur humana Christi natura, unde Isaias: *Ascendam super nubem levem*, id est humanam naturam a gravitate peccati liberam; *et ingrediar Ægyptum*, id est veniam in mundum per assumptam humanitatem. Dicitur prædicator, unde Propheta: *Qui sunt hi qui ut nubes volant?* et alibi: *Mandabo nubibus ne pluant.* Eleganter prædicatores comparantur nubibus, quia coruscant miraculis, compluunt doctrinis, intonant minis. Dicitur sacra Scriptura, unde David: *Tenebrosa aqua in nubibus aeris*, id est obscura intelligentia in Scripturis sa-

eris. Dicitur gratia Spiritus sancti, unde de antiquis patribus ait Apostolus : *Et baptizati sunt in nube et mari*, id est in baptismo per gratiam Spiritus sancti. Dicitur angelus, unde propheta : *Rorate, cœli, desuper et nubes pluant justum*, id est angeli annuntient Christi adventum. Dicitur aliquis mobilis, unde Salomon : *Qui observat ventum non seminat, et qui considerat nubes non metet;* hic peccator nubes dicitur quem diabolus huc illucque impellit tentationibus variis. *Qui* ergo *observat ventum non seminat, et qui considerat nubes nunquam metet;* quia is qui tentationes maligni spiritus metuens et malitiam iniquorum conspiciens de se desperat, neque nunc exercetur in boni operis semine, neque post reficietur justæ retributionis munere. Dicitur soliditas mentis, unde Job : *Subito aer colligitur in nubes.* Aer tenuis solidatur, per aerem ergo sæcularium mentes designantur, per nubem mentis soliditas figuratur. Dicitur temporale bonum, unde Job : *Velut nubes pertransiit salus mea;* nubes in alto eminet, sed ad cursum flatus impellitur, sic temporale bonum iniqui hominis in altum per honoris celsitudinem erigi videtur; sed quia ad cursum vitæ quotidie quasi quibusdam mortalitatis suæ flatibus impellitur, non ascendet. Nubes calore solis dissipatur, sic districto respectu superni judicis quasi solis calore superbia damnati in inferno liquefiet, et semel locis pœnalibus tradita ad operationis usum ultra non redibit.

Nudus, proprie, non habens proprium, unde dicit auctoritas quod nudi nudum Christum sequi debemus; et Greg. ait quod nudi debemus luctari cum diabolo. Dicitur etiam apertus, unde Apostolus : *Omnia nuda et aperta sunt.*

Numerare, proprie, *distinguere;* unde David : *Qui numerat multitudinem stellarum.* Notat *scire*, unde in Evangelio : *Nam et capilli capitis vestri omnes numerati sunt.*

Numerus aliquando sumitur pro numeratione vel pluralitate, unde Boetius in Arithmetica distinguit inter numerum numerantem et numeratum. Et vocat numerum numerantem iterationem, numerum numeratum veri nominis pluralitatem. Dicitur numerus rerum collectione, secundum quod solet dici : *Iste est de numero hominum.* Dicitur paucitate, unde Jeremias : *Contrivit ad numerum dentes meos*, id est conterendo duxit ad paucitatem. Dicitur discretione, unde Sap. dicit quod *Deus creavit omnia in numero*, id est discrete. Dicitur unitate, unde sic potest exponi prædicta auctoritas : *Deus creavit omnia in numero*, id est in unitate, quia quodlibet unitate unum est; unde Boetius : *Quid est ideo est, quia unum numero est.* Dicitur dignitate, unde David : *Multiplicatæ sunt super numerum*, id est multiplicati sunt in peccato, quod omni caret dignitate. Dicitur vita æterna, unde David : *Et numerum dierum meorum*, etc., hic est numerus sine numero, qui numerus est vere quia non transit; numerus vero dierum qui modo sunt non est vere transilienti, habenti autem esse videtur.

Nunc significat tempus, unde dixit Petrus : *Nunc scio vere quia misit*, etc. Aliquando significat æternitatem, unde cum dicitur : *Deus nunc est.* Aliquando notat tempus gratiæ, unde David : *Nunc exsurgam, dicit Dominus;* et alibi : *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.*

Nuptiæ, proprie, unde in Evangelio : *Nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ.* Dicitur unio duarum naturarum, unde in Evangelio : *Simile est regnum cœlorum homini regi qui fecit nuptias filio suo.* Dicitur unio Christi et Ecclesiæ in æterna beatitudine, quando ei ineffabiliter Ecclesia unietur per gloriam, et quodammodo deificabitur; unde in Evangelio legitur : *Et quæ paratæ erant intraverunt cum eo ad nuptias.* Dicitur rationabilis unio aliquarum rerum, unde legitur de nuptiis Mercurii et Philologiæ, id est sapientiæ et eloquentiæ. Dicitur carnale commercium, unde in Chronica Eusebii quod Nactanabus ascendens torum Olympiadis nuptias egit.

Nux, proprie. Dicitur martyr, unde in Cant. : *Descendi... nucum.* Nux tria habet in se : putamen exterius, testam et nucleum; similiter martyr tria habet : defectus carnis quasi putamen, carnem quasi testam, animam quasi nucleum. In fractura autem nucis projicitur putamen, testa frangitur, nuclei dulcedo gustatur; sic per martyrium defectus desinunt esse in martyre, caro quasi testa quodammodo frangitur, et tunc in anima sanctus dulcedine æternæ beatitudinis delectatur. Nux etiam solet dici Christus, quia in Christo fuit corpus quasi putamen exterius, anima quasi testa, divinitas quasi nucleus. Quandiu Christus mansit in mundo, divinitas non apparuit in eo, sed in corpore separato ab anima post mortem quasi facta testa, homo sensit dulcedinem nuclei, quia liberatus per divinitatis potestatem.

Nycticorax, avis quæ de nocte volat, unde dicitur : *Nycticorax quasi corvus anoctis, nyctui*, quod est *nox*, et *corax*, quod est *corvus.* Dicitur fidelis vivens in medio pravæ nationis, unde David : *Factus sum sicut nycticorax in domicilio.* Dicitur etiam Christus, qui venit in noctem nostræ miseriæ et a Judæis crucifixus est, qui deberent esse domicilium, sed facti sunt parietina, quia passi ruinam; et secundum hoc potest legi quod dictum est in Psalmo : *Factus sum sicut nycticorax in domicilio*, vel in parietinis.

O

Obedire significat aliquid propter alium facere, ut quando aliquis servit Deo propter Deum; unde dæmones dicuntur servire Deo, sed non obedire; quia quod faciunt propter Deum non faciunt, imo

quantum in ipsis est contra Deum. Notat præcepta divina adimplere, unde Apostolus : *Sed non omnes obediunt Evangelio*, id est non adimplent Evangelium. Notat ad nutum et arbitrium Dei aliquid fieri, unde in Evangelio : *Venti et mare obediunt ei.*

Obesum dicitur pingue, ut legitur quod Pharao in somnis vidit septem boves crassas obesis carnibus, id est plenis, quasi ab esu eductis.

Obturare, proprie, silentium imponere ; unde David : *Obturatum est os loquentium iniqua.* Notat *evadere*, unde Apostolus : *Obturaverunt ora leonum*, id est evaserunt ut Daniel.

Obviare proprie, unde in Evangelio : *Pueri Hebræorum obviaverunt Domino.* Notat *associare* vel *concordare*, unde David : *Misericordia et veritas obviaverunt sibi.* Notat *contradicere*, secundum quod solet dici : *Iste obviat illi*, id est contradicit verbis vel factis illius.

Occasus, proprie ; dicitur etiam mors, unde David : *Qui ascendit super occasum*, id est qui devicit mortem. Dicitur diabolus, de quo eadem auctoritas potest exponi : *Qui ascendit super occasum.*

Occidere, secundum quod significat *cadere* media correpta, intransitive. Aliquando significat casum, aliquando significat gratiæ subtractionem secundum quod dupliciter solet exponi hæc auctoritas Apostoli : *Sol non occidat super iracundiam vestram.* Sensus est ad litteram : Si moveamini subito motu iræ, motus ille non sit diurnus vel diuturnus, juxta illud Psalmi : *Irascimini et nolite peccare*, id est iracundia vestra non sit causa quod sol justitiæ occidat in vobis, id est gratiam suam subtrahat vobis. Sed secundum quod hoc verbum *occidere* habet penultimam productam transitive aliquando, ponitur proprie. Aliquando significat deletionem peccati, juxta illud prophetæ : *Ego occidam et vivere faciam.* Aliquando notat mortem animæ, juxta illud : *Qui occidit alium in corpore, prius occidit se in mente.*

Occurrere, proprie. Notat *pœnitere ;* qui enim pœnitet Deo venienti ad se quodammodo occurrit, unde dicit auctoritas quod *Deus occurrit occurrentibus sibi.* Notat æqualem esse, unde David : *Et occursus ejus usque ad summum ejus*, quia Christus est æqualis Patri.

Oculus, proprie. Dicitur etiam vita contemplativa, unde in Evangelio : *Si oculus tuus dexter scandalizat te*, etc., id est si ad contemplativam vitam idonea discretione non sufficis, solam securus activam tene. Dicitur pravus consiliarius, unde in Job de antiquo hoste dicitur : *Oculi ejus ut palpebræ diluculi ;* per oculum, qui inhærens capiti utilitati visionis deservit, intelligitur consiliarius Antichristi, qui dum perversis machinationibus quæ agenda sunt prævidet, pravis hominibus quasi ostensum pedibus iter præbet. Dicitur etiam spes, unde Jer. : *Onagri steterunt in rupibus, traxerunt ventos tanquam dracones ; defecerunt oculi eorum.* Per onagros nequissimi Judæi figurantur, qui steterunt in montibus confidentes in terrenis potestatibus, non in Deo, quorum oculi defecerunt, quia spes eorum ab eis quæ intendebant, corruit. Dicitur superba elatio, unde Sapiens : *Qui humiliatus fuerit, erit in gloria, et qui inclinaverit oculos suos, ipse salvabitur.* Oculos inclinare est nullum respiciendo ad superbiam contemnere, sed se minorem atque imparem cunctis quos aspicit æstimare. Dicitur ratio, quia, sicut oculo perpenduntur visibilia, ita ratione invisibilia; unde David :*Turbatus est a furore oculus meus.* Dicitur intentio, unde Dominus in Evangelio : *Lucerna corporis tui est oculus tuus.* Dicitur rivus concupiscentiæ, unde legitur quod oculi Adæ et Evæ aperti fuerunt post peccatum, quia cœperunt moveri et diffundi secundum membra genitalia. Dicitur intellectus, unde ad Ecclesiam dicitur in Cant. : *Oculi tui columbarum*, id est intellectus quos habes de divinis simplices sunt, non corrupti fermento Pharisæorum. Dicitur respectus divinæ misericordiæ, unde David : *Oculi Domini super justos.* Dicitur donum Spiritus sancti, unde propheta : *Oculi ejus velut flamma ignis.* Oculi Domini dona Spiritus sancti significant. De quibus in alio loco legitur quod Joannes vidit agnum tanquam occisum, habentem cornua septem et oculos septem. Et in Zacharia quod septem oculi erant in lapide uno. Dicitur homo, unde Joannes : *Et videbit eum omnis oculus* ; omnem oculum, usitato more locutionum pro omni homine positum hic accipiamus. *Omnis* itaque *oculus*, id est omnis homo cum resurrexerit, *videbit* Christum corporaliter, sive ad vitam, sive ad mortem. Dicitur pravus prælatus, unde David: *Obscurentur oculi eorum ne videant, et dorsum eorum semper incurva.* Oculi sunt qui in ipsa hominis facie in summo positi, providendi itineris officium susceperunt ; obscurantur oculi et dorsum flectitur, cum lumen sapientiæ perdunt et ad portandum onera peccatorum curvatur. Dicitur ille qui alii providet, unde in Evangelio : *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum*, etc., id est, si aliquis providens voluerit te scandalizare in fide catholica vel in spiritualibus, potius recede ab ejus convictu quam scandalizeris in divino intellectu. Dicitur etiam prælatus Ecclesiæ, qui alios verbo et exemplo illuminat, secundum quam significationem potest intelligi illud Canticorum : *Oculi tui columbarum.* Dicitur sacra Scriptura, quæ dicitur oculus Dei, quia per palpebras hujus oculi, id est per aperta et obscura loca sacræ Scripturæ probat Deus filios hominum, id est distinguit inter bonos et malos, unde David : *Oculi ejus in pauperem respiciunt et palpebræ ejus inter filios hominum.* Dicitur Christus, quia sicut in oculo plures tunicæ, ita in Christo plures substantiæ, corporis et animæ et divinitatis ; et in medio oculi est pupilla, quæ dicitur pupilla, quasi pusilla, per quam egreditur radius visibilis ad discernendum lucem et tenebras : sic in Christo est humana natura, quasi pupilla quæ respectu divinitatis minima, per quam Deus ad nos veniens distinguit inter lucem bonorum et tenebras repro-

borum, unde David : *Custodi me ut pupillam oculi*, A id est sub pupillam oculi.

Odire, proprie. Notat signum odii dare vel damnum inferre, unde David : *Qui diligit iniquitatem, odit animam suam*, id est damnum infert animæ suæ, quod est signum odii. Notat *reprobare*, unde David : *Iniquos odio habui;* et alibi : *Odisti omnes qui operantur iniquitatem.* Notat præcepta divina contemnere, unde Psalmista : *Superbia eorum qui te oderunt, ascendit semper*, etc. Notat rem in esse non conservare, unde legitur in libro Sapientiæ : *Nihil odisti eorum quæ fecisti*, id est ea quæ fecisti in esse suo conservas. Notat gratiam non apponere, unde : *Jacob dilexi et Esau odio habui.* Notat carnales voluptates per voluntatem animæ refrenare, unde in Evangelio : *Qui odit animam in hoc mundo*, id est qui voluptates carnis voluntate animæ refrenat in vita. B

Odor, proprie. Dicitur etiam fama, unde in Cant. : *Curremus in odorem unguentorum tuorum*, id est bene operabimur ad exemplum et famam virtutum vel bonorum operum. Dicitur occasio, unde Paulus ; *Quibusdam sumus odor vitæ in vitam, quibusdam odor mortis in mortem.* Dicitur oratio, quia legitur quod sancti habebant phialas plenas odoramentis, quæ sunt orationes sanctorum. Dicitur incendium, unde in Dan. : *Non tetigit eos odor ignis*, id est tres pueros non tetigit incendium ignis. Dicitur etiam devotio mentis, unde legitur quod Noe obtulit holocaustum Domino in odorem suavitatis. C

Oleaster, proprie silvestris oliva. Dicitur etiam gentilis. Nam cum esset Deo alienus, dicebatur oleaster; unde Apostolus : *Tu autem cum oleaster esses.*

Oleum, proprie. Dicitur etiam fama vel gloria, in Cant. : *Oleum effusum nomen tuum.* Dicitur spiritualis gratia, unde David : *Unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ.* Dicitur charitas, unde in Psalmo : *Impinguasti in oleo caput meum*, id est mentem charitate impinguasti. Dicitur misericordia, unde legitur de Samaritano quod infudit oleum et vinum. Dicitur adulatio, unde David : *Oleum peccatoris non impinguet caput meum.* Dicitur abundantia temporalium, unde David : *A fructu frumenti, vini et olei*, etc.

Oliva, proprie. Dicitur sapientia divina, unde in libro Sap : *Quasi oliva speciosa.* Dicitur justus, unde David : *Quasi oliva fructifera.* Dicitur Ecclesia, D unde Apostolus loquens ad gentilem populum ait : *Tu autem cum oleaster esses, insertus es in illis, factus es socius radicis*, id est pinguedinis olivæ.

Olla, proprie. Dicitur etiam refectio, unde David : *Moab olla spei.* Ecclesia enim spirituali refectione reficitur, quando peccator, qui per Moab figuratur, ad fidem convertitur. Dicitur quodlibet carnale cor, unde propheta : *Ollam succensam ab aquilone ego video.* Olla succensa est cor humanarum sæcularium curarum ardoribus insidiarumque anxietatibus fervens. Ab aquilonis vero facie cordis humani olla succenditur, cum per instigationem adversarii spiritus illicitis desideriis inflammatur. Dicitur similitudo ollæ, secundum quod exponitur : *Quid tu vides, Jeremia ? Ollam succensam ab aquilone ego vidi*, id est similitudinem ollæ. Dicitur nigredo vel confusio, quia in olla fit diversorum commistio, unde propheta : *Facies eorum convertetur in ollam.*

Olus, proprie. Dicitur cibus indifferens, unde Paulus : *Qui infirmus est, olus manducet.* Dicitur tenuis et aridus cibus, unde prædicta auctoritas sic potest exponi : *Qui infirmus est*, id est pronus ad lubricum carnis, *olus manducet*, id est tenui et arido cibo utatur ad carnis castigandum incentivum. Dicitur genus humanum, unde David : *Quemadmodum olera herbarum cito decident.* Potest etiam dici conjugalis status, quia est communis et levis cibus, ut ei qui contineri non potest dicatur : *Qui infirmus est, olus manducet*, id est uxorem ducat, etc.

Onager, proprie. Dicitur etiam aliquis solitarius, unde Job : *Quis dimisit onagrum liberum, et vincula ejus quis solvit?* Onager, qui in solitudine moratur, recte eorum vitam significat qui, remoti a turbis sæcularibus, in mentis solitudine conversantur. Dicitur is qui cuncta quæ desiderat agit, unde de vano dicitur : *Et quasi pullum onagri liberum se natum putat.* Onager in libertate habet, et ire quo appetit, et quiescere cum lassatur. Ille ergo pullo onagri similis esse concupiscit quem disciplinæ lora non coercet, sed vagus per silvam desideriorum currit. Dicitur ille qui in campo fidei positus nullius officii loris ligatur, unde : *Nunquid rugiet onager cum habuerit herbam?* Cum quis ex vita sæculari intuitivæ visionis desiderio æstuat, cum refectionis intimæ pabulum concupiscit, quasi herbam non inveniens onager rugit. Dicitur Judæus, unde propheta : *Onagri steterunt in rupibus, defecerunt oculi eorum quia non erat herba;* hoc superius de Judæis dictum est, quorum oculi defecerunt, quia a sua spe frustrati sunt; et ista eis evanuerunt, *quia non erat herba*, quia eorum cordibus defuit æternitatis scientia, et nullo modo eos refecit pabulo viriditatis intimæ doctrina. Dicitur hæreticus, sicut scriptum est in Job : *Alii quasi onagri egrediuntur in deserto ad opus suum.* Sunt nonnulli hæretici qui populis admisceri refugiunt, sed secessum vitæ secretioris appetunt; qui, plerumque eos quos inveniunt, eo amplius peste suæ persuasionis inficiunt, quo quasi ex vitæ meritis reverentiores videntur.

Onocentaurus, proprie. Dicitur homo luxuriosus et superbus, unde Isaias : *Erit cubile draconum et pascua struthionum et dæmonia occurrent onocentauris;* per dracones malitia, per struthiones hypocrisis designatur. In perversa igitur mente draco cubat et struthio pascitur, quia et latens malitia callide tegitur, et intuentium oculis simulatio bonitatis antefertur; per onocentaurum lubrici et elati designantur; *onos* enim Græce, Latine *asinus* dicitur. Et luxuria per asinum figuratur; tauri enim vocabulo cervix superbiæ designatur; onocentauri ergo sunt qui subjecti luxuriæ vitiis, inde cervicem erigunt unde humiliari debuerunt; onocentauris autem dæ-

monia occurrent, quia maligni spiritus valde eis ad votum deserviunt, quos de his superbire conspiciunt quæ flere debuerunt.

Onus, proprie. Dicitur Novum Testamentum, unde Dominus in Evangelio : *Jugum meum suave est, et onus meum leve*. Dicitur Vetus Testamentum, unde Petrus in Act. : *Hoc est onus quod neque nos neque patres nostri portare potuerunt*. Dicitur ad portandum difficile, unde : *Alter alterius onera portate*. Dicitur peccatum, unde in Evangelio : *Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis*. Dicitur adversitas sive tribulatio, unde David : *Divertit ab oneribus dorsum ejus*.

Operari, proprie. Notat *concupiscere*, unde Apostolus : *Non ego operor illud, secundum quod habitat in me peccatum*. Notat causam præbere, unde Paulus : *Cum enim essemus in carne, passiones peccatorum, quæ per legem erant, operabantur in membris nostris, ut fructificarent morti*. Notat *gubernare*, unde Dominus : *Pater meus usque modo operatur et ego overor*.

Opportunitas est congruitas vel facilitas ad aliquid faciendum, unde de Juda legitur in Evangelio quod *quærebat opportunitatem quomodo Jesum traderet*. Dicitur tribulatio, quæ propter tria dicitur opportunitas ; propter congruitatem, quia congruum est ut sancti tribulationem patiantur ad sui probationem, juxta illud quod dicitur de sanctis : *Digni inventi sunt pro nomine Jesu contumeliam pati*. Secundo propter utilitatem, quia utile est sanctis tribulationibus pulsari. Tertio propter necessitatem, quia oportet sanctos pati propter æternam prædestinationem ; unde legitur in Psalmo : *Respicit in opportunitatibus*. Dicitur necessitas, unde in Evangelio : *Oportebat Christum pati et resurgere a mortuis*.

Opus proprie id quod provenit ex operatione, unde Job : *Operi manuum tuarum porriges dexteram;* secundum quod solet distingui inter opus operans et opus operatum. Opus operans Judæorum, quo crucifixerunt Christum, fuit malum. Opus operatum, id est passio Christi, fuit bonum. Dicitur necessarium, unde in Evangelio : *Dominus his opus habet*. Dicitur genus operis, in Gen. : *Requievit Deus ab omni opere quod patrarat*, id est ab omni genere operum, quia post sextum diem novum genus non fecit.

Orare, proprie. Notat etiam bene agere, juxta illud Apostoli : *Sine intermissione orate*, id est bene agite, secundum quod solet dici : *Qui bene operatur, bene orat*. Vel ad litteram intelligendum est hoc : *Sine intermissione orate*, id est horis determinatis et orationi deputatis. Notat humanitatem suam Deo Patri præsentare, unde Christus dicitur orare pro nobis, id est suam humanitatem repræsentare Patri in qua meruit humanum genus [salvare]. Notat mentis devotionem ad Deum dirigere, unde sancti dicuntur orare pro nobis.

Orbis proprie. Dicitur septimana orbiculariter revoluta, unde in hymno : *Orbis volutus septies*, signat beata tempora. Dicitur mundus, unde in libro Sapientiæ : *Spiritus Domini replevit orbem terrarum*, id est universa mundana conservat in esse. Dicitur terra, unde David : *Et in fines orbis terræ*. Dicitur Ecclesia, unde in Psalmo : *Revelata sunt fundamenta orbis*, etc., id est verba prophetarum manifestata quibus unitur Ecclesia.

Ordo, proprie. Gradus ecclesiasticus, secundum quam acceptionem subdiaconatus, diaconatus dicitur ordo. Dicitur officium, unde David : *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech*. Dicitur uniformis spirituum multitudo, ut uno speculandi Deum modo, secundum quam significationem distinguuntur novem ordines angelorum. Dicitur convenientia vel concordia, unde Job : *Antequam vadam ad terram tenebrosam*, etc., *ubi nullus ordo*.

Organum idem est quod psalterium; *nablum* enim Hebraice, *psalterium* Græce, *organum* dicitur Latine. Dicitur instrumentum organicum quod constat ex diversis fistulis plumbeis quod in flantibus follibus sonum dat : hoc enim instrumentum vulgariter dicitur organum. Solet etiam poni pro quolibet instrumento organico. Dicitur concordia virtutum, unde David : *Laudate eum in chordis et organo*.

Oriens, proprie; unde Dominus in Evangelio : *Multi venient ab Oriente*. Dicitur etiam Christus, unde in cantic. Zachariæ : *Visitavit nos Oriens ex alto*.

Orphanus, proprie. Dicitur etiam justus qui relinquit matrem concupiscentiam et patrem diabolum, unde David : *Orphano tu eris adjutor*.

Os, oris, proprie. Dicitur cor sive mens, unde David : *Os justi meditabitur sapientiam;* mens enim eleganter dicitur os, quia ipsum os est instrumentum ejus; quia quod homo corde concipit, ore exprimit. Dicitur introitus, unde legitur in Josue : *Volvite saxa ingentia ad os speluncæ*. Dicitur etiam verbum, quia verbum ore profertur, unde Dominus in Evangelio : *Ex ore te judico*. Et in Job : *Manum meam ponam super os meum*. Manum super os ponere est virtute boni operis culpas tegere incautæ locutionis. Dicitur testimonium ; unde Dominus : *In ore duorum vel trium testium stat omne verbum*. Dicitur vultus, unde Statius :

> . . . *Natat ignis in ore*
> *Purpureus*.

Dicitur devoratio, unde David : *De ore leonis libera me, Domine*. Dicitur instantia, unde in Exod. : *Interfecit eos in ore gladii*, id est in instantia vel devoratione. Dicitur præsentia vel manifestatio, secundum quod solemus dicere : *Locutus est ei ore ad os*, id est manifeste vel præsentialiter. Dicitur etiam Deus Pater, quia ab eo procedit verbum, id est Filius, unde in ant. : *O sapientia quæ ex ore Altissimi prodiisti*, id est ab ore altissimi Patris. Eleganter autem Deus Pater dicitur os, quia, sicut Verbum procedit ab ore sine oris aliqua mutatione, ita Filius a Patre sine Patris demutatione.

Dicitur etiam Filius ; quia, sicut aliquis ore loquitur, ita Pater per Filium; unde in Cant. Ecclesiæ : *Osculetur me osculo oris sui*. Sensus est : Orat Ecclesia Patrem ut osculetur se, id est visitet, *osculo oris sui*, id est incarnatione Filii sui. Triplici ratione Filius dicitur os : Ore reficimur, ore osculamur, ore loquimur. Pater autem Filio quasi ore proprio se reficit, quia per eum propriam voluntatem perfecit aut implevit. Similiter eo quasi ore proprio humanæ naturæ osculum dedit cum eam Filio univit, similiter locutus est ei ore isto, per ipsum prædicando mundo. Dicitur justus per quem loquitur Dominus, unde : *Os Domini locutum est*. Eleganter homo justus os Domini nuncupatur, quia in eo Pater proloquitur, Filius eloquitur, Spiritus loquitur. Pater proloquitur in sancto, quando primum et principale verbum, id est Filius, mittitur in sanctum. Filius vero eloquitur quando spirituali et speciali modo sancto infunditur qui tunc extra consuetum modum loquendi loquitur. Spiritus sanctus in sancto loquitur quando ejus menti mirabiliter infunditur. Dicitur etiam suggestio dæmonis, unde legitur : *In medium oris ejus quis intrabit?* In medium quippe oris ejus intrare est calliditatis ejus verba penetrare, ut nequaquam pensetur quid resonant nec quo intendant. Dicitur prædicator Antichristi, unde legitur in Job : *De ore ejus lampades procedunt*. Sicut hi qui provident oculi, sic qui prædicant os vocantur. Sed de hoc ore lampades exeunt, quia mentes audientium ad amorem fidei accendunt. Dicitur doctorum scientia, unde Joannes : *Potestas equorum in ore et in caudis eorum erat*. In nequissimis, inquam, prædicatoribus ubique carnali impulsu currentibus in ore et in caudis potestas, quia ipsi quidem perversa sua de Deo prædicant, sed temporalibus potestatibus fulti, per ea quæ retro sunt exaltant.

Os, ossis, proprie. Dicitur robustior in Ecclesia Dei, unde David : *Ossa mea sicut cremium aruerunt*. Dicitur robur vel virtus, unde David : *Sana me, Domine, quoniam conturbata sunt omnia ossa mea*. Dicitur apostolus, unde David : *Foderunt*, etc., *dinumeraverunt omnia ossa mea*. Dicitur ratio; quia, sicut os est durius carne, ita ratio sensualitate, juxta quam significationem potest exponi, *Conturbata sunt omnia ossa mea*. Dicitur Christus, sicut per Job in persona Domini dicitur : *Pelli meæ consumptis carnibus adhæsit os meum*. In osse quippe fortitudo, in carne vero infirmitas corporis designatur. Quia ergo Christus et Ecclesia sunt una persona, quid per os, nisi ipse Dominus figuratur? Quid per carnem, nisi discipuli qui in passionis tempore infirma ejus sapuerunt. Per pellem vero, quæ exterior carne manet in corpore, quid nisi illæ sanctæ feminæ figurantur, quæ ad præparanda corporis subsidia exterioribus Domino ministeriis serviebant? Dicitur nequior in corpore Antichristi et callidior; unde Job : *Ossa ejus velut fistulæ æris*; habet Antichristus carnes, et hi sunt qui ab aliis in errore detinentur, ossa, qui alios in errore retinent. Dicitur fortitudo carnis, unde Job : *Elegit suspendium anima mea, et mortem ossa mea*. Quid per animam, nisi mentis intentio; quid per ossa, nisi carnis fortitudo designatur? Omne autem quod suspenditur procul dubio ab imis elevatur. Anima ergo suspendium elegit, ut ossa moriantur, quia, dum mentis intentio ad alta sublevatur, omnis in se fortitudo exterioris vitæ necatur. Dicitur etiam fortitudo sæcularis dignitatis, unde Job de superbo ait : *Ossa ejus plena sunt adipe*, quia ex dignitate sæculari superbia nascitur. Mulier etiam sumpta de latere viri dicta est os in Genesi. Adam dicebat : *Hoc nunc os ex ossibus meis*. Dicitur etiam illud os quod remanet ex olivis eliquato oleo, secundum quod vocamus reliquias olivarum ossa.

Osculum, proprie. Dicitur incarnatio, unde in Cant. : *Osculetur me osculo oris sui*; quare incarnatio figuretur per osculum, superius expositum est. Dicitur evangelica doctrina, unde sic potest exponi prædicta auctoritas : *Osculetur me osculo*, id est præsentia evangelicæ doctrinæ. Dicitur verbum adulatorium, unde in lib. Sapientiæ : *Meliora sunt amici corrigentis verba quam oscula blandientis*. Dicitur unio pacis, unde Apostolus : *Salutate vos invicem osculo pacis*, id est unione pacis.

Ostium, proprie, unde in Evangelio : *Qui non intrat per ostium*. Dicitur Christus, unde ipse dicit : *Ego sum ostium*. Dicitur brachium Nili, unde septem dicuntur Nili ostia esse quæ catadupIæ vel cataractæ dicuntur. Dicitur cor humanum, unde Joannes in Apoc. : *Ecce pulso ad ostium*. Christus ad ostium pulsat quando libertatem arbitrii ad bene operandum invitat. Et in Apostolo : *Et ostium apertum est mihi in Domino*, id est corda aperta ad recipiendum Evangelium. Dicitur desiderium carnalis concupiscentiæ, unde in Evangelio : *Cum oraveris intra cubiculum, et clauso ostio*, etc. Ostia claudimus cum desideria illicita coercemus. Dicitur sanctus prædicator, unde Job : *Quis conclusit ostiis mare?* Mare, id est tumor persequentium conclusus quando sancti viri quasi quædam ostia contra tumorem persequentium oppositi. Dicitur intellectus, unde in Propheta : *Et per singula gazophylacia ostium in frontibus portarum*. Gazophylacia sunt corda doctorum quæ scientiæ divitias servant; frontes portarum sunt verba atque opera doctorum in quibus eos foris cognoscimus quales apud se intrinsecus vivant. Est autem *ostium per singula gazophylacia in frontibus portarum*, quia unusquisque doctor in corde auditoris intellectum aperit in dictis et operibus antiquorum Patrum.

Ovile, proprie. Dicitur etiam Ecclesia, unde Dominus in Evangelio : *Qui non intrat per ostium in ovile ovium*. Dicitur etiam vita æterna, unde Dominus in Evangelio : *Alias oves habeo quæ non sunt ex hoc ovili*.

Ovis, proprie. Dicitur innocens, unde David : *Omnia subjecisti sub pedibus ejus, oves et boves*. Dicitur

Christus, unde Isaias : *Tanquam ovis ad occisionem ducetur.* Qui dicitur ovis propter singularem simplicem innocentiam, propter suæ carnis esum, propter suæ passionis sacrificium, quia suis præbet lanam, id est virtutum vestituram. Dicitur angelus propter sui innocentiam, unde legitur in Evangelio de pastore quia, relictis nonaginta novem ovibus, id est multitudine angelorum in paradiso, abiit per assumptam humanitatem quærere ovem quæ perierat, id est hominem. Dicitur Christianus populus, unde David : *Nos autem populus ejus et oves pascuæ ejus.* Dicitur gentilis populus, unde Dominus in Evangelio : *Alias oves habeo.* Dicitur Judaicus populus, unde David : *Qui deducis velut ovem Joseph.* Dicitur martyr, unde David : *Reputati sumus velut oves occisionis.* Dicuntur damnati, unde David : *Sicut oves in inferno positi sunt.*

Ovum, proprie. Dicitur etiam spes ; quia, sicut in ovo est spes animalis, ita in spe exspectatio æternæ beatitudinis, unde in Evangelio : *Si quis petierit ovum.* Dicitur consilium malignorum, unde de pravis dictum est per prophetam. *Ova aspidum ruperunt, et telas araneæ texuerunt : qui comederit de ovis eorum morietur, et quod confotum est, erumpet in regulum.* Ova quippe aspidum hominibus pravis rumpere, est malignorum spirituum consilia, quæ in eorum cordibus latent, perversis operibus aperire. Telas quoque araneæ texere est pro hujus mundi concupiscentia quælibet operari ; quæ de nulla stabilitate sunt, ea procul dubio ventus vitæ mortalis rapit. Bene autem additur : *Qui comederit de ovis eorum morietur,* quia qui immundorum spirituum consilia recipit, vitam in se animæ occidit. *Et quod confotum est, erumpet in regulum ;* quia consilium maligni spiritus quod corde tegitur, ad plenam iniquitatem nutritur ; regulus namque serpentum rex dicitur. Caput autem reproborum est Antichristus ; *quod* ergo *confotum est, erumpet in regulum,* quia is qui in se nutrienda aspidis consilia recipit, et membrum iniquitatis factus in opus Antichristi accrescit.

P

Pactum, proprie votum vel præceptum, unde *Pactum meum irritum fecerunt.* Dicitur sacrificium unde : *Lege pactum salis ;* dicitur sacrificium, quia in omni sacrificio apponebatur sal. Dicitur etiam promissum, unde dicit Pater in Gen. : *Pacti mei recordabor quod pepigi tecum.*

Palea proprie. Dicitur etiam malus, unde Dominus : *Paleas autem comburet igni.* Per paleam etiam intelligitur inanis gloria, scilicet superbia, quæ ut palea a vento dispergitur et ventosa est. Dicitur sacra Scriptura, unde Isaias : *Leo ut bos comedet paleas,* id est superbi de gentibus ad fidem conversi reficientur intelligentia Scripturæ sicut Judæus ad fidem conversus. Dicitur litteralis intelligentia, unde sic potest exponi prædicta auctoritas : *Leo,* id est hæreticus de suo ingenio superbus, ita adhærebit litterali intelligentiæ *sicut bos,* id est Judæus. Dicitur vilis, unde Job loquens de Antichristo : *Reputabit ferrum quasi paleas,* id est prædicatores sui temporis vilipendet.

Paliurus, proprie herba cardonis. Dicitur quilibet in malitia præpotens et alios in malo defendens, sicut propheta sub Babylonis specie pravorum turbam et quamlibet perversam mentem redarguit, dicens : *Orientur in domibus ejus spinæ, et urticæ, et paliurus in munitionibus ejus.*

Pallium, proprie. Dicitur charitas quæ mentem humanam exornat, unde Isaias : *Pallium breve utrumque cooperire non potest,* quia Judæa simul Deum et diabolum diligere non potest. Dicitur peccatum carnis, unde Dominus : *Si quis vult tibi auferre tunicam, dimitte ei et pallium,* id est si confessus es peccata mentis prælato tuo, confitere et peccata carnis ut et omnia tibi dimittantur. Quia pallium patet, per pallium figuratur peccatum carnis, quod magis est manifestum. Per tunicam, quæ magis latet, figuratur peccatum interius quod non patet. Dicitur stola æternæ beatitudinis, unde : *Dens putridus, et pes lassus qui sperat super infideli in die angustiæ, et amittit pallium in die frigoris ;* Glos. : Quia maledictus est qui ponit spem suam in homine et in Deo spem suam ponere nescit, iste nec vitæ potest suscipere verbum nec ad mansionem desideratæ salutis potest pertingere, *et amittit pallium in die frigoris,* quia etsi in serenitate vitæ præsentis habitu religionis videatur indutus, in die judicii nudus apparebit aut patebit. Dicitur etiam ornatus virtutum, unde Isaias : *Et pallium laudis pro spiritu mœroris.*

Palma arbor proprie. Dicitur etiam manus extenta. Dicitur ictus palmæ, unde de Christo dicitur : *Alii autem palmas in faciem ejus dederunt.* Dicitur crux Christi quæ fuit de palma, unde in Cant. : *Ascendam in palmam,* id est in crucem. Palma dicitur crux triplici ratione : ratione substantiæ, ratione circumstantiæ, ratione efficientiæ. Ratione substantiæ, quia lignum transversale in cruce erat de palma. Ratione circumstantiæ, quia legitur super Cant. amoris in Glos. : *Quæ inveniuntur in palma, resultant mystice in cruce Dominica.* Palma horribilis est in radice, aspera in cortice, [firma in robore], erecta pro charitate, pulchra in culmine, dulcis in fructus suavitate ; sic crux Dominica horribilis fuit in radice, quia primo detestabilis propter ignominiam tormenti ; aspera in cortice propter pœnam, firma in robore propter Christi patientiam, erecta pro charitate ratione finis, pulchra in culmine intuitu resurrectionis, dulcis in fructu intuitu nostræ re-

demptionis. Ratione efficientiæ, quia sicut palma est præmium victorum, sic Christus per crucem consecutus est triumphum. Dicitur victoria vel dicuntur æterna præmia, unde Joannes : *Et palmæ in manibus eorum.* Dicitur justus, unde David : *Justus ut palma florebit.* Eleganti metaphora justus comparatur palmæ; nam palma est arbor horribilis radice, aspera cortice, firma robore, sublimis culmine, delectabilis flore, suavis fructus dulcedine, erecta pro charitate, signum victoriæ; sic vita sanctorum vel religiosorum horribilis in radice, scilicet ab initio intrantibus religionem, quia stultis infert horrorem; unde in libro Sapientiæ : *Nos insensati vitam illorum putabamus insaniam;* aspera est in cortice, in victu scilicet, et cultu et vestitu; firma robore, constantia scilicet et patientia; sublimis virtutum et operum eminentia; delectabilis flore, quia in ea florent virtutes et bonæ operationes; suavis est fructus dulcedine, quia pro labore percipit dulcem fructum vitæ æternæ; erecta pro charitate, quia mentem erigit ad contemplandum cœlestia; signum victoriæ, quia propter luctam, scilicet qua vincit mundum, carnem et diabolum, merebitur coronam. Dicitur etiam Ecclesia propter prædictas rationes, unde Job in persona Ecclesiæ ait : *Et sicut palma multiplicabo dies;* palma tarde proficit sed diu viriditate subsistit: sic Ecclesia cum multis difficultatibus ad statum fidei pervenit, et pro collectione plurimorum etiam ejusdem fidei gloriam diutius stare concupiscit.

Palmes, proprie. Dicitur sanctus Christo adhærens per gratiam, unde Dominus : *Ego sum vitis, vos palmites.* Dicitur aliquis conversus prædicatione apostolorum, unde auctoritas Hieronymi ait : *Apostolica communicatio non tota extendit palmites suos usque ad mare*, id est apostoli reputati viles et abjecti vel dejecti, multos de gentibus ad fidem Christi converterunt.

Palpebræ, proprie. Dicuntur aperta et occulta loca Scripturarum per quæ aperitur et clauditur sacra Scriptura, quæ sunt quasi oculi Dei per quas interrogat et probat filios hominum, scilicet de veteribus innovatos per fidem; quia boni de obscuris Scripturis non fatigantur, sed exercentur, de cognitione non inflantur, sed confirmantur; unde David : *Palpebræ ejus interrogant filios hominum.* Mors et resurrectio Christi dicuntur palpebræ ejus. Per hæc duo probavit filios hominum, id est discipulos suos, et hoc est quod dicit : *Palpebræ ejus interrogant filios hominum.* Dicuntur intentiones cordis per quas cor aperitur et clauditur, unde David : *Si dedero somnum oculis meis et palpebris meis dormitationem*, id est si delectationem carnalem, quæ significatur per somnum, oculis meis, id est voluntatibus vel intentionibus meis, quæ per oculos significantur, dedero; et, ut plus dicam : *Si dedero dormitationem palpebris meis*, quod minus est quam dormitio. quasi dicat : Non dabo. Qui dormit, firmiter adhæret somno; qui vero non dormit, sed dormitat, modo a somno repellitur, modo ad somnum revertitur; a simili ille dormire dicitur qui omnino terrenis intendit; dormitare dicitur qui modo ab eis retrahitur, modo ad ea redit. Dicuntur prælati Ecclesiæ, unde Job in persona Ecclesiæ ait : *Palpebræ meæ caligaverunt.* Recte palpebræ appellati sunt qui provide pedum itinerationi invigilant; sed cum multa Dei judicia non intelligunt, palpebræ sanctæ Ecclesiæ caligant. Dicuntur prudentes sæculi, perversis Antichristi consiliis inhærentes, unde Job : *Oculi ejus ut palpebræ diluculi;* per palpebras diluculi extremas vias noctis accipimus, in quibus quasi nox oculos aperit, dum venturæ lucis viam ostendit. Prudentes igitur sæculi malitiæ Antichristi perversis consiliis inhærentes, quasi palpebræ sunt diluculi; quia fidem quam in Christo inveniunt quasi erroris noctem asserunt, et venerationem Antichristi veram esse mane pollicentur.

Panis proprie cibus quotidianus, unde David : *Qui devorant plebem meam sicut escam panis.* Dicitur necessaria vitæ, unde Dominus : *Panem nostrum quotidianum.* Dicitur manna quod datum est filiis Israel, et signat panem angelorum, id est Christum. Dicitur charitas quæ nos spiritualiter reficit, unde Lucas : *Quis ex vobis patrem petit panem?* Dicitur aliqua in Trinitate persona, unde in Evangelio : *Accommoda mihi tres panes*, id est fidem Trinitatis. Dicitur refectio, unde David : *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes*, etc. Dicitur sacra Scriptura, unde in Thren. : *Parvuli petierunt panem et nemo*, etc. Dicitur delectatio vitæ æternæ, unde in Evangelio dicitur : *Beatus qui manducat panem in regno cœlorum.* Dicitur forma panis sub qua latet corpus Christi, unde Dominus distinguit inter panem visibilem et invisibilem; et ait Apostolus : *Et panis quem frangimus;* unde et Christus per partes manducari dicitur, non quantum ad suum corpus, sed quantum ad formam panis. Dicitur etiam corpus Christi, unde Paulus : *Probet autem se ipsum homo et sic de pane illo edat.* Dicitur unitas ecclesiastica, unde Paulus : *Multi sumus unus panis in Christo Domino nostro*, etc.

Pannus, proprie. Dicitur etiam altior et arctior doctrina, quæ carnalibus proponi non debet; unde Dominus : *Nemo mittit commissuram panni rudis in vestimentum vetus*, id est nemo debet altiorem doctrinam carnalibus proponere. Dicitur immunditia, quia panno solet immunditia abstergi et ei immunditia adhærere; unde Isaias : *Omnes justificationes hominis*, etc.

Paradisus, proprie, unde in Gen. : *Plantavit autem Dominus paradisum voluptatis ab initio.* Dicitur præsens Ecclesia, unde in Apoc. : *Vincenti dabo edere de ligno quod est in paradiso.* Dicitur vita æterna, juxta quod solet exponi prædicta auctoritas. Dicitur requies, unde in Evangelio : *Hodie mecum eris in paradiso*, quod non est intelligendum de terrena, unde expulsus est Adam; neque de ange-

lica, quia ad illam ante Christum nemo ascendit, sed [de paradiso], id est in requie, quod est esse cum Jesu.

Parare, proprie. Notat *præparare*, unde David : *Paravi lucernam Christo meo ;* et alibi in Evangelio : *Parate viam Domini.* Notat *dare* vel *ordinare*, unde Joannes : *In domo Patris mei*, etc., *quoniam vado parare vobis locum.* Notat *ornare*, secundum quod dicitur : *Iste parat ecclesiam*, id est ornat.

Parcere, proprie. Notat etiam peccatum remittere, unde Job : *Tu quidem gressus meos dinumerasti, sed parce peccatis meis.* Signat pravas persuasiones pravorum hominum vel dæmonum refrenare, non ut non sint, sed ne damnentur, unde David : *Ab occultis meis munda me, et ab alienis parce servo tuo.* Notat non expendere, juxta quod dicitur : Iste parcit pecuniæ.

Pardus, proprie. Dicitur etiam hæreticus qui diversis fraudibus decipit, sicut pardus diversis coloribus est distinctus ; unde in Cant. : *De cubilibus leonum , de montibus pardorum.* Per montes igitur pardorum intelliguntur magistri hæreticorum qui, aliquando conversi ad fidem, cedunt in coronam Ecclesiæ. Dicitur diabolus, unde prædicta auctoritas ad idem potest exponi : montes igitur pardorum dicuntur illi in quibus habitat diabolus ; ex quibus coronatur Ecclesia, cum eorum ad fidem convertuntur corda. Dicitur peccator, unde Isaias de convertendis peccatoribus ait : *Pardus cum hædo accubabit ;* per pardum peccator variis peccatis aspersus intelligitur ; per hædum vero, ille qui se peccatorem humiliter cognoscit accipitur ; pardus autem cum hædo accubat, cum is qui peccatorum maculis varius fuit, cum eo qui se despicit et esse peccatorem fatetur, humiliare consentit.

Parere, proprie. Sumitur pro *manifestare* vel in actum producere, unde David : *Ecce parturiit injustitiam et peperit iniquitatem*, id est in actum produxit vel manifestavit. Notat *creare* vel per gratiam reformare ; unde in Jeremia : *Clamat perdix, congregavit ova quæ non peperit ;* perdix significat diabolum, quia sicut perdix fovet aliena ova, ita diabolus frequenter eos quos Deus creavit, vel per gratiam regeneravit, seducendo in malo nutrit et fovet, et ad malum congregat ; et hoc est : *Clamat perdix, congregavit ova quæ non peperit.* Clamat diabolus per hæreticos, clamat per terræ tyrannos, clamat per tribulationes, clamat per varias tentationes vel suggestiones. Notat *renovare*, unde in cerei benedictionibus : *Ut novam pariat gratia mater infantiam.* Notat præordinare vindictam vel Filium æternaliter gignere, unde Dominus per prophetam : *Nunquid ego non paream*, quasi dicat : Imo quia Filium æternaliter genui vel pœnam malis infligendam apud me præordinavi.

Paries, proprie. Dicitur humana Christi natura ; unde in Cant. : *En ille stat post parietem nostrum ;* Christus post parietem nostrum stetit quando humanam naturam assumpsit. Dicitur gentilis populus et Judaicus, unde legitur quod Christus est lapis

A angularis conjungens duos parietes in unum, id est duos populos in fidei unitatem. Aliquando dicitur humana vel angelica natura, unde legitur quod cœlestis Jerusalem constabit ex duobus parietibus, id est ex angelis et hominibus. Dicitur Christus, unde David : *Tanquam parieti inclinato maceriæ depulsæ*, hoc supra expositum est. Significat peccati duritiam, sicut scriptum est : *Ipse ædificavit parietem.* Ædificare parietem est contra se quempiam obstacula construere. Dicitur etiam mortalitas quæ impedit ne videamus divinam Christi naturam, id est intellectu comprehendamus ; unde secundum aliam expositionem : *Ecce ille stat post parietem nostrum ;* quia mortalitas quasi paries interponitur inter nos et Deum ne comprehendamus ipsum, post
B parietem Christus stetit cum mortalem carnem de virgine sumpsit ; sub pariete nos pressi jacemus, quia naturaliter mortales sumus, ipse vero non substantialiter post parietem stetit, quia voluntate non natura mortalis exstitit, stetit post parietem ut eum impelleret. Greg. : *Qui mortem nostram moriendo destruxit.*

Pars, proprie, Deus ; unde David : *Dominus pars hæreditatis meæ*, id est pars hæreditaria mea. Dicitur partitio, unde Salomon : *Da partes septem necnon et octo*, id est partire septenarium et octonarium dando septenarium Veteri Testamento et octonarium Novo, quia patres Veteris Testamenti observaverunt septimum diem, septimam septimanam,
C septimum mensem ; patres vero Novi Testamenti observant diem octavam, scilicet diem Dominicam et Octavas sanctorum. Dicitur locus adjacens alicui regioni vel civitati, unde in Evangelio legitur quod *Jesus secessit in partes Cæsareæ Philippi*, id est in loca adjacentia illi civitati. Dicitur ratio : *Quæ nobis pars in David vel quæ hæreditas in filio Isai ?* quasi dicat : Quæ est ratio ut ex una tribu eligatur qui regat alias. Dicitur status, secundum quod solet dici : *Christus ex parte Patris est immortalis, ex parte matris fuit mortalis*, id est secundum statum paternum vel maternum.

Parturire, proprie. Dicitur malum cogitare ; unde David : *Ecce parturiit injustitiam.* Notat instruendo vel informando subditos laborare, unde Apostolus :
D *Filioli mei, quos iterum flens parturio, donec formetur Christus in vobis.* Notat Deum Patrem Filium generare, unde Sapientia dicit se parturiri, id est a Patre generari.

Parvulus, proprie. Dicuntur etiam primi motus ; unde David : *Beatus qui tenebit et allidet parvulos ad petram.* Dicitur Christus qui parvulus dictus est et propter defectus humanos et propter innocentiam, unde Isaias : *Parvulus enim natus est nobis.* Dicitur humilis, unde David : *Sapientiam præstans parvulis.* Dicitur simplex et minus intelligens, unde Jer. : *Parvuli petierunt panem, et non erat qui frangeret eis.*

Pascere, proprie. Notat etiam *instruere* vel *informare*, unde Dominus ad Petrum : *Pasce oves meas.*

Notat ventum attrahere, unde in propheta Osee : *Ephraim pascit ventum et sequitur æstum*, id est decem tribus quæ significantur per Ephraim trahentur in diversas partes mundi in captivitatem, a quibus diversi flant venti ; et sicut pascent ventos, ita diversos attrahent ad spirandum. Notat *perseverare*, quia ex pastu perseverantia vitæ, unde quidam :

Pascitur in vivis livor, post fata quiescit.

Pascha proprie dicitur *transitus*. Dicitur etiam hora vespertina in qua quarta decima luna ad vesperum immolabatur agnus, unde in Joanne legitur : *Ante diem festum paschæ*, id est consecutivum horæ vespertinæ in quà immolabatur agnus. Dicitur agnus paschalis, unde in passione : *Domine, ubi vis paremus tibi pascha?* Dicitur Christus, unde Apostolus : *Etenim pascha nostrum immolatus est Christus*. Dicitur panis azymus, unde Joannes : *Non introierunt in prætorium, ut non contaminarentur, sed ut manducarent pascha*, id est panes azymos. Dicitur solemnitas paschalis, unde legitur quod Herodes posuit Petrum in carcerem, volens eum post pascha producere populo. Dicitur etiam Dominicæ festum resurrectionis, quod manifestum est.

Pascua, proprie. Dicitur etiam sacra Scriptura ; unde David : *In loco pascuæ ibi me collocabit*. Dicitur Ecclesia, unde Psalmista : *Nos autem populus ejus et oves pascuæ ejus*. Dicitur etiam vita æterna, unde Dominus : *Qui per me introierit salvabitur, et pascua inveniet*.

Passer, proprie. Dicitur etiam levis vel instabilis ; unde David : *In Domino confido*, etc., *sicut passer*. O hæretici, *quomodo dicitis animæ meæ : Transmigra in montem*, id est in Christum qui apud nos est, quia si hoc fecerim, ero sicut passer, id est levis et instabilis. Dicitur sanctus virtutibus pennatus, unde sic potest exponi præfata auctoritas : Transmigra ad nos qui sumus montes et sic eris sicut passer, pennis virtutum munitus. Dicitur Christus, unde David : *Sicut passer solitarius in tecto ;* Christus in tecto fuit solitarius, quando resurgens a mortuis, solus in humana natura cœlos ascendit ; et alibi : *Passer invenit sibi domum et turtur nidum*, etc. Per passerem Redemptor noster, per turturem Ecclesia exprimitur ; *jam enim passer invenit sibi domum*, quia æternum sibi Redemptor noster intravit habitaculum ; *et turtur nidum invenit*, quia sancta Ecclesia amore Conditoris affecta crebris gemitibus utitur et velut nidum sibi, id est pacatissimam fidei quietem, construit ; in qua crescentes filios quasi plumescentes pullos quoadusque ad superiora evolent, charitatis gremio calefactos fovet. Dicitur ratio secundum aliam expositionem : *Etenim passer invenit sibi domum*. Dicuntur etiam pauperes, unde Psalmista : *Illuc passeres nidificabunt*, quia pauperes a divitibus necessaria vitæ accipiunt.

Passio, proprie, ignominiosum desiderium, unde Paulus : *Propterea tradidit illos Deus in passiones ignominiæ*. Ignominiosa passio dicitur, quia et ad pœnam gehennalem ducit, et vires animæ enecat, corpus enervat, a Deo separat. Dicitur concupiscentia, unde Apostolus : *Cum essemus in carne, passiones peccatorum, quæ per legem erant*, etc.

Pastor, proprie. Dicitur etiam Christus, unde ipse ait : *Ego sum pastor bonus*. Dicitur prælatus, unde in Evangelio : *Mercenarius et qui non est pastor ;* et in Cant. : *Pasce hœdos tuos juxta tabernacula pastorum ;* Pastor est dictus quidam liber apud Hebræos quem nos non habemus.

Pater, proprie, aliquis ratione educationis vel opinionis, ut Joseph ; unde in Evangelio dicitur : *Ego et pater tuus*, etc. Pater ratione creationis vel recreationis, unde in Evangelio : *Pater noster, qui es in cœlis*, etc. Pater æternæ generationis, unde Christus ait : *Pater, si fieri potest*. Dicitur pater ratione spiritualis conceptionis, secundum quod mens humana concipit per gratiam Christum, unde Christus ait : *Quicunque fecerit voluntatem Patris mei*. Pater ratione generis, unde Joannes : *Patres vestri manducaverunt*, etc., id est prædecessores vestri. Dicitur ratione antiquitatis, unde Abraham vocat patrem fratrem suum, juxta illud : *Alias soror mea est filia patris mei*, id est Aram fratris mei, antiquioris me. Dicitur pater traditione legis, secundum quam *patres legales* dicebantur ; erat enim præceptum in lege ut, fratre defuncto sine semine, superstes suscitaret semen fratris sui, et qui nascebatur dicebatur filius defuncti et non vivi ; unde Heli dictus est pater Joseph, quia, Heli mortuo sine semine, Jacob frater ejus suscitavit ei semen et genuit Joseph ; unde : *Jesus, ut putabatur, filius Joseph, qui fuit Heli*. Dicitur pater ratione adoptionis, unde David : *Dictus est pater Nathan, quia adoptavit eum in filium*, secundum quod Lucas ait : *Qui fuit Nathan, qui fuit David*. Dicitur pater ratione imitationis, unde in Evangelio : *Vos ex patre diabolo estis*. Dicitur pater ratione adinventionis, unde Christus de Lucifero ait : *Ipse est mendax et pater ejus*, id est adinventor mendacii. Dicitur etiam pater ratione instructionis et regiminis, unde Eliseus ad Eliam ait : *Pater mi, pater mi, currus Israel*.

Patere, proprie. Notat etiam *dilatari*, unde Apostolus : *Os meum patet ad vos, o Corinthii*. Notat etiam *manifestari*, juxta illud quod dicitur : *Scriptura ita patet*, id est manifesta est.

Pati aliquando sumitur a passione : *Tanto magis meretur, quanto magis patiens est*. Aliquando notat patientiam, unde : *Quanto quis magis patitur, magis patiens est*.

Pauper, proprie. Dicitur etiam humilis ; unde Dominus : *Beati pauperes*. Dicitur etiam Christus qui dictus est pauper quantum ad res sæculi et quantum ad defectus humanos, unde David : *Unicus et pauper sum homo*. Dicitur etiam peccator qui caret spiritualibus divitiis, unde a simili per contrarium dives dicitur ille qui spirituales habet divitias ; unde Joannes : *Scio tribulationem et paupertatem tuam, sed dives es*, etc.

Pavimentum, proprie. Dicitur humilitas auditorum; unde Ezech.: *Et pavimentum lapide stratum in atrium per circuitum*. Pavimentum recte stratum dicitur, quia in altitudinem charitatis vicissim sibi junctæ sunt animæ, quæ et lapides appellantur propter fortitudinem fidei, et stratæ sunt in pavimento in compage humilitatis. Dicitur terrenum bonum; quia, sicut pavimentum exterius cæmento ornatur, ita temporale bonum extrinsecus quamdam prætendit delectationis dulcedinem; unde David : *Adhæsit pavimento anima mea; vivifica me*, etc.

Pax aliquando notat pacem temporis, unde in Evangelio : *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis*. Aliquando æternitatis, unde Apostolus : *Et pax Dei quæ exsuperat* etc.; et alibi : *Pacem meam do vobis*. Pax individuæ Trinitatis, unde Paulus : *Et pax Dei quæ exsuperat*. Pax rationis et sensualitatis, unde Apostolus : *Gratia vobis et pax in Jesu Christo*. Dicitur pax simulationis, unde Dominus in Evangelio : *Non veni mittere pacem in terram, sed gladium*. Dicitur pax charitatis, unde David : *Fiat pax in virtute tua*.

Peccator, qui in peccatis est. Emphatice etiam peccator dicitur obstinatus, qui notorio crimine laborat et alios pravis operibus scandalizat; unde David : *Peccatori autem dixit Deus*. Similiter emphatice Antichristus dicitur peccator, unde Psalmista : *Quoniam laudatur peccator*. Similiter etiam peccator per depressionem dicitur peccator, juxta quam acceptionem potest illud legi : *Contere brachium peccatoris*, etiam de Antichristo.

Peccatum, proprie. Dicitur pœna quæ infligitur pro peccato; unde Apostolus : *Christus tulit peccata nostra super lignum*, id est pœnam pro peccatis nostris in ligno crucis. Dicitur fomes peccati sive concupiscentia, quia ex ipsa nascitur omne peccatum, unde Paulus : *Sed peccatum, ut appareat peccatum, per bonum mihi operatum est mortem*. Quia fomes sive concupiscentia, sumpta occasione ex lege, quia magis incanduit, exarsit, cum homo semper nitatur in vetitum cupiatque negata, operata est mortem, id est mortale peccatum, per bonum, id est per legis mandatum quod a bono datum est et ad bonum. Dicitur diabolus, quia a diabolo initium peccati est et nos invitat ad peccatum, unde Apostolus : *De peccato destruxit peccatum in carne*, id est infirmavit potestatem diaboli de peccato, id est pro peccato, secundum quam expositionem solet sic exponi prædicta auctoritas : *Christus destruxit peccatum*, id est delevit omne peccatum per ea quæ sustinuit in carne sua, et hoc de peccato, id est pro eo quod ipse factus est peccatum, id est hostia pro peccato. Dicitur reatus sceleris, id est obnoxietas pœnæ qua aliquis tenetur pro peccato; juxta quod dicitur transacto homicidio, peccatum homicidii esse in aliquo, id est reatum. Dicitur infidelitas, unde Christus ait : *Cum venerit Paracletus, ille arguet mundum de peccato*. De peccato subaudi suo, id est de infidelitate, quia *non crediderunt in me. De justitia*, subaudi vestra, loquitur enim ad apostolos; quia non imitati sunt eam, quia justitia et spes erit in vobis *quando non videbitis me*, quia tunc majori charitate inflammati majori justitia eritis præditi. *Et de judicio meo*, quod non timuerunt, *quia non crediderunt me* venturum ad judicium, de quo tamen judicio jam patet quia *princeps mundi jam judicatus est*.

Pectus, proprie. Dicitur etiam cogitatio luxuriæ, unde in Gen. ad serpentem dictum est : *Pectore et ventre repes*. Repit [ventre], inquam, serpens, id est diabolus, quando per humana membra sibimet subdita usque ad expletionem operis luxuriam exercet. Repit pectore quando eos quos in opere luxuriæ non valet polluere, polluit in cogitatione.

Pecunia, proprie. Dicitur etiam doctrinæ sanctæ mysterium, unde in Job : *Si fructus terræ meæ comedi absque pecunia*. Terra Ecclesia sancta; fructus ergo terræ absque pecunia comedere est ex Ecclesia sumptus accipere, sed eidem Ecclesiæ prædicationis pretium non præbere.

Pecus. Dicitur aliquis carnalibus voluptatibus deditus, unde David : *Omnia subjecisti sub pedibus ejus*, etc., *insuper et pecora campi*. Dicitur etiam gentilis populus pecudi propter spurcitias idololatriæ comparatus, unde apud Isaiam vocatur pecus Cedar, aries Nabaioth.

Pellis, proprie. Dicitur etiam bonum temporale, unde Job : *Ait Satan : Pellem pro pelle dabit homo*, id est homo magis vult sustinere damnum in pelle exteriori, id est in bono temporali, quam in pelle interiori, id est in carne; id est magis vult amittere temporale bonum quam in corpore sustinere supplicium. Dicitur justus, unde per pelles rubricatas quæ cooperiebant tabernaculum significatur martyrium, unde in Epitalamio Sponsæ, id est Ecclesiæ : *Nigra sum, sed formosa*, etc., *sicut pellis Salomonis*; ibi pelle significat sanctos qui cedunt in ornamentum Salomonis templi, id est in ornamentum Ecclesiæ Dei. Dicitur prava consuetudo, in qua peccator involvitur; unde propheta Jer. : *Nunquid poterit Æthiops mutare pellem suam?* id est peccator per pravam consuetudinem oppressus. Dicitur homo pœnæ subjectus, unde : *Quid extenderis, pellis morticina?* Dicitur sacra Scriptura, unde David : *Extendens cælum sicut pellem*. Dicitur stultus, unde Job de infidelium conversione ait : *Nunquid implebit sagenam pelle ejus aut gurgustium piscium capite illius*. Per sagenam vel gurgustium piscium, Ecclesiæ fideles qui unam Ecclesiam catholicam faciunt, designantur; unde Dominus in Evangelio : *Simile est regnum cælorum sagenæ*. Dicuntur sanctæ mulieres, quæ Domino adhærentes exterioribus ministeriis, ad subsidia corporis serviebant; unde Job in persona Domini ait : *Pelli meæ consumptis carnibus adhæsit os meum*, [quod] supra expositum est. Dicitur carnalis motus, unde Job : *Pelle et carne vestisti me*; pelle et carnibus interior

homo vestitur, quia in eo quod ad superiora erigitur, carnalium motuum obsidione vallatur.

Penna, proprie. Dicitur contemplativus, unde David : *Pennæ columbæ deargentatæ*, quia vir contemplativus qui est de Ecclesia Dei, per columbam signata, per contemplationem evolat ad alta et fulget eloquentia. Dicitur virtus vel contemplatio, unde Psalmista : *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ*. Dicitur protectio, unde David : *Scapulis suis obumbrabit tibi et sub pennis*, etc.

Per aliquando notat tempus, unde David : *Per singulos dies benedicam tibi*. Aliquando locum, unde in Evangelio : *Per aliam viam reversi sunt*. Notat ministerium, unde in Evangelio : *Lex per Moysen data est*. Notat occasionem : *Per unum hominem mors intravit in mundum*. Notat causam formalem, juxta quod solet dici : *Hoc factum est per malitiam illius* vel : *Hoc fecit ille per sapientiam vel potentiam suam*. Notat deprecationem, unde Apostolus: *Obsecro vos per misericordiam Dei*. Notat personalem distinctionem, unde Paulus : *Filius est per se non a se, quia a Patre est, sed a Patre distinctus est*. Notat comitantiam, unde Apostolus de Deo Patre loquens ait : *Per quem fecit et sæcula*. Deus Pater dicitur omnia fecisse per Filium quia omnia operatus est cum eo. Altiori tamen consideratione, Pater dicitur operari per Filium, quia nomen sapientiæ appropriatur Filio. Filius etiam dicitur manus Patris et Pater omnia operatur per sapientiam suam, et sicut per manum quis operatur, ita Pater per Filium dicitur operari. Et ne minor Patre esse videatur, potius Pater operari dicitur per Filium quam Filius per Patrem ; unde ait Pater ad Filium : *Tecum principium*, non ait mecum principium ut a Filio minoritas excludatur. — *Per* in compositione aliquando notat consummationem, unde in Gen. : *Perfecti igitur sunt cœli et terra*. Aliquando notat contrarietatem, ut cum dicitur : *Iste est perjurus vel perfidus*, id est agens contra suum juramentum vel fidem. Aliquando ponitur pro *valde*, ut cum dicitur : *Iste est perpulcher*, id est valde pulcher, quod ostendit Priscianus hoc inducens exemplum : *Perpulchra bona haud tuis similia*.

Percutere, proprie. Significat *interficere*, unde Saul: *Percussit mille et David decem millia*. Notat occidi permittere, unde Deus Pater ait dextero (*sic*) : *Percutiam pastorem et dispergentur*, etc., id est Christum permittam occidi ; alia littera habet *percute*, ut intelligatur propheta loqui ad Deum Patrem. Notat culpam in homine delere, unde in Deut. : *Percutiam et ego sanabo*.

Perdere, proprie. Significat *damnare*, unde David : *Perdes omnes qui loquuntur mendacium*. Notat *reprobare*, unde : *Perdam sapientiam sapientum*. Notat etiam *confingere*, unde David : *Factus sum tanquam vas perditum*.

Perdix, proprie. Dicitur diabolus, ut superius diximus, unde Jeremias : *Clamat perdix*, qui ideo A perdix dicitur, quia multoties perdit eos quos obtinuerat in peccatis.

Perfectus aliquando dicitur aliquis ratione operationis, unde in Gen. : *Noe erat perfectus in generatione sua*, id est respectu eorum qui erant de generatione sua. Aliquando dicitur ratione signi, unde in Evangelio : *Si vis perfectus esse*, id est si vis habere signa perfectionis, *vade, vende omnia*. Dicitur ratione voti, unde Augustinus : *Quod non debent perfecti mentiri pro conservanda vita alicujus*. Ratione plenitudinis, unde Apostolus : *Occurremus in virum perfectum in mensuram*. Dicitur aliquis perfectus ratione viæ, unde in Evangelio : *Estote perfecti*, id est habete illam perfectionem quam debetis habere in via. Dicitur ille in quo nihil superfluum, B nihil diminutum actu vel natura, ut Deus ; unde in prædicta auctoritate legitur : *Sicut Pater vester cœlestis perfectus est*. Dicitur ratione consummationis, secundum quam acceptionem illi dicuntur perfecti qui sunt in patria, unde Apostolus : *Tunc evacuabitur quod imperfectum est*. Dicitur ille qui habet perfectam charitatem, unde Joannes : *Perfecta charitas foras mittit timorem*, quia charitas imperfecta foras mittit timorem servilem, perfecta initialem.

Perire, proprie. Notat etiam *peccare*, unde in Evangelio : *Mortuus erat et revixit, perierat et inventus* ; hoc intelligitur de gentili populo per filium prodigum signato qui perierat per culpam, revixit per C gratiam. Significat non resurgere, unde Apostolus disputans contra illos qui negabant resurrectionem mortuorum, ait : *Ergo qui dormierunt perierunt*. Notat hominem desinere esse impium, unde in Psalmo : *Increpasti gentes et periit impius*, id est impietas desiit esse in ipso. Notat *reprobari*, unde David : *Quoniam novit Dominus*, id est approbabit viam justorum, *et iter impiorum peribit*, id est reprobabitur. Notat *damnari*, unde in Psalmista: *Infirmabuntur et peribunt a facie tua*.

Permittere significat *indulgere*, unde solet dici quod abbas permitit monachos comedere carnes, id est indulget. Notat non prohibere, unde in Glos. super illud Psalmistæ : *Irascimini et nolite peccare* : Lex quod est necessitatis permittit, id est non prohibet. D Notat non punire, unde legitur quod Moyses permisit Judæos repudiare uxores suas, id est non punivit peccatum repudii. Notat non impedire, unde dicitur quod permittit mala fieri, id est non impedit quin fiant.

Persona, proprie. Dicitur naturæ rationalis individua substantia, id est substantia quæ est ita naturæ rationalis quod ab omni re est distincta, ut homo vel angelus vel Deus ; quilibet istorum est naturæ rationalis quæ est substantia ab omni alia re distincta. Anima ergo non est persona, quia quamvis naturæ rationalis, tamen non est substantia individua, quia non est ab omni alia re divisa ; de homine enim est tanquam ejus pars nec ab eo divisa est ; individuum enim dicitur quod ab omni alia re est valde divisum,

unde Boetius in lib. *De duplici natura et una persona Jesu Christi : Persona est naturæ rationalis individua substantia.* Aliquando substantia idem dicitur quod subsistens, unde : *Pater et Filius et Spiritus sanctus tres sunt personæ*, id est tres subsistentes. Dicitur aliquis aliqua dignitate præditus, unde in Evangelio : *Rabbi, scimus quia verax es, et non accipis personam hominis.* Dicitur etiam proprietas, unde: *Pater differt a Filio a persona.* Dicitur essentia, unde Augustinus : *Non est aliud esse personam, aliud esse essentiam, omnino idem.* Dicitur ille qui habet aliquod officium in Ecclesia, unde Apostolus eos vocat personas diversarum facierum. Apud rhetorem etiam persona dicitur qui propter suum factum vel dictum vel suas possessiones trahitur in causam, unde : *Artis rhetoricæ materia sunt persona et negotium.* Etiam apud illos qui tractant comœdias vel tragœdias persona dicitur histrio, qui variis modis personando diversos status hominum repræsentat, et citur persona a *personando*, quæ manifeste ostendit Boetius in lib. *De duplici natura et una persona Jesu Christi.* Apud grammaticos dicitur etiam persona res supposita locutioni, secundum quam acceptionem tres distinguuntur personæ : prima, secunda, tertia.

Pes, proprie. Dicitur divina Christi natura, secundum quod calceamentum, id est humana natura dicitur ei unita, unde in Evangelio : *Non sum dignus solvere corrigiam calceamenti pedum ejus ;* et alibi : *Nolite jurare per cœlum quoniam thronus Dei est, neque per terram quoniam scabellum pedum ejus est.* Dicitur humana Christi natura, quia sicut pes est inferior pars hominis, ita humanitas inferior natura Christi ; unde David : *Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum*, id est subjiciam tibi secundum humanitatem. Dicuntur prædicatores qui per orbem discurrunt, unde Isaias : *Quam pulchri pedes evangelizantium*, etc. Dicuntur finales justi qui persecutionem patientur tempore Antichristi, unde Joannes : *Pedes ejus similes aurichalco.* Dicuntur humani affectus qui fuerunt in Christo, unde dicitur : *Cum vidissem eum, cecidi ad pedes ejus.* Dicuntur humani affectus aliorum, unde in Evangelio : *Qui lotus est non indiget nisi ut pedes lavet*, id est mentis affectus a venialibus purget; et alibi David : *In laqueo quem absconderunt comprehensus est pes eorum.* Dicuntur infirmi in Ecclesia Dei, unde Job in persona Ecclesiæ de infirmorum conversione conqueritur, dicens : *Pedes meos subverterunt et oppresserunt quasi fluctibus semitis suis ;* isti dum ad opera terrena deserviunt tanto celerius ab adversariis falli possunt quanto sublimia non intelligunt. Hos itaque pedes adversarii subvertunt, quia scilicet infirmos in Ecclesia Dei ad sui dogmatis errorem trahunt. Subversi autem pedes viam tenere nequeunt, quia infirmi quique persecutorum suorum vel promissionibus persuasi, minis territi, vel cruciatibus fracti, ab itinere recto deviant; et cum infirmus quisque perversos florere conspicit, hunc in perversitatis pelagus misere unda imitationis mergit.

Petra, proprie. Dicitur Christus, unde Apostolus : *Petra autem erat Christus ;* et alibi : *Suxerunt mel de petra*, hoc superius expositum est. Dicitur fides Christi, unde in Psalmo : *Beatus qui tenebit et allidet parvulos suos ad petram*, id est qui detinebit primos motus ne surgant in consensum et actum, *et allidet eos ad petram*, id est refrenabit per fidem Christi. Dicitur sublimis cœli potestas, unde de sancto viro sub nomine aquilæ ad Job Dominus loquens, ait : *In petris manet.* Per petras sublimes virtutum cœlestium potestates intelliguntur ; in his enim quemadmodum aquila manet, id est justus, dum illorum perennem gloriam præstolatur. Dicitur gentilis populus qui petræ comparabilis erat propter duritiam infidelitatis, unde in Isaia : *Emitte agnum, Domine, dominatorem terræ, de petra deserti*, id est mitte Christum in carne descendentem tam de gentibus quam de Judæis. Dicitur obduratum cor gentilium, unde Job de Domino ait : *In petris rivos excidit.* Per petras dura corda gentilium accipimus, per rivos fluvios prædicationis intelligimus. *In petris* ergo *Dominus rivos excidit*, quia in duris gentilium cordibus fluvios prædicationis aperuit.

Pharetra, proprie. Dicitur caro Christi, unde Isaias : *In pharetra sua abscondit me*, in carne humana. Dicitur occultum Dei judicium, quasi diceret Filius : Pater abscondit me in carne humana. Dicitur occultum Dei judicium vel sacra Scriptura, unde in Thren. : *Misit in renibus meis filias pharetræ suæ*, id est sagittas, scilicet verba communicationis judicii vel sacræ Scripturæ. Dicitur pravorum machinatio, unde David : *Paraverunt sagittas suas in pharetra*, id est hæretici verba sua velant occultis machinationibus. Dicitur occultum Dei consilium, unde Job in persona Ecclesiæ ait : *Pharetram suam aperuit et affixit me.* Greg. : *Sicut in pharetra sagittæ; sic in occulto Dei consilio sententiæ latent.* Ex pharetra sagitta educitur quando ex occulto Dei consilio aperta sententia jaculatur. Et hoc est : *Pharetram suam aperuit et affixit me*, id est occultum suum consilium manifestavit et publica me percussione vulneravit.

Phiala, vas vitreum, et dicitur a *phialim* Græce, quod Latine interpretatur *vitrum*, vel ab *hio, as*, quia in superiori parte vas illud amplissimum erat, inferiori vero strictum ; unde in lege Deus præcepit Judæis ut facerent phialas. Dicitur persecutio quam infert diabolus sanctis, unde in Apoc. : *Quartus angelus effudit phialam suam in solem*, id est diabolus persecutionem in sanctos qui lucent scientia sicut sol radiis. Dicitur prædicatio, unde in Apoc. de angelo legitur : *Qui habuit septem phialas ;* per angelum ordo prædicatorum intelligitur, per septem phialas utilis prædicatio. Dicuntur corda sanctorum fidelium in quibus procedunt orationes devotæ, unde in Apoc. : *Habentes singuli citharas et phialas*, id est habentes corda pura ad modum auri, et plena adornamentorum, id est orationum.

Pietas est virtus qua aliquis misericordia movetur erga aliquem. Dicitur cultus Deo debitus

qui latria dicitur, unde idololatria solet dici impietas, quia pietati contraria, unde Apostolus dicit iram Dei venturam super omnem impietatem.

Piger, proprie. Dicitur etiam aliquis laborans accidia qui tepet in operatione sua, unde in Ecclesiastico : *Piger lapidabitur stercore bovis*, quod supra expositum est.

Pilus, proprie. Dicitur superflua vitæ veteris cogitatio, unde in Job : *Cum spiritus, me præsente, transiret, horruerunt pili carnis meæ*. Sensus est : Cum humana mens contemplationis arce sublevatur, quasi vitæ veteris cogitationes nascuntur, ita ut plenarie Deum non contempletur.

Pinguedo, proprie. Dicitur terrenarum rerum abundantia, unde de impio in Job dicitur : *Pingui cervice armatus est*, pinguis cervix opulenta superbia, affluentibus scilicet rebus quasi multis carnibus fulta.

Pinguis, proprie. Dicitur superbus, unde David : *Tauri pingues obsederunt me*, id est Judæi ex abundantia terrenorum superbi. Dicitur jocundus : *Et holocaustum tuum pingue fiat*, id est jocundum fiat Deo, id est crucem in qua totus oblatus est convertat in lætitiam resurrectionis ; vel secundum aliam expositionem, pingue dicitur charitatis ardore incensum, ut : *Holocaustum tuum pingue fiat*, id est intentio tua impinguetur in oleo charitatis.

Piscina dicitur lacus in quo non est piscis. Et dicitur piscina per antiphrasim. Dicitur lavatorium in quo antiquitus abluebantur membra hostiarum, unde Joannes : *Erat autem Hierosolymis probatica piscina quinque porticus habens*, unde probatica dicitur a *probaton*, quod est *ovis* vel *pecus*, quia in ea abluebantur membra pecudum. Dicuntur sancti qui fluenta doctrinæ auditoribus suis præbere non cessant, unde in Cant. : *Oculi tui sicut piscinæ Hesebon*, quod *cingulum mæroris* interpretatur et significat sanctos qui, neglectis caducis sæculi gaudiis, cingulo se constringunt et caste et sobrie vivunt.

Piscis, proprie. Dicitur etiam aliquis curis sæcularibus intentus, unde David : *Volucres cœli et pisces maris*. Dicitur Christus passus, unde : *Piscis assus, Christus passus*, in quadam prosa.

Pisticum dicitur fidele, unde Maria Magdalena legitur quod attulit alabastrum nardi pistici, id est nulla aliena admistione corrupti ; vel unguentum pisticum dictum est a loco. Vel pisticum dicitur commistum, id est variis speciebus aromaticis mistum ; unde pisticum dicitur quasi pixicum quia in pixide clausum vel servatum.

Pix, proprie. Dicitur tabes peccati, unde Salomon : *Qui tangit picem coinquinabitur ab illa*, id est qui imitatur peccata aliorum ab eis inficitur, quia *corrumpunt mores bonos colloquia mala*, et a convictu mores formantur.

Planta, proprie. Dicitur etiam inferior in Ecclesia Dei, unde Isaias : *A planta pedis usque ad verticem non est sanitas*, quia tam minores quam majores in Ecclesia Dei laborant morbis vitiorum. Dicitur intentio, unde propheta : *Planta pedis eorum quasi*

A *planta pedis vituli* ; vitulus plantam habet bifidam et intentio evangelistarum quam habuerunt in Scripturis bifida fuit, quia ad duo charitatis brachia invitavit, scil. ad dilectionem Dei et proximi. Dicitur finis vitæ, unde de iniquo legitur : *Tenebitur planta ejus laqueo*, cujus enim usque in finem vita culpa constringitur, planta laqueo tenetur.

Plantare, proprie. Notat *incarnare*, unde David : *Et erit tanquam lignum quod plantatum*, id est incarnatum est. Ubi alicujus rei fit plantatio, aliud est quod plantatur, aliud in quo plantatur, ita incarnatione alia humana natura quæ unita est divinæ, alia divina cui est unita humana natura. Planta pedis pro prædicatore accipitur, unde in Apoc. de quatuor animalibus : *Planta pedis eorum planta vi-*
B *tuli*, quia sancti prædicatores boum nomine designantur. Notat ad fidem convertere, unde Paulus : *Ego plantavi, Apollo rigavit*. Plantare etiam per gratiam, unde David : *Plantati in domo Domini, in atriis domus Dei nostri florebunt*.

Planum, proprie, facile ad intelligendum, secundum quod soliti sumus dicere : *Littera plana est*, quia caret scrupulo obscuritatis. Dicitur cor a scrupulis vitiorum expolitum, unde Isaias : *Erunt invia in directa et aspera in vias planas*.

Platanus, proprie. Dicitur etiam Dei sapientia quæ *attingit a fine usque ad finem*, unde in lib. Sapientiæ : *Et quasi platanus exaltata sum*. Dicitur angelus, unde propheta Ezech. : *Platani non fue-*
C *runt æquæ frondibus suis*. Lucifer dicitur esse factus in multis condensisque frondibus, quia prælatum cæteris legionibus tanta illum species pulchriorem reddidit quanta et supposita angelorum multitudo decoravit. Ita arbor in paradiso Dei tot quasi condensas frondes habuit quod sub se positas spirituum supernorum legiones tenuit.

Platea, proprie, lata via quæ ducit ad mortem ; unde Sapientia dicit : *Video parvulos et considero vecordem juvenem qui transit per plateas*. Dicitur cor dilatatum charitate, unde dicitur : *Quasi platanus exaltata sum juxta aquas in plateis*, vel plateæ ibi dicuntur sancti sapientia et charitate dilatati. Dicitur populi multitudo, unde dicitur : *Sapientia clamitat in plateis* ; vel plateæ ibi dicuntur doctores
D per quos clamitat sapientia. Dicitur libertas propriæ voluntatis, sicut de quibusdam miræ abstinentiæ et continentiæ ad pravitatem reversis per Jeremiam dicitur : *Non sunt cogniti in plateis*. Qui per fiduciam sanctitatis, postposito meliorum judicio, se sequuntur, quasi per plateas pergunt. Sed non sunt cogniti in plateis quasi de vita sua aliquid ostenderent quando frangendo proprias voluntates in angusto calle se retinebant. Dicitur etiam communius præceptum, sicut per vicum intelligitur arctius mandatum, unde in Cantilena sponsæ : *Per vicos et plateas quæram quem diligit anima mea*. Vel per vicos intelliguntur prophetæ, per plateas apostoli ; vel per vicos spirituales angustam vitam tenentes, per plateas sæculares qui per latiorem

viam incedunt. Omnis igitur circuit qui sanctos A omnes qui sunt vel fuerunt mente conspicit et imitatur in sæcularibus. Aliquando invenit quid valeat ad inquisitionem sponsi.

Plaustrum, proprie. Dominus etiam vocavit se plaustrum onustum feno. Dicitur etiam peccati obligatio, unde : *Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, et quasi vinculum plaustri peccatum vestrum*, etc.

Pleiades sunt stellæ quædam quæ dicuntur Pleiades, vel quia plures, vel quia pluviales. Dicuntur sancti, unde Dominus ad Job loquens ait : *Nunquid conjungere valebis micantes stellas Pleiades;* Pleiades ita vicinæ sibi et divisæ sunt conditæ ut et simul sint et tamen conjungi nequaquam possint. Hæ significant sanctos qui inter præsentis vitæ tenebras Spiritus septiformis gratiæ nos lumine illustrant, et B ab ipsa mundi origine usque ad ejus terminum diversis temporibus ad prædicandum missi, et juxta aliquid non conjuncti, quia et diversis temporibus apparentes quodammodo divisi fuerunt ratione temporis, sed conjuncti per intentionem mentis. Dicitur Novi Testamenti gratia, unde altero modo potest exponi hæc auctoritas : ipsæ quippe stellæ Pleiades septem sunt, tanto ergo Novi Testamenti gratiam apertius indicant, quanto cuncta liquido cernimus quod per illud fideles suos septiformis Spiritus illustrat. Redemptor ergo noster in carne veniens Pleiades conjunxit, quia operationes septiformis Spiritus et junctas et micantes habuit ; unde Isaias : *Et requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ et intellectus.* Nullus vero hominum operationes C Spiritus sancti simul omnes habuit : *Alii vero prophetiam, alii scientiam*, et sic de aliis. Est ergo sensus : *Nunquid conjungere valebis micantes Pleiades*, id est aliqui habere lumina quarumdam virtutum possunt, sed nunquid simul omnes exercere sufficiunt ? quasi dicat : non.

Plenitudo, proprie. Dicitur etiam universitas, unde Paulus ait quod cæcitas expergefacta est in Israel donec plenitudo gentium intraret. Dicitur charitas, unde in Apostolo : *Plenitudo legis est charitas.* Dicitur abundantia, unde : *De plenitudine ejus omnes accepimus.* Dicitur tempus gratiæ, unde Apostolus : *At cum venit plenitudo temporis.*

Plenum, proprie. Dicitur etiam abundans, D unde : *Plenum gratia et veritate*, id est abundantem gratia et veritate. Dicitur fastidiens vel reprobans, unde in Isaia Dominus loquens de sacrificiis Judæorum ea reprobando ait : *Plenus sum;* quasi dicat : Fastidio vel reprobo sacrificia vestra, quia non fiunt eo modo quo fieri deberent. Notat aliquem in bono consummatum, unde in Veteri Testamento de Abraham et Isaac legitur quod *mortui sunt pleni dierum*, id est in bono consummati. Dicitur onustum, unde in Samuele legitur quod *Jesse misit ad Saul asinum plenum panibus*, id est onustum, etc.

Pluere, proprie. Aliquando notat *irrigare*, unde Isaias . *Mandabo nubibus ne pluant*, id est prædicatoribus ne vos doctrina spirituali irrigent. Notat plenitudinem gratiarum abundare, unde Isaias : *Rorate cœli desuper et nubes pluant justum*, id est Spiritus sanctus gratiarum plenitudinem confert Christo. Notat aliquem cupiditate abundare, unde David : *Pluit super peccatores laqueos.*

Plumarium opus acu factum, *plumos* enim interpretatur *acus;* unde legitur in Veteri Testamento, quod vestimenta summi sacerdotis erant facta ex opere plumario, id est acu contexto. Potest etiam dici opus plumarium a pluma, quia plumæ avium diversis coloribus solent picturari.

Plumbum, proprie. Dicitur etiam peccator, unde de malis dicitur in Psalmo : *Submersi sunt quasi plumbum in aquis vehementibus.* Dicitur peccatum, unde legitur iniquitas sedere super talentum plumbi ; quia sicut plumbum trahit ad inferiora sua ponderositate, ita iniquitas. Dicitur Judæa, unde Job : *Quis in hoc mihi tribuat*, etc., *vel plumbi lamina*, etc. Quod in plumbo scribitur ipsa metalli mollitie citius deletur. In silice vero tardius quidem litteræ valent imprimi, sed difficilius deleri. Non ergo immerito in plumbi lamina Judæa exprimitur quæ præcepta Dei et sine labore percepit et suscepta servare noluit. Recte ergo per silicem gentilitas figuratur quæ verba sacri eloquii vix custodienda suscipere potuit, sed fortiter suscepta servavit; per stylum vero ferreum fortis Dei scientia designatur.

Plus proprie dicitur majus, unde Dominus : *Multis passeribus pluris estis vos*, pretii subaudi, et est sensus pluris pretii, id est majoris pretii. Aliquando ponitur positive, unde Apostolus : *Multo magis gratia Dei et donum in gratia unius hominis, Jesu Christi in plures abundat*, id est in multos, pro hac dictione *multi.*

Pluvia, proprie. Dicitur divina gratia, unde : *Descendit Dominus sicut pluvia in vellus*, id est gratia Christi descendit prius in Judæos, sicca terra totius gentilitatis, sed postea descendit super terram gentilitatis sicco vellere Judæorum. Et fit allusio facto Gedeonis de quo legitur quod in signum victoriæ primo pluvia descendit in vellus, sicca manente area, consequenter descendit in aream sicco vellere. Vel hoc intelligi potest de Christi incarnatione ; quia, sicut pluvia sine strepitu descendit in vellus, vellere manente integro nullomodo corrupto, sic Christus descendit in uterum Virginis sine strepitu carnis, manente integritate virginitatis. Dicitur promissio æternæ beatitudinis, unde David : *Fulgura in pluviam fecit.* Prædicatores aliquando fulgurant comminando, aliquando pluunt consolando et æterna promittendo. Dicitur prosperitas, quia sicut pluvia parit gaudium, unde : *In protectionem et absconsionem a turbine et a pluvia*, quia Christus Ecclesiam custodit, quæ nec frangitur adversis nec elevatur in prosperis.

Poculum, proprie. Dicitur verbum divinum; unde in Cant. : *Umbilicus tuus crater tornatilis, nunquam indigens poculis ;* umbilicus Ecclesiæ prædica-

tor est qui considerans infirmitatem humanæ naturæ eam aliis prædicat; hic si perfectus est solam cœlestem mercedem exspectat, et quasi volubilis prompta mente bene operatur. Hic crater nunquam indiget poculis, quia nunquam prædicatoribus deest verbum. Dicitur desiderium cœlestis patriæ pro dilectione, unde David : *Et poculum meum cum fletu...*

Pœna, proprie. Dicitur etiam probans, ut in Job; humilians, ut in Paulo; excrucians, ut in inferno, etc. Purgans, ut in Maria sorore Moysi quam Dominus lepra percussit ad correctionem, quia objurgaverat contra Moysen, et ejecta est extra castra per septem dies. Significans, ut in cæco nato qui *nec peccavit, nec parentes ejus, sed ut virtus Dei manifestaretur in illo.* Inicians, ut in Herode Ascalonita, in quo pœna temporalis fuit in signum pœnæ æternæ. Meritum augens, ut in sanctis, quos Deus permittit tribulationes pati, ut sic humilientur et magis sic mereantur, quia *virtus in infirmitate perficitur.* Commaculans in peccato : hæc non a Deo, omnes aliæ sunt a Deo; unde auctoritas theologica dicit : *Omnis pœna a Deo est.* Dicitur peccatum, quia sicut pœna commaculat, et afficit et sequitur frequenter ex præcedenti peccato; unde Apostolus : *Omne peccatum ab apostasia primi hominis usque ad ultimum peccatum, et peccatum est et pœna peccati*, juxta quod dicitur : *Justum est ut qui in sordibus est, sordescat adhuc*, id est quæ sunt oblectamenta homini peccanti sunt instrumenta.

Pœnitentia dicitur exterior satisfactio, unde in Evangelio : *Pœnitentiam agite, appropinquabit*, etc. Dicitur etiam interior cordis contritio, unde in Act. apostolorum : *Pœnitentiam agite et baptizetur unusquisque vestrum*, quod de interiori pœnitentia intelligendum est. Dicitur dolor, unde in Evangelio de Juda legitur quod *pœnitentia ductus, laqueo se suspendit.* Dicitur permutatio, unde Apostolus : *Sine pœnitentia enim sunt dona et vocatio Dei*, id est Deus vocat suos et confert eis dona spiritualia sine pœnitentia, id est sine permutatione sui consilii et suæ præordinationis; sicut enim præordinavit, ita facit. Dicitur baptismus, quia pœnitentia debet comitari baptismum in discretis et in adultis; et sicut in baptismo remittuntur peccata, ita pœnitentia; unde Apostolus loquens contra illos qui dicebant reiterari baptismum, ait : *Impossibile est enim eos qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum cœleste et participes facti sunt Spiritus sancti, gustaverunt nihilominus bonum Dei verbum virtutesque sæculi venturi, et prolapsi sunt, renovari rursus ad pœnitentiam*, id est ad baptismum, id est per baptismum. Appropriate etiam solemnis pœnitentia dicitur, de qua dicit Origenes quod *pœnitentia iterari non debet pro reverentia sacramenti et ne vilescat et contemptibilis fiat.*

Pœnitere proprie peccata deflere. Notat opus mutare, unde Dominus ait : *Pœnitet me fecisse hominem*, id est faciam ad similitudinem pœnitentis mutando opus; *delebo enim hominem quem creavi.* Vel : *Pœnitet me*, id est pœna tenet me, quia feci hominem, quasi diceret : Pro homine quem feci ego patiar.

Polluere. Notat *destruere*, unde Dominus comminatus est quod ipse pollueret sanctuarium suum, id est destrueret templum. Notat aliquem peccato se inquinare, unde David : *Peccatori autem dixit Deus : Quare*, etc., *per os tuum pollutum.* Notat etiam pollutum tangere, unde in Veteri Testamento aliquis dicebatur se polluere quando tangebat pollutum, nec erat illa pollutio mentis, sed carnis.

Pomum, proprie. Dicitur sacra Scriptura, unde dicitur : *Omnia poma nova et vetera servavi tibi*, id est omnem Scripturam Novi et Veteris Testamenti. Dicitur odoriferus Domini adventus, vel intimus allegoricus sensus; unde Job ex persona antiquorum patrum Christum desiderantium vel totius generis humani ait : *Dies mei velociores fuerunt cursore, pertransierunt quasi naves poma portantes.* Dicitur sanctus, unde in Cant. : *Emissiones tuæ paradisus*, etc., *cum pomorum fructibus*, quia incrementa fidei sunt paradisus maiorum punicorum, id est sanctorum martyrum, qui bene mala punica dicuntur, quia per exteriorem passionem et sanguinis effusionem rubei; per poma intelliguntur confessores quorum opera sanctis martyribus placent.

Ponere, proprie. Notat etiam *supponere*, unde David : *Donec ponam inimicos tuos*, id est supponam. Notat *imponere*, unde David : *Pone, Domine, custodiam ori meo.* Notat *disponere*, unde in Evangelio : *Posui vos ut edatis.* Notat *parere* vel *proferre*, unde solet dici : *Gallina ponit ova.* Notat poni permittere, unde Psalmista : *Pone illos ut rotam*, id est poni permitte.

Populus, proprie, turba vitiorum; unde David : *Audi, filia, et vide, et obliviscere populum tuum.* Dicitur conventus angelorum, unde legitur de Abraham quod moriens *congregatus est ad populum suum*, id est adjunctus angelorum consortio tunc spe in futuro regno. Dicitur conventus Judæorum, qui respectu gentium irrationales propter cultum unius Dei; populus enim dicitur a *polis* quod est *civitas*. ubi homines sub eodem jure vivendi reguntur; unde David : *Quare fremuerunt gentes et populi.* Dicitur conventus fidelium, qui magis rationalis est quam Synagoga, unde et Ecclesia solet dici respectu conventus Judæorum qui Synagoga dicitur, quod interpretatur *congregatio*, quæ etiam inanimatorum potest esse. Conventus vero fidelium dicitur Ecclesia, quasi convocatio, quæ non solet nisi rationalium, unde David : *In populo gravi laudabo te;* et alibi : *Salvum fac populum tuum.*

Porta, proprie. Dicitur etiam Christus, unde David : *Tunc loquetur inimicis suis in porta;* de justo fit sermo qui in porta, id est in Christo confidens; secure contra inimicos loquitur, qui Christus eleganter dicitur porta, quia per eum patet introi-

tus ad Ecclesiam et ad vitam æternam. Dicitur commune, unde in eodem exemplo alia potest fieri expositio in hunc modum : *Tunc loquetur inimicis suis in porta*, id est communiter et publice; quia porta quoddam commune est et omnibus patens, per portam commune intelligitur. Dicitur judicium, quia judices solebant sedere in portis; unde Salomon : *Nobilis in portis vir ejus*, id est Christus in judicio. Dicitur amor terrenorum vel timor amittendi terrena, unde ad dæmones dirigitur sermo ad hunc modum : *Attollite portas, principes, vestras*, id est auferte timorem et amorem terrenorum per quos vobis patet introitus ad hominem. Dicitur mortale peccatum, unde secundum aliam expositionem : *Attollite portas*, id est, o vos hæresiarchæ, auferte mortalia peccata a vobis per quæ intrat mors. Dicitur dies judicii, unde *et continentur in porta et non erit qui eripiat ;* quia amatores hujus sæculi in præsenti vita superbiunt, sed in ipso regni aditu æterna animadversione ferientur. Dicitur bona actio, unde Job in persona Ecclesiæ : *Quando procedebam ad portam civitatis, in platea parabam cathedram mihi*. Sancta enim Ecclesia ad civitatis portam procedit, id est sanctis se actionibus exercet ut aditum regni cœlestis percipiat. Dicitur prædicator, unde legitur duodecim fuisse portas Jerusalem. Dicitur sensus corporis, unde David : *Qui exaltas me de portis mortis*, id est qui liberas me ab appetitu terrenorum circa quæ vertuntur sensus corporei. Dicitur virtus, unde Palmista : *Ut annuntiem omnes laudationes tuas in portis*, etc., id est illis qui positi sunt in virtutibus, quæ sunt portæ *filiæ Sion*, id est Ecclesiæ. Dicitur sacramentum ecclesiasticum, unde prædicta auctoritas in hunc modum exponi potest : *Ut annuntiem omnes laudationes tuas in portis*, id est fidelibus in sacramentis ecclesiasticis constitutis. Dicitur potestas diaboli qua detinebat captivos in inferno, unde angeli præcedentes animam Christi ad inferos introducunt, dicentes : O vos principes tenebrarum, *attollite portas, principes, vestras*, id est auferte a vobis potestatem detinendi captivos in inferno. Dicitur aditus paradisi, unde angeli præcedentes Christum descendentem de cœlo, dixerunt : *Et elevamini, portæ æternales, et introibit Rex gloriæ*, id est pateant aditus paradisi Christo descendenti. Dicitur etiam hæreticus, unde : *Portæ inferni non prævalebunt adversus eam*, id est Ecclesiam. Dicitur Virgo gloriosa, unde in Exodo : *Hæc porta clausa*.

Portare, proprie. Notat *concipere*, unde in Evangelio : *Beatus venter qui te portavit*. Notat *compati*, unde Apostolus : *Alter alterius onera portate*, id est alter alterius compatiamini infirmitatibus. Notat *imitari*, unde Apostolus præcipit illis quibus scribit, ut portent Christum in corpore suo, id est imitentur eum in afflictionibus corporis.

Posse aliquando notat potentiam qua quis potest, unde de corpore Christi, id est de Ecclesia : *Potuit transgredi et non est transgressus*. Hoc enim dicitur de Christo gratia membrorum suorum. Aliquando notat facilitatem vel habilitatem, unde de illo qui privatus est pedibus, quamvis habeat naturalem potentiam gradiendi, dicitur : *Iste non potest gradi*, hic non removetur naturalis potentia, sed habilitas. Aliquando notat possibilitatem, ut cum dicitur : *Iste potest damnari*, istud enim *posse* potius referatur ad eventum rei quam ad rem, ut sit sensus : *Possibile est illum damnari tali peccato*, etc., *quod non potest celebrare divina*, id est non debet. Aliquando notat debitum, ut cum dicitur : *Sacrifica te qui es minor* (64). Aliquando notat potius impotentiam quam potentiam, ut cum dicitur : *Iste potest mori*.

Postulare, proprie. Notat *mereri*, unde David : *Postula a me*, id est sunt verba Patris altissimi; Fili, carnem assumendo, patiendo, moriendo apud me, *et dabo tibi gentes*. Notat facere postulare, unde de Spiritu sancto ait Apostolus quod *postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*, id est facit nos postulare. Notat humanam naturam Christi Deo Patri repræsentare, unde Christus dicitur pro nobis postulare apud Patrem, id est humanam naturam et ea quæ gessit in humana natura Deo Patri repræsentare, ut nostri misereatur. Notat *exigere*, secundum quod solet dici : *Merita istius postulant ut puniatur*, id est exigunt.

Potare, proprie. Notat doctrina reficere, unde in lib. Sapientiæ : *Cibavit*, etc., *et aqua sapientiæ salutaris potabit illum*. Notat amaritudinem pravæ mentis alicui offerre, unde propheta in persona Christi : *Dederunt in escam meam fel, et in siti mea potaverunt me aceto*.

Potestas, potens; unde Apostolus : *Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit*. Dicitur potentia, qua aliquis potest; unde in Evangelio : *Nescis quia potestatem habeo dimittere te*. Dicitur gratia quæ informat potestatem hominis ad bene agendum, unde Joannes : *Quotquot autem receperunt eum dedit eis potestatem*. Dicitur potentia divina, unde in Evangelio : *Data est mihi omnis potestas*. Dicitur ordo angelicus, unde dicitur principatus et potestates. Dicitur diabolus, unde Apostolus : *Non est vobis colluctatio tantum adversus carnem*, id est potestates aeris hujus.

Potus. Dicitur temporalis jocunditas, unde in David : *Et potum meum cum fletu miscebam*. Dicitur sacra Scriptura, unde secundum aliam expositionem hæc auctoritas potest intelligi : *Potum meum*, id est sacram Scripturam, quæ antiqua recolit, *cum fletu miscebam*, etc. Dicitur sanguis Christi materialis et spiritualis, unde in Evangelio : *Caro mea vere est cibus, et sanguis potus*. Dicitur minor doctrina, unde Apostolus : *Lac vobis potum dedi, non escam*.

(64) Quid sibi velint verba hæc, et quomodo ad vocem *posse* spectent, non videmus.

Præ aliquando ponitur comparative, unde Paulus de Christo loquens, ait : *Differentius præ illis nomen hæreditavit.* Ponitur exclusive, unde in Psalmo : *Quam magnus Dominus præ omnibus diis.* Notat inhærentiam, ut cum dicitur : *Iste præ dolore mortuus est*, id est dolore eum affligente vel ei inhærente, unde in Evangelio ; *Præ timore autem exterriti sunt custodes.* Notat præsentiam, unde solet dici hic : *Habemus hoc præ omnibus vel præ oculis.* — *Præ* in compositione notat anticipationem loci, unde in Evangelio : *Currebant duo simul*, etc., *præcurrit citius Petro.* Ponitur etiam pro *valde*, ut cum dicitur : *Deus est præpotens*, id est valde potens. Notat anticipationem temporis, unde David : *Præoccupemus faciem ejus.*

Præco proprie, unde legitur quod, vulnerato Achab rege Israel, *præco personuit in universo exercitu dicens : Unusquisque revertatur in civitatem et in terram suam.* Dicitur etiam prædicator, unde et Joannes dictus est præco Christi, id est vox Verbi.

Prædestinatio est gratiæ præparatio, id est illa æterna præordinatio qua Deus ab æterno ordinavit suis electis gratiam justificationis esse in præsenti conferendam et in futuro gratiam glorificationis; unde prædestinatio est gratiæ præparatio. Dicitur præscientia futuri boni secundum superiores causas, non secundum inferiores, id est miraculose, non naturaliter; unde prophetia de re futura per miraculum dicitur prophetia prædestinationis ; unde super Matth. : *Fit distinctio inter prophetiam prædestinationis et comminationis*, etc. Dicitur sola præparatio solius gratiæ justificationis quæ datur alicui in præsenti, unde solet dici Judam fuisse prædestinatum quantum ad præsentem gratiam. Dicitur præscientia secundum quod præsciti dicuntur prædestinati ut large sumatur hoc vocabulum *prædestinatio.*

Prælium, proprie. Dicitur controversia inter bonos et malos angelos, unde Joannes : *Dum præliaretur Michael*, etc. Dicitur controversia inter Christum et diabolum, unde David : *Dominus fortis et potens*, etc., id est in controversia contra diabolum.

Præputium proprie quod amputabatur per circumcisionem a porta propaginis, unde legitur in Samuele, quod Saul promisit David filiam suam, si daret ei centum præputia Philisthinorum, etc. Vel forsitan ibi vocantur præputia præputiati. Rogavit enim Saul David ut ducentorum præputiatorum de Philisthæis capita ei afferret, etc. Dicitur gentilis, unde Apostolus : *Si igitur præputium justitiam legis custodiat, præputium illius in circumcisionem reputabitur*, id est si gentilis populus observaverit legem. Dicitur ritus gentium, unde Apostolus : *In præputio aliquis vocatus est*, id est in statu gentium, *non circumcidatur*, id est non cogatur ad Judaicos ritus. Dicitur immundum, unde secundum legem, fructus arborum vel vinearum primi vel secundi anni dicebantur præputia, id est immunda.

Præsepe, proprie. Dicitur etiam Ecclesia, unde Isaias : *Cognovit bos possessorem suum, et asinus præsepe domini sui.* Per asinum intelligitur gentilis populus jugo legis non subjectus, qui ad fidem Christi conversus Ecclesiam novit per fidem et charitatem, in qua Christus, qui erat angelorum frumentum, factus est fenum hominum. Vel *præsepe cognovit*, id est sacram Scripturam intellexit.

Præter aliquando ponitur pro *juxta*, etc. Aliquando ponitur exclusive, unde David : *Quoniam non est alius præter te.* Ponitur etiam inclusive, unde legitur in Evangelio quod Deus quinque millia hominum satiavit præter mulieres et parvulos.

Pretiosum, quod magno pretio comparatur, unde David : *Desiderabilia super aurum et lapidem pretiosum.* Dicitur rarum, unde dicitur : *Erat autem sermo Domini pretiosus*, id est rarus. Dicitur meritorium, unde Psalmista : *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus*; et in libro Sapientiæ : *Non pretiosa mors omnis peccatoris.* Dicitur charum, unde legitur in Evangelio, quod puer centurionis qui infirmabatur erat ei pretiosus, id est charus.

Primitiæ dicitur aliquota pars inter Quinquagesimam et Quadragesimam. Dicitur Christus, de quo dicit Apostolus quod *ipse est primitiæ dormientium.* Dicuntur innocentes, unde in Apoc. dicuntur primitiæ oblatæ Deo et Agno.

Primogenitus, proprie. Dicitur ille ante quem nullus et post quem nullus vel alius, unde David : *Qui percussit primogenita Ægyptiorum.* Ille etiam primogenitus dicitur, ante quem nullus, etsi post eum non sit alius ; unde Christus dicitur etiam primogenitus secundum humanam naturam, quia ante ipsum et post ipsum de Virgine matre nullus genitus, sed quodam spirituali et principali modo de ea natus. Dicitur etiam primogenitus, qui primus surrexit a mortuis amplius non moriturus, et quia plenitudinem gratiæ super omnem mensuram accepit ; unde Apostolus vocat eum primogenitum in multis fratribus.

Primus dicitur aliquis ratione æternitatis, unde Christus ait : *Ego sum primus et novissimus.* Dicitur primus temporis, unde Dominus : *Sic erunt novissimi primi.* Dicitur primus loci, unde in Evangelio Christus de Pharisæis ait quod ipsi appetebant primos accubitus in mensa. Dicitur primus dignitatis, unde : *Prima omni creatura est sapientia*, quod referendum est ad dignitatem, non ad temporis ordinem ; angelica enim natura non est prius creata quam mundana machina.

Princeps proprie. Dicitur aliquis qui magni consilii judicio suis cogitationibus principatur, unde Job de Domino ait : *Effundit despectionem sicut princeps.* Illi qui magni consilii judicio suis cogitationibus principantur, sæpe in elationis fastum sublevantur, et sub eis vitiis corruunt, de quibus se victores fuisse gaudebant. Recte ergo dicitur : *Effundit despectionem super principes.* Sed quia nonnunquam qui in vitiis jacere videntur ad pœnitentiæ lamentum currunt, seque contra cs lpas quibu

subjacebant erigunt, apte sequitur : *Et eos qui oppressi fuerant relevat.* Dicitur hæreticæ pravitatis auctor, unde Job in persona Ecclesiæ : *Principes cessabant loqui et digitum superponebant ori suo*, quasi dicat : Cum prædicare mihi licuit voce publica, omnis qui meæ veritati non fuit subjectus expavit. Dicitur Christus, unde legitur quod in porta clausa sedebat princeps comedens panem suum. Porta clausa beata Virgo Maria. Princeps sedens in porta Christus incarnatus ex ea; comedens panem suum, id est per assumptam humanitatem redimens genus humanum et Dei Patris adimplens consilium; unde ipse ait : *Hic est meus cibus, ut faciam voluntatem Patris mei.* Dicitur diabolus, unde in Evangelio : *Venit enim princeps hujus mundi.* Dicitur angelus providentiæ ad custodiendum deputatus, unde in Dan. ait Gabriel ad Danielem : *Venissem ad te, sed princeps Persarum resistit mihi.* Gabriel deputatus Judæis liberare in captivitate, angelus vero deputatus Persis volebat eos adhuc puniri sub rege Persarum, ut magis purgarentur. Dicitur apostolus vel vir apostolicus, unde David. *Constitues principes*, etc.

Principatus honor vel dignitas, unde David : *Nimis confortatus est principatus eorum.* Dicitur ordo angelicus, unde Apostolus : *Neque angeli neque principatus*, etc. Dicitur crux Christi per quam Christus obtinuit principatum, unde Isaias : *Principatus ejus super humerum ejus*, quia suam crucem suis propriis humeris tulit.

Principium idem est quod initium. Dicitur causa, unde in principio glossarum super Epistolam ad Romanos legitur : *Principia rerum inquirenda*, id est causa. Dicitur Deus Pater a quo omnia, unde in Evangelio : *In principio erat Verbum*, id est in Patre erat Filius. Dicitur Christus, unde Joannes : *Ego sum principium qui et loquor vobis.* Dicitur etiam tota Trinitas, unde est principium rerum. Dicitur spirans, unde Pater et Filius dicuntur unum principium Spiritus sancti.

Pro notat locum, unde David : *Pro patribus tuis nati sunt tibi filii*, id est loco patrum. Notat causam finalem, unde Stephanus dixit : *Caro mea lapidata est pro te, Deus meus.* Ponitur etiam pro hac dictione *secundum*, unde legitur in oratione : *Pro pietate tua miserere animæ famulæ tuæ.* Ponitur etiam pro *de*, unde in titulo hujus Psalmi : *Deus meus* legitur : *In fine psalmi David : Pro susceptione vel assumptione matutina*, id est de susceptione vel assumptione matutina.

Probare idem est quod *tentare* vel *experiri*, unde David : *Probaverunt et viderunt opera mea.* Notat *purgare*, unde Sapientia : *Tanquam aurum in fornace probavit eos Dominus.* Notat *approbare*, unde David : *Domine, approbasti me*, etc. Notat *manifestare*, juxta quod dicitur : *Proba hoc esse verum.*

Procedere aliquando notat processum loci, unde legitur de Petro et angelo quod *processerunt vicum unum.* Aliquando notat processum temporis, unde A in Luca legitur de Zacharia et Elisabeth uxore ejus, quod *processerunt in diebus suis.* Notat *ingredi*, unde in Psalmo : *Tanquam sponsus procedens*, etc. Notat *gigni*, unde Christus : *Processi a Patre*, vel ibi ponitur pro *assumere*, ut sit sensus : *Processi a Patre*, id est humanam naturam assumpsi auctoritate ipsius. Notat *spirari*, unde in Evangelio : *Spiritus qui a Patre procedit.* Notat *manifestari*, unde in Psalmo : *Intende, prospere procede.*

Profundum, proprie. Dicitur etiam latens et incomprehensibile, unde legitur : *Profundum et inscrutabile cor hominis.* Dicitur immensitas divina, unde : *Comprehendamus cum omnibus sanctis quæ sit latitudo, longitudo, sublimitas et profundum.* Dicitur obstinatio, unde David : *Dixit Dominus : Ex* B *Basan convertam, convertam in profundum maris* id est in profundum vitiorum contemnit. Dicitur Judaica iniquitas, unde de se ait Christus in Psalmo : *Infixus sum in limo profundi*, id est in limo Judaicæ iniquitatis. Dicitur immensitas divinæ Sapientiæ, unde Apostolus : *Spiritus omnia scrutatur, etiam profunda Dei.* Dicitur infernus, unde propheta Isaias : *Posuisti profundum maris viam ut transirent liberati.*

Prope. Aliquando notat propinquitatem temporis, unde propheta : *Prope est dies Domini.* Notat propinquitatem loci, ut cum dicitur : *Iste est prope Senecam.* Notat utilitatem, unde : *Prope est verbum Domini*, id est prædicatio utilis est Evangelii. Notat concordiam, unde prædicta auctoritas sic potest exponi : *Prope est verbum Dei*, id est rationi C consonans. Notat propitiationem, unde David : *Prope est Dominus omnibus invocantibus eum.*

Propheta, proprie ille qui divina inspiratione occultos rerum eventus denuntiat. Dicitur expositor sacræ Scripturæ, unde Apostolus ait, quod Dominus in Ecclesia alios constituit apostolos, alios prophetas, id est sacræ Scripturæ expositores. Dicitur sapiens a Deo instructus, unde Dominus ad Abimelech de Abraham ait : *Nunc igitur redde viro suo uxorem, quia propheta est.* Dicitur ille qui fingit se esse prophetam, unde pseudoprophetæ aliquando prophetæ dicti sunt.

Prophetare, nihil aliud est quam divina inspiratione occultos rerum eventus immobili veritate D denuntiare. Notat etiam propheticam orationem proferre, unde : *Caiphas autem cum esset pontifex anni illius, prophetizavit, dicens : Expedit*, etc. Non enim fuit propheta quantum ad ipsum, sed quantum ad nos; Caiphas enim non protulit hoc intentione prophetandi. Fidelis tamen in hac oratione intelligit prophetiam quantum ad Christi mortem factam pro redemptione generis humani. Notat sacram Scripturam exponere, unde Apostolus ait : *Melius est prophetizare quam loqui linguis.* Notat aliena loqui, unde legitur Saulem prophetasse, id est aliena locutum fuisse.

Prophetissa; mulier prophetizans, unde in lege Maria, soror Moysi, dicta est prophetissa, vel Debbora. Fortasse Maria non est dicta prophetissa

quia prophetizaverit, sed quia canticum Moysi protulit, in quo multa prophetice dicta sunt quæ fortasse non intellexit. Dicitur Spiritus sanctus, unde : *Accessi ad prophetissam*, id est ad Spiritum sanctum, qui ideo dicitur prophetissa, quia per eum revelantur mysteria. Ideo autem femineo genere designatur, quia hoc nomen *Ruha*, quod æquipollet huic nomini *spiritus*, apud Hebræos est seminini generis, vel quia in spiritualibus donis est secundus, prophetissa non propheta dictus est ; prophetam autem ad Spiritum sanctum procedere vel accedere nihil aliud est quam ei arcana cœlestia revelari.

Proprium, suum; unde Joannes : *In propria venit.* Dicitur appropriatum, unde sic potest exponi prædicta auctoritas : *In propria venit*, id est in humana natura sibi appropriata et mundi, qualem decebat eum assumere, et hæc dictio *propria* sit ablativi casus. Dicitur consubstantiale, unde Apostolus : *Proprio Filio suo non pepercit Deus.* Dicitur etiam illud quod alicui soli convenit, unde in oratione : *Deus cui proprium est misereri*, etc.

Propter aliquando notat finem, unde David : *Propter te mortificamur tota die.* Notat utilitatem, unde : *Qui propter nos homines, et propter nostram salutem.* Notat causam finalem, unde Apostolus : *Propter quod datum est ei nomen.* Notat causam formalem vel impulsivam, unde in Cantico dicitur : *Uniuscujusque ensis super femur suum propter timores nocturnos.* Ponitur etiam pro *secundum*, unde David : *Salvum me fac propter misericordiam tuam;* pro *ne* etiam ponitur, unde Apostolus, præcipit mulieribus ut se velent propter angelos, id est ne angeli, id est sacerdotes, vidant eas, etc.

Proximus. Dicitur aliquis proximus ratione loci, unde dicitur : *Vocabis proximum tuum qui vicinus est domui tuæ.* Ratione temporis, unde in Evangelio : *Erat autem proximum Pascha*, et alibi : *Quoniam tribulatio proxima est*, id est passio proxima est tempore. Ratione conformitatis sive imitationis actione, unde boni dicuntur Deo similes, quia sunt ei in bonitate conformes, ut in Catone :

Proximus ille Deo est qui scit ratione tacere.

Ratione primitivæ originis, secundum quam acceptionem quilibet est proximus, unde dicitur in lege : *Diliges proximum tuum sicut te.* Dicitur etiam ratione impensi beneficii, unde in Evangelio : *Quis fuit proximus illi qui incidit in latrones?* Ratione cognationis, unde dictum est Judæis : *Non fenerabis proximo tuo* ; et alibi : *Elongasti a me amicum et proximum*, id est cognatum.

Pruina, proprie. Dicitur beneficium continentiæ quo concupiscentia carnis tepet vel contrahitur, unde David : *Quia factus sum sicut uter in pruina.* Uter est caro nostra, pruina cœleste beneficium, quo quasi gelu concupiscentia carnis refrenatur. Dicitur malus, unde sic potest exponi prædicta auctoritas : *Factus sum sicut uter in pruina*, id est inter malos mihi commissa retinens. Dicitur carnale desiderium, unde alio modo potest exponi : A *Factus sum sicut uter in pruina*, id est, sicut uter non sentit pruinam, ita in me exstinxi carnale desiderium. Dicitur temporalis tribulatio, unde Salomon *Qui effugerit pruinam, cadet super eum nix*, id est qui noluerit in præsenti pati tribulationem, æternam incurret damnationem.

Pruna, proprie. Dicitur mens terrena, concupiscentia ardens, sicut ad Job de diabolo voce Dominica dicitur : *Halitus ejus prunas ardere facit.* Per prunas succensas in terrenis concupiscentiis reproborum hominum mentes intelligimus. Tanto ergo malignus spiritus halitu in prunis flat, quanto per occultam suggestionem humanas mentes ad illicita inflammat. Dicitur charitas, unde Salomon : *Et prunas congregabis super caput ejus*, id est ad charitatem mutabis. B

Psalterium, instrumentum organicum, quod a superiori parte per manum tactum reddit sonitum. Dicitur etiam liber David qui decantatur ad sonum illius instrumenti. Dicitur mentis devotio, unde David : *Psalterium jucundum cum cithara.* Dicitur observatio Decalogi, unde David in Psalmo . *Decachordo cum cithara.* Dicitur etiam divina Christi natura, unde in Psalmo : *Laudate eum in psalterio et cithara*, id est secundum divinam naturam et humanam. Dicitur Christi caro secundum quam surrexit et ascendit in cœlum, unde David : *Exsurge, gloria mea ; exsurge, psalterium et cithara.* Psalmus dicitur modulatio prædicti instrumenti ad C tactum manus facta. Dicitur etiam particula Psalterii juxta illam modulationem decantata, unde : *In fine psalmi David.* Dicitur laus divina, unde David : *Laudate Dominum quoniam bonus est psalmus*, id est quoniam bona est laus divina. Dicitur etiam bona operatio, unde in Psalmo : *Sic psalmum dicam nomini tuo*, id est bene operabor ad laudem tuam. Dicitur etiam sacra Scriptura, unde David : *Confitebor tibi in vasis psalmi*, id est in diversis partibus sacræ Scripturæ, in quibus continentur spirituales intelligentiæ tanquam in vasis pocula.

Puer, proprie, et dicitur puer a *pure*, id est a *custodia*, quia sub custodia est. Dicitur fatuus, et tunc a *puerilitate*, unde Isaias : *Maledictus puer centum annorum.* Et Dominus post resurrectionem D suam discipulos incredulos vocat pueros, dicens : *Pueri, nunquid pulmentarium habetis?* Christus propter sui innocentiam et humilitatem dicitur puer, unde Isaias : *Puer natus est nobis.* Dicitur servus, et dicitur a *pure*, id est *custodia*, quia, sicut puer est sub custodia, ita et servus ; unde legitur quod audiens Herodes famam Jesu Christi, dixit pueris suis, id est servis suis. Dicitur purus vel justus, et tunc dicitur a *puritate ;* unde Dominus ait in Luca : *Pueri mei mecum sunt in cubili*, id est sancti in æterna beatitudine.

Pugillus, proprie, est diminutivum hujus nominis, *pugnus.* Dicitur id quod continetur pugno, unde legitur in Exodo quod super mensam erant duodecim panes propositionis, et super singulos

patenæ aureæ cum pugillo thuris. Dicitur divina potentia, unde Isaias : *In pugillo terram ponis.*

Pugna, proprie, etiam controversia verborum, quando non jure est contradictio quæ apud rhetorem antinomia dicitur ; unde Apostolus ait : *Nihil sciens, sed languens circa quæstiones et pugnas verborum*, etc.

Pulchritudo, proprie. Dicitur decor virtutum Ecclesiæ, unde : *Pulchritudo agri mecum est.* Dicitur immutabilitas divina, unde in passione beatæ Agnetis : *Cujus pulchritudinem sol et luna mirantur.* Dicitur plenitudo gratiarum Christi, unde David : *Specie tua et pulchritudine tua.* Dicitur munditia a peccatis, unde idem : *Confessio et pulchritudo.*

Pulex, proprie. Aliquando notat utilitatem et dejectionem, unde David ait ad Saulem in libro Regum : *Utquid persequeris canem mortuum et pulicem vivum ?*

Pullus. Dicitur subditus pravi prælati, unde David : *Et pullis corvorum invocantibus eum.* Dicitur qui per passionem Christum imitatur, unde Job : *Pulli aquilæ lambunt sanguinem.* Dicitur fidelis qui reficitur corpore et sanguine Christi, unde prædicta auctoritas de fideli potest exponi. Dicitur pœnitens, unde Ezechias : *Sicut pusillus hirundinis, sic clamabo.* Hirundo tempore hiemis recedit, tempore caloris accedit ; unde per hirundinem eleganter figuratur Deus, qui in gelicidio infidelitatis recedit ab homine, in fervore charitatis accedit ad hominem ; unde per pullum hirundinis figuratur pœnitens, qui per gratiæ renovationem Dei filius fit, et est quasi hirundinis filius, et non clamat ad alium pro remissione peccatorum nisi ad Deum.

Pulsare, proprie. Notat in oratione perseverare, unde Dominus : *Pulsate, et aperietur vobis.* Notat frequenter admonere, unde Joannes de Christo ait : *Ecce pulso ad ostium*, id est frequenter vos admoneo ut convertamini.

Pulvis, proprie. Dicitur peccator, quia, sicut pulvis sterilis est, nec humore solidatur et levi flatu venti dispergitur, ita peccator sterilis est ab omnibus operibus, nec imbre cœlestis gratiæ irrigatur et levi flatu superbiæ dispergitur ; unde David : *Non sic impii, non sic, sed tanquam pulvis.* Dicitur veniale peccatum, unde Dominus in Evangelio : *Excutite pulverem de pedibus vestris*, id est venialia peccata ab affectibus mentis. Dicuntur discipuli Christi in passione a fide alieni, unde Job : *Ecce nunc in pulvere dormiam.* Dicitur conventus virtutum, unde in Cantico : *Quæ est ista quæ ascendit*, etc. ; *et universi pulveris ?* Aliquando notat dejectionem vel vilitatem, unde Abraham ait ad Dominum : *Audiat me Dominus Deus, cum sim pulvis et cinis.* Aliquando notat pœnitentiam, unde Isaias : *Sede in pulvere , filia Sion*, id est humiliare per pœnitentiam. Dicitur terrenum negotium vel desiderium ; et sic de superbis ad Job a Domino dicitur : *Absconde eos in pulvere simul, et facies eorum demerge in foveam.* Superbos enim

A atque impios justo judicio Dominus in pulvere abscondit, quia eorum corda ipsis, quæ, despecto Creatoris amore, eligunt, opprimi terrenis negotiis permittit. Dicitur caligo terrenæ cogitationis, unde Job : *Induta est caro mea putredine et sordibus pulveris*, quasi dicat : Carnalem vitam quam patior aut tabes lubricæ operationis polluit , aut ex vitiorum memoria caligo miseræ cogitationis premit.

Pungere, proprie. Notat *transfigere*, unde propheta de malis dicit : *Viderunt in quem pupugerunt.* Notat *exercere*, unde Salomon : *Punge oculum et producet lacrymas*, id est exerce animum et producet cum labore irriguum. Notat *conterere*, unde solet dici : *Iste compunctus est ad pœnitentiam.*

B *Pupilla*, proprie. Dicitur etiam humana Christi natura quasi oculus Patris. Et sicut per pupillam dirigitur radius interior ad exteriora, ita Dei Sapientia venit ad nos mediante humana natura ; unde David : *Custodi nos ut pupillam oculi.*

Pupillus, proprie. Dicitur sanctus cui mortuus est pater mundus et mater concupiscentia, unde David : *Judicare pupillo et humili, ut non apponat magnificare*, etc.

Purgare, proprie. Notat *ventilare*, unde de Christo ait Evangelista quod *purgabit aream suam.* Notat peccatum remittere, unde legitur in Malach. quod *purgabit filios Levi*, id est fidelibus remittet peccata.

Pusillus, proprie. Dicitur etiam humilis, unde in Evangelio : *Nolite timere, pusillus grex.* Dicitur meticulosus, unde et pusillanimus dicitur, quasi habens pusillum animum.

Putatio dicitur opinio, quod derivatur a *puto, tas*, quod est *opinari.* Dicitur abscisio superfluorum a vineis vel arboribus, et secundum hoc derivatur a *puto, tas* quod est *purgo , as.* Dicitur peccatorum purgatio, unde in Cant. : *Tempus putationis advenit.* Tempus putationis dicitur tempus gratiæ, in quo homines a vitiis sunt purgati per gratiam Jesu Christi.

Puteus, proprie. Dicitur etiam Ecclesia ; quia, sicut puteus propinat materialem potum, ita Ecclesia spiritualem, unde in Cant. : *Fons hortorum, puteus*
D *aquarum viventium*, etc. Dicitur hæreticus, unde Joannes : *Ascendit fumus putei*, id est prava doctrina hæreticorum. Dicitur profunditas peccati, unde David : *Non claudat super me puteus os suum.* Dicitur infernus, ut in eodem exemplo secundum aliam expositionem.

Putredo, proprie. Dicitur etiam concupiscentia, unde Job : *Putredini dixi : Pater meus es.* Dicitur peccatum, unde Habac. : *Introeat putredo in ossibus meis.*

Putrere, proprie. Notat corrumpi peccato, unde David : *Putruerunt et corruptæ sunt.* Notat in peccato perseverare, unde propheta : *Computruerunt jumenta in stercore suo.*

Putridum, proprie. Dicitur etiam hæreticus, qui

dicitur putridum membrum Ecclesiæ, quia et se corrumpit et alios, de quibus putridis membris frequenter loquitur sacra Scriptura.

Pyrgus dicitur punctus scacarii. Dicitur etiam articulus vitæ, unde in carmine quodam quidam rhythmicus ait:

In extremo vitæ pyrgo
Nos tuere, pia Virgo.

Q

Quadrans dicitur minimum pondus quod continet duo minuta, unde legitur quod mulier paupercula obtulit duo minuta, quod est quadrans. Dicitur etiam minimum peccatum, unde in Evangelio: *Amen dico tibi: Non exies inde donec reddas novissimum quadrantem*, id est luas etiam minimum peccatum, quod nunquam erit, etc. Vel quadrans novissimus dicitur terra, quia quatuor sunt elementa et inferior quadrans est terra et deterior, ignis significat charitatem, aer vitam æternam, aqua baptismum, terra omnem corruptionem; et hoc est *donec persolvat novissimum quadrantem*, id est omnia peccata quæ per terram designantur.

Quadriga, proprie. Dicitur evangelica doctrina, quæ quatuor rotis, id est quatuor evangelistis innititur; quæ quadriga dicitur esse Aminadab, id est Christi; Aminadab enim interpretatur *spontaneus*, Christus autem spontanee se obtulit Deo Patri in ara crucis; unde in Cant.: *Anima mea turbata est valde propter quadrigas Aminadab*, hic autem quadriga ideo dicitur esse Christi, quia de Christo evangelica doctrina edita est et ad Deum tendit, et per eam fides Christi per universum orbem dilatata est. Dicitur conventus sanctorum, unde Habac.: *Et quadrigæ tuæ salvatio.*

Quadruplex voce est singulare, significatione plurale, æquipollet enim huic nomini quatuor, ut sit sensus: *Quadruplex est intelligentia sacræ Scripturæ*, id est quatuor sunt intelligentiæ sacræ Scripturæ. Aliquando non refertur ad pluralitatem rei sed modi, ut cum dicitur: *Quadruplex est sacra Scriptura*, id est quadruplex intelligitur. Aliquando etiam dicitur quadruplex, id est quater iteratum, unde Hieronymus in *Prologo* ait Jeremiam planxisse destructionem Jerusalem quadruplici alphabeto, id est alphabeto quater repetito, quia quater repetit litteras alphabeti secundum ordines earum apponendo initiis versuum.

Quadrus vel *quadratus* lapis habens quatuor latera æqualia. Dicitur etiam sanctis virtutibus quadratus, unde legitur in Apoc. quod cœlestis Jerusalem ædificata est ex lapidibus quadris, id est sanctis.

Quærere proprie. Signat etiam *imitari*, quia qui alium quærit, ejus vestigia sequitur; unde Isaias: *Quærite Dominum dum inveniri potest, quærite, et invenietis.* Notat *interrogare*, unde Dominus per prophetam ait: *Inventus sum a non quærentibus me*, id est a gentibus, quæ non interrogabant de me. Notat *investigare*, unde: *Quæsivi et non inveni*, id est investigavi in sacris Scripturis Jesum, sed cum non inveni per pœnitentiam, id est per intelligentiam.

Quæstio. Dicitur propositio in dubitatione adducta, ut si quæratur utrum aliquis justus salvetur ex meritis. Dicitur etiam quæstio illud dubitabile de quo fit quæstio, secundum quod quæstio dividitur in quæstionem quærentem et quæsitam. Dicitur etiam responsio quæ extorquetur a reo per tormenta, unde legitur quæstionibus credere oportere, unde quæstionarii dicuntur carnifices qui a reis extorquent veritatem per tormenta.

Qualis aliquando ponitur infinite, unde: *Deus non est qualis*, id est sine qualitate. Ponitur interrogative et significat qualitatem, unde dicitur in Cant.: *Qualis est dilectus tuus*. Ponitur relative et prædicat divinam naturam, ut cum dicitur: *Qualis Pater, talis Filius*. Et est sensus: Quocunque nomine qualitativo de Patre prædicatur divina natura, eo nomine prædicatur de Filio, ut, si Pater est justus, Filius est justus; si Pater est bonus, Filius est bonus. Eadem sunt etiam officia hujus nominis *quantus* in sacra Scriptura quæ sunt hujus nominis *qualis*.

Quam ponitur comparative, unde Cain: *Major est iniquitas mea quam ut veniam merear*, id est iniquitas mea non meretur veniam, vel iniquitati meæ non debetur venia. Tenetur etiam elective sive negative, unde David: *Bonum est sperare in Domino quam sperare in principibus*. Tenetur admirative vel commendative, unde David: *Ecce quam bonum et quam jocundum*. Ponitur copulative, unde: *Tam bonis quam malis reddet Deus secundum merita*, id est bonis et malis. Tenetur æquiparative, unde Statius: *Bonus est Deus quam justus*, id est æque bonus et justus. Et Seneca dicit: *Æque sit tibi laudari a turpibus quam laudari ob turpia.*

Quando notat æternitatem, unde Boetius: *Fuit quando fuit tempus*. Notat tempus, et tunc quandoque interrogative tenetur, unde David: *Quando veniam et apparebo*. Ponitur infinite, unde David: *Ne quando rapiat ut leo animam meam*. Ponitur relative, unde Dominus ait Samaritanæ: *Erit tempus quando hic nec ibi adorabitur Deus*, id est in quo tempore.

Quartus. Aliquando notat ordinem in dignitate, ut si dicam: *Iste tenet quartum locum in Ecclesia*. Aliquando notat ordinem in mundo, unde in Dan.: *Ecce video quatuor viros ambulantes in medio ignis, et species quarti similis est Filio Dei*. Aliquando notat ordinem in tempore, unde legitur: *Job fuit quartus in Esau*. Aliquando notat ordinem in loco, juxta quod solet dici: *Iste vel iste sedet quartus in mensa.*

Quasi, proprie. Notat rei veritatem, unde Joannes: *Vidimus gloriam ejus quasi Unigeniti a Patre*, id est revera Unigeniti. Ponitur dubitative pro *circiter*, unde Lucas : *Erat illic incipiens quasi annorum triginta*. Notat rei similitudinem, unde Job : *Quasi flos egreditur et conteritur*. Item : *Quæ est ista quæ ascendit quasi aurora*. Notat improprietatem, unde Dominus : *Judicabit quasi potens crapulatus a vino*.

Quassatio. Dicitur proprie rei contritio. Dicitur etiam vindicta Dei, unde David : *Et cessavit quassatio*, id est vindictæ executio quam exercuit Deus in filiis Israel, etc.

Que quandoque ponitur expletive, ut hic : *Dixitque Deus*. Ponitur copulative. Ponitur etiam similitudinarie, ut patet in diversis exemplis.

Quercus proprie arbor. Dicitur aliquis sublimis in dignitate sæculari, unde propheta : *Exaltabitur Dominus super quercus Basan*. Dicitur fidelis : *Et erit in ostensione sicut terebinthus, et sicut quercus quæ projecit fructus suos , semen sanctum erit id quod steterit in ea*.

Questus proprie dicitur lucrum. Dicitur etiam pietas, unde Paulus : *Est autem questus magnus pietas cum sufficientia*.

Quia ponitur expletive, ponitur causaliter quod patet. Ponitur pro *quod*, ut in Evangelio : *Dixi vobis quia ego sum*, id est quod ego sum. Notat facilitatem, unde Apostolus : *Misericordiam consecutus sum, quia* per ignorantiam persecutus sum Ecclesiam Dei, id est facilius misericordiam consecutus propter ignorantiam.

Quidam quandoque notat partitionem, ut cum dico : *Quidam homo currit;* et alibi in Evangelio : *Sunt quidam de stantibus*. Quandoque notat proprietatem, unde Boetius : *Cæcitas est quædam forma*, quasi dicat : Non est proprie forma. Quandoque notat rei ignorantiam, unde Christus de semetipso ait : *Quidam homo fecit cœnam magnam*. Notat ignobilitatem vel dejectionem, unde in passione Christi legitur : *Angariaverunt quemdam Simonem Cyrenæum*, id est ignobilem et dejectum, et in Act. apost. : *Quidam Simon*, id est ignobilis.

Quin est conjunctio adversativa. Aliquando ponitur adversative, unde dicimus : *Non dimittam quin faciam illud*. Ponitur elective, unde Lucas : *Quinimo quin*, id est *cur non*, et tunc *imo* non ponitur adversative, sed elective, vel *quinimo* est una dictio, et ponitur pro *imo*.

Quis aliquando notat impossibilitatem, unde Isaias : *Generationem ejus quis enarrabit?* Notat charitatem, unde Psalmista : *Quis est homo, quod memor es ejus?* id est quam vilis est et quam fragilis. Notat quantitatem, unde David : *Quis est homo qui vivet et non videbit mortem?* id est quantus. Notat admirationem, unde Isaias : *Quis est ille qui venit de Edom?* Admirantur angeli ascensum Christi in cœlum, et ideo quærunt, dicentes : *Quis est ille?* Notat remotionem, unde David : *Quis similis tui in diis, Domine?* Notat similitudinem, unde Job : *Quis potest facere mundum de immundo?* Notat dubitationem, unde in Evangelio : *Tu quis es, ut responsum demus his?* Notat originem vel patriam, unde Adrastus, quærens originem vel patriam Polynicis, ait :

Quis Argos advenias?

id est de qua gente vel patria. Et si quis communiter in sacra Scriptura quærit vel proprietatem rei vel nomen vel originem, ut de assumptione beatæ Virginis : *Quæ est ista quæ ascendit sicut aurora consurgens, pulchra*, etc? Vel secundo modo, quis quærit de qualitate, id est substantia rei, qualis sit illa substantia, ut *quis est hic*, si quis quæreret de nocte de aliquo superveniente, nesciens an homo vel brutum, vir vel esset femina, quærit de substantia rei in se.

Quod ponitur determinative, unde Dominus ad Satan : *Nunquid considerasti servum meum Job quod non sit ei similis in terra?* Ponitur causaliter, unde Dominus : *Eo quod non cognovisti tempus*. Ponitur adjunctive pro *ut*, unde in Judic. Axa ad patrem : *Volo quod des mihi irriguum inferius*. Ponitur comitative, unde : *Deus in eo quod est justus miseretur*.

Quoniam est conjunctio rationalis. Quandoque ponitur significative, unde in Evangelio : *Remissa sunt ei peccata multa quoniam dilexit multum*, id est remissio multorum peccatorum fuit signum multæ dilectionis in Maria Magdalena. Quandoque notat causam ex præmissis, ut David : *Salvum me fecit, quoniam voluit me*. Quandoque notat causam ex subsequentibus, ut in Psalmo : *Quoniam tu percussisti omnes adversantes mihi sine causa, dentes peccatorum contrivisti*.

R

Radix, proprie. Dicitur origo, unde in Epistola ad Tim.: *Cupiditas est radix omnium malorum*. Dicitur incarnatio Dominica, unde Job in persona Ecclesiæ : *Radix mea aperta est secus aquas*. Per radicem Ecclesiæ ipsam incarnationem Redemptoris intelligimus, quæ juxta aquam aperta est dum Dominus invisibilis per assumptionem humanitatis suæ patuit aspectibus visionis nostræ, unde David : *Et erit tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum*, qui sunt quotidiani transitus deficientium populorum. Dicitur sancta prædicatio, unde Job de justo sub appellatione ligni ait : *Si senuerit in terra radix ejus, et in pulvere mortuus fuerit truncus illius. Ad odorem aquæ germinabit et faciet comam quasi cum primum plantatum est*. Per radicem justi sancta prædicatio, quia ab ipsa oritur et de ipsa subsistit.

Terra vel pulvis peccator est cui Conditoris voce A dicitur: *Terra es et in terram ibis, pulvis es et in pulverem reverteris.* Justi igitur radix in terra senescit, quia apud corda pravorum ejus prædicatio despicitur; et in pulvere truncus emoritur, quia inter persequentium manus corpus illius extenuatur. Dicitur firmamentum vel sustentamentum, unde de Antichristo dicitur: *Evelles radicem tuam de terra viventium*, id est illos quibus inniteris vel qui te sustentant. Dicitur Christus, unde Isaias: *In die illa erit radix Jesse qui stat.* Dicitur charitas, unde in Evangelio: *Et hi radicem non habent.* Dicitur intentio, unde in Evangelio: *Et securis ad radicem arboris posita est*, id est, Deus non judicat nisi secundum intentionem. Dicitur finis, unde sic potest exponi prædicta auctoritas: *Jam securis ad radicem* B *arboris posita est*, id est Deus judicat finem hominis vel operis. Dicitur prædecessor, unde: *Egredietur virga de radice Jesse;* et Apostolus: *Si radix sancta, et rami.* Dicitur occulta cogitatio, unde per Job de divite iniquo dicitur: *Non inhabitabitur, nec perseverabit substantia ejus nec mittet in terram radicem suam;* ille virtutibus radicatur cujus mentem inhabitat Deus, sed quia superbi cogitatio sub auctoris sui gratia non inhabitatur, profecto virtutibus non radicatur, propter hoc quod interius est vacuus; dicitur *non inhabitabitur*; propter hoc vero quod transitorium recte sequitur: *Nec perseverabit substantia ejus;* unde et aperte subjungitur: *Nec mittet in terram radicem suam*, per terram æterna beati- C tudo figuratur. Iniquus ergo in terram radicem suam non mittit, quia nunquam ad æternæ vitæ desiderium cordis sui cogitationem plantat.

Ramus, proprie. Aliquis ab aliquo descendens, qui metaphorice dicitur ramus; quia, sicuti rami procedunt ab arboribus, sic posteri ex prædecessoribus; unde Apostolus: *Si radix sancta, et rami*, id est posteri. Dicitur opus, unde per prophetam Veritas ait, antiquorum hostium malitiam signans: *Posuit vineam desertam* vel *in desertum, ficum decorticavit, exspoliavit eam;* alibi: *Fracti sunt rami ejus;* insidiantibus quippe malignis spiritibus Dei vinea in desertum ponitur, cum plena virtutibus anima humanæ laudis cupiditate dissipatur. Ficum Dei gens ista decorticat, quia seductam mentem D in favoris appetitum rapiens, quo hanc ad ostentationem pertrahat, tegmen ei humilitatis tollit. Eamque exspoliat, quoniam, subducto cortice, rami fici hujus arefiunt, ubi solerter intuendum est facta arrogantium humanis oculis ostensa; unde: *Placere cupiunt, inde siccantur.*

Rana, proprie. Dicitur philosophus ranæ comparabilis propter inundantiam sermonis, unde David: *Et dedit terram eorum*, quia philosophi et hæretici circa terrena versantur. Dicitur timor mundanus vel amor terrenus, unde dicitur quod rana in os canis projecta reddit canem mutum; quia frequenter prælatus a correctione vel ab Ecclesiæ sententia ex elatione cessat (65), tactus timore mundano vel amore terreno.

Rapere, proprie, *mereri;* unde Christus: *Quæ rapui exsolvebam.* Notat *seducere*, unde David: *Ne quando rapiat ut leo animam meam.*

Rapina proprie dicitur usurpatio rei alienæ, unde Paulus ait de Christo quod *non arbitratus est rapinam esse se æqualem Deo*, quia æqualis Patri secundum divinitatem, minor Patre secundum humanitatem.

Ratio est potentia animæ qua anima comprehendit inhærentiam proprietatis in subjecto, secundum quam considerat quid res, quanta res, qualis res; unde Augustinus: *Quinque sunt digressiones animæ: sensus, imaginatio, ratio, intellectus, intelligentia.* Boetius etiam ait in libro *De Trinitate* in naturalibus igitur rationabiliter, in mathematicis disciplinabiliter, in divinis intellectualiter versare oportere. Dicitur vis animæ qua anima movetur ad contemplationem cœlestium, juxta quam acceptionem solet fieri distinctio inter sensualitatem atque rationem. Dicitur ratio, concinnatio; unde Hieronymus dicit quod Christus Judæos confudit ratione bifurca. Dicitur instructio, unde Apostolus ait quod fidelis tenetur reddere rationem omnipotenti Deo de fide. Dicitur causa, unde Greg.: *Fides non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum*, id est cognitio quæ habetur de rebus per inferiores causas, id est per substantiales rerum naturas non est fides, sed scientia, juxta quam acceptionem solemus dicere: *Quæ est ratio dicti?* Dicitur computatio, unde in Evangelio: *Redde rationem villicationis tuæ.* Dicitur etiam dialectica, unde Boetius: *Omnis ratio disserendi argumentum est; ratio rei dubiæ fidem faciens.* Dicitur firma connexio existentiæ ad suum subjectum, unde Hilarius: *Veritas est ratio substantiæ rei*, id est rata connexio substantialis proprietatis ad suum subjectum. Dicitur vindicta, unde in Evangelio: *De omni verbo otioso reddes rationem*, id est solves pœnam rationabilem. Dicitur Filius Dei qui eadem ratione dicitur Verbum, non ratione verbi prolatilis, sed ratione verbi interioris, id est intellectus vel rationis; quia, sicut ratio vel intellectus procedit ab anima et est divisus ab ea, sic Filius procedit a Patre suo et est distinctus ab eo; unde et apud Græcos dicitur *logos*, id est *ratio*.

Recedere, proprie. Auxilium differre, unde David: *Utquid recessisti longe?* Notat correctionem non adhibere, unde in propheta ait Dominus ad Synagogam: *Zelus meus recessit a te.* Notat gratiam non apponere, unde legitur in Samuele quod *Spiritus Domini recessit a Saul rege.*

Recensere. Notat *iterare*, unde legitur in quadam oratione: *Recensita necessitas et iterata nativitatis solemnitate.* Notat *connumerare*, unde in Numeris,

(65) Forte rectius legeretur, *a correctione vel ab ecclesiasticæ sententiæ latione cessat.* Edit., *a correctione vel ab ecclesiasticæ sententiæ Ecclesiæ latione cessat*, corrupte.

quod *multa millia virorum Israel recensita sunt.*

Rectum, proprie. Dicitur justum, unde Psalmista: *Dulcis et rectus Dominus.* Dicitur aliquid distincto fine informatum, unde David: *Lætamini in Domino*, etc., *omnes recti corde.* Dicitur aliquid erectum, unde Psalmista: *Rectos decet collaudatio*, id est illos qui non incurvantur in amorem terrenorum, sed eriguntur ad amorem divinum.

Reddere, idem est quod *solvere*, unde in Evangelio: *Redde quod debes.* Notat *retribuere*, unde legitur quod *Deus reddet unicuique secundum opera sua.* Notat etiam *emittere*, secundum quod soliti sumus dicere, ignem reddere malum calorem.

Redimere proprie *liberare*, unde David: *Redime a calumniis hominum.* Notat æquivalens pretium pro re empta ponere; unde legitur Christum redemisse genus humanum proprio sanguine, quia cum homo a diabolo emptus esset per superbiam, æquivalens pretium dedit Christus pro liberatione hominis, imo majus, quia major fuit in Christo humilitas quam in Adam superbia.

Referre. Dicitur *stare*, unde solet dici: *Refert imperatori*, id est pertinet ad imperatorem; et secundum hanc significationem hoc verbum est impersonale, et componitur ex *res* et hoc verbo *fert* et producitur prima. Aliquando ponitur ex inseparabili propositione *re* et *fero*, *fers*, et secundum hoc ponitur pro hoc verbo *reporto*, secundum quod dicitur filios Israel omnes quæstiones retulisse ad Samuelem. Notat *narrare*, secundum quod dicitur: *Retulit mihi hoc*, id est narravit.

Regnare, proprie *dominari*, unde Apostolus: *Regnavit mors ab Adam*, et alibi: *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore*, id est dominetur. Notat *regere*, unde Deus dicitur regnare in sanctis. Notat *gloriari*, unde dicitur de justis: *Judicabunt nationes*, id est regnabunt in æternum.

Regnum, proprie. Dicitur etiam evangelica doctrina, unde Dominus: *Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum.* Dicitur etiam Ecclesia militans, unde Dominus: *Simile est regnum cœlorum sagenæ.* Dicitur etiam Ecclesia triumphans, unde in Evangelio: *Adveniat regnum tuum*, id est regnum militans ad regnum triumphans. Dicitur etiam æterna patria, unde David: *Regnum tuum, regnum omnium sæculorum.* Dicitur etiam conventus malorum, unde in Evangelio: *Omne regnum in se divisum.*

Regula, proprie, regularis ordo vivendi, unde legitur beatum Benedictum scripsisse Regulam monachorum. Dicitur etiam instrumentum geometricum, id est virga mensoria. Dicitur evangelica doctrina, unde Apostolus eos quibus scribit, dicit cito cecidisse a regula, id est ab evangelica doctrina.

Regulus proprie, unde Dominus: *Erat quidam regulus.* Dicitur diabolus, unde Isaias: *Delectabitur infans ab ubere super foramine aspidis et in caverna* A *reguli;* corda malorum quæ diabolus per malitiam inhabitavit. Manum suam Dominus in foramine reguli vel aspidis misit, quando iniquorum corda divina potestate tenuit, id est comprehensum exinde regulum, id est captivum diabolum traxit. Dicitur Antichristus, sicut de quibusdam pravis scriptum est in Isaia: *Ova aspidum ruperunt, telas araneæ texuerunt; qui comederit de ovis eorum, morietur, et quod confotum est, erumpet in regulum.* Ova quippe aspidum hominibus pravis rumpere est malignorum spirituum consilia quæ in eorum cordibus latent pravis operibus aperire. Telas quoque araneæ texere est pro hujus mundi concupiscentia quælibet operari; quæ de nulla stabilitate solidata sunt, ea procul dubio ventus mortalis vitæ rapit, quod autem B dicitur: *Qui comederit de ovis eorum morietur*, quia, qui immundorum spirituum consilia recepit, vitam in se animæ occidit. *Et quod confotum est erumpet in regulum*, quia consilium maligni spiritus quod corde tegitur, ad plenam iniquitatem nutritur et tandem in Antichristo complebitur, qui per regulum significatur, quia sicut regulus rex est serpentum, ita Antichristus erit princeps malignorum.

Relinquere, proprie; gratiam subtrahere, unde in Evangelio: *Non vos relinquam orphanos.* Notat tribulationibus exponere, unde David: *Deus, Deus meus*, etc., *quare dereliquisti.* Notat amorem unius alii postponere, unde in Evangelio: *Nisi quis reliquerit patrem*, etc., *propter me*, id est nisi præposuerit amorem divinum amori terrenorum, *non est* C *me dignus.* Notat *reservare*, unde Dominus ad Eliam in lib. Reg.: *Reliqui mihi septem millia virorum qui non curvaverunt genua ante Baal*, id est reservavi mihi.

Reliquiæ, proprie. Dicuntur etiam ea quæ quasi vilia relinquuntur et pauca, secundum quam acceptionem ea quæ ex cibis relinquuntur in mensa dicuntur reliquiæ. Dicuntur corpora sanctorum quæ, respectu animarum, quæ digniores sunt, et quia in terra relinquuntur ut in ipsam resolvantur, reliquiæ nuncupantur. Dicitur cupiditas terrena, unde David: *In reliquiis tuis præparabis vultum eorum*, id est in cupiditatibus terreni regni quas non amas, *præparabis* ad passionem *vultum*, id est intentionem, D *eorum*, scilicet Judæorum, quia propter retinendi regni cupiditatem Christum occiderunt. Dicuntur gentiles quos sibi Christus reliquit ad convertendum, unde sic potest exponi prædicta auctoritas. *In reliquiis tuis præparabis vultum eorum*, id est in his quos tibi relinquis de gentibus assumendos *præparabis vultum*, id est cognitionem tui, *vultum* dico *eorum*, id est Judæorum, quia illa cognitio eorum deberet esse quibus credita fuerant eloquia legis et prophetarum. Dicuntur bona æterna, unde in Psalmo: *Custodi innocentiam et vide æquitatem, quoniam sunt reliquiæ homini pacifico.* Dicitur passio et mors Christi, unde sic possunt prædicta verba exponi: *vultum*, id est malam intentionem, *eorum præparasti in reliquiis tuis*, id est præpara-

sti ad passionem tuam et mortem, ut, cum putarent occidere, salus mundi fieret. Paravit ergo Christus intentionem eorum bona de ea disponendo. Dicuntur peccata, unde Psalmista : *Dimiserunt reliquias suas parvulis suis*, id est posterioribus suis reliquerunt peccata clamantes : *Sanguis ejus super nos*. Dicitur maledictio, unde prædicta auctoritas sic exponi potest : *Et dimiserunt reliquias suas*, scilicet maledictionis, *parvulis suis*, id est posterioribus suis. Dicuntur finales Judæi qui ad fidem convertentur, unde legitur quod *reliquiæ Israel salvæ fient*.

Reminisci proprie factum, unde David : *Reminiscere miserationum tuarum, Domine*, id est exhibe nobis misericordiam sicut exhibuisti antiquis. Notat *judicare*, unde in Tob. : *Ne reminiscaris, Domine, iniquitates nostras*.

Remittere, proprie, *condonare*, unde Dominus : *Remittuntur tibi peccata tua*. Notat etiam *extenuare* vel *diminuere*, unde calor dicitur remitti; et David : *Remitte mihi ut refrigerer*.

Renes, proprie. Dicitur delectatio, unde David : *Scrutans renes et corda*, quia intendit Deus quid homo cogitet et quid eum delectet. Dicuntur Judæi de quibus descendit Christus secundum carnem, unde Psalmista : *Usque ad noctem increpuerunt me renes mei*, a quibus descendi secundum carnem, persecuti sunt me usque ad mortem. Dicitur humana Christi natura, unde potest exponi prædicta auctoritas : *Increpuerunt*, etc., id est secundum humanam naturam, perductus sum usque ad mortem.

Replere, proprie in omnibus essentialiter esse, unde : *Spiritus Domini replevit orbem terrarum*, id est Spiritus sanctus est essentialiter in omnibus vel Spiritus Domini, qui est Dominus, ut transitive legatur. Notat plenitudinem gratiæ conferre, unde potest sic exponi : *Spiritus Domini replevit orbem terrarum*, id est Spiritus sanctus contulit Ecclesiæ plenitudinem gratiarum, quæ Ecclesia dicitur orbis terrarum, quia de diversis partibus orbis collecta.

Reptile. Dicitur piscis, unde in Gen. : *Producant aquæ reptile animæ viventis*. Pisces vocat Moyses reptilia, quia impetu quodam se rapiunt. Dicitur animal quod circa terram movetur, vel ore se trahens ut vermis vel serpens, vi castrorum (*sic*) se rapiens ut coluber, vel pedibus repens ut lacerta vel botrata, unde : *Producat terra animam viventem in genere suo jumenta et reptilia*. Dicitur homo curis terrenorum intendens quasi circa terrena repens, unde David : *Hoc mare magnum*, etc., *illic reptilia*.

Res aliquando ita large sumitur quod tres personæ in Trinitate dicuntur res, unde Augustinus : *Rerum aliæ sunt fruentium, aliæ quibus utendum*. Restringitur aliquando Ecclesia in corpore, unde Donatus ait quod *nomina sunt significativa aut rerum aut corporum*. Aliquando sola incorporea dicuntur res, quia de his potest haberi vera notitia, unde quia ea corpora rerum dicuntur res, unde et

A ratio quæ comprehendit corporalia, ratio dicitur, unde rebus ex materia formaque constantibus solus humanus animus exstitit, qui prout voluit nomina rebus impressit. Dicitur veritas quia solet dici : *Non est in re*, vel ut, *ita habet se res*. Dicitur carnale commercium, juxta quod dicitur : *Iste habuit rem cum illa*. Dicitur utilitas, unde Apostolus prohibet his quibus scribit ne in eis sit *scurilitas quæ ad rem non pertinet*, id est inutilis est. Dicitur propositum, unde solet dici : *Nihil ad rem*. Dicitur possessio juxta quod dicitur : *Iste abstulit mihi res meas*. Dicitur persona, unde Gregorius : *Res quæ culpa caret in damnum vocari non convenit*, etc.

Respicere, proprie, misericordiam exhibere, unde
B David : *Respice in me et miserere mei*. Notat *approbare*, unde legitur in Gen. quod *Dominus respexit ad Abel et ad munera ejus*, id est Abel approbavit. Notat *intendere*, unde Dominus : *Nemo mittens manum ad aratrum et respiciens retro*, id est terrenis intendens, *aptus est regno Dei*. Notat *convertere*, unde David : *Respice inimicos meos*, id est converte. Notat *pertinere*, secundum quod solet dici : *Hoc rescipit illud*, id est pertinet ad illud.

Responsum, proprie, æquipollens alicui vel æquivalens aliud, unde Apostolus dicit se habuisse responsum mortis, id est sustinuisse passionem æquipollentem morti. Dicitur inspiratio divina, unde legitur de Simeone quod accepit responsum a Domino non viro. Dicitur instructio, unde legitur
C de magis in Evangelio quod *responso accepto in somnis*. Dicitur consilium prudentis editum ad consolationem alicujus, unde in legibus legitur de responsis prudentum.

Rete, proprie. Dicitur etiam prædicatio, unde dicitur retia Petri modo laxantur in capturam, modo complicantur, quia non omne tempus habile doctrinæ; quia, sicut pisces retinentur reti, ita homines prædicatione, unde Dominus : *Laxate retia vestra in capturam*. Dicitur diaboli deceptio, unde David : *Cadent in retiaculum ejus peccatores*. Dicitur hæretici persuasio, unde Salomon : *Frustra jacitur rete ante oculos pennatorum*, quia sancti, qui sunt pennati virtutibus, non decipiuntur hæreticorum
D persuasionibus.

Retro notat posteritatem temporis vel loci, quod patet. Notat subjectionem, unde Christus ait ad Petrum : *Vade retro, Satanas*, ac si diceret : Noli mihi adversari, sed subjiciaris mihi. Notat dejectionem, unde Dominus : *Nemo mittens manum in aratrum et respiciens retro*, id est ad terrena quæ vilia sunt et dejecta. Notat præteritionem, unde legitur quod Ezechiel viderit *animalia, plena oculis ante et retro*; animalia ista sunt evangelistæ qui habent oculos ante et retro, id est intellectum præteritorum et futurorum. Notat semiplenam cognitionem, unde Joannes dicit se audisse vocem retro, ad significandum quia plena scientia de divinis non potest haberi in præsenti.

Reverti, proprie. Ad Deum per gratiam accedere. Unde in Cant. : *Revertere, revertere, Sunamitis.* Notat *recordari*, unde in Act. apostolorum : *Petrus autem ad se reversus, ait*, id est recordatus eorum quæ viderat. Notat beneficium conferre, unde in Gen. angelus ad Abraham : *Juxta condictum revertar ad te hoc eodem tempore, vita comite*, id est eodem die, revoluto anno, faciam ut habeas filium: Et hoc est quod dicitur : *Et habebit Sara filium.*

Rex, proprie. Dicitur sanctus qui se et alios regit, unde David : *Et nunc, reges, intelligite.* Dicitur angelus, unde Job : *Nunc dormiens silerem et somno meo quiescerem coram regibus et consulibus terræ.* Dicitur Christus qui nos regit, unde Psalmista : *go autem constitutus sum rex.* Dicitur diabolus, unde in Apoc. de malis dicitur quod habent super se regem angelum abyssi. Dicitur Deus æternitatis qui est *Rex regum et Dominus dominantium.*

Rhamnus, proprie. Dicitur peccatum, unde David: *Priusquam produceret spinas vestras rhamnus.* Rhamnus producit spinas, id est tormenta. Rhamnus frutex est primo mollis, cum est adulta spinas emittit, sic peccatum primo delectat, postea pungit. Dicitur gehenna, et secundum hoc alia reperitur littera in Psalmo : hoc scilicet : *Priusquam producerent spinæ rhamnum*, id est peccata gehennam.

Rhinoceros idem est quod unicornis et dicitur rhinoceros a *rinos* quod est *naris*, et *ceros*, quod est *cornu*, quia unicum cornu habet in nare. Dicitur potens in hoc sæculo, unde voce Dominica ad Job dicitur : *Nunquid vellet rhinoceros servire tibi?* quasi dicat : Nunquid hi qui fatua elatione superbiunt, sine meis adjutoriis tuæ prædicationi subduntur. Dicitur diabolus, unde in Job : *Nunquid alligabis rhinocerotem ad arandum loco tuo ?* Solus enim Christus diabolum alligavit et potestatem ejus infirmavit.

Rivus, proprie. Dicitur principatus, unde Isaias ait quod Dominus percutiet flumen Ægypti in septem rivos, id est principatum Ægypti dividit in septem principatus, quod factum est tempore Augusti Cæsaris qui sibi subjugata Ægypto, ut regni Ægypti minueret potestatem, in Ægypto constituit principatus septem. Dicitur mortale peccatum, unde dicitur Dominus percussisse flumen Ægypti in septem rivulos, quia cum Christus venit in carne, concupiscentiam destruxit in septem capitalibus vitiis. Dicitur motus concupiscentiæ, unde legitur in Pentateuco quod oculi primorum parentum aperti sunt per peccatum, id est rivuli concupiscentiarum. Dicuntur sententiæ sacræ Scripturæ, unde legitur in Cant.: *Vidi speciosam sicut columbam descendentem desuper rivos aquarum.* Dicitur prædicator, unde David : *Rivos ejus inebrians*, quia primitivi doctores donis sancti Spiritus primo inebriati sunt. Cum autem inebriantur, generationes Ecclesiæ multiplicantur, quia, cum uberiorem gratiam Spiritus prædicatores accipiunt, fidelium numerus augetur. Et tunc sancta Ecclesia in suis stillicidiis lætatur. Per stillicidium quod de tecto cadit in terram significatur gratia Spiritus sancti quæ de cœlo venit in fidelium cordibus. Dicuntur libri evangelistarum, unde sub typo Ecclesiæ Job loquitur, dicens : *Et petra fundebat mihi olei rivos.* Petra est Christus, qui sicut petra olei rivos fudit, quia de eo diversi libri sacræ Scripturæ exierunt : liber Matthæi, Lucæ, Marci et Joannis. Dicuntur explanationes expositorum sanctæ Scripturæ, unde Isaias : *Locus fluviorum rivi latissimi et potentes.* Dicitur fluentum prædicationis, unde Job de Domino ait : *In petris rivos excidit.* Per petras dura corda fidelium accipimus, per rivos fluvios prædicationum intelligimus In petris ergo Dominus rivos excidit, quia in duris gentilium cordibus fluvios prædicationis aperuit.

Rubrum, proprie. Dicitur cruentatum, unde in Isaia introducuntur angeli loquentes ad Christum, admirantes ejus adventum, in hunc modum : *Quare rubrum est vestimentum tuum*, id est vestimentum humanitatis cruentatum sanguine passionis. Dicitur malitia deformatum, unde Isaias : *Si fuerint peccata vestra rubra sicut vermiculus, velut lana alba erunt.*

Rufus, proprie. Dicitur rubicundus, unde legitur in Reg. quod David erat rufus, id est rubicundus. Dicitur sanguine peccati rubricatus, unde legitur de dracone magno et rufo, id est de diabolo, qui in Isaia dicitur vestimentum contextum sanguine ; et alibi legitur de equo rufo per quem intelligitur conventus malorum.

Ruina, proprie. Dicitur lapsus angelorum, unde David : *Judicabit in nationibus, implebit ruinas ;* Christus enim genus humanum sublevando in cœlum, implevit ruinas angelorum. Dicitur causa ruinæ, unde in Evangelio dicitur : *Hoc erit in ruinam et resurrectionem multorum in Israel.* Dicitur destructio, unde David : *Non est ruina maceriæ.* Maceria dicitur doctrina Pharisæorum, quæ destrui non potuit nisi per Christum Dei omnipotentis Filium.

Rupes, proprie. Dicitur etiam Christus, unde David : *Qui convertit petram in stagna aquarum et rupem in fontes aquarum.* Christus ante resurrectionem et passionem fuit quasi petra et rupes, quia non fuit intellectus in Scripturis donec ipsis apertis velut fons influeret atque inundaret in omnes credentes, dicens : *Qui sitit veniat ad me et bibat.* Dicitur potestas mundana, unde in Thren. : *Onagri steterunt in rupibus*, quia in potestatibus hujus mundi confisi sunt. Dicitur gentilis populus qui prius consolidatus fuit in malitia, consequenter ad fidem conversus emisit doctrinæ fluenta, et hoc est : *Qui convertit petram in stagnum aquarum*, id est dura corda Judæorum ad aquam, id est baptismum; *et rupem*, id est gentiles, *in fontes aquarum*, ut et ipsi emanent irriguos fontes prædicationis.

S

Sabbatum dicitur septima dies septimanæ, unde in Evangelio : *Erat dies magnus ille Sabbati*. Dicitur Sabbatum septimana a dignitate Sabbati, unde in Evangelio : *Jejuno bis in Sabbato*. Dicitur solemnitas, unde in Thren.: *Viderunt eam hostes et deriserunt Sabbata ejus*. Dicitur requies, unde dicitur : *Si quis evaserat gladium, ductus in Babylonem servivit regi et filiis ejus, donec intraret rex Persarum, ut compleretur sermo Jeremiæ et cribrarent in terra Sabbata sua*. Dicitur totum tempus præsentis vitæ, unde in Evangelio : *Memento observare diem Sabbati*, id est septenarium præsentis vitæ feriando ab omni opere servili et a peccato. Dicitur puritas mentis et status æternæ beatitudinis, unde in Isaia : *Erit Sabbatum ex Sabbato*, id est Sabbatum æternitatis sequitur post Sabbatum peccatoris.

Saccus, proprie. Dicitur humana Christi natura quæ sacco comparatur propter asperitatem pœnæ quam assumpsit, et sicut saccus continet frumentum, sic humanitatis natura velavit naturam divinitatis; unde David : *Concidisti saccum meum*, hoc factum est in Christi morte quando anima separata est a corpore ; et sequitur : *Et circumcidisti me lætitia ;* hoc factum est in resurrectione. Dicitur mortalitas quæ propter sui asperitatem sacco comparatur, unde sic potest exponi prædicta auctoritas : *Concidisti saccum meum*, id est liberasti me a mortalitate et sic *circumcidisti me lætitia*. Dicitur cilicium, unde legitur quod Achab rex Israel indutus erat sacco, id est cilicio. Dicitur propheta, quia sicut in sacco continetur frumentum, sic in prophetis medulla intelligentiæ spiritualis, unde apostoli dicuntur filii excussorum, id est prophetarum, quos quasi saccos excusserunt quando prophetias eorum aperuerunt.

Sacerdos, proprie. Dicitur Christus, unde David : *Tu es sacerdos in æternum*. Dicitur sanctus, unde David : *Sacerdotes tui induantur justitia;* sacerdos dicitur primas, unde in Exodo legitur quod Jetro fuit sacerdos Madian, id est princeps Madianitarum. Dicitur offerens sacrificium pro populo et pro aliis orans, unde Melchisedech dictus est sacerdos Dei altissimi.

Sacerdotium proprie dicitur conventus sanctorum se offerens Deo in sacrificium, unde Petrus in canon. Epistola : *Vos estis genus electum, regale sacerdotium*, id est reges et sacerdotes; reges, quia vos regitis; sacerdotes, quia oleo spirituali inuncti estis et vero Deo sacrificium offertis. Dicitur sanctitas, unde in Eccli. : *Et dedit illi sacerdotium magnum*.

Sacramentum, dicitur sacræ rei signum, unde Augustinus : *Sacramentum est invisibilis gratiæ visibilis forma*. Dicitur sacramentum signatum vel sacrum secretum, unde Paulus de incarnatione loquens ait quod *illud abscunditum fuit a sæculis*. Dicitur uramentum per sacra firmatum, unde solet dici : *Ille firmat hoc sacramento*.

Sacrarium, proprie locus ubi sacerdos lavat manus post communionem. Dicitur etiam locus quem intrant tantum presbyteri, unde dicitur in concilio Laodicensi : *Non oportet diacones legitimam habere intrandi sacrarium*. Dicitur locus in quo sacra vasa recipiuntur, unde in eodem concilio : *Presbyteri non petant nisi per semetipsos aut per illum qui sacrarium tenet*. Dicitur Ecclesia, unde Prosper ex dictis Augustini : *Qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt edant*.

Sacrificare, proprie offerre, unde David : *Sacrificabo tibi hostiam laudis*. Notat etiam bene operari, unde David : *Sacrificate sacrificium justitiæ*.

Sacrificium, proprie. Dicitur spiritus contribulatus. unde David : *Sacrificium Deo spiritus contribulatus*. Dicitur bona operatio, unde Psalmista : *Sacrificate sacrificium justitiæ*. Dicitur laus divina quæ erit in futuro, unde David : *Sacrificium laudis honorificat me*. Dicuntur injuriæ et contumeliæ quas Christus pro nobis tulit, unde Psalmista : *Memor sit omnis sacrificii tui*, id est facias nos memores omnium injuriarum et contumeliarum quas pro nobis tulisti. Dicitur sacramentum eucharistiæ, unde sic potest exponi prædicta auctoritas : O Ecclesia, Deus sit memor omnis sacrificii tui ad remunerandum te; sacrificium Ecclesiæ prævidebat propheta per spiritum, quæ offert non sacrificium pecudum sed corporis et sanguinis Domini.

Sacrum, idem quod sanctum, unde ordo dicitur sacer, id est sanctus. Dicitur consecratum, unde chrisma dicitur sacrum vel altare dicitur sacrum Dicitur sanctificans, unde verba quæ dicuntur in missa sacra dicuntur, id est santificantia. Notat Deo sacrificium oblatum, unde hostiæ in Veteri Testamento dicebantur sacræ. Dicitur exsecrabile, unde in Vita sancti Nicolai :

Ad quid non mortalia pectora cogit
Auri sacra fames!

Sagena idem quod rete. Dicitur Ecclesia Dei, unde Matth. : *Simile est regnum cœlorum sagenæ missæ in mare*, quia in sagena continentur boni et mali pisces, id est in Ecclesia boni et mali colliguntur. Dicitur sacra Scriptura, juxta quam significationem potest exponi prædicta auctoritas, quia a sanctis Patribus sacra Scriptura hominibus diversarum partium et proposita et exposita est, et per eam diversi in unitate Ecclesiæ colliguntur, quorum alii boni, alii mali.

Sagitta, proprie. Dicitur arundo quam mittit puer ad similitudinem sagittæ, unde : *Sagittæ parvulorum factæ sunt plagæ eorum*, id est persecutiones Judæorum quibus persecuti sunt Christum comparabiles fuerunt sagittis parvulorum, id est efficaces sic, [quod] nec Christo nec membris ejus nocue-

runt. Dicuntur verba prædicationis, unde secundum aliam expositionem : *Sagittæ parvulorum factæ sunt plagæ eorum*, quia verba humilium penetraverunt corda sublimium ; recte verba prædicationis sagittis comparantur, quia in eo quod vitiosa fuerunt malorum corda transfigunt. Dicuntur dogmata hæreticorum, unde Psalmista : *Paraverunt sagittas suas in pharetra*, id est hæretici excogitaverunt prava dogmata ut deciperent simplices, unde sequitur : *Ut sagittent in obscuro rectos corde*, quæ eleganter dicuntur sagittæ, quia, sicut materialis sagitta] vulnerat usque ad mortem corporis, ita illa dogmata etiam vulnerant. Dicitur sacræ Scripturæ sententia, unde David : *Sagittas suas ardentibus effecit*, id est Deus sententias sacræ Scripturæ infidelibus charitate ardentibus efficaces fecit. Quæ eleganter dicuntur sagittæ, quia vulnerant hominem usque ad compunctionem cordis. Dicitur prædicator, unde David : *Sagittæ potentis acutæ;* et alibi : *Sicut sagittæ in manu potentis*. Dicitur vindicta, unde legitur : *Inebriabo sagittas meas sanguine*, id est gravissimam vindictam inferam malis pro peccatis eorum. Dicitur diabolus, quia sicut sagitta aliquis punitur, ita per dæmones malos punit Deus ; unde et ipse in propheta ait : *Virga furoris mei Assur*, juxta quem sermonem prædicta solet exponi auctoritas : *Inebriabo sagittas meas sanguine*, id est dæmones gravissima pœna puniam, ut per sanguinem pœna figuretur, per inebriationem gravitas pœnæ. Dicitur levis et aperta tentatio, unde in Psalmo : *A sagitta volante in die* ; quia sagitta in die missa apparet et de facili caveri potest, per eam signatur levis et aperta tentatio. Dicuntur etiam doli pravorum, unde secundum aliam expositionem : *Paraverunt sagittas suas in pharetra*. Iniqui enim cum dolos excogitant et secretis machinationibus bonis occultant, quasi in pharetra sagittas parant, et in hac præsentis vitæ caligine, velut in obscuro, rectos corde feriunt, quia malitiosa eorum jacula et sentiri possunt et tamen venientia apprehendi non possunt.

Sal, proprie. Dicitur sapientia , unde in Evangelio : *Sit ergo sal sapientiæ in vobis*, id est sapientia ; et : *Si sal infatuatum fuerit, in quo salietur*, id est, si prælatus erraverit, a quo corrigetur prælatus. Vel sapientia eleganter dicitur sal, quia, sicut sal terram sterilem reddit, condit cibos, arcet vermes, liberat a putredine carnis : sic prælatus sua sapientia debet carnem suam a pravis operibus sterilem facere, cibos spirituales sapientia condire, vermes pravarum cogitationum arcere, carnem a putredine peccati alienare. Dicitur cibus conditus, unde in Esdra legitur quod memores essent salis quod comederent in palatio. Dicitur reprehensio vel detractio, unde venerabilis Seneca [*ed* Sene]. dicit : *Dentes tui sine sale sint*, id est non habeas verba.

Saliunca, proprie ; infructuosus, qui est sterilis in bonis ; unde Josias (66) : *Ac leve nonnunquam rosa vertitur in saliuncam* ; et in Isaia : *Pro saliunca ascendit abies*, id est pro vitiosis ascendent virtutibus exaltati.

Saliva, proprie; discretio sive sapientia ; unde Job : *Ut glutiam salivam meam*, id est ut plene utar discretione vel sapientia. Saliva ex capite descendit in os, ab ore vero delabitur, a ventre conglutitur ; caput divinitas, venter mens ; saliva supernæ claritatis plena cognitio, os humana cogitatio ; saliva ergo a capite ad os descendit, quia divinitatis cognitio auctoritate Dei sensum nostrum tangit, sed plene mentem non reficit. Salivam itaque glutire non possumus, quia in præsenti claritatis bono satiari non permittimur.

Salix, proprie. Dicitur gentilis populus, quia salix de facili credit et ad fidem venit (67). Dicitur justus ratione viriditatis, quia salix tantæ viriditatis est, ut arescere, nisi abscissa radicitus et projecta vix possit ; unde Propheta : *Germinabunt inter herbas sicut salices juxta præterfluentes aquas*. Dicitur malus qui in bono sterilis est, unde David : *In salicibus in medio ejus, suspendimus organa nostra;* in illis, inquam, malis qui sunt in medio Babylonis, id est in profundo concupiscentiæ positis, suspendimus organa nostra, id est discubuimus et subtraximus sacras Scripturas et promissa Dei ; ab iis enim tanquam porcis et canibus Scripturas avertimus ; non eis alligamus, sed differendo suspendimus et ab ipsis alienamus.

Salus, proprie. Dicitur sanitas corporis, unde David : *Et fallax equus ad salutem*, id est temporalis potentia non potest homini conferre sanitatem vel conservare. Dicitur puritas mentis, unde David : *Domine Deus salutis meæ*. Dicitur vita æterna, unde Psalmista : *Salus autem justorum a Domino;* ipse etiam Deus dicitur salus, quia est causa salutis ; unde David : *Dominus illuminatio mea et salus mea, quem timebo?*

Salutare proprie Christus per quem salus ; unde Jacob : *Salutare tuum exspectabo*. Et Simeon : *Viderunt oculi mei Salutare tuum*. Dicitur Deus Trinitas, unde David : *Salutare vultus mei Deus meus*. Et alibi : *Adjutor meus esto, ne derelinquas me, neque despicias me, Deus salutaris meus*. Dicitur salus, unde Sapientia : *Quis dabit ex Sion salutare Israel?* id est quis ex Judæis conferet salutem populo fideli, nisi Christus? Dicitur vita æterna, unde David : *Defecit in salutare tuum anima mea*.

Salvare notat a periculo liberare, unde in Evangelio : *Salva nos, Domine, perimus*. Notat *justificare*, unde item in Jerem. : *Salvum me fac, et salvus ero*. Notat *glorificare*, unde : *Salva nos, Christe salvator, per virtutem*.

Sanare, proprie. Notat peccatum remittere vel

(66) [illegible]as, ed.

(67) Quædam supplenda videntur, ut sic legatur : *quia, ut salix de facili crescit, sic gentilis populus de facili credidit*, etc.

justificare, unde Psalmista : *Sana animam meam, quia peccavi tibi*. Notat etiam *glorificare*, unde Propheta : *Sana me, Domine, et sanabor*.

Sanctificare notat sanctum facere, unde in Joanne de Christo legitur quod *Pater sanctificavit et misit in mundum*. Notat *confirmare*, unde in Matth. : *Sanctificetur nomen tuum*, id est confirmetur nomen filiationis in nobis. Notat sanctum ostendere, unde Apostolus : *Sanctificans Evangelium*, id est sanctum esse ostendens. Notat solemnem et celebrem habere, unde in Exod. : *Memento sanctificare diem Sabbati*.

Sanctus. Dicitur sanctificans, unde Deus dicitur sanctus, id est sanctificans. Dicitur sanctificatus, unde : *Exsultant sancti in gloria*. Dicitur proficuus, unde David : *Timor Domini sanctus est*. Per hoc excluditur servilis timor, vel mundanus. Dicitur firmus, unde sic potest exponi prædicta auctoritas : *Timor Domini sanctus*, id est immutabilis; servilis enim timor mundanus mutabilis est, quia facit hominem mutari de temporalibus habitis vel amissis. Timor autem Domini sine omni perturbatione est. Dicitur cœleste, unde Psalmista : *Adorabo ad templum sanctum tuum*. Dicitur a sancto datum, unde præceptum dicitur sanctum, quia a sancto datum ; unde David : *Currus Dei decem millibus multiplex*, etc., *in sancto*. Currus dicuntur sancti, per quos Deus, id est fides ipsius, per universum mundum divulgatur. Et ille currus est multiplex decem millibus, id est ex innumeris populis compactus, qui sancti sunt millia lætantium, quia spe gaudent donec producantur in finem; et cur lætantur, quia *Dominus in eis ;* et hoc *in Sina sancto ;* vel sancto, id est implendo mandatum, quod factum est; quid ei prodest mandatum nisi Dominus ibi sit qui dat velle et operari? Notat sanctam rem sanctificare, unde beata virgo Maria : *Quia fecit mihi magna*, etc., *et sanctum nomen ejus*. Dicitur etiam anterior pars templi, quæ in Veteri Testamento dicebatur sancta, posterior pars templi Sanctum sanctorum, id est prosecutivum post sancta. Dicitur nostræ sanctitatis occasio vel causa, vel quia sanctum tangens ; unde dicitur crux sancta.

Sanguis, proprie. Dicitur cruentæ mentis malitia, unde Propheta : *Sanguis ejus in medio ejus, super petram limpidissimam effudit illum. Non effudit illum super terram ut possit operiri pulvere*. Per terram et pulverem peccatores, per petram limpidissimam justum signans, qui gravibus peccatorum contagiis non exasperatur. Sanguis vero supra limpidissimam petram effunditur quando malitia cruentæ mentis in afflictione animæ justæ grassatur. Dicitur peccatum, quia abundantia sanguinis multoties est causa peccati luxuriæ, iræ, superbiæ. Nomine sanguinis figuratur peccatum, unde Isaias : *Sanguis sanguinem tetigit*, id est peccatum additum est peccato; et alibi : *Beatus qui lavat manus suas in sanguine peccatoris*. Dicitur pœna inflicta pro effusione sanguinis, unde : *Sanguis ejus super nos et super filios nostros*, id est pœna infligenda pro effusione sanguinis Christi maneat super nos et super posteritatem nostram. Dicitur vindicta quæ exerceri solet sanguinis effusione, unde Deut. : *Inebriabo sagittas meas sanguine*, id est dæmones puniam gravissima pœna. Dicitur effusio sanguinis, unde David : *Quæ utilitas in sanguine meo*, id est in sanguinis effusione. Dicitur passio sive mors quæ per effusionem sanguinis solet fieri, unde Job : *Pulli aquilæ lambent sanguinem*. Dicitur parentela, unde Virgilius dicit :

. . . *Alto de sanguine Teucri*.

Dicitur vinum, quia colorem sanguinis habet, vel quia operatur ad multiplicationem sanguinis, unde legitur in Deut. de Judæis quod *biberunt sanguinem amarissimum*, id est vinum, *uvæ*. Dicitur Ecclesiæ unio ex diversis sanctis, unde Dominus : *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem*. Dicitur res acquisita periculo sanguinis, unde legitur quod David ait se non bibiturum sanguinem eorum qui ei sub periculo sanguinis attulerant aquam de cisterna Bethlehem, id est aquam ei allatam sub periculo mortis. Dicitur carnalis scientia quæ ex calore sedem habet; in sanguine viget ingenium ex quo scientia ; unde Dominus . *Beatus es, Simon Barjona, quia caro et sanguis non revelavit tibi*, id est carnalis scientia. Dicitur corruptio, quia de facili corrumpitur sanguis; unde Apostolus : *Caro et sanguis regnum...*, id est corruptio carnis et sanguinis. Dicitur carnalis observantia legalium, quia frequenter materialia sacrificia legis fiebant in effusione sanguinis ; unde Apostolus ait se conversum ad fidem non acquievisse carni et sanguini, id est carnalibus observantiis.

Sanitas, proprie. Dicitur status justitiæ, unde Isaias : *A planta pedis usque ad verticem non est sanitas*, id est a majori usque ad minorem nullus invenitur sanctus. Notat potentiam resistendi peccato, unde David : *Non est sanitas in carne mea*.

Sapere, proprie. Notat *intelligere* vel *comprehendere*, unde Paulus : *Cum essem parvulus, sapiebam ut parvulus*. Notat *investigare*, unde idem : *Non plus sapere quam oportet sapere*.

Sapientia aliquando large sumitur, ut qualibet scientia sapientia vocetur; unde dicitur in lib. Sapientiæ vel in Jesu filio Sirach, vel in Ecclesiastico : *Omnis sapientia a Domino Deo est*. Aliquando restringitur circa scientiam quadruvii, quæ mathematica vel disciplinalis dicitur, unde Boetius in suo prologo super arithmeticam ait : *Sapientia est speculatio earum rerum quæ sui mutabilem sortiuntur substantiam*. Aliquando sapientia dicitur versutia vel calliditas quam habet quis circa terrena, unde Apostolus : *Sapientia hujus mundi stultitia est apud Deum*. Notat scientiam de divinis, unde Paulus : *Sapientiam loquimur inter perfectos*. Notat divinam naturam, unde Paulus : *O altitudo divitiarum sapientiæ!* Dicitur etiam Filius Dei, unde Salomon : *Sapientia ædificavit sibi domum*. Dicitur donum Spiritus sancti, unde Isaias : *Et requiescet super eum Spiritus sapientiæ*, id est donum sapientiæ

collatum a Spiritu. Dicitur angelica natura, unde in lib. Sapientiæ : *Prior omnium creata est sapientia.*

Sapphirus proprie lapis. Dicitur sanctus qui cœlestibus inhiat, quia sapphirus cœli retinet colorem; unde in Apoc. cœlestis Jerusalem dicitur ædificata ex sapphiris. Notat contemplationem cœlestium, unde in Cant. : *Venter ejus eburneus, distinctus sapphiris.* Notat angelicam naturam, unde Job de pretio sapientiæ ait : *Non confertur lapidi sardonico pretiosissimo vel sapphiro* ; per sardonicum, qui terræ rubeæ similitudinem habet, homines signantur; per sapphirum, qui similitudinem aeris habet, angeli ; sapientiæ Dei, id est Christo, nec in terra primi homines nec in cœlo angeli comparantur.

Sardius, lapis speciem terræ rubeæ habens. Dicitur martyr rubeatus sanguine passionis, de quo etiam legitur in Apoc.

Sardonix, proprie lapis subtus, niger, medio rubicundus, supra candidus. Dicitur etiam sanctus niger contentu, rubeus passione, candidus mente, de quo similiter in Apoc.

Sarmentum, proprie. Dicitur infidelis ab unitate Ecclesiæ excisus, soli æterno igni reservatus, de quo sarmento frequenter loquuntur prophetæ et maxime Ezechiel.

Satiare, proprie. Notat spiritualiter *reficere*, unde David : *Satiabor cum apparuerit gloria tua.*

Satum idem quod natum, unde apud auctores hoc nomen *satus* sumitur pro *natus*. Dicitur seminatum, unde et seges solet dici sata a *sero, seris, sevi*, unde legitur quod apostoli ibant per sata et confricabant spicas. Dicitur mensura quæ recipit satum, unde legitur quod mulier commiscuit fermentum tribus satis farinæ, id est tribus mensuris.

Saturare, proprie, notat *replere*, unde Psalmista: *Saturati sunt filii*, id est repleti operibus pravis.

Saxum, proprie. Dicitur Christus post resurrectionem suam immortalis factus, unde in Deut. legitur : *Suxerunt mel de petra oleumque de saxo durissimo* ; hoc supra expositum est.

Scabellum, proprie. Dicitur corpus Christi, unde in Psalmo : *Adorate scabellum pedum ejus*, id est corpus Christi quod est scabellum divinitatis; per pedes enim indefecta deitatis stabilitas accipitur. Dicitur terrena dignitas, unde Isaias : *Cœlum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum*, cœlestia quia digniora sunt, sedes Dei dicuntur; terrena vero, quia indigniora, scabellum pedum ejus. Dicitur homo subjectus homini Christo, unde in Psalmo : *Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum*, id est subjectos tibi homini.

Scala, proprie. Dicitur similitudo scalæ, unde in Genesi : *Vidit Jacob scalam*, id est similitudinem scalæ. Dicitur crux Christi, unde in prosa : *Hæc est scala peccatorum.*

Scama, proprie, vel *squama*. Dicitur annulus loricæ, quia annuli loricæ contexuntur ad similitudinem scamarum, in qua significatione sæpe reperitur

A apud auctores. Dicitur peccator quo se munit diabolus, unde in Job dicitur : *Corpus ejus compactum squamis se prementibus*, quia una uni conjungitur. Dicitur tegumentum, unde Jer. [Iere, *ed.*] dicit se non curare Atlanticum squama in tegumentum, quod dicitur fabula quæ dicit Atlantem propriis humeris sustinuisse sidera, per quod significatur ipsum fuisse astronomum et astronomiam viguisse per ipsum.

Scandalum dicitur a *scandalan* Græce, quod Latine interpretatur *lapis*, quia latens in via, viatori præbet offendiculum. Scandalum dicitur error alicujus occasionem sumens ex facto vel verbo alterius, unde Dominus : *Necesse est ut veniant scandala*, id est ut aliqui scandalizentur. Dicitur contristatio alicujus, unde Paulus : *Hoc magnum judicate ne*
B *ponamus offendiculum fratri vel scandalum*, id est ne fratrem contristemus, unde consequenter Apostolus ait: *Si per escam frater tuus tristatur, jam non secundum charitatem ambulas scandalizans.* Scandalizans dicitur ille qui alium offendit, unde legitur quod Christus tollet omnia scandala de regno suo, id est omnes scandalizantes. Dicitur etiam occasio scandali, unde David : *Juxta iter scandalum posuerunt mihi.*

Scapula, proprie. Dicitur operatio mirabilium, unde David : *Scapulis suis obumbrabit tibi.* Speranti fideli gratia Dei promittitur. Scapulæ enim sunt mirabilium operationes quibus ut humeris virtus Dei ostenditur. Pennæ sunt monita prophetarum quæ in cœlos vehent. Et est sensus : *Scapulis suis*
C *obumbrabit tibi*, id est operationibus mirabilium te instruet : *et sub pennis ejus*, id est in monitis prophetarum quæ est protectio, *sperabis*

Schema, materia, unde in legenda beati Michaelis legitur quod oratorium ejus factum erat de vili schemate. Dicitur figura secundum quod a grammaticis distinguitur inter schema lexeos et schema dianeos.

Scientia proprie. Dicitur doctrina de motibus, unde David : *Dies diei eructat verbum et nox nocti indicat scientiam.* Dicitur cogitatio terrenorum, unde Paulus : *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei*, Dicitur donum Spiritus sancti, unde Isaias : *Et requiescet spiritus scientiæ super eum.*

D *Scintilla* proprie. Dicitur musca quæ lucet ad noctem, unde et noctiluca dicitur; unde Salomon : *Fulgebunt justi*, etc., *et tanquam scintillæ*, etc.; insinuantur quatuor proprietates glorificati corporis : splendor et incorruptio, cum dicitur *sicut sol*; agilitas et subtilitas, cum dicitur : *Et tanquam scintillæ in arundineto discurrent.* Sunt tamen qui hoc legunt de materiali scintilla. Dicitur etiam unicus filius matris, unde legitur in lib. Reg. quod vidua loquens ad David sub quodam paradigmate, id est similitudine, volens ad Salomonem David reconciliare, ait : *Quærunt exstinguere scintillam quæ est relicta mihi.* Dicitur etiam opus transitorium, etiam inutile, unde propheta : *Opus nostrum quasi scintilla.*

Scire proprie. Notat respectum habere, unde Apo-

stolus : *Cui credidi et certus sum.* Notat facere scire, unde Apostolus ait : *Die autem illo nemo scit neque angelus Dei neque Filius hominis*, qui ideo dicitur nescire, quia non facit nos scire. Notat *experiri*, unde Paulus : *Scio quod neque mors*, etc.

Scirpus, proprie. Hypocrita ; unde in Job : *Nunquid virere potest scirpus sine humore ?* Scirpi ergo nomine hypocrita significatur, qui speciem viriditatis habet, sed ad humanos usus fructus utilitatem non habet.

Scopa, dicitur instrumentum quo purgatur area, quod fit de myricis. Dicitur cærimonialium observantia, unde Dominus : *Cum immundus spiritus exierit ab homine, vadit per loca arida, et non inveniens requiem, ait : Revertar in domum meam, unde exivi*, etc., *et invenit eam scopis mundatam et ornatam.* Domus diaboli fuit Synagoga, ante legis traditionem idololatriæ dedita, a qua ejectus fuit per cultum unius Dei ; et tunc ivit per loca arida, quia tunc in gentibus ab humore cœlestis gratiæ aridis locum invenit. Sed consequenter gentilitate conversa, et Judæa per mortem Christi a fide aversa, diabolus rediit ad Synagogam, et assumptis secum septem spiritibus nequioribus se, quia Judæa obstinata gravius septem mortalibus peccatis est obnixa quam fuit ante legis traditionem ; et tunc invenit eam scopis mundatam, id est cærimonialia observantem, quæ purgant exteriora non interiora, id est corpus non animam, sicut scopa purgat exterius non interius. Dicitur pœnitentia quæ purgat animam, unde David : *Et scopebam spiritum meum*, id est animam mundabam per pœnitentiam.

Scoria dicitur fæx metalli. Dicitur peccatum, unde : *Decoquam ad purum scoriam tuam.*

Scorpio proprie. Dicitur genus flagelli, unde in lib. Reg. dicitur quod Roboam ait filiis Israel : *Pater meus cecidit vos virgis, ego cædam vos scorpionibus.* Dicitur genus bellici instrumenti, de quo agitur in lib. Mach. ubi fit mentio de balistis et scorpionibus. Dicitur nomen signi, juxta quod dicitur in zodiaco : *Sol est in scorpione.* Dicitur hæreticus, unde in Apoc.: *Data est ei potestas sicut habent scorpiones terræ.* Dicitur desperatio, unde in Luca : *Aut si petierit ovum, nunquid porriget ei scorpionem ?* Ovum, quod est spes animalis, sed non animal, spem designat ; contra ovum, id est spem, scorpionem ponit, id est desperationem, quæ retro pungit sicut scorpio. Cum enim spes in anteriora se extendit, desperatio retro afficit.

Scriba idem quod consiliarius, unde in Evangelio : *Missi a summis sacerdotibus et scribis, et senioribus*, etc. Dicitur aliquis qui dat doctrinam de moribus, unde Apostolus : *Ubi sapiens, ubi scriba?* Dicitur etiam Judæus, secundum quam significationem potest exponi prædicta auctoritas : *Ubi sapiens*, id est gentilis ; *ubi scriba*, id est Judæus.

Scribere proprie. Notat memoriæ commendare, unde Joannes : *Scribe : Beati mortui qui*, etc. Notat *præordinare*, unde in Exodo ait Moyses ad Dominum : *Aut dimitte eis hanc noxam, aut dele me de* A *libro in quo me scripsisti.* Notat *inferre*, unde Job : *Scribis enim contra me amaritudines*, etc.

Scrupulus dicitur pondus. Dicitur aliquid quod supereminet plano. Dicitur instrumentum quo ebur planatum fit lucidum, unde in Glos., super illud Psalmistæ : *A domibus eburneis*, dicitur quod ebur prius est obscurum, et ferris, id est scrupulis, fit lucidum ; alii dicunt scrupulis. Dicitur obscuritas, unde solet dici : *Quomodo ista sine scrupulo est*, unde etiam dicitur quod invenire obscuritatem in manifesto, hoc est invenire nodum in scirpo, scrupulum in plano, angulum in circulo.

Scrutari proprie. Notat *comprehendere*, unde in lib. Philonis : *Spiritus omnia scrutatur*, id est comprehendit. Notat dolose agere, unde David : B *Defecerunt scrutantes scrutinio.*

Scrutinium proprie probatio, unde scrutinium dicitur quando aliquis utrum dignus sit susceptione ordinum scientia vel vita probatur. Dicitur fraus, unde de Judæis legitur, qui fraudulenter in mortem Christi machinati sunt, in Psalmista : *Defecerunt scrutantes scrutinium.*

Scutum, proprie. Dicitur gratuita Dei voluntas vel protectio divina, unde David : *Domine, scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos ;* loquitur secundum terræ Palæstinæ modum, ubi olim utebantur rotundis scutis quibus aliquando muniebant pectus, aliquando caput. Est ergo sensus : *Domine ut scuto*, etc., id est gratuita voluntate in præsenti nos munis contra C vitia, in futuro coronabis in gloria. Dicitur defensio peccati sive repugnatio humana, unde dicit propheta : *Confregit arcum, gladium et scutum ;* in arcu invidia longe ferientium, in scuto obstinata duritia defensionum, in gladio victima percussa, in bello mentis motio contra Dominum designatur ; hæc enim tota in sancta Ecclesia confringitur, dum mentes Deo resistentium supposito jugo humilitatis edomantur. Dicitur fides, unde Paulus : *Sumentes scutum fidei.* Dicitur corpus malorum, unde de Behemoth dicitur, id est de diabolo : *Corpus illius quasi scuta fusilia*, quia per malos quasi per scutum defendit se diabolus contra bonos. Dicitur anima Christi, unde Psalmista : *Apprehende arma et scutum*, id est animam Christi sic rege et defende, et per eam adversarios D debelles. Dicitur constantia, ut sic potest exponi prædicta auctoritas, et legatur in persona Christi dicentis ad Patrem : O Pater *apprehende arma*, id est fac habere doctrinam et miracula, *et scutum*, id est constantiam.

Scyphus, proprie, dicitur junctura duorum qui conjungebantur in candelabro, unde legitur in Exod. : *In candelabro erant scyphi, lilia et sphærulæ.*

Secundum aliquando notat efficientem causam, unde dicitur : *Initium sancti Evangelii secundum Joannem.* Notat causam formalem, unde David : *Reddet unicuique secundum opera.* Notat quasi formalem causam, unde David : *Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam.* Notat materialem causam, unde legitur quod Christus secun-

dum humanam naturam est passus. Aliquando attestationem, unde : *Et resurrexit tertia die secundum Scripturas.* Notat tempus, unde : *Hodie si vocem ejus audieritis*, etc., *secundum diem tentationis.* Notat similitudinem, unde David : *Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* Ponitur pro *ut*, unde Dominus : *Nolite judicare secundum faciem*, id est ut exteriora demonstrant.

Securis, proprie. Dicitur judiciaria potestas vel exsecutio judicii, secundum quam significationem potest exponi hæc auctoritas : *Jam securis ad radicem arboris posita est.* Dicitur Christus, unde secundum aliam expositionem : *Jam securis ad radicem arboris posita est*, id est Christus ad intentiones hominum eradicandas. Arbor hujus mundi est genus humanum, securis Christus, qui velut ex manubrio et ferro tenetur ex humanitate, sed incidit ex divinitate. *Securis ad radicem arboris posita est;* quia etsi per patientiam exspectat, videt tamen quod factura sit, quia unusquisque perversus paratam citius gehennæ concremationem invenit, qui hic fructum bonæ operationis facere contemnit. Dicitur donum intellectus, unde in lib. Reg., cum filii prophetarum in Jordane lignum cæderent, uni eorum securis ex manubrio in profundo lapsu disparuit. Ferrum in manubrio est donum intellectus in corde, lignum vero per hoc cædere est prave agentes increpare, quod nonnunquam, dum fluxa egitur, lapsus vanæ gloriæ vitatur in accepta scientia ; ferrum, inquam, perditur, quia ex dissoluto opere intelligentia infatuatur. Dicitur potestas quæ sub alia constituta est potestate, unde Isaias : *Nunquid gloriabitur securis adversus eum qui tenet eam ?*

Sedere proprie. Notat *judicare*, unde in Evangelio : *In regeneratione cum sederit Filius hominis.* Notat frui potioribus bonis, unde Christus secundum humanam naturam dicitur sedere ad dexteram Patris omnipotentis. Notat æqualem esse, unde David : *Dixit Dominus Domino meo : Sede a dextris meis*, id est Deus Pater genuit Filium sibi æqualem. Notat *humiliari* vel *dejici*, unde in Thren.: *Quomodo sedet sola civitas?* et alibi : *Sede in pulvere, filia Sion.* Notat etiam *consentire*, unde David : *Odivi ecclesiam malignantium et cum injustis non sedebo.*

Sedes proprie. Dicitur Ecclesia Dei, unde Joannes : *Et ecce sedes posita erat in cœlo*, quia Ecclesia est sedes Dei. Per gratiam licet adhuc versetur hic in carne, tamen cœlum inhabitat mente ; unde Apostolus : *Nostra conversatio est in cœlis.* Dicitur judiciaria potestas, unde David : *Sedes tua, Deus, in sæculum sæculi*; et alibi. *Parata sedes tua extunc.* Dicitur divina majestas, unde in lib. Sapientiæ : *Dum medium silentium*, etc., *a regalibus sedibus venit*, id est a divina majestate dicuntur cœlestia, unde Isaias : *Cœlum mihi sedes est.*

Semel proprie, immutabiliter; unde David : *Semel juravi in sancto meo;* homo frequenter jurat, Deus autem semel, quia non variatur. Notat æternaliter, unde David : *Semel locutus est Dominus*, id est æternaliter, id est disposuit omnia, inter quæ omnia *hæc audivi, quia potestas Dei est.*

Semen, proprie. Dicitur posteritas alicujus, unde in Joanne : *Semen Abrahæ sumus et nemini servivimus.* Dicitur Christus, unde in Gen. : *In semine tuo benedicentur omnes gentes.* Dicitur opus bonum per quod sequitur fructus æternæ beatitudinis, unde David : *Euntes ibant et flebant mittentes semina sua.* Dicitur imitator alicujus, unde Psalmista : *Christo suo David, et semini ejus usque in sæculum.* Dicitur etiam verbum Dei, unde in Evangelio : *Semen est verbum Dei*, et nota quod semen est proprie animalium, sementis arborum et frugum, seminium uniuscujusque rei initium.

Seminare, proprie. Notat bene operari, unde David: *Qui seminant in lacrymis.* Notat *prædicare*, unde Dominus : *Ecce exiit qui seminat.* Notat largiri eleemosynam, unde Paulus : *Qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet.*

Semis, *semissis*, idem est quod dimidium, unde in Exodo legitur quod arca habebat in longitudine duos cubitos et semissem. Dicitur genus mensuræ, unde legitur in rhetorica inventionum quod quidam ferebat legem angariam ex semissibus et trientibus. Semis etiam indeclinabile idem est quod dimidium et est omnis generis, unde legitur quod vocalis habet unum tempus et semis, unde quidam versificator erravit in nominis declinatione, qui ait :

Vos tribus et semi
Solidis prodigus emi.

Semita proprie. Dicitur consilium vel altius præceptum, unde Isaias : *Parate viam Domino, rectas facite semitas ejus.* Dicitur incarnatio, unde Job de diabolo dicitur : *Semitam ignoravit avis*, id est Christi. Dicitur opus, unde Job : *Considerate semitas Themam.* Dicitur subtilis sancti doctoris prædicatio, unde Dominus ad Job . *Nunquid nosti semitas nubium ?* Nubes prædicatores, semitæ subtilissimæ sanctæ prædicationis viæ. Dicitur cogitatio, unde Job ad Dominum ait : *Posuisti in nervo pedem meum et semitas meas considerasti.*

Senectus vel *senecta*, proprie. Dicitur finale tempus Ecclesiæ, unde Psalmista : *Adhuc multiplicabuntur in senecta uberi.* Ecclesia magis incipit esse uberrima cum ad sæculi finem erit producta. Tunc enim passionibus electorum cito implebitur in ea numerus. Dicitur finis Ecclesiæ quando animæ æterna remunerabuntur beatitudine, unde David : *Et senectus mea in misericordia uberi*, novissima enim dicuntur senectus Ecclesiæ quæ in lætitia erunt. Dicitur infirmitas, unde David : *Ne projicias me in tempore senectutis meæ, cum defecerit virtus mea*, id est cum patientia pulsata mollescet, Deus, *ne derelinquas me*, quia tunc plus indigebit juvari. Dicitur tempus ultimum, quando *refrigescet charitas multorum ;* unde David : *Deus, docuisti me a juventute mea et usque nunc et usque in senectam et senium.* Nota quod hic distinguuntur quatuor ætates Ecclesiæ ; juventus enim Ecclesiæ fuit tempus martyrum quando fortes erant

per *nunc* significatur progrediens tempus quod modo est cum per ecclesias fides proficit; per senectam, in quo incipiet refrigescere charitas cum tempora mundi decrescent; per senium, finis mundi *quando abundavit iniquitas et refrigescet charitas multorum*. Est ergo sensus : *Deus, docuisti me a juventute mea*, id est tempore martyrum, *et usque nunc*, id est ad progrediens tempus; *et usque in senectam*, id est quando incipiet charitas refrigescere; *et usque in senium*, id est usque in finem mundi; *Deus ne derelinquas*. Dicitur etiam finis vitæ humanæ, ut sit sensus hujus quod dictum est : *Deus docuisti me a juventute mea*, id est ab initio fidei quam innovasti; *et usque nunc*, id est etiam post fidem; et ideo non ingratus *pronuntiabo mirabilia tua*, et, Domine, sicut tum incœpisti ita perfice; et hoc est *et usque in senectam et senium*, id est usque in finem vitæ; *ne derelinquas me*, quia nisi usque ad ultimum finem meum gratia mecum sit, nihil ero.

Senex proprie. Dicitur etiam fatuus, unde dicitur: *Maledictus eleemosynarius senex*. Dicitur sapiens, unde David : *Senes cum junioribus*, unde et apud Græcos *presbyteri* seniores dicuntur.

Sensus proprie dicitur intellectus, unde Luc. : *Aperuit illis sensus ut intelligerent Scripturas*. Dicitur etiam sapientia, unde in lib. Sapientiæ : *Cani autem sunt sensus hominis*. Dicitur significatio orationis; secundum quod oratio dicitur habere multiplicem sensum, id est multiplicem significationem, dicere solemus : *Hic est sensus istorum verborum*.

Sepelire proprie. Notat in peccato fovere, unde Dominus in Evangelio : *Sine mortuos sepelire mortuos suos*, id est peccatores fovere alios in peccatis.

Sepes proprie. Dicitur custodia angelica vel bonus rector Ecclesiæ, unde David : *Destruxisti omnes sepes ejus*. Et in Evangelio : *Sepe circumdedit eam*. Dicitur fides quæ contexta est multis articulis, unde in Eccle. : *Qui dissipabit sepem, mordebit eum coluber*. Dicitur amor terrenus quo aliquis circumvallatur, unde Dominus : *Ite in vias et sepes, et quoscunque inveneritis compellite intrare*; quia per prædicatores illi qui discurrunt per latam viam quæ ducit ad mortem et qui circumvallantur amoris terrenorum sepe, convertuntur ad fidem et fiunt de unitate Ecclesiæ.

Septuplum perfecte dicitur, unde David : *Eloquia Domini eloquia casta*, etc., *purgatum septuplum*, id est perfecte; septenarius namque perfectionem et universitatem significat. Notat septempliciter, ut sit sensus : *purgatum septuplum*, id est septem dona Spiritus sancti. Sancti enim qui prædicant eloquia divina, parati subire mortem pro testimonio divini eloquii, probantur habere septem dona Spiritus sancti. Notat septiformem Spiritum, ut sit sensus : *purgatum septuplum*, id est per septiformem Spiritum, unde : *Qui occiderit Cain septuplum punietur*; Gravius enim punitus est Lamech qui interfecit Cain quam Cain qui interfecit fratrem suum Abel, etc.

Sepulcrum proprie. Dicitur palatium principum, unde David : *Et sepulcra eorum domus illorum in æternum*; quia palatia ædificaverunt in æternum hujus sæculi, quasi in sepulcris manent, non in palatiis quæ exstruxerunt. Dicuntur verba hypocritarum vel hæreticorum; quia, sicut sepulcrum exterius pulchrum est et patet ad recipiendum cadavera, interius autem fetet, sic verba hæreticorum exterius blanda sunt, et patent ad alios corrumpendum, interius autem fetent per pravum sensum; unde David : *Sepulcrum patens est guttur eorum*. Dicitur gulositas, quia patet ad multa devorandum, secundum quam significationem potest exponi prædicta auctoritas. Dicitur carnalis concupiscentia in qua homo quasi sepultus putrescit, unde dicitur : *Vos qui jacetis in sepulcris, exite obviam Salvatori*; et alibi David : *Qui habitant in sepulcris*. Dicitur infernus, unde in Evangelio : *Purpuratus legitur sepultus in inferno*.

Sequi, proprie; *imitari*, unde Dominus : *Qui sequitur me non ambulat in tenebris*. Notat *remunerare*, unde in Apoc. : *Opera enim illorum sequuntur illos*.

Sera, proprie; impossibilitas intrandi paradisum post diem judicii, admissis prudentibus virginibus et exclusis fatuis; unde David : *Quoniam confortavit seras portarum tuarum*.

Sermo proprie. Dicitur doctrina, unde Dominus : *Sermo meus non capit in vobis*. Dicitur Filius Dei, unde in lib. Sapientiæ : *Dum medium silentium tenerent omnia et nox in suo cursu*, etc., *sermo tuus, Domine*, quia in illo silentio quo prophetæ siluerunt, quod fuit quasi medium inter Novum et Vetus Testamentum, Filius Dei descendit de sinu Patris in uterum Virginis intactæ Mariæ.

Sero proprie, unde in Evangelio : *Cum sero esset die illa*. Dicitur etiam vespera mundi, unde in Evangelio dicitur : *Sero an media nocte, an galli cantu, an mane?* etc.

Serpens proprie. Dicitur diabolus, unde Isaias : *Super Leviathan serpentem vectem; et super Leviathan serpentem tortuosum*. Dicitur imago serpentis, unde legitur quod *Moyses exaltavit serpentem in deserto*, etc. Dicitur Christus, unde Joannes : *Sicut exaltavit Moyses serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis*, pro salute hominum.

Serra instrumentum ferreum quo scinditur lignum. Dicitur etiam potestas subdita Deo, unde propheta : *Nunquid gloriabitur securis adversus eum qui tenet eam, et serra adversus eum qui scindit in ea lignum*.

Servus proprie famulus, unde in Exod. : *Si quis emerit servum Hebræum*, id est famulum. Dicitur ille qui servat mandata divina, unde David : *Et servus tuus custodit ea*. Dicitur irretitus peccato, unde Joannes : *Qui facit peccatum servus est peccati*. Dicitur qui serviliter timet, unde Dominus jam *non dicam vos servos*, etc. Dicitur puer quandiu est sub custodia, unde Paulus : *Parvulus quandiu est sub custodia nihil differt a servo*.

Si, conjunctio, aliquando ponitur conditionaliter, unde Dominus : *Si non venissem et locutus*. Aliquando ponitur causaliter cum negatione, unde in Psalmo : *Si David mentiar*, id est, quia David *non mentiar*.

Sibilare, proprie. Notat *inspirare*, unde propheta : *Et elevabit Dominus signum in nationibus, et sibilabit ad eum de finibus terræ.*

Sic ponitur demonstrative, unde in Evangelio : *Fili, quid fecisti nobis sic?* et alibi : *Sic eum volo manere donec veniam.* Ponitur localiter, unde dicitur : *Sic hoc prædicavi Evangelium*, id est in eo loco ubi nominatus non est Christus. Ponitur similitudinarie, unde Psalmista : *Non sic impii, non sic.*

Sicut aliquando copulative tenetur, unde Dominus : *Estote perfecti sicut Pater*, id est : Estote perfecti sicut et Pater vester perfectus est. Aliquando expressivum veritatis, unde in Luca : *Et descendit Spiritus sanctus sicut columba in ipsum*, id est in vera columba. Aliquando notat similitudinem, unde Dominus : *Sicut Pater misit me, ita ego mitto vos.* Aliquando notat identitatem, unde in Evangelio : *Sicut Pater habet vitam in semetipso, ita*, etc. Aliquando notat alienam similitudinem non expressam, unde : *Videbimus eum facie ad faciem sicut est.* Sicut est, inquit, non sicutissime, quia sic non expresse sicut est.

Signaculum dicitur proprie instrumentum quo aliquid clauditur vel signatur. Dicitur secretum, unde legitur quod Joannes vidit librum septem signaculis signatum ; hic signacula dicuntur quædam secreta quæ in Christo et a Christo sunt impleta ; primum Christi conceptio, secundum baptismus Christi, sanctificans aquas ; tertium mors Christi vincens mortem, quartum inferni spoliatio, quintum Christi resurrectio, sextum ad cœlos ascensio, septimum secundus adventus in quo remunerabit suos. Dicitur etiam sigillum, unde in Cant. : *Pone me sicut signaculum super cor tuum*, id est dilectione mei sigilles cor tuum, ne diabolus habeat ad te accessum. Dicitur similitudo, unde Apostolus ad Rom. : *Abraham accepit signum circumcisionis in signaculum fidei*, id est similitudine justitiæ fidei. Et propheta ad Luciferum loquens, ait : *Tu signaculum similitudinis Dei es.*

Signatum dicitur impressum, unde David : *Signatum est super nos lumen vultus*, id est gratia vultum tuum illuminans, id est rationem nostram, per quam tu comprehenderis ; est signatum, id est impressum super nos, id est superiori parte nostra, id est anima. Dicitur clausum, unde dicitur quod liber quem vidit Joannes fuit signatus septem signaculis, id est clausus. Dicitur insignitum, unde in Apoc. : *Ex tribu Juda duodecim millia signati*, id est insigniti. Dicitur distinctum, secundum quod exponi potest : *Duodecim millia signati*, id est distincti.

Signum, proprie. Dicitur miraculum, unde legitur de sancto Stephano : *Stephanus plenus gratia signa magna in populo faciebat.* Dicitur similitudo, unde canitur : *Hoc signum crucis erit in cœlo.* Dicitur significatio, unde in Evangelio : *Erunt signa in sole*, etc., id est significationes. Dicitur crux vel fides Christi, unde in Evangelio : *Hic erit in ruinam et signum, cui contradicetur.*

Silentium, proprie. Dicitur prophetarum cessatio, unde Sapientia : *Dum medium silentium tenerent omnia*, etc. Dicitur tranquillitas mentis, unde Joannes : *Factum est silentium in cœlis.*

Silere proprie. Notat verbum Dei Patris ab humana separari natura, illa enim separatio metaphorice dicitur silentium. Qui loquitur ad aliquem, quodammodo ad eum mittit verbum suum, Pater ergo quodammodo ad Filium locutus est quando ad eum verbum suum misit, id est ei univit. A simili silere diceretur si verbum ab homine separaretur, unde David : *Ad te, Domine, clamabo, Deus meus, ne sileas a me.* Notat *quiescere*, unde legitur : *Siluit*, id est quievit, *omnis terra.* Notat cessare a præliis, unde in *Scholastica historia : Et siluit terra Juda duobus annis.* Notat vita carere, unde Job : *Nunc enim dormiens silerem.* Notat *dissimulare*, unde idem : *Nonne silui?* id est dissimulavi.

Silica vel *siliqua*, secundum quosdam est radix in terra latens, quem effodientes porci comedunt. Alii dicunt silicam esse follicum a quadam arbore procedens, a fructu vacuum. Dicitur etiam tunica leguminis, ut fabæ vel pisæ, ut legitur in lib. Georgicorum Virgilii. Metaphorice etiam silica dicitur carnalis concupiscentia per quam diabolus sibi incorporat hominem ; unde legitur de filio prodigo quod cupiebat satiari siliquis quas porci comedebant, id est gentilis populus qui ante conversionem delectabatur in carnalibus concupiscentiis, quod erat gratum dæmonibus.

Silva, proprie. Dicitur multitudo, unde Hieronymus in Prologo suo super Josue, multitudinem nominum Hebraicorum vocat silvam. Dicitur rudis et silvestris, unde super illum locum Psalmistæ : *Benedictus Dominus qui mirificavit misericordiam suam*, etc., dicit Glos. quod Christus igne sancti Spiritus incendit totam silvam, id est silvestres et rudes. Dicitur primordialis materia, quæ apud Græcos dicitur *yle*, Latine *silva*, quam etiam Plato silvam vocat ; quia, sicut silva materiam præbet ædificiis, sic primordialis materia corporibus universis. Dicitur gentilitas, unde David. *Invenimus eam in campis silvæ.* Dicuntur sancti, unde in Cant. : *Sicut malus inter ligna silvarum.* Dicitur materia operum, unde Jacobus in Epist. can. : *Ecce quantus ignis quam magnam silvam incendit, ita et lingua ignis est universæ iniquitatis*, quia per eam cuncta facinora fiunt.

Similiter. Aliquando notat similitudinem, unde legitur in Evangelio : *Similiter de piscibus quantum volebant.* Ponitur copulative, unde introducitur Abraham loquens ad animam divitis : *Fili, recepisti bona in vita tua, Lazarus similiter mala.*

Similitudo, proprie. Dicitur divina natura, unde dicitur : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram.* Dicitur homo, secundum quam significationem solet exponi prædicta auctoritas, ut sit sensus : *Faciamus hominem*, etc., id est ut homo sit imago et similitudo. Dicitur Filius, unde

Augustinus ait quod Filius est prima similitudo Patris. Dicitur causa similitudinis, unde Boetius ait quod spiritus est similitudo plurium diversarum specierum, id est causa similitudinis.

Simplex dicitur quod caret partibus, unde anima dicitur simplex quia partes non habet. Dicitur aliquis carens plica, id est fraude duplicata; unde Christus ait : *Estote prudentes sicut serpentes et simplices sicut columbæ.* Dicitur aliquis carens pluralitate, unde Boetius : *Solus Deus dicitur simplex quia in eo nulla est pluralitas;* unde Boetius, in libro *De summo bono : Omne simplex esse suum, et id quod est unum habet; in Deo, qui vere simplex est, aliud esse nisi quod est : non enim aliud prædicatur cum dico : Deus est; aliud cum dico : Deus justus vel bonus est.*

Simpliciter. Notat immutabilitatem, unde Boetius ait : *Deus præordinavit simpliciter omnia,* id est immutabiliter; et apud logicum dicitur propositio mutari simpliciter, id est immutabiliter, quando nec qualitas nec quantitas propositionis mutatur, ut cum dicitur : *Quidam homo est animal, quoddam animal est homo.* Aliquando notat innocentiam vel intentionem rectam, unde Sapientia : *Qui ambulat simpliciter, ambulat confidenter.*

Simul, aliquando notat concomitantiam loci vel concomitantiam temporis, ut cum dicitur: *Isti simul nati sunt.* Notat etiam unionem duarum naturarum in Christo, unde David : *Simul in unum dives et pauper.* Pauper humana natura, dives divina, quæ simul unitæ fuerunt in Christo. Notat unitatem fidei, unde secundum aliam expositionem : *Simul in unum dives et pauper,* id est in una fide. Notat unitatem malitiæ, unde David : *Dum convenirent simul adversum me.* Notat identitatem divinæ naturæ, ut cum dicitur : *Simul operantur Pater et Filius et Spiritus sanctus;* vel coæternitatem notat, ut in prædicta auctoritate.

Sinapis, proprie. Dicitur Christus, unde in Evangelio : *Simile est regnum cœlorum grano sinapis quod acceptum homo misit in hortum suum, et crevit, et factum est in arborem magnam, et volucres cœli requieverunt in ramis ejus.* Istud granum est Christus qui in horti sepultura plantatus arbor magna surrexit. Granum namque fuit cum mortuus fuit, arbor cum surrexit. Granum per humilitatem carnis, arbor per potentiam majestatis; hujus arboris rami sunt prædicatores sancti; in istis ramis volucres cœli requiescunt, quia sanctæ animæ, quæ quasi quibusdam virtutum pennis superna cogitatione se sublevant, eorum consolationibus ab hujus vitæ fatigatione respirant. Dicitur fidelis viri fortitudo, unde in Evangelio : *Si habueritis fidem sicut granum sinapis et dixeritis,* etc. Granum sinapis, nisi conteratur, nequaquam vis virtutis agnoscitur : non contritum lene est; si vero conteritur, inardescit, et quod in se acerrimum latebat ostendit; sic unusquisque vir sanctus non pulsatus despicabilis ac levis aspicitur, si qua vero tritura illum persecutionis opprimit, mox omne quod calidum sapit, ostendit, et in fervorem virtutis vertitur quidquid in illo despicabile infirmumque videbatur; et quod in se per tranquillitatis tempora libens operuerat, exagitatus tribulationibus coactus innotescit.

Sinceris illud quod purum est, unde Virgilius :

Succedit sincere et pura farina,
Descendit inferius (68).

Dicitur innocens, unde Paulus : *Estote sinceres.*

Sinceritas idem quod puritas. Dicitur innocentia, unde Paulus : *Sed azymis sinceritatis et veritatis,* id est innocentiæ et justitiæ.

Sindon dicitur pannus lineus ex bysso factus, unde in Evangelio legitur de Joseph quod involvit corpus Jesu in sindone munda. Dicitur fides, quæ constat ex diversis articulis sicut sindon ex diversis filis, unde de Ecclesia Salomon ait : *Sindonem fecit.*

Sine, præpositio, aliquando notat remotionem, sed aliquando removet rei auctoritatem; unde in Evangelio : *Sine me nihil potestis facere.* Aliquando removet unionem, ut cum dicitur : *Corpus istius sine anima est*, vel : *Corpus Christi in triduo fuit sine anima,* id est non fuit unitum animæ. Aliquando inhærentiam, unde in lib. Sapientiæ : *Beatus vir qui inventus est sine macula.* Aliquando essentiam, ut cum dicitur : *Carnale commercium inter maritum et uxorem potest celebrari sine peccato*, id est quod ipsa actio non erit peccatum. Aliquando concomitantiam, unde David : *Vendidisti populum tuum sine pretio.* Aliquando præsentiam, unde David : *Sine adjutorio, inter,* etc.

Sinistra, proprie; gloria præsentis vitæ, unde Dominus : *Cum facis eleemosynam nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua,* id est piæ dispensationi nequaquam gloria præsentis vitæ se admisceat, sed opus rectitudinis appetitio ignoret favoris. Dicitur miseria præsentis vitæ. Dicitur miseria gehennæ.

Sinus, proprie, unde in Exodo : *Mitte manum tuam in sinum tuum.* Dicitur portus, unde dicitur quod iste navis est in sinu maris, id est in portu. Dicitur hora (*sic*) inferni in qua erant sancti ante adventum Christi beata spe consolati, unde in oratione : *Collocare digneris animam famuli tui in sinu Abrahæ.* Illa autem hora inferni ideo dicebatur sinus; quia sicut in sinu maris est major tranquillitas quam in mari, ita in hora inferni requies ut in profundo abyssi. Dicitur reflectio, unde dicitur quod mare facit multos sinus, id est multas reflectiones. Dicitur cogitatio, unde David : *De quo non implevit manum suam qui metit, et sinum suum qui manipulos colligit,* quia angeli messores de hominibus malis non adimplebunt manum vel sinum, id est non colligent ex eis bonam operationem vel bonam cogitationem. Dicitur secretum, unde Job : *Reposita est spes mea in sinu meo,* id est a concupiscentia quæ locum habet in carne. Dicitur conscientia, unde David : *Et oratio mea in sinu meo convertetur,* id est purgabit conscientiam.

(68) Sic editio vetus, corrupte.

Sion est nomen loci. Dicitur primitiva Ecclesia de Judæis, unde propheta : *De Sion exibit lex*. Dicitur generalis Ecclesia, unde David : *Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus*. Dicitur Synagoga, unde David : *Nunquid Sion dicet : Homo et homo natus est in ea;* quasi dicat. Homo natus est in ea Deus; sed *nunquid dicet homo*, id est nunquid poterit homo persuadere Sion, id est Synagogæ illud quod dicam, scilicet quod *homo natus est*. Dicitur Ecclesia triumphans, unde David dicit quod : *videbitur Deus deorum in Sion*.

Sitire proprie. Notat *desiderare*, unde propheta : *Sitientes, venite ad aquas*. Notat *cupere*, unde Dominus : *Qui biberit ex aqua hac, sitiet iterum*, id est de carnali delectatione. Notat charitate fervere, unde Psalmista : *Sitivit in te anima mea*. Notat *arescere*, unde apud hymnum dicitur : *Terra sitiens*, id est arescens.

Sitis proprie. Dicitur desiderium, unde propheta in persona Christi : *Dederunt in escam meam fel, et in siti*, etc.; Christus enim desideravit conversionem Judæorum, et ipsi propinaverunt ei malitiæ acetum. Dicitur carentia spiritualis intelligentiæ, unde David : *Potabunt omnes bestiæ agri, exspectabunt onagri in siti sua;* [onagri] autem sunt Judæi superbi, et est sensus : *Exspectabunt onagri*, id est Judæi, *in siti sua* bibere has aquas, id est intelligentiam sacræ Scripturæ different usque ad ultimum tempus.

Situla dicitur vas aquaticum, et dicitur situla, quia sitim aufert, unde Isaias : *Omnes gentes quasi stilla situlæ*. Dicitur serpens cujus venenum aufert sitim, de quo legitur in Lucano.

• *Smaragdus* lapis est tantæ viriditatis, ut omnes herbas et omnia folia arborum et cunctas gemmas sua viriditate vincat; oculorum faciem suam viriditate recreat, et nascitur in Scythia terra, inhabitabili præ nimio frigore. Signat sanctos qui sunt viridiores in fide cæteris et superant in fideles virore fidei qui sunt frigidi in castitate, et illuminant eos qui cæci sunt ignorantiæ labe, de quo etiam legitur in Apoc.

Sol proprie. Dicitur Christus, unde Joannes : *Vidi mulierem amictam sole*, id est Ecclesiam illuminatam gratia, id est virginem Mariam gloriosam. Dicitur sanctus, unde in lib. Sapientiæ : *Fulgebunt justi sicut sol*. Dicitur Ecclesia, unde in Cant. : *Electa ut sol*. Dicitur claritas boni operis, unde Job : *Si vidi solem cum fulgeret;* sol quippe in fulgore est bonum opus in manifesto. Dicitur lumen veritatis, unde legitur quod impii in die judicii, cognita sua damnatione, dicturi sunt : *Erravimus a via veritatis, et lumen justitiæ non luxit nobis, et sol non ortus est nobis*, etc. Dicitur prædicatorum claritas, unde Job : *Qui præcipit soli, et non oritur, et stellas claudit quasi sub signaculo;* quid enim solis nomine nisi prædicatorum claritas accipitur? et per Joannem dicitur : *Factus est sol sicut saccus cilicinus*. Dicitur tribulatio; quia sicut sol urit ratione ustionis, per solem figuratur tribulatio; unde in Cant. : *Nolite mirari quod fusca sim et denigrata, quoniam decoloravit me sol*, id est tribulatio, non peccatum. Dicitur tempus, quia secundum motum solis distinguuntur tempora; per solem figuratur tempus; unde David : *Ante solem permanet nomen ejus*, id est ante tempus, quia ab æterno. Dicitur manifestatio, unde : *In sole posuit tabernaculum suum*, quia hominibus manifestavit se Christus secundum humanam naturam, quæ dicitur tabernaculum; quia sol illuminando manifestat, recte nomen solis manifestationem significat. Dicitur donum sapientiæ, quod cæteris excellentius est, unde David : *Solem in potestatem diei, lunam et stellas in potestatem noctis*, id est donum Spiritus sancti dat spiritibus et superioribus qui significantur per diem, minora dona inferioribus qui significantur per noctem. Dicitur divina Christi natura, quæ illuminat humanam Christi naturam, sicut sol lunam; unde David : *Per diem sol non uret te, neque luna per noctem*, id est non tentaberis de divina Christi natura vel humana. Dicitur tentatio : secundum quam significationem prædicta potest exponi auctoritas in hunc modum : *Sol non uret te per diem, neque luna per noctem*, id est tentatio non apprehendet te in prosperis, quæ significantur per diem, nec in adversis quæ significantur per noctem. Dicitur Antichristus qui finget se esse Christum, unde in Apoc. legitur quod angelus fudit phialam in solem; per angelum prædicator, ut Elias et Enoch prædicabunt Antichristo et complicibus suis.

Solitudo, proprie, unde Apostolus : *In solitudinibus errantes*. Dicitur separatio ab Ecclesia, unde Job de hæreticis ait : *Qui rodebant in solitudine squalentes calamitate et miseria;* hæretici ab Ecclesia separati Scripturam non comedunt, quia non intelligunt; sed quodammodo rodunt, quia eam sua virtute comprehendere præsumunt. Dicitur absentia terrenarum cogitationum, unde David : *Ecce elongavi fugiens et mansi in solitudine*, non eremi sed animi, etc. Dicitur gentilitas olim a Deo deserta, unde Isaias : *Exsultabit solitudo lætabunda et laudans*.

Solium proprie. Dicitur potestas sive dignitas, unde Isaias in persona Luciferi ait : *In cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum*. Dicitur sedes, unde Isaias : *Omnes principes terræ surrexerunt de soliis suis*. Dicitur angelica natura in qua Deus residet per gratiam, unde Isaias : *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum;* solium excelsum angelica natura, solium elevatum dicitur humana natura quæ per Christum ab inferiori statu ad superiorem statum est elevata. Dicitur divinitas sive æternitas, secundum quod Deus omnia præcellit et sibi subjicit, secundum quam significationem exponi potest quod dicitur : *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum;* ut solium excelsum intelligatur divina Christi natura vel æternitas, elevatum humana Dei natura.

Solvere proprie. Notat peccatum remittere, unde dicitur quod Deus solvit peccata, id est dimittit. Notat solutum ostendere vel pœnam remittere,

unde Dominus : *Quodcunque solveris super terram, erit*, etc. Notat *destruere*, unde in quodam hymno :

Solutis jam gemitibus
Et inferni doloribus.

Somnus proprie. Dicitur etiam mors Christi, unde David : *Ego dormivi et somnum cepi*. Dicitur amor terrenorum, unde Psalmista : *Si dedero somnum oculis meis*. Dicitur torpor ignaviæ ad faciendum bona, unde Paulus : *Scientes quia hora est jam nos de somno surgere*. Dicitur exstasis mentis in qua aliquid revelatur homini per angelum a Deo, unde legitur in Gen. quod Jacob audiens quod filius suus Joseph viveret, quasi de gravi somno evigilans non credebat eis, id est filiis suis.

Sonare proprie. Notat *inspirare*, unde in Cant. : *Sonet vox tua in auribus meis*, id est inspiratio tua infundatur menti meæ, etc. Notat contradicere fidei Christi, unde David : *Sonuerunt et turbatæ*, etc.

Sonus proprie. Dicitur laus qua sancti laudant Deum in æterna beatitudine, unde Psalmista : *In voce exsultationis et confessionis sonus epulantis*, id est laus sanctorum in æterna beatitudine spiritualiter epulantium. Dicitur etiam inspiratio divina quæ, mediante homine, pugnat contra diabolum, peccatum et mundum ; unde David : *Laudate eum in sono tubæ*, id est in eo quod, divina inspiratione mediante, sancti vincunt diabolum, id est vitia ;tuba enim invitamur ad bellum, etc. Dicitur prædicatio, unde Psalmista : *In omnem terram exivit sonus eorum*.

Sopor dicitur exstasis, quia anima recipitur ad contemplationem cœlestium, unde in Gen. : *Misit Dominus soporem in Adam*, id est exstasim, quia raptus fuit ad cœlestem curiam et multa sunt ei de futuris revelata. Dicitur mors, unde Psalmista : *Ego dormivi et soporatus sum et exsurrexi*, quia sicut unus de facili surgit a sopore et cum membrorum integritate, ita Christus de facili a morte cum humanæ naturæ perfectione resurrexit. Dicitur ignorantia, unde Isaias : *Quoniam miscuit vobis Dominus spiritum soporis, claudet oculos*.

Soror proprie. Dicitur cognata, unde Abraham ad Abimelech ait : *Alias soror mea est filia patris mei*, et est sensus : Sara est cognata mea filia patris sui, mei, subaudi fratris. Aran enim fuit pater Saræ et frater Abrahæ. Ecclesia etiam dicitur soror Christi ratione naturæ et ratione gratiæ, quia conformis in natura et in gratia, unde in Cant. : *Soror mea adhuc parvula est et ubera non habet;* verba sunt Christi de Ecclesia. Dicitur socia, unde Job : *Putredini dixi : Pater*, etc., *et soror mea vermibus*. Dicitur fidelis vel anima dicitur soror Christi, unde in Evangelio : *Qui facit voluntatem Patris*.

Sors proprie non est aliquod malum, sed in dubitatione humana divinum exprimit judicium ; sortibus enim usi sunt apostoli. Dicitur divina electio sive prædestinatio sors, quia divinam voluntatem exprimit, merita non attendit; quare potius super unum quam super alium cadat nemo scit. Sic prædestinatio a divina voluntate procedit, merita non attendit, quare istum potius quam illum eligat, nullus homo scit ; unde David : *In manibus tuis sortes meæ*, id est mea gratuita electio est in tua potestate. Dicitur possessio, quia Israel in terra promissionis distributæ fuerunt possessiones a Josue ; igitur sors possessio nuncupatur. Nam legitur in Josue quod Israel fuit in sorte Benjamin. Dicitur capitale, unde dicitur : *Quidquid accipitur supra sortem, usura est*.

Species, proprie. Dicitur decor mentis ; unde David : *Specie tua et pulchritudine tua ;* species etiam apud logicum dicitur universale. Augustinus ait quod de hoc termino Deus non prædicatur genus vel species. Dicitur sanctus, unde David : *Rex virtutum dilecti dilecti, et speciei domus dividere spolia*. Deus Pater est rex virtutum dilecti, id est angelicarum virtutum, quæ sunt et ipsius Christi qui eis imperat, deinde repetit *dilecti* ad commendationem Filii dilecti. Dico non solum ad alia, id est etiam ad dividenda spolia et ereptos a diabolo quos dividit, alios apostolos, alios prophetas, faciendo spolia; dico *speciei domus*, id est sanctorum qui domum, id est Ecclesiam, faciunt speciosam. Dicitur hæreditas æterna, unde David : *Elegit nobis hæreditatem suam speciem Jacob*, quasi dicat, id est vitam æternam, quam dicit hæreditatem et speciem et pulchritudinem Jacob, id est posterioris populi, quam pulchritudinem vel quem Jacob dilexit. Cœlestis hæreditas pulchritudo est Christiani populi, in qua speciosus erit fulgens sicut sol. Dicitur similitudo rei, secundum quam expositionem potest exponi prædicta auctoritas in persona apostolorum, sic elegit nobis dare hæreditatem multorum populorum, ut colamus eum, gladio prædicationis corda eorum ferientes et malitiam destruentes; quam dicit speciem Jacob, id est similes Jacob, vel significatos per Jacob qui terrena dant pro cœlestibus, ut Jacob fecit qui dedit edulium lentis pro primogenitis Esau.

Specula dicitur locus excelsus in quo locatur aliquis ad speculandum hostes, unde in Isaia : *Pone mensam, contemplare in specula*. Dicitur Ecclesia, unde Isaias : *Super speculam Domini ego sum sanctus*. Dicitur speculatio, unde : *Statue tibi speculam*, id est dirige cor tuum in viam directam.

Speculum dicitur superbia vel delectatio mundana, unde Isaias : *In die illa auferet Dominus acus et speculum*. Dicitur etiam sacra Scriptura, unde Apostolus : *Si quis auditor est verbi, et non factor, hujusmodi comparabitur*, etc., id est in speculo. Aliquis enim considerat in Scripturis, quasi in speculo, vultum nativitatis suæ, qualiter sit homo natus, quam fragilis et quid futurus, in quantis miseriis positus ; et inde magnam compunctionem contrahit, et statim, aliqua tentatione ingruente, obliviscitur, et a pœnitentia recedit. Dicitur Filius Dei, quia in Filio resultat Patris imago, ut in libro Sapientiæ qui Ecclesiasticus dicitur. Dicitur ænigmatica cognitio, unde Apostolus : *Nunc videmus per speculum in ænigmate;* videre per speculum et in ænigmate est per visibilia quasi per quasdam imagines comprehendere Deum.

Spelunca proprie. Dicitur Ecclesia, unde in Evangelio : *Domus mea domus orationis vocabitur*, etc., *speluncam latronum*. Dicitur fides passionis Christi, unde Isaias : *Et elevabitur Dominus in die illa, et idola penitus conterentur et introibunt in speluncas petrarum*. Dicitur spes terrenorum, unde sic potest exponi prædicta auctoritas : *Et introibunt in speluncas petrarum et in voragines terræ*, id est abscondent se a cognitione Dei in amore terrenorum, vel ponent spem in meritis sanctorum.

Spes proprie quod speratur, unde Paulus : *Spes autem non confundit*. Dicitur Deus, unde David : *Spes mea ab uberibus matris meæ*. Dicitur certitudo, unde Psalmista : *Caro mea requiescet in spe*, etc.

Sphæra, proprie. Dicitur Jerusalem secundum quod in circuitu circumdata fuit hostibus ; unde Isaias : *Et circumdabo quasi sphæram in circuitu tuo*.

Spica proprie. Dicitur modicum, unde Isaias : *Et brachium ejus spicas leget*. Dicitur profectus boni operis, unde in Evangelio : *Sic est regnum Dei quemadmodum si jaciat homo semen in terram, et dormiat et exsurgat nocte ac die, et semen germinet et increscat, dum nescit ille; ultro enim terra fructificat, primum herbam, deinde spicam, deinde plenum frumentum in spica*. Semen enim homo jactat in terram, cum cordi suo bonam intentionem inserit; et postquam semen jactaverit, dormit, quia in spe boni operis quiescit; nocte vero assurgit ac die, quia inter adversa et prospera proficit; et semen germinat et crescit dum nescit ille, quia adhuc metiri sua incrementa non valet; sed concepta ad profectum producitur, et ultro terra fructificat, quia, præveniente gratia, mens hominis spontanee ad profectum boni operis assurgit; secundum hoc eadem terra primo fructificat herbam, deinde spicam, deinde plenum frumentum producit in spica ; herbam producere est inchoationis bonæ adhuc certitudinem habere ; in spica vero herba pervenit cum se virtus animo concepta ad profectum boni operis pertrahit; plenum vero frumentum in spica fructificat quando jam in tantum virtus proficit ut esse robusti et perfecti operis possit. Aliquando spica dicitur sancti Spiritus sententia, sicut de hæreticis per Job dicitur : *Nudis et incedentibus absque vestitu et esurientibus tulerunt spicas ;* tollunt, quia sive quidam otiosi sint et in nullis se bonis exerceant, sive per iter imprudentiæ absque velamine boni operis pergant, etiamsi quando jam ad pœnitentiam redire cupiunt et verbi pabulum concupiscunt, eis esurientibus spicas tollunt, quia in eorum mente perniciosis persuasionibus Patrum sententias destruunt.

Spina proprie. Dicitur etiam punctio ultionis, unde Job : *Pro frumento oriatur mihi tribulus et pro hordeo spina*, require supra de frumento. Dicuntur divitiæ quæ pungunt per sollicitudinem, unde Dominus : *Aliud cecidit inter spinas et suffocatum est*. Dicitur peccator, unde in Cant. : *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias*, etc., quia sicut (69) quanto magis spina pungit lilium, tanto majorem emittit odorem; sic etiam quanto magis vexatur a malis, tanto majorem virtutum emittit odorem. Dicitur etiam peccatum, unde David : *Conversus sum in ærumna mea, dum configitur spina*, id est quia peccatum configitur, id est usque ad consensum et opus et consuetudinem ducunt. Dicitur ratio, unde secundum aliam litteram ; *Dominus configitur spina*, id est ratio fracta ad terrena curvatur, quæ sursum erigi debet sicut spina dorsi hominem erigit. Dicitur superbia, unde sic exponi potest prædicta auctoritas : *Dum configitur spina*, id est superbia quæ fracta est, non erigit ad interitum sed ad salutem. Dicitur conscientia, unde sic potest exponi : *Dum configitur spina*, id est compuncta est conscientia. Tunc enim sensi dolorem et inveni meam infirmitatem. Dicitur pœna æterna, unde : *Priusquam produceret spinas ramus*, id est voluptas tormenta. Dicitur tentationis aculeus, unde propheta : *Si super humum populi mei spinæ et vepres ascendent;* humus populi Dei mens sanctorum dicitur, super quam aliquando ascendunt spinæ et vepres, quia aliquando et eam vitia opprimunt.

Spiraculum dicitur instrumentum inspirandi. Dicitur etiam anima, unde in Genes. : *Et inspiravit in faciem spiritum vitæ*. Dicitur Spiritus sanctus, unde secundum quosdam in prædicta auctoritate sumitur spiraculum in designationem Spiritus sancti. Dicitur cessatio persecutionis diaboli, qui per se vel per suos homines persequitur ; unde Job : *Corpus illius quasi scuta fusilia et compactum squamis se prementibus, una uni conjungitur; et ne spiraculum quidem incedit per eas;* corpus diaboli sunt mali, quæ dicuntur fusilia scuta, quia eos ad malum instruit et per eos a bonis factis se defendit; et dicuntur compactæ squamæ, quia omnes consentiunt in malo et sibi invicem copulantur diaboli persecutione, ita quod nunquam cessat ejus persecutio, vel prava suggestio. Et hoc est quod dicit Job : *Nec spiraculum incedit per eas*.

Spirare proprie. Dicitur etiam *inspirare*, unde Job : *Spiritus ubi vult spirat et vocem ejus audis*.

Spiritus, ille animalis spiritus qui tam bruti animalis corpus quam hominis vegetat; unde sanctus Gregorius distinguit inter duos spiritus hominis : animalem qui cum corpore desinit esse, et rationalem qui post corporis dissolutionem superstes est et immortalis; unde in Evangelio de Christo dicitur quod, *inclinato capite, emisit spiritum*. Dicitur angelus etiam in eadem significatione. Spiritus dicitur etiam vita, quia spiritus est causa vitæ, unde Job : *Spiritus meus attenuabitur, dies mei breviabuntur*. Et in Isaia : *Cavete ab homine cujus spiritus in naribus ejus*. Dicitur ratio, unde Apostolus : *Caro pugnat adversus spiritum*. Dicitur spiritualis intelligentia, unde in Evangelio : *Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quidquam*, id est spiritualis intelligentia, et in Apostolo : *Littera occidit, spiritus autem vivificat*. Dici-

(69) Deest hic aliquid, nam quæ sequuntur ad peccatorem referri non possunt.

tur aliquis spiritualis, unde ab Apostolo evangelica lex dicitur spiritus, id est spiritualis; et in Psalmo : *Qui facit angelos suos spiritus*, quia Christus facit prædicatores suos spiritus, id est spirituales. Dicitur divina inspiratio, unde dicitur de Simeone in Luca quod ierat in spiritu in templum, id est divina inspiratione ductus. Dicitur spiritualis intentio, unde Joannes : *Venit hora et nunc est quando viri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate*, id est spirituali intentione et pro veris et æternis. Dicitur homo, unde propheta David ait quod *homo est spiritus vadens et non rediens*. Dicitur Deus, unde Joannes : *Spiritus est Deus*. Dicitur ira, unde David : *In spiritu vehementi conteres naves Tharsis;* hoc exponitur in Herode qui rediens a Roma et inveniens naves in Tharsis per quas transierant magi in vehementi ira combussit eas. Dicitur superbia, unde in Evangelio : *Beati pauperes spiritu et beati qui immunes sunt a superbia*, id est humiles. Dicitur ventus, unde in Genes. : *Recordatus est Deus Noe*, etc., *adduxit spiritum super terram et diminutæ sunt aquæ*. Dicitur quæstio rationalis, quæ oritur ex ratione hominis; unde legitur quod regina Saba, cui Salomon solvit omnes quæstiones, non habebat ultra spiritum, id est quæstionem quam posset ei proponere. Dicitur Spiritus sanctus, unde in Evangelio : *Ductus est Jesus in desertum a spiritu*. Dicitur donum collatum a Spiritu sancto; unde Isaias : *Et requiescet super eum spiritus sapientiæ*, id est donum sapientiæ collatum a Spiritu. Dicitur mortale peccatum a spiritu maligno suggestum; unde in Evangelio legitur de diabolo quod *assumit septem alios*, id est septem mortalia peccata.

Spoliare proprie. Notat *liberare*, unde in Canticis : *Spoliaverunt me tunica mea*. Tunica dicuntur temporalia, seu amor temporalium a quo sancti prædicatores liberant fidelem populum. Notat *impedire* ne aliquis habeat id ad quod habendum paratus est, unde legitur in Evangelio quod latrones, id est dæmones, hominem descendentem ab Jerusalem in Jericho, quasi Adam a statu innocentiæ in statum culpæ, spoliaverunt gratuitis, id est impedierunt per peccatum ne haberet gratuita ad quæ habenda paratus erat.

Spolium proprie. Dicitur conventus fidelium per Christum a potestate dæmonis liberatus ; unde David : *Speciei domus dividere spolia*, unde in benedictionibus Jacob, gratia Pauli, qui descendit de *Benjamin lupus rapax*, *mane comedens prædam*, *et vespere dividens spolia*, quia per prædicationem Pauli multis spoliatus est diabolus, dicuntur illi quibus diabolus spoliavit Ecclesiam; unde dicitur : *Væ Assur, virga furoris mei.., ad gentem fallacem mittam eum, et contra populum furoris mei mandabo illi, ut auferat spolia*, *et diripiat prædam*. Dicitur sacra Scriptura quæ Judæis a Christianis est sublata, unde David : *Lætabor ego super eloquia tua*, *sicut qui invenit spolia multa*.

Sponsa idem est quod uxor. Dicitur Ecclesia, un-
A de in Cant. : *Soror mea sponsa*. Et alibi : *Tanquam sponsa ornavit*. Fidelis anima etiam in sacra Scriptura dicitur frequenter sponsa Christi.

Sporta dicitur vas quod contexitur ex palma et junco, unde in Evangelio quod discipuli *sustulerunt septem sportas*. Dicitur bursa, unde in lib. Regum ait Saul : *Panis deficit in sitarciis nostris et sportulam non habemus*, id est aliquid in sportula vel in bursa.

Spurius dicitur filius meretricis propter immunditiam generationis, unde solet fieri distinctio in spurium, hybridam, manserem et nothum. Hybrida dicitur qui nascitur ex ignobili matre. Nothus qui de adulterio nascitur, de quo ignoratur cujus filius sit sicut dicitur notha fabri vel nomen nothum. Dicitur surculus a radice inferiori post incisionem, qui
B quodammodo adulteri nullius est et præter rationem surculi natus, unde legitur in libro Sapientiæ : *Spuria vitulamina non dabunt altas radices*. Ramus prædictus vitulamen dicitur propter novam propaginem, et spurium, quia natus præter rationabilem vel artificialem trunci vel surculi conjunctionem. Prava etiam cogitatio et adulterina spurium vitulamen dicitur, unde prædicta auctoritas sic potest exponi : *Spuria vitulamina*, id est pravæ cogitationes non facient fructus utiles.

Stabulum proprie. Dicitur Ecclesia, ubi reficiuntur animalia Christi, id est fideles ; unde in Evangelio : *Et imponens vulneratum in jumentum duxit in stabulum*, quia hominem duxit Christus in Ec-
C clesiam, et stabulario, id est prælato, commisit. Dicitur mundus, in quo sunt voluptates velut fimus, unde Cassiodorus doctor : *Miscet amara Deus*, ne in via amemus stabulum pro domo.

Stadium proprie dicitur spatium illud in quo aliqui currunt, ut consequantur bravium, id est cursus præmium. Dicitur status vitæ præsentis in quo ita debemus per bonam operationem currere, ut comprehendamus bravium æternæ beatitudinis, unde Paulus : *In studio quidem currunt, sed unus accipit bravium*, etc.

Stagnum proprie dicitur metallum. Dicitur lacus aquæ, scilicet immobilis. Dicitur aqua baptismi, unde David : *Qui convertit petram in stagna aquarum*, id est dura corda Judæorum ad aquam ba-
D ptismi. Dicitur fluentum doctrinæ, unde sic potest exponi prædicta auctoritas : Christus fuit quasi petra et rupes antequam fidelibus aperiret sacram Scripturam, sed postquam aperuit discipulis suis sensum, ut intelligerent Scripturas, versus est in stagna aquarum. Dicitur simulator sanctitatis, secundum quod stagnum dicitur metallum, unde in Ezechiele Dominus exprobrat Israelitico populo, dicens : *Versa est mihi Israel in scoriam, æs et stagnum, ferrum et plumbum in medio fornacis*, quasi dicat : Purgare illos per ignem tribulationis volui, et argentum vel aurum illos fieri volui aut quæsivi; sed in fornace mihi in æs, stagnum, ferrum et plumbum sunt versi, quia non ad virtutem, sed ad vitia in tribulatione prorumpunt. Æs dum percutitur am-

plius cæteris metallis sonitum reddit. Qui ergo in persecutione positus erumpit ad sonitum murmurationis, in æs versus in medio fornacis. Stagnum vero cum ex arte componitur argenti speciem mentitur. Qui ergo simulationis vitio non caret in tribulatione, stagnum factus est in fornace.

Stare proprie. Notat ad cœlestia erigi, unde Paulus : *Qui stat videat ne cadat.* Notat auxilium ferre, unde Stephanus : *Video cœlos apertos et Jesum stantem.* Notat ulterius non crescere vel abundare, unde legitur in lib. Regum : *Stetique oleum;* constantem esse, unde in lib. Sapientiæ : *Stabunt justi in magna constantia.*

Statera, instrumentum in quo librantur pondera. Dicitur prava persuasio diaboli, unde Joannes : *Et qui sedebat super eum habebat stateram in manu sua.* Statera itaque diaboli est prava persuasio ejus quæ promittit terrena ut auferat cœlestia. Dicitur crux Christi in qua ponderatum est pretium nostræ redemptionis, id est corpus Christi, unde in hymno, *statera facta est corporis.* Dicitur judicium quo merita ponderantur sicut in statera librantur pondera, unde Job : *Utinam appenderentur peccata et calamitas quam patior in statera.* Dicitur etiam justitia, unde David : *Mendaces filii hominum in stateris*, id est in libra justitiæ.

Statura proprie, unde Dominus : *Quis autem vestrum cogitans potest adjicere in staturam suam cubitum unum?* Dicitur status Ecclesiæ, unde : *Statura tua assimilata est palmæ*, quia Ecclesia ad superiora per spem erigitur, virtutibus sublimatur, profert dulcedinem bonorum operum, assequitur de multiplici hoste triumphum.

Stella, proprie. Dicitur Christus, unde Joannes : *Et dabo eis stellam matutinam.* Et alibi, propheta Balaam : *Orietur stella ex Jacob.* Proprie Lucifer dicitur stella matutina, quæ est nuntia lucis et tenebras repellit. Translative vero Christus dicitur stella matutina, quia repellit infidelitatis nubila. Dicitur virgo Maria gloriosa, unde Hebraice dicitur Maria, quasi *stella maris*, unde in hymno :

Ave, maris stella.

Dicitur donum Spiritus sancti, unde in Apoc. : *Qui habet septem spiritus Dei et septem stellas*, et Christus qui habet Spiritum sanctum et septem dona Spiritus sancti. Dicitur sanctus, quia sicut *stella differt a stella in claritate*, ita sanctus a sancto in præmii dignitate; unde David : *Videbo cœlos tuos, opera digitorum tuorum, lunam et stellas.* Per lunam Ecclesia, per stellas sancti figurantur. Et alibi David : *Qui numerat multitudinem stellarum.* Et alibi Job : *Obscurentur stellæ caligine ejus.* Dicitur hypocrita qui fingit se justum, unde Joannes : *Ceciderunt stellæ cœli in terram*, id est hypocritæ qui putantur esse justi et fingunt se esse justos, deciderunt in amorem terrenorum. Et alibi Joannes : *Draco*, id est diabolus, *cauda sua*, id est mediante Antichristo, *trahet secum tertiam partem stellarum*, quia per Antichristum multi qui videbuntur sancti labentur in peccatum. Dicitur apostolus : *Vidi amictam sole et luna sub pedibus ejus et in manu ejus stellæ duodecim.* Dicitur diabolus qui primo dictus est Lucifer, quoniam in bono statu creatus fuit; et tunc similiter stella dici potuit, sed per superbiam cecidit et factus est diabolus, unde in Apoc. : *Et cecidit tertius angelus et cecidit de cœlo stella magna ardens quasi facula.*

Stercus proprie. Dicuntur cerimonialia legis quæ projicienda sunt tanquam stercora; unde Salomon : *Piger lapidabitur stercore bovis*, hoc superius expositum est. Dicitur carnalis voluptas, unde David : *Suscitans a terrra inopem et de stercore erigens pauperem.* Dicitur bonum temporale, unde Jer. : *Qui amplexantur stercora pro croceis.* Dicitur doctrina auditoris fecundans mentem, unde in Evangelio dicitur de patrefamilias qui præcepit ficum succidi; et dictum est ei : *Sine et hoc anno ut fodiam eam et apponam stercora;* hic per ficum Synagoga figuratur quæ fossa est per prædicatores et a carnalibus observantiis separata et spiritualibus doctrinis instructa. Dicitur fetor luxuriæ, unde propheta : *Computruerunt jumenta in stercore suo.* Jumenta quippe in stercore suo computrescere est carnales quosque in fetore luxuriæ vitam finire. Dicitur domuncula in qua habitat custos vineæ vel horti et hujusmodi.

Sterilis dicitur infecunda. Dicitur aliqua a bono opere aliena, unde Isaias : *Lætare, sterilis quæ non paris*, id est, gentilitas quæ modo sterilis es a bono opere, quoniam non paris spirituales filios, lætare, quia tempore eo plures erunt spirituales filii desertæ, id est gentilitatis prius a Deo derelictæ quam ejus, quæ habet virum, id est Synagogæ quæ observabat unius Dei cultum. Dicitur a pravo opere aliena, unde David : *Qui habitare facit sterilem in domo.*

Stertire proprie stramentum equo imponere vel asino, unde : *Abraham stravit asinum suum.*

Stillicidium proprie. Dicitur luxuria, unde Salomon : *Tria sunt quæ ejiciunt hominem de domo : fumus, stillicidium*, luxuria, *mala uxor*, mala caro nostra. Dicitur prædicatio; unde : *Descendit sicut pluvia in vellus, et sicut stillicidia stillantia super terram;* tunc stillicidia stillant super terram quando divina prædicatio fecundat terrenorum corda ad gratiam.

Stipula, proprie. Dicitur aridus ab humore gratiæ qui circumfertur omni vento doctrinæ, unde Job dicit : *Contra folium quod vento rapitur*, etc., *stipulam sic persequeris.* Dicitur minimum veniale peccatum, unde Apostolus ait quod quidam *super fundamentum ædificant lignum, fenum, stipulam;* lignum significat majus veniale, fenum minus, stipula minimum. Dicitur spica quæ remanet post messem in qua significatione hoc nomen reperitur in legibus. Dicitur etiam sanctus qui vilipenditur a diabolo, unde de Behemoth dicitur quod reputabit malleum quasi stipulam.

Stirps proprie. Dicitur etiam Nabuchodonosor, unde Isaias : *Tu projectus es de sepulcro tuo quasi stirps inutilis*. Tradunt Hebræi quod, mortuo Nabuchodonosor, Evulmeradach filius suus timens ne resurgeret qui prius redierat in pristinum statum, ad consilium Joachi corpus patris sui extraxit de terra et dividens in trecentas partes dedit vulturibus. Dicitur ille qui est origo generis, unde legitur quod beata virgo Maria descendit ex stirpe David, juxta illud *stirps Jesse*, etc.

Stola est vestis talaris dicta a *telon* quod est *longum*, unde in Gen. legitur quod Joseph dedit Benjamini fratri suo uterino quinque stolas. Dicitur status innocentiæ quem recipit baptizatus per gratiam baptismi, unde puer baptizatus induitur chrismali stola facta ex panno lineo et candido, consuta filo rubeo; per vestem candidam figuratur candor innocentiæ, per filum rubeum insinuatur quod baptismus efficaciam habet exponi passione; vel per hoc innuitur quod baptizatus debet esse paratus ad effundendum sanguinem pro Christo, unde in Evangelio quod paterfamilias congaudens filio prodigo revertenti ad se, ait : *Proferte stolam primam;* per patremfamiliam intelligitur Deus Pater; per filium prodigum gentilis populus, qui abiit in regionem dissimilitudinis per peccatum, consequenter per fidem rediit ad Deum, et ei per baptismum data est prima stola, id est innocentiæ status. Dicitur corpus quod est quasi animæ vestimentum, unde legitur de martyribus quod *laverunt stolas suas in sanguine Agni*, id est mundaverunt corpora sua per martyrium imitando Christum. Dicitur glorificatio animæ post mortem; unde legitur in lib. Sapientiæ de secundo judicio quod *stola gloriæ induit eum* Dominus. Dicitur glorificatio corporis, unde legitur quod in resurrectione sancti induentur duplici stola, id est glorificatione corporis et animæ, ad quam stolam corporis significandam angelus in resurrectione Christi apparuit in stola candida.

Stragulum est vestis vario colore distincta vel vestis dupliciter, unde legitur in lib. Regum quod Asabel *tulit stragulum, infudit aquam et expandit super faciem* Benadad ægrotantis, etc. Dicitur bonum opus Ecclesiæ charitate firmatum, unde legitur in Proverbiis : *Stragulatam vestem sibi fecit*, id est bonis operibus se ornavit.

Stratum proprie. Dicitur lectus cui apponitur vestium cumulus. Dicitur sensualitas, unde David : *Lacrymis meis stratum meum rigabo*, id est amaritudine pœnitentiæ sensualitatem irrigabo, id est fertilem faciam quæ prius erat arida a bonis operibus. Dicitur cumulus peccatorum, quia in strata solet exponi vestimentorum cumulus; per stratum figuratur multitudo peccatorum, unde sic exponi potest prædicta auctoritas : *Lacrymis meis stratum meum rigabo*, id est lacrymis dissolvam cumulum peccatorum. Dicitur caro propria, unde David *Si ascendero in lectum strati mei*, id est si acquievero carni, quasi dicat : Non acquiescam; ideo dicit *ascendere*, quia res privata superbos facit. Dicitur dextera Dei Patris, unde sic potest exponi præfata auctoritas ut sint verba Christi qui dicat : Intravit David, id est Christus dicens : *Si introiero in tabernaculum domus meæ*, scilicet cœlestis habitationis; tabernaculum enim est cœlestis habitatio, et *si ascendero in lectum strati mei*, id est ad dexteram Patris ubi est requies, id est finis laborum donec Ecclesia sancta prædicatione fulta sit; aposiopesis est, quasi dicat : Non amplius non credatur mihi. Dicitur humana natura, unde David : *Universum stratum ejus versasti in infirmitate ejus*, id est totam humanam naturam exposuisti miseriæ. Dicitur mundana felicitas, unde sic exponi potest prædicta auctoritas : *Universum stratum ejus versasti in infirmitate ejus*, id est hominis mundanam felicitatem provide convertisti in angustias ejus. Dicitur etiam aliquid terrenum bonum quod infirmus tenet, bonus sibi eligit in quo pauset, unde uxor bona cum laborem mentis in Deum non posset tollere (70); sed Deus volens nos non habere amorem nisi æternæ vitæ, delectationibus miscet amara et vertit in infirmitatem nostram.

Strophæa dicitur conversio, inde dicuntur insulæ quæ natant et convertuntur. Dicitur nova intentio, unde in hymno sancti Nicolai : *O nova Jacob strophæa, contra diabolum, contra luxuriam dedit filiabus tria poma aurea, quarum pater eas præ inopia volebat exponere meretricio.*

Struthio proprie. Dicitur hypocrita, unde Job : *Penna struthionis est similis pennæ herodii et accipitris*, hoc superius expositum est. Dicitur Ecclesia a fidelibus deserta, unde dicitur quod Ecclesia est quasi struthio in deserto. Dicitur Synagoga, quæ alas legis habet, sed corde in infimis repens nunquam se ad alta sublevat. Per herodium vero et accipitrem antiqui Patres exprimuntur, quia ad ea quæ intelligenda erant prospicere valuerunt. Penna vero struthionis est similis pennæ herodii et accipitris, quia Synagogæ vox priorum doctrinam loquendo tenuit, sed vivendo nescivit; unde ad hanc expositionem potest referri prædicta auctoritas. Dicitur gentilitas, unde Dominus ait per prophetam : *Glorificavit me bestia, agri dracones et struthiones* : Bestiæ namque agri, dracones et struthiones Deum glorificant, cum gentiles per fidem Deum exaltant, quos et propter malitiam draconum exprobrat et propter hypocrisim vocabulo struthionum notat. Dicitur ipsa hypocrisis, unde Isaias : *Erit cubile draconum et pascua struthionum*, per dracones malitia, et per struthiones hypocrisis designatur; struthio speciem volandi habet, sed non usum, quia hypocrisis cunctis intuentibus imaginem de se sanctitatis insinuat, sed tenere vitam

(70) Locus corruptus.

sanctitatis ignorat. In perversa mente draco cubat et struthio pascitur, quia et latens malitia callide tegitur, et intuentium oculis simulatio sanctitatis antefertur.

Stylus, proprie. Dicitur modus loquendi, unde secundum auctores distinguuntur tres styli, scilicet humilis, mediocris et altilogus. Dicitur ordinatio sive dispositio, unde Job : *Quis mihi det ut exarentur in libro stylo ferreo*, id est dispositione immutabili; et alibi legitur quod peccatum Judæ scriptum est stylo ferreo. Et in Martiano legitur quod patriarchæ scribebant stylo adamantino.

Sub præpositio aliquando adjungitur accusativo, aliquando ablativo quando actio adjungitur. Notat locum. Notat etiam protectionem, unde Dominus : *Jerusalem, Jerusalem, quoties volui congregare*, etc., *sub alas et noluisti*. Quandoque adjungitur ablativo et similiter notat locum, unde dicitur omnia quæ sub ipso erant replebant templum ; similiter notat protectionem, unde David : *Sub umbra alarum tuarum*. Aliquando subjectionem, unde Psalmista : *Omnia subjecisti*. Eisdem modis sumitur *subtus* vel *subter*.

Subducere notat *supponere*, unde : *Et nos quandoque manum ferulæ subduximus*. Notat *trahere* vel *ducere*, unde in Evangelio : *Subductis ad terram navibus*.

Subire, proprie. Notat *supponere*, unde legitur in Mach. : Et Eleazarus subiit elephantem, id est sub elephante se supposuit. Notat in mentem venire, unde solet dici : *Subiit hoc animum meum*. Notat *sustinere*, unde solet dici : *Iste subiit hoc magnum opus*.

Subjicere notat *supponere*, unde David : *Omnia subjecisti sub pedibus ejus*. Notat *respondere*, unde : *Subjicit Phebia Mancho*. Pronomen est apud dialecticos etiam res de qua fit sermo in locutione. Dicitur subjici locutioni vel prædicato, unde et subjectum dicitur.

Sublime dicitur superbum, unde in Proverbiis : *Sublimium colla propria virtute calcavi*, et in lib. Reg. : *Nolite multiplicare loqui sublimia, gloriantes*. Dicitur celsitudo æternæ beatitudinis, unde in Canone missæ legitur : *Jube hæc perferri per manus sancti angeli tui in sublime altare tuum*.

Subsannare notat *deridere*. Notat Judæos per mundum dispergere, unde in Psalmo : *Qui habitat in cœlis irridebit eos, Dominus subsannabit eos*. Irrisit Christus Judæos quando, positis custodibus, surrexit. Subsannavit quando per mundum sunt dispersi. Solet autem fieri irrisio bucca quasi sinna. Subsannamus naso, rugando nasum, quia sanna ruga dicitur, et minus irrisio quam subsannatio.

Subsellia dicuntur sedes, unde Juvenalis de Statio loquens, ad cujus libri recitationem multi Romani convenerant, ita ut sedes videretur frangi ait :

..... *Fregit subsellia versu*

quasi dicat : Tot conveniunt ad audiendum versus Statii quod sedes in quibus sedebant Romani frangebantur vel frangi videbantur. Dicitur ordo angelicus qui dicitur throni, unde in sequentia : *Ad celebres rex cœlice dominantia numina divinaque subsellia*.

Substantia, proprie, dicitur res existens ab aliis rebus propria qualitate distincta, unde in lib. *Prædicamentorum : Prima substantia est quæ proprie et principaliter dicitur substantia*, et secundum hunc sermonem æquipollet huic nomini hypostasis, et secundum hoc transfertur cum divina, ut aliqua persona in divinis dicatur substantia vel hypostasis, secundum quod Hieronymus tres personas vocat tres hypostases sive tres substantias. Transumitur ad substantialem proprietatem sive substantialem naturam, unde Boetius ait quod hominem ingredi substantiam est ipsum ingredi speciem specialissimam. Idem etiam ait. Speciem esse substantiam suorum individuorum, et secundum hanc significationem æquipollet huic nomini usiosis, unde substantiales differentias reponendas esse inter usiones, id est inter substantiales proprietates. Transumitur hoc nomen substantia ad significandum hoc genus generalissimum prædicamenti, unde Porphyrius : Substantia est quiddam et ipsa est genus, et secundum hoc æquipollet huic nomini *usia*, propter quod transfertur ad significandum communem naturam trium personarum ut divinitas dicitur *usia* sive *substantia;* unde Christus dicitur gigas geminæ substantiæ et tres personæ dicuntur esse unius substantiæ homousion et non homohypostasion, id est unius substantiæ, non unius personæ. Dicitur possessio, unde in Evangelio introducitur filius prodigus loquens ad patrem in hunc modum : *Da mihi portionem substantiæ quæ mihi contingit*, id est possessionem vel hæreditatem. Dicitur fides, unde Apostolus : *Fides est substantia sperandarum rerum, argumentum non apparentium*, id est illud per quod speranda subsistunt in nobis. Dicitur virtus evadendi passionem, unde Christus : *Infixus sum in limo profundi*, id est profunda infirmitas humanæ naturæ, *et non est substantia*, id est in me non est virtus carnis ad evadendum passionem. Dicitur stabilitas, unde sic potest exponi prædicta auctoritas : *Non est mihi substantia*, id est stabilitas vitæ.

Sudarium, proprie. Dicitur intelligentia vel amor terrenorum, unde in Evangelio legitur de nequam servo qui abscondit pecuniam domini sui in sudario. Ille pecuniam domini sui abscondit in sudario qui negligenter prædicat verbum Dei vel amore terrenorum tacet. Dicitur etiam pannus, quo mediante, sudor faciei abstergitur.

Sudor, proprie. Dicitur labor quia ex labore provenit sudor, unde in Gen. : *In sudore vultus*, id est vesceris pane, id est dixit Deus Pater ad Adam.

Sufferre notat *pati*, unde Jac. : *Beatus vir qui suffert tentationem*. Notat *auferre*, unde Maria Magdalena Christum putans hortulanum ait : *Domine, si sustulisti eum, dicito mihi*. Notat *implere*, unde legitur quod discipuli Christi de fragmentis quæ remanserant sustulerunt duodecim cophinos ; potest tamen ibi poni *sufferre* pro *deferre*.

Suggilare notat *strangulare* et dicitur ex *sub* et *gula*, quasi sub gula manum ponere. Beda tamen dicit quod hoc verbum *suggilare* descendit ab hoc verbo *sugo, gis*, et est tractum a lamiis quæ sugendo necant parvulos. Dicitur *manifestare*, unde iniquus judex ait de vidua : *Ne veniens suggilet me*, id est infestet.

Sulcus, proprie. Dicitur aliquis bene excultus vomere linguæ, unde Job : *Si adversum me terra clamat et cum ea sulci ejus deflent*. Terra nullis operibus exculta plerumque ad usum hominum aliquod alimentum profert, exarata vero fruges ad satietatem parit. Ita sunt nonnulli qui, nullo exhortationis vomere proscissi, quædam dona, quamvis minima, tamen ex semetipsis proferunt quasi terra nondum arata. Sunt vero nonnulli qui ad audiendum sanctam prædicationem semper intenti sunt, a priori mentis duritia quasi quodam linguæ vomere scissi, semina exhortationis accipiunt et fruges boni operis, per sulcos voluntariæ afflictionis reddunt. Contingit autem ut hi qui præsunt aliquando subjectis noceant qui prodesse debuerant, quod cum rudes quique conspiciunt, commoti contra rectorem murmurant, nec inde proximis varie compatiendo dolent. Cum vero hi qui jam locutionis aratro attriti sunt, et ad fruges boni operis exculti, gravari vel in minimis innocentes aspiciunt, per compassionem protinus ad lamenta vertuntur. Omnis ergo qui præest, si perversa in subditis exerceat, contra hunc et *terra clamat, et sulci deflent*, quia contra ejus injustitiam rudes in murmurationis vocem prorumpunt; sed perfecti pro pravo ejus opere sese in fletibus affligunt.

Sulphur, proprie. Dicitur fetor pravorum operum, unde David : *Pluit super peccatores laqueus ignis et sulphur*. Dicitur infernalis fetor, unde in Daniele legitur quod de fornace egrediebatur ignis et sulphur.

Sum proprie significat rei essentiam, unde et verbum substantivum dicitur, quia institutum est ad servandum substantialem rei naturam, unde dicitur inpracticon, id est sine motu, quia substantialem significat naturam quæ in motu non est. Aliquando significat divinam naturam, unde in Exod. : *Qui est misit me ad vos*. Aliquando immutabilitatem rei, unde Boetius in secundo prologo in Arithmetica : *Sapientia est eorum quæ sunt suique immutabilem substantiam sortiuntur, comprehensio veritatis*, id est proprietates quas in se habet sunt immutabiles; quæ enim mutantur a subjectis habent. Aliquando notat æternam Dei præcognitionem, unde in Evangelio : *Quod factum est in ipso erat*. Aliquando causam materialem, secundum quod dicitur quod omnes sumus in Adam. Aliquando Deo adhærere per gratiam, unde Apostolus : *Qui vocat ea quæ non sunt*, id est peccatores qui Deo non adhærent per gratiam, *tanquam ea quæ sunt*, id est tanquam eos qui adhærent. Notat videri esse, unde sic potest exponi prædicta auctoritas apostoli : *Qui vocat ea quæ non sunt*, id est gentiles qui nihil esse reputabantur, *tanquam ea*

A *quæ sunt*, id est tanquam Judæos qui aliquid videbantur esse. Aliquando notat eventum, unde Boetius : *Fuit quando non fuit tempus*. Aliquando esse sumitur pro pertinere, unde dicitur : *Tuum est hoc facere*, id est ad te pertinet.

Super vel *supra* multipliciter sumitur. Aliquando notat locum, unde in Evangelio : *Statuit eum super pinnaculum templi*. Aliquando notat præeminentiam, unde David : *Desiderabilia super aurum et lapidem pretiosum*. Aliquando ponitur pro *juxta*, unde Psalmista : *Super flumina Babylonis*. Aliquando ponitur pro *præter*, ut si dicamus : *Super prædictos, et alius fecit hoc*, id est præter prædictos. Aliquando ponitur pro *pro*, unde in Evangelio : *Filiæ Israel, nolite flere super me, sed super filios vestros*, id est
B pro vobis. Aliquando pro *apud*, unde Psalmista : *Super inimicos meos factus sum opprobrium et vicinis meis valde*. Aliquando notat oppressionem, unde David : *Pluit super peccatores laqueos*, etc., id est in eorum onus vel oppressionem; et alibi : *Sanguis ejus super nos et super filios nostros*. Aliquando notat materiam, juxta quod solet dici : *Augustinus super Joannem, Hieronymus super Matthæum*, id est Matthæus est materia Hieronymi et Joannes est materia tractatus Augustini. Aliquando adjungitur ablativo et tunc ponitur pro *de* vel pro *pro*, unde David : *Super misericordia tua et veritate tua*, id est de misericordia tua qua impios vertis, id est peccantibus parcis; et de veritate tua qua non ve-
C nientes judicas et bonis promissa præmia restituis. Aliquando hæc dictio *super* vel *supra* ponitur adverbialiter et ponitur pro *valde*, unde poeta :

O mihi sola mei super Astyanactis imago!

id est valde imago; Priscianus tamen dicit ibi esse antecisionem et subtractionem dictionis a composita dictione, ut *super* ponatur pro *superest*. Aliquando ponitur pro *aliter*, unde in Apostolo legitur : *Ne quis infletur præ aliquo supra quam scriptum est*, id est aliter quam scriptum est, et sic ponitur ibi *supra* pro *aliter*. Aliquando notat locum, unde in Evangelio : *Erat autem supra piscina quinque porticus habens*, id est in superiori loco; vel ponitur ibi *super* pro *præter*, ut sit sensus : *Erat autem supra probatica piscina*, id est præter alia lavatoria.
D Erat ibi piscina in qua abluebantur hostiarum membra, unde probatica dicebatur a *probaton* quod *ovis* vel *pecus* interpretatur.

Superare proprie *super esse*, unde Dominus ait. *Colligite quæ superaverunt fragmenta ne pereant*.

Superbia, proprie; unde David : *Superbia eorum qui te oderunt*. Dicuntur divitiæ, unde in Epistola canon. : *Nunc autem exsultatis in superbiis vestris*, id est divitiis.

Supercilium, proprie. Dicitur etiam superbia, quia elevatio supercilii solet significare superbiam, unde Sedulius :

Pone supercilium si te cognoscis amicum,

alibi legitur quod multa sunt apud Judæos de supercilio Pharisæorum. Dicitur summitas rei, unde est

summitas montium solet dici supercilium ; quia, sicut supercilium est in superiori parte corporis, ita sublimitas montis in superiori parte, juxta quod dici solet : *Ista civitas sita*.

Superliminare proprie. Dicitur mentis intentio, unde per Moysen de comestione agni dicitur : *Sument de sanguine agni et ponent super utrumque postem, et in superliminaribus domorum, in quibus comedent illum.* Sanguis quippe ponitur super utrumque postem, quia non solum ore corporis sed etiam ore cordis sanguis Christi hauritur. In utroque poste est positus, quando sacramentum passionis illius cum ore ad redemptionem sumitur, ad imitationem quoque intenta mente cogitatur. Per domos mentes nostras accipimus in quibus per cogitationem inhabitamus; cujuslibet domus superliminare est ipsa intentio quæ prævia actioni. Qui igitur intentionem cogitationis suæ ad imitationem passionis dirigit, in superliminari domus Agni passionem ponit. Vel domus nostræ sunt ipsa corpora, in quibus, dum vivimus, habitamus; et in superliminari domus agni sanguinem ponimus, quia crucem passionis ejus in fronte portamus.

Supplantare est pedem ponendo super planta alterius eum ad terram dejicere. Notat *impedire*, unde David : *Qui cogitant supplantare gressus meos*, etc. Notat *decipere*, unde in Gen. Esau ait de Jacob : *Supplantavit enim me in altera vice*, id est decepit.

Supponere proprie notat unam rem pro alia ponere, unde in Gen. legitur quod Jacob Laban supposuit Liam, id est loco Rachel posuit. Apud grammaticos est rem de qua est sermo aliæ supponi.

Surdus, proprie; non intelligens, unde Isaias : *Et audient in die illa surdi verba libri*, id est prius non intelligentes intelligent sacram Scripturam. Dicitur impediens ne audiat, unde David : *Tanquam aspidis surdæ et obturantis aures suas.* Dicitur fingens se non audire, unde David : *Ego tanquam surdus non audi.*

Surgere notat a somno peccati excitari, unde Paulus : *Scientes quia hora est jam nos de somno surgere.* Notat a mortuis excitari, unde ait Aug. [Evang.] de Christo : *Surrexit, non est hic.* Notat *insurgere*, unde in Evangelio : *Tunc surrexerunt duo falsi testes*, id est insurrexerunt.

Sus, proprie. Dicitur hæreticus; unde Sapientia dicit : *Circulus aureus in naribus suis, mulier pulchra et fatua.* Dicitur peccator, unde in Epist. canon. Petri legitur quod peccator est *quasi sus in volutabro luti;* quia, sicut sus mundam areæ planitiem, campum floridum, prata virentia deserit, luto gaudet, sterquilinio studet, limo deliciatur, paludibus amicatur; sic homo peccator, paradisum æternæ beatitudinis deserens, in lutum luxuriæ se dejicit, in volutabrum gulositatis se dimittit ; et sicut sus paludibus amicatur, sic homo peccator limpidissimum fontem charitatis præterit, in terreno affectu dimittitur, mundanarum divitiarum stercora amplexatur.

Suscipere. Notat sibi *unire*, unde Psalmista : *Tu autem susceptor meus es ;* verba sunt humanæ Christi naturæ quam Filius Dei sibi univit. Notat a mortuis suscitare, unde Christus ait ad Patrem : *Quoniam suscepisti me*, id est a mortuis suscitasti. Notat ad se capere, unde Stephanus dixit : *Domine, suscipe spiritum meum.* Notat *glorificare*, unde David : *Exsurrexi, quoniam Dominus suscepit me*, etc.

Suscitare proprie. Notat *exaltare*, unde Psalmista : *Suscitans a terra inopem.* Notat *inspirare*, unde Dominus in Dan. : *Suscitavit spiritum pueri junioris, cui nomen Daniel :* Notat etiam a mortuis excitare, unde Deus Pater dicitur Filium suscitasse a mortuis.

Sustinere, proprie ; *exspectare;* unde in Psalmista : *Sustinui te tota die*; et alibi : *Sustine te paululum.* Notat in necessariis providere, juxta quod solet dici : *Iste sustinet illum.*

Susurrium dicitur murmur. Dicitur detractio, unde in Paulo susurrones dicuntur detractores. Dicitur occulta Dei inspiratio, unde propheta : *Suscepit auris mea venas susurri ejus.*

Sycomorus est arbor similis ficui, unde sycomorus quasi ficus fatua, quia similis est ficui non in fructibus sed in foliis, unde legitur de Zachæo quod *ascendit arborem sycomorum.* Dicitur etiam fragilis, unde Isaias : *Sycomoros succiderunt, sed cedros immutabimus.*

Symbolum, signum, unde Dionysius in *Hierarchia*, similitudines quæ transferuntur a terrenis ad cœlestia vocat symbolicas. Dicitur sacramentum, unde Augustinus super illum locum : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto*, vocat symbolum. Dicitur collatio in qua simul plures portiones ad convivandum ponuntur, et dicitur symbolum a *sin* quod est *simul*, et *bolus, boli*, quod est *portio*, quoniam unusquisque ponit ibi portionem suam. Dicitur sermo in quo continentur diversi fidei articuli, unde dicitur : *Nicænum symbolum vel apostolicum.*

Synodus dicitur conventus fidelium ad aliud novum statuendum vel innovandum vel derogandum vel abrogandum, unde Nicæna synodus dicitur. Dicitur conjunctio aliarum rerum, unde : *Luna directe supposita soli, sol et luna in eadem synodo conjuncti.*

T

Tabernaculum, proprie; præsens Ecclesia, unde in Psalmista : *Quis habitat in tabernaculo tuo?* Tabernaculum fit ad tempus non ad permanendum; tabernaculum militantium ; vel peregrinantium est tabernaculum variis turbinibus exponitur et procellis; unde eleganter tabernaculum Ecclesia militans fi-

guratur, quæ non habet hic manentem civitatem, quæ contra visibiles et invisibiles hostes militat, quæ variis procellis tentationum et tribulationum exponitur. Dicitur Ecclesia triumphans vel beatitudo æterna, unde Dominus: *Facite vobis amicos de mammona*, etc., *recipiant vos in æterna tabernacula*. Dicitur humana Christi natura, quæ eisdem rationibus dicitur tabernaculum quibus et præsens Ecclesia, unde David: *In sole posuit tabernaculum suum*. Dicitur conventus malorum, unde in Cant.: *Nigra sum, sicut tabernacula Cedar*. Dicitur corpus humanum, unde: *Certum sum quod velox est depositio tabernaculi mei*. Dicitur Synagoga, unde David: *Diligit Deus portas Sion super omnia tabernacula Jacob*, id est Ecclesiam super Synagogam. Dicitur habitaculum mentis, unde Job in persona Ecclesiæ: *Quis mihi tribuat ut sim sicut fui in diebus adolescentiæ meæ, quando secreto Deus erat in tabernaculo meo*. Parvula fuit Ecclesia tempore Abel, adulta vero tempore gratiæ, quando multos generavit in fide; ut ergo Ecclesia demonstret quantum intus proficeret tempore gratiæ, ait: *Quando secreto Deus erat in tabernaculo meo*, id est in mentis meæ habitaculo. Dicitur cognitio, unde: *Ignis consumit tabernacula eorum qui munera libenter accipiunt*. Sicut enim corpus in tabernaculo, sic mens habitat in cogitatione; sed ignis tabernacula devorat, cum æstus avaritiæ cogitationes devastat. Dicitur ædificatio terrenæ felicitatis, unde Job: *Tabernaculum impiorum non subsistet*. Tabernaculum construitur ut ab æstu corpus et frigore defendatur. Tabernaculum enim terrenæ felicitatis ædificationem significat, ad quam multiplicandam reprobi laborant, ut se a præsentis vitæ necessitatibus quasi ab æstu et imbribus defendant, sed talis ædificatio peribit.

Tabes proprie. Dicitur peccatum, unde legitur quod Adam tabe peccati totum genus humanum infecit, etc.

Tabescere notat *putrescere*. Notat *condolere*, unde in Psalmo: *Tabescere me fecit zelus meus*. Notat etiam siccari ab humore virtutum et cognitionis divinæ, unde Psalmista: *Tabescere fecisti sicut araneam*.

Tabula proprie. Dicitur etiam cor humanum, unde dicitur quod Vetus Testamentum scriptum fuit in tabulis lapideis, Novum in tabulis cordis. Dicitur pœnitentia, de qua dicitur quod est secunda tabula post naufragium; per naufragium intelligitur peccatum primum, ergo naufragium originale peccatum, in quo naufragatur parvulus, post quod quasi prima tabula occurrit baptismus. Et hoc est dictum per quamdam similitudinem. Frequenter naufragus, fracta nave, adhæret tabulæ navis et sic evadit; sic homo per baptismum originalis peccati naufragium [evadens], sequitur aliud naufragium per actuale peccatum, in quo locum habet quasi secunda tabula pœnitentiæ. Alii dicunt quod naufragi solebant alligare collo tabulam in qua descriptus erat naufragii status, ut videntes moverent ad misericordiam; et sic prima tabula post naufragium est baptismus: omnis enim discretus et adultus antequam suscipiat baptismum tenetur confiteri peccatum suum et sic describere naufragium suum. Similiter postquam passus est recidivum, occurrit pœnitentia per quam debet confiteri peccata sua.

Tædere, proprie, unde Paulus: *Ita gravati sumus ut tædeat nos vivere*. Notat etiam dolere, unde Marcus: *Cœpit Jesus pavere et tædere*.

Talentum genus est ponderis. Dicitur pœna æterna, unde Joannes: *Et grando magna sicut talentum descendit de cœlo in terram*. Eleganter pœna æterna dicitur talentum, quia unicuique reproborum reddetur secundum meritum, etc. Dicitur sensus hominis vel intellectus, unde legitur de patrefamilias qui dedit uni suorum quinque talenta, alii vero duo, alii unum; per quinque talenta intelliguntur quinque sensus corporis qui homini data sunt ad hoc, ut eis homo bene utatur. Similiter per duo talenta ratio et intellectus qui homini dantur, ut eis bene regatur; per unum talentum tantummodo intellectus designatur.

Talis aliquando ponitur demonstrative, aliquando relative et significat qualitatem rei Aliquando significat divinam naturam; unde Athanasius: *Qualis Pater, talis Filius*.

Tantus aliquando ponitur relative, aliquando demonstrative et significat continuam quantitatem. Significat etiam discretam quantitatem; unde in Evangelio: *Sed hæc quid inter tantos?* id est inter tot. Aliquando significat naturam divinam, ut si dicam: *Quantus Pater, tantus Filius*.

Taurus proprie. Dicitur grex Sichimitarum qui, propter superbiam, vel principatum, vel luxuriam dictus est taurus; unde in Gen.: *Simeon et Levi, in consilium vestrum non veniat anima mea*. Sequitur: *Suffoderunt murum;* alia littera habet: *Enervaverunt taurum*, quod intelligendum est de rege Sichen quem interfecerunt Simeon et Levi. Dicitur Christus qui pro nobis est immolatus; unde præmissa auctoritas sic potest exponi: *Simeon et Levi enervaverunt taurum*, quia de Simeon et Levi qui machinati sunt in mortem Christi. Dicitur Judæus propter pinguedimem carnalis sensus vel superbiæ, quæ tauro comparatur; unde David: *Tauri pingues obsederunt me*. Dicitur hæreticus, qui similis est tauro in superbia; unde Psalmista: *Congregatio taurorum in vaccis populorum*, quia ad hoc conveniunt hæretici ut decipiant simplices, qui per vaccas significantur. Dicitur sanctus, qui Christo immolatur spiritualiter sicut taurus antiquitus Deo immolabatur; unde in Evangelio: *Tauri mei et altilia occisa sunt*, quasi dicat: Patrum præcedentium mortes aspicito et remedia vitæ vestræ cogitate; per tauros sancti intelliguntur qui pro Christo Domino passi sunt.

Taxus dicitur arbor de qua, et apud Ovidium et apud Virgilium fit sermo, quæ habet acuta folia et pungitiva et viret in hieme. Etiam dicitur animal quod alio nomine dicitur *melos* vel *melota*.

Tectum, proprie; cœlum empireum; unde de Christo dicitur in David: *Tanquam passer solitarius*

in tecto; quia solus Christus cum suis ascendit in empireum cœlum. Dicitur mundus, unde Psalmista: *Fiat sicut fenum tectorum;* fenum enim tecti gloriam mundi significat. Dicitur animus qui est in homine quasi tectum superius in domo; unde Dominus: *Qui sunt in tecto non descendant aliquid tollere de domo,* id est qui excedunt carnis actus non redeant ad illos. Dicitur mortalitas, unde dicitur quod in spirituali ædificio historia fundamentum jacit, allegoria ædificat parietes, tropologia tectum consummat.

Tegmen, proprie. Dicitur protectio, unde David: *Filii autem hominum in tegmine alarum sperabunt.*

Tela, proprie. Dicitur vita præsens, unde Job: *Dies mei velocius transierunt quam a texente tela succiditur, et consumpti sunt absque ulla spe.* Dicitur series peccatorum, unde propheta: *Ordiremini telam et non per spiritum meum, ut adderetis peccatum super peccatum.* Dicitur æterna damnatio, unde Isaias: *Et telam quam orditus sum super omnes gentes.*

Telonium est locus in quo vectigal recipitur. Est etiam officium recipiendi vectigalia, unde legitur quod Christus vidit Matthæum sedentem in telonio, in tali loco vel tali deputatum officio.

Temperantia est rerum concordia. Dicitur virtus qua quis resistit illecebris, secundum quam significationem assignantur quatuor virtutes cardinales, scilicet prudentia, fortitudo, temperantia, justitia.

Tempestas, proprie. Dicitur seditio, unde Psalmista: *Exspectabam eum qui salvum,* etc., *et tempestate,* id est seditione. Dicitur judicatio vel sententia æquitatis, vel tempestas a simili, quia improvisa veniet in die judicii et subito rapiet, unde David: *Et in circuitu ejus tempestas valida,* id est in sanctis et angelis ejus; circuitus enim sunt angeli et sancti qui cum ipso Christo sedentes judicabunt.

Templum, proprie. Dicitur Ecclesia militans, unde Apostolus: *Templum Dei sanctum est quod estis vos.* Dicitur anima justi, unde David: *Dominus in templo sancto suo.* Dicitur Christus, unde David: *Exaudivit de templo sancto suo vocem meam.* Dicitur mundus, unde Isaias: *Et ea quæ sub ipso erant replebant templum,* id est opera ejus replebant mundum. Dicitur humana Christi natura, unde Dominus: *Solvite templum hoc.* Dicitur vita æterna, unde David: *Adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo.*

Tempus, proprie. Dicitur distinctio temporis, unde dicitur de stellis quod erunt in signa serenitatis et tempestatis et tempora, id est distinctiones temporum. Dicitur varietas rerum, unde de damnatis in Psalmo dicitur: *Erit tempus eorum in sæcula;* unde in Job: *Qui transibunt de calore nivium ad algorem nivium;* et in Apoc. legitur angelus jurasse quod amodo non erit tempus apud salvatos, id est rerum varietas; amodo perfecta uniformitas. Dicitur A temporis opportunitas, unde Tullius dicit argumentum trahi a tempore, id est a temporis opportunitate. Dicitur aer, quia secundum qualitates aeris distinguntur tempora anni; unde dicitur tempus esse serenum vel nubilum. Aliquando restringitur ut tantum sumatur in designatione anni, unde legitur quod Antichristus regnabit per tempus et tempora et dimidium temporis, id est per unum annum et duos cum dimidio, id est per tres annos et dimidium.

Tendere, proprie. Notat *inflectere,* unde David: *Arcum suum tetendit et paravit illum.*

Tenebræ, aliquando tenentur negative, unde in Gen.: *Tenebræ erant super faciem abyssi,* id est nondum erat lux. Dicitur lamentum pœnitentiæ, unde B Job: *Dies illa vertatur in tenebras;* in tenebras diem vertimus, cum, nosmetipsos districte punientes, ipsa delectationis pravæ blandimenta per strictæ pœnitentiæ lamenta cruciamus. Dicitur adversitas, unde de hæreticis: *Perfodiunt in tenebras domus.* Domus conscientia in qua quodammodo habitat anima in tenebris; ergo domus perfodiunt hæretici, quia bonorum mentes ex ipsa eorum corrumpere adversitate moliuntur. Dicitur vita præsens, unde in Job: *Et sic in tenebris quasi in luce ambulant.* Recte vita præsens dicitur tenebræ in qua alienæ conscientiæ non videntur. Lux vero æterna patria est in qua cordium manifestabuntur abscondita. Impii ergo sic in tenebris quasi in luce ambulant; C quia sic in præsenti cæcitate læti sunt ac si jam æternæ patriæ luce perfruantur. Dicitur qualitas aeris, unde in catalogo creaturarum: *Benedicite lux et tenebræ Domino.* Dicitur caligo ignorantiæ, unde Isaias: *Populus qui sedebat in tenebris.* Dicitur tenebratio peccatorum, unde Isaias: *Et tenebræ operient terram.* Dicitur carentia summi boni, unde in Evangelio: *Projicite eum in tenebras exteriores.* Dicuntur dæmones per peccatum obtenebrati, unde in Gen.: *Vocavitque lucem diem et tenebras noctem.* Dicitur incomprehensibilitas, unde David: *Posuit tenebras latibulum suum.* Dicuntur peccatores, unde in Psalmo: *Tu es qui illuminas lucernam meam, Deus meus, illumina tenebras meas.* Dicitur horribilitas inferni, unde Job: *Vadam ad* D *terram tenebrosam et opertam mortis caligine;* et alibi: *In tenebris stravi lectum meum.*

Tenere, proprie. Notat *observare* vel *custodire,* unde Joannes: *Tene quod habes.* Notat amplecti per gratiam, unde in Cant.: *Tenui eum nec dimittam.* Notat *valere,* unde solet dici: *Sententia hæc non tenet,* id est non valet, vel nullius est roboris vel vigoris.

Tenerum, proprie. Dicitur etiam novellum, unde Virgilius:

Nescio quis teneros oculus mihi fascinat agnos.

Dicitur humile, unde legitur de David quod fuit *tenerrimus ligni vermiculus.*

Tentare idem est quod *probare,* unde in Gen.: *Tentavit Deus Abraham.* Dicitur malum suggerere,

unde diabolus dicitur tentare hominem. Notat *allicere*, unde in Apostolo caro nostra dicitur nos tentare; et alibi : *Tentatio vos non apprehendat nisi humana.* Notat etiam *insidiari*, unde David : *Ubi tentaverunt me patres vestri*, unde solet dici quod Deus tentat ut probet, diabolus ut decipiat, caro ut alliciat, homo ut cognoscat.

Tentorium, proprie. Dicitur conventus malorum, unde propheta : *Pro iniquitate vidi tentoria Æthiopiæ*, id est secreta malorum.

Tenuis dicitur etiam vilis, unde poeta

In tenui rara est facundia panno.

Dicitur etiam subtilis, unde solet dici quod pinguis venter non generat tenuem sensum.

Tepidus, proprie. Dicitur ille qui recedit a fide, unde Joannes : *Utinam calidus esses aut frigidus; sed quia tepidus es, evomam te ab ore meo;* frigidus est qui nunquam fuit in fide, calidus qui mansit in fide et bono opere, tepidus qui recedit a fide.

Terminus proprie dicitur finis rei, et est terminus extra sumptus, et terminus intra sumptus. Terminus extra sumptus dicitur illud quod distinguit agrum ab agro vel terminat, ut lapis vel stipes. Sed terminus intra sumptus est extrema pars agri, unde propheta arguit eos qui adjungunt agrum agro usque ad terminum loci vel loci. Dicitur finis vitæ, unde David : *Terminum posuisti quem non transgredientur.* Dicitur distinctio, unde legitur quod *constituit terminos populorum juxta numerum filiorum Israel.*

Terra proprie mundana machina, unde Moyses : *In principio creavit Deus cœlum et terram*, id est empireum cœlum et mundanam machinam. Dicitur corporea substantia, unde Isaias : *Cœlum mihi sedes, terra autem scabellum pedum meorum;* quia incorporea digniora sunt corporeis. Cœlum quod significat incorporea dicitur esse sedes Dei; terra vero corporalia quæ indigniora sunt dicitur scabellum pedum ejus. Dicitur subjecta plebs vel familia, unde : *Si adversum me terra mea clamabat.* Omnis qui Dominicam familiam regit et pro communi utilitate fidelibus plebibus præest, in hoc jura regiminis in commissis sibi fidelibus possidebit, nihil aliud quam terram incolendam tenet. Dicitur terrena actio, unde ad iniquam mentem sub nomine filiæ Babylonis per prophetam dicitur : *Descende, sede in pulvere, filia Babylonis, sede in terra;* per pulverem cogitationes accipimus, per terram terrenam actionem intelligimus. Reproborum enim mens prius ad prava cogitanda ducitur, postmodum ad facienda. Dicitur homo de terra plasmatus, unde dicitur : *Terra es et in terram ibis.* Dicitur aliquis terrenis intentus, unde in Gen. ad diabolum dicitur : *Terram comedes omnibus diebus vitæ tuæ*, id est terrenos tibi incorporabis. Dicitur caro humana, unde Job : *Terra data est in manus impii.* Dicitur sensualitas, unde in Gen. : *Terra pariet tibi spinas et tribulos*, id est sensualitas peccatorum punctiones et delictorum angustias. Dicitur sacra A Scriptura, et secundum illam expositionem exponi potest prædicta auctoritas, scilicet : *Terra pariet tibi*, quia homo multis angustiis et doloribus acquirit sacræ Scripturæ intellectum. Dicitur Synagoga, unde David : *Propterea non timebimus dum turbabitur terra.* Dicitur gentilis populus, unde Isaias : *Sicut imber et nix descendit de cœlo, et infundit terram, et germinare facit eam*, etc., *sic erit verbum.* Dicitur virgo Maria, unde David : *Veritas de terra orta*, id est Christus de Virgine; et alibi : *Aperiatur terra et germinet Salvatorem.* Dicitur præsens Ecclesia, unde Psalmista : *Benedixisti, Domine, terram tuam*, hæc est terra bona quæ facit centesimum et sexagesimum et tricesimum fructum; et alibi : *Misericordia Domini plena est terra.* Dicitur præsens B sæculum, unde David : *In terra deserta et invia.* Dicitur vita æterna quæ propter sui stabilitatem dicitur terra, unde Psalmista : *Non sic impii*, etc., *a facie terræ.* Dicitur infernus, unde Job : *Vadam ad terram tenebrosam et opertam mortis caligine*, etc.

Terribilis idem est quod horribilis, unde Jac.: *Quam terribilis est locus ille!* Dicitur aliquis terrorem ostendens, unde David : *Tu terribilis es et quis resistet*, etc. Dicitur admirabilis, unde Psalmista : *Quam terribilia sunt opera tua, Domine.*

Tersum dicitur purgatum. Dicitur purum, unde Plato speculum purius vocat tersius.

Testa, proprie. Dicitur humana Christi natura, C unde David : *Aruit tanquam testa virtus mea*, id est virtus humanæ naturæ meæ roborata est passionis igne, sicut testa solidatur ignis calore. Dicitur utilitas, unde sic potest exponi præmissa auctoritas : *Virtus mea aruit*, id est viluit quantum ad hominum opinionem : *tanquam testa;* testa enim dicitur fragmen ollæ quæ ad nullos usus utilis est. Dicitur Vetus Testamentum, unde dicitur quod Novum Testamentum latebat in Veteri velut in testa.

Testamentum. Dicitur promissio, unde in Luca : *Ad faciendam misericordiam*, etc., *testamenti sui sancti.* Dicitur passio Christi, unde David : *Requirentibus testamentum ejus*, id est qui requirunt passionem ejus per fidem et imitationem ejus. Quæ eleganter dicitur testamentum, quia per eam confirmata est D nobis æterna hæreditas. Dicitur lex evangelica, unde : *Hic est sanguis Novi Testamenti*, id est confirmator novæ legis. Dicitur lex Mosaica, unde solet distingui inter Novum et Vetus Testamentum.

Testimonium, unde in lege præceptum fuit leprosis ut sanati se offerrent sacerdotibus in testimonium illis, id est in attestationem. Dicitur Spiritus sanctus, unde David : *Testimonium Deo fidele.* Spiritus sanctus dicitur testimonium Domini, quia per Spiritum sanctum Deus Pater sanctos testificatur esse suos, quia jam acceperunt per eum Spiritum sanctum. Dicitur divina promissio, unde secundum aliam expositionem : *Testimonium Domini fidele*, id est quia quidquid promittit persolvit; et alibi : *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis*,

Dicitur etiam creatura Dei quæ perhibet Deo testimonium bonitatis et magnitudinis, unde David : *Mirabilia testimonia.*

Testitudo (*sic*) est animal quoddam in testa, unde Avianus dicit : *Pennatis avibus quondam testudo locuta est.* Dicitur etiam tectum arcuatum, quod patet in Lucano.

Tetragrammaton potest dici quælibet dictio constans ex quatuor litteris, unde Theodolus : *Tetragrammaton animo fari;* antonomastice vero restringitur circa nomen ineffabile quod constat ex litteris *joth*, *vau*, *he*, et *thet*.

Thalamus, proprie. Dicitur etiam uterus virginalis : in thalamo celebratur commercium, floribus ornatur, in eo secreta tractantur. Similiter in utero gloriosæ virginis Mariæ celebrata est unio duarum naturarum; ipsa enim ornata virtutibus, in ea completa mysteria; unde David : *Tanquam sponsus procedens de thalamo suo.* Dicitur Ecclesia ; secundum significationem hanc exponi potest prædicta auctoritas. Tunc enim Christus tanquam sponsus processit de thalamo suo, quando prædicatores misit in mundum. Dicitur unio Christi et Ecclesiæ, unde liber Canticorum dicitur epithalamium, id est canticum editum de thalamo Christi et Ecclesiæ, id est de conjunctione. Dicitur mens humana, unde dicitur : *Adorna thalamum tuum, Sion*, id est, o homo, adorna virtutibus mentem tuam ; in thalamo sponsus et sponsa fœderantur sibique in amore junguntur, et ideo recte Ecclesia thalamus dicitur seu perfecta anima ; quia ita per amorem sponso invisibili jungitur, ut ejus desiderio ardeat et nulla quæ jam in mundo sunt concupiscat. Mens ergo quæ jam talis est, nullam præsentis sæculi consolationem recipit, sed ad illam quam diligit medullitus suspirat, fervet, properat, anxiatur.

Theophania dicitur Dominica apparitio, id est quam habent angeli et sancti de Deo in patria ; unde et Joannes Scotus ait quod Deus in futuro videbitur per quasdam theophanias ; quia, sicut sol videtur in aere mediante radio aeri commisto, sic divina natura per quamdam illuminationem qua mens hominis illuminabitur. Dicitur etiam illa Spiritus sancti Patris apparitio per vocem, per columbæ speciem facta super Christum baptizandum.

Thesaurizare, proprie. Notat *accumulare*, unde Apostolus : *Qui thesaurizat sibi iram in die iræ.* Notat etiam *mereri*, unde in Evangelio : *Thesaurizate vobis thesaurum in cœlo.*

Thesaurus, proprie. Dicitur Christus, unde in Evangelio : *Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro.* Ager sacra Scriptura, thesaurus Christus latens in ea. Dicitur Sapientia, unde Apostolus : *Apud quem sunt thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi;* et alibi Paulus : *Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus.* Dicitur vita æterna, unde Dominus : *Thesaurizate thesauros in cœlo.* Dicitur occulta causa, unde Psalmista : *Qui producit ventos de thesauris suis*, id est de occultis causis. Dicitur sacra Scriptura, unde David : *Ponens in thesauris abyssos*, id est de abyssis, obstinatis videlicet, eos convertendo ad fidem, facis thesauros tuos. Dicitur divina præordinatio, unde David : *Qui producit ventos de thesauris suis*, id est de Ecclesia prædicatores mittit secundum divinam præordinationem. Dicitur Ecclesia, unde secundum aliam expositionem : *Qui producit ventos de thesauris suis*, id est de Ecclesia prædicatores. Dicitur cor hominis, unde Dominus : *Bonus homo de thesauro bono cordis sui profert bona sua.* Dicitur desiderium cœleste, unde secundum aliam expositionem : *Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro.* Ager in quo thesaurus absconditur est disciplina studii cœlestis, quem profecto agrum venditis omnibus comparat, qui voluptatibus carnis renuntians, cuncta terrena desideria per disciplinæ cœlestis custodiam calcat. Sed opus est ut thesaurus inventus absconditus servetur quia studium cœlestis desiderii a malignis spiritibus custodire non sufficit qui hoc ab humanis laudibus non abscondit. In præsenti vita, quasi in via sumus qua ad patriam pergimus. Maligni autem spiritus iter nostrum quasi quidam latrunculi obsident. Deprædari ergo desiderat qui thesaurum publice in via portat. Sic ergo sit opus in publico ut intentio maneat in occulto, ut de bono opere proximis præbeamus exemplum, ut tum per intentionem qua soli Deo placere quærimus, semper optemus secretum.

Thorax idem est quod lorica. Dicitur fides sive justitia, unde in lib. Sapientiæ : *Induent pro thorace justitiam.* Dicitur etiam fortitudo spiritualis, unde in Job de potestate diaboli legitur : *Cum apprehenderit eum gladius ejus, subsistere non poterit nec hasta neque thorax;* per gladium malitia diaboli vel fraus ejus, per hastam jacula præcipitationis, per thoracem fortitudo patientiæ, designatur : hasta adversarium percutimus, thorace ab adversario munimur ne vulneremur. Et hoc est : *Cum apprehenderit eum gladius ejus*, id est fraus vel malitia diaboli non poterit subsistere, prædicatio neque defensio, etc.

Thronus proprie sedes. Dicitur ordo angelicus, unde canitur : *Throni et dominationes.* Dicitur anima Christi, unde David : *Sedisti super thronum qui judicas.* Dicitur æqualitas, unde sic potest exponi quod dicitur : *Sedisti super thronum*, id est ad dexteram Patris, id est æqualis Patri. Dicuntur cœlestia, unde : *Nolite jurare per cœlum quia thronus Dei est.* Dicitur judiciaria potestas, quia thronus judicium est ; unde Christus ait ad apostolos : *Sedebitis super sedes duodecim ;* unde David : *Thronus tuus, Deus, in sæculum sæculi.* Dicitur Ecclesia, unde Joannes : *Sub throno Dei audivi voces occisorum.* Et in alio loco ibidem : *Salus Deo nostro qui sedet super thronum et Agno.* Dicitur etiam fidelis anima, unde legitur quod anima justi est thronus Dei.

Thuribulum dicitur vas in quo thus inceditur. Dicitur humana Christi natura, unde in Apoc.: *Stetit*

angelus juxta aram thuribuli habens thuribulum aureum, unde dicitur Christus; ara Ecclesia, thuribulum humana Christi natura ; vel thuribulum est caro Christi, ignis est anima ipsius Spiritus sanctus. Dicitur mens pia, unde quidam versificator ait :

Mystica sunt : vas, thus, ignis ; nam vase notatur
Mens pia, thure preces, igne supernus amor.

hus, proprie. Dicitur devotio cordis, unde in Cant.: *Quæ est ista quæ ascendit sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ et thuris*, etc. Per myrrham carnis mortificatio significatur, per thus devotio cordis. Dicitur sanctus qui odore bonæ opinionis alios reficit unde : *Ibo ad montem myrrhæ et thuris.*

Thymiama est confectio facta ex diversis speciebus, unde et altare thymiamatis dicebatur in quo aromaticæ species incendebantur. Dicitur mentis devotio, unde canitur et post festa Michaelis : *Inclyta*, etc., *super aram thymiamata*, id est in ara crucis offeramus Deo devotionem cordis.

Tibia, proprie. Dicitur etiam incessus incompositus, unde David : *Non in fortitudine equi, neque in tibiis viri*, id est in incomposito incessu præsumptuosi et audacis. Dicitur instrumentum organicum, unde propheta : *Cithara et lyra, et tympanum et tibia in conviviis vestris*. Dicitur musa poetica, unde Virgilius :

Incipe Menalios mecum, mea tibia, versus.

Tignum idem est quod trabes. Dicitur etiam major in Ecclesia Dei, unde in Cant.: *Tigna domorum nostrarum cedrina, laquearia cypressina*. Tigna dicuntur majores qui sunt in Ecclesia Dei, qui scientia et virtutibus præeminent; laquearia minores qui majoribus adhærent.

Tigris, proprie. Dicitur fluvius, unde in Gen. : *Nomen vero fluminis tertii, Tigris*. Dicitur diabolus vel hæreticus, qui cum non invenit quem decipiat, in se quodammodo deficit, unde in Job. : *Tigris periit eo quod non*, etc.

Tilia, arbor. Dicitur mundus, propter sui infecunditatem tiliæ comparabilis ; quia, sicut tilia profert foliorum amœnitatem, nullam tamen affert fructus dulcedinem, sic mundus falsam profert delectationem, sed nullam confert utilitatem; unde in Theodulo legitur in Pseusti quod contulerat capellas sub amœna tiliæ; per Pseustin intelligitur gentilitas et gentilium philosophi qui mundanis sunt delicati.

Timor est horror quo aliquis naturaliter timet pœnam, unde David : *Timor et tremor venerunt super me*, et hic dicitur timor naturalis. Dicitur motus quo aliquis timet malum facere, etsi non timet velle, unde Paulus : *Non accepistis spiritum servitutis iterum in timore*, et iste dicitur timor servilis. Dicitur motus quo quis timet facere bonum spirituale, ne amittat bonum temporale, ut Petrus qui timuit confiteri Christum, ne amitteret vitam temporalem ; et hic timor dicitur mundanus. Dicitur motus quo aliquis timet facere malum, vel velle facere, partim timore pœnæ et partim timore justitiæ, unde in Psalmo : *Initium sapientiæ timor Domini*, et hic dicitur initialis timor. Dicitur etiam motus

A quo aliquis timet peccare ne separetur a Deo, unde David : *Venite, filii, audite me, timorem enim Domini docebo vos*. Dicitur reverentia, unde David : *Timor Domini sanctus permanens in sæculum sæculi*. Dicitur etiam Deus timor ; *Theos* enim Græce secundum quosdam dicitur *timor* Latine, quia specialiter timendus ; Hieronymus : *Emphatice Theos sive timor dicitur* ; unde Ecclesiastes : *Deum time et mandata ejus observa*. Quot modis ponitur *timor*, tot modis ponitur *timere*, etc.

Tinea est vermis. Dicitur pœna infernalis, unde Isaias de Nabuchodonosor dicit quod sternetur tinea sub eo. Dicitur corruptio, unde Job : *Et quasi vestimentum quod comeditur a tinea*. Vestimentum est corpus humanum, tinea corruptio quæ con-

B sumit. Dicitur spirituale peccatum, unde Dominus : *Ubi nec ærugo nec tinea demolitur* ; ærugo offuscat et comedit, et videtur ; tinea vero comedit et non videtur. Ærugo ergo significat carnalia peccata, quæ videntur, tinea vero spiritualia quæ non videntur, sicut est ira et invidia. Dicitur carnis tentatio, unde in Job in persona tentati hominis : *Qui quasi putredo consumendus sum et quasi vestimentum quod comeditur a tinea*, quia immunda cogitatio non aliunde, sed de ipso homine nascens, in ore tineæ carnem quasi vestem de qua exit consumit. Dicitur hæretica pravitas, unde Job de hæretico ait : *Ædificavit sicut tinea domum suam*. Tinea corrumpendo domum sibi ædificat, sic hæreticus locum suæ perfidiæ nonnisi in mentibus quas corrumpit facit.

C *Tinum* [thyinum] dicitur arbor imputribilis. Dicitur etiam obstinatio mentis obumbrata durabili constantia, unde Joannes : *Omne lignum tinum et omnia vasa eboris* ; hoc dicitur de malis qui permanent in obstinatione mentis.

Titio idem est quod tirsus, stipes scilicet in parte combustus. Dicitur etiam potestas decidens, unde Dominus ad Achab ait : *Noli timere a caudis duorum titionum fumigantium.*

Titulus est brevis adnotatio sequentis operis. Solet autem dici titulus memoriale epigramma sive epitaphium quod superscribitur tumulis mortuorum. Dicitur titulus præconialis qui antiquitus scribebatur in arcu triumphali ob memoriam triumphi. A-

D lius qui scribebatur in liminibus civitatum vel domorum in ipsius conditoris signum. Dicitur etiam Patrum regula, unde secundum titulos antiquorum Patrum, Spiritu sancto suggerente, conscriptos, clerici in adulterio deprehensi ad honorem redire non possunt. Dicitur etiam guiffa vel subhastatio, unde rectores patrimonii Ecclesiæ urbana vel rusticana prædia, ubi illius competere suspicantur, fistuli in ore titulos imprimant. Item guiffa est signum alienæ rei impositum gratia adipiscendæ possessionis. Dicitur beneficium, unde papa Urbanus : *Sanctorum Patrum consona sanctione statutis decrevimus, ut sine titulo facta ordinatio irrita habeatur*. Dicitur ratio, unde sanctus Augustinus in lib. *De civitate Dei* : His duobus titulis subtilitatem fallaciæ suæ prodidit

improbus vel immundus Satanas. Dicitur principium vel causa ut *quo titulo possides* vulgo dicitur. Dicitur laus, unde in passione sancti Vincentii: *Probabile satis est ad gloriam Vincentii martyris quod de scriptis ipsius gestis titulum invidit inimicus.* Dicitur etiam signum, unde legitur: *Tulit itaque Jacob lapidem, et erexit eum in titulum.* Dicitur exemplum, unde Augustinus dicit quod minores informantur titulis, id est exemplis. Dicitur fides, unde frequenter legitur quod gentiles objecerunt Christianis titulum Christianitatis.

Toga dicitur genus vestis quo utebantur Romani tempore pacis. Dicitur etiam pax, unde Lucanus:

Degenerem patiere togam,

vel ibi dicitur toga in prohibitione vel ipse togatus, id est Pompeius.

Tollere, proprie. Notat *recipere*, unde in Evangelio: *Tolle quod tuum est, et vade.* Notat *auferre*, unde in Evangelio: *Tolle, tolle, crucifige eum*, id est aufer eum de medio. Notat etiam *abscidere*, unde: *Pueri Hebræorum tollentes ramos.*

Tonare proprie. Notat *comminari*, unde David: *Intonuit Dominus de cœlo.* Et alibi: *Intonuit Dominus super aquas multas.* Et Isaias: *Tonabit Deus voce sua*, id est comminabitur hominibus

Tonitrus. Dicitur etiam comminatio divina, unde dicitur: *Quis poterit audire vocem tonitrus ejus?* vel dicitur patiens fortitudo, et hoc erit tempore Antichristi.

Tonitruum proprie. Dicitur comminatio divina, unde David: *Vox tonitrui tui, Deus, in rota*, id est vox comminationis tuæ quæ per prædicatores facta est fuit in rota totius mundi. Rota enim est orbis terræ, unde et brevis rotella circulus dicitur, quod postea exponit, cum ait *orbi terræ.* Dicitur vindicta, unde Isaias: *A Domino exercituum visitabitur in tonitruo.* Dicitur manifesta prædicatio, unde legitur in Apoc. quod Joannis audivit vocem tonitrui.

Tonus, proportio musicalis, quæ est vocis ad vocem, unde et dicitur dividi tonus in majus et minus semitonum. Dicitur cantus diversitas, unde: *In musica assignantur octo toni*, etc.

Topazion est lapis pretiosus qui invenitur in insula Ægypti quæ dicitur Topanozi. Hic habet duos colores, unum purissimum sicut aurum, et alterum quasi cœlum; est enim serenus et excedit claritatem omnium gemmarum, et nulla res est pulchrior ad videndum; et si politus fuerit, fit obscurus; et si aliquis ibi vult videre imaginem suam sicut in speculo fieri solet, semper imago speculantis videtur inversa, etsi respiciat cœlestia, etc. Significat etiam sanctum diversis virtutibus exornatum, qui, purgatis sordibus hujus sæculi, est purum aurum et semper cœlestibus intendit; et qui hanc virtutem habet est clarior et mirabilior omnibus sanctis; unde Joannes loquens de fundamentis cœlestis Jerusalem, ait: *Nonus topasius.* Dicuntur etiam

A terrenæ divitiæ vel honor terrenus, unde Psalmista: *Super aurum et topasion*, etc.

Torcular, proprie. Dicitur passio Christi, unde propheta: *Torcular calcavi solus.* Dicitur martyrium, unde quidam psalmi inscribuntur *Pro torcularibus*, quia in eis agitur de martyribus. Eleganter martyrium comparatur torculari, quia sicut vinum separatur a vinaciis in torculari, vinacium projicitur in terra, vinum in cellarium recipitur; sic per martyrium corpus ab anima separatur, corpus in terram redigitur, anima in apothecam æternæ beatitudinis recipitur. Dicitur Ecclesia, quia in Ecclesia fit separatio bonorum a malis, unde ipsa et areæ et torculari comparatur. Dicitur separatio spiritualis intellectus a littera, ut ibi in Salomone:
B *Vino torcularia redundabunt*, id est expositiones in quibus separatur sensus a littera redundabunt mystico intellectu. Dicitur lex Mosaica, quæ premebat populum, unde in Evangelio: *Paterfamilias plantavit vineam et fodit in ea torcular*, quia Judæis dedit legem Domini.

Tormentum, proprie. Dicitur etiam instrumentum tormenti, unde in oratione de Christo quia non est dedignatus *manibus tradi nocentium et crucis subire tormentum.* Et alibi: *Quos tormento vis servire*, id est cruci, *fac tormenta non sentire.*

Tornatile proprie; id quod nihil nocivæ superfluitatis retinet, unde in Cant.: *Umbilicus tuus crater tornatilis*, hoc est sanctus aliquis aliis doctrinam
C propinans et nihil in se malignitatis retinens. Dicitur etiam irreprehensibile, unde legitur. *Manus ejus tornatiles*, hi sunt sancti quorum officium est tam bene operari ut in nullo sint reprehensibiles.

Torques dicitur ornamentum colli, unde in Isaia: *In die illa aufert Dominus ornamentum calceamentorum et lunulas et torques.* Dicitur victor vel ornatus sapientiæ, unde Salomon: *Torques collo tuo*, id est ornatus sermonis sapientiæ sale conditi.

Torrens, proprie. Dicitur etiam vindicta divina, unde propheta: *Flatus Domini sicut torrens sulphuris.* Dicitur passio, unde David: *De torrente in via bibet.* Et alibi: *Torrentem pertransivit anima nostra.* Dicitur humanum genus sub diabolo captivatum, quod ad Deum conversum est per gratiam Spiritus san-
D cti: *Sicut torrens convertitur in austro*, id est austro flante, qui est calidus ventus quo solvuntur torrentesut currant, per quæ figuratur Spiritus sanctus quo homines congelati gelicidio infidelitatis solvuntur a peccatis et currunt ad Deum, unde David: *Converte, Domine, captivitatem nostram sicut torrens.* Dicitur abundantia æternæ beatitudinis, unde David: *De torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Dicitur iniquitas abundans, unde Psalmista: *Et torrentes iniquitatis conturbaverunt me*, id est iniquitates abundantes et rapidæ ut torrentes. Dicitur turba iniqua ad tempus mota, sed cito desitura, sicut pluvialia flumina, secundum quem sermonem potest exponi præmissa auctoritas de Christo, ut sit sensus: *Torrentes iniquitatis conturbaverunt me*, id est ini-

quæ turbæ Judæorum egerunt ut conturbarer. Dicitur sententia rapida et subito fluens ad malum, vel qui ad tempus credit, id est in tempore tentationis recedit, sicut torrens cito siccatur, unde David : *Dirupisti fontes et torrentes.* Dicitur mundus qui in vario fluxu est, unde in Job : *Circumdederunt me salices torrentis*, quia homines infructuosi a bonis operibus, mundanis inhærentes circumdederunt diabolum, suggestionibus ejus obedientes. Dicitur ignis gehennalis, unde Job : *Lapidem caliginis et umbram mortis dividit torrens a populo peregrinante; et eos quos oblitus est pes egentis hominis.* Egens dicitur Christus, qui propter nos factus egenus; pes sancti prædicatores, quibus mediantibus fama Christi perambulavit universum orbem. Lapis caliginis et umbra mortis sunt Judæi, qui in mentis duritia et caligine ignorantiæ permanentes, a populo sanctorum sunt divisi, qui dum respuerunt verbum Dei, apostoli ad gentes sunt missi. Hos Judæos torrens, id est gehennalis pœna dividit a beatis. Dicitur inundatio Spiritus sancti, unde Job de hypocrita ait : *Non videat rivulos torrentis mellis et butyri;* id est non experietur gratia Spiritus sancti. Dicitur aliquis diligens transitoria; unde Job : *Fratres mei præterierunt sicut torrens.* Dicitur fluentum sacræ Scripturæ, unde Salomon : *Qui subsannat patrem suum et despicit partum matris suæ, effodiant eum corvi de torrentibus.* Perversi quippe dum divina judicia reprehendunt, subsannant patrem, et dum sanctæ Ecclesiæ fecunditatemque illius deridendo corrumpunt, quasi partum matris despiciunt. Sed corvi de torrentibus veniunt, cum prædicatores sanctæ Ecclesiæ a sacra Scriptura sanctæ doctrinæ fluenta producunt. Qui recte corvi dicuntur, quia per humilitatis gratiam peccatorum in se nigredinem confitentur. Qui scilicet subsannantis oculum effodiunt, quia pravorum hominum intentionem vincunt. Dicitur hæreticus, unde Job de hæriticorum sequacibus loquens, ait : *In desertis habitant torrentium.* Torrentes dicimus rivos qui ab aquis hiemalibus colliguntur, qui et certis temporibus arescunt; jure itaque inventores pravorum dogmatum torrentes vocantur, quia a calore charitatis frigidi, quasi in torpore temporis hiemalis excrescunt. Hi ergo qui illorum sequuntur errorem, *in desertis habitant torrentium*, id est in eorum prædicatione confidunt, quorum eloquia catholicorum ratione siccata sunt. Dicitur prædicator, qui, dum in præsenti divinis eloquiis nobis influit, multitudinem aquarum quasi hieme inundat; qui et æstivo sole adveniente se subtrahit, quia, cum æterna patriæ lux emicuit, prædicare cessavit. Hujus torrentis deserta sunt vitæ temporalis commoda, ea namque justi deserunt et ad lucra se cœlestia convertunt adipiscenda. Sed pravi ea hac vita adipisci appetunt quæ despicientes justi derelinquunt, et ideo in desertis torrentium habitare dicuntur, et secundum hoc exponi potest hæc auctoritas : *In desertis habitant torrentium*

Torrere notat *urere*. Notat corda hominum flamma incendere peccatorum, unde in Theodo. :

Æthiopum terras jam fervida torruit æstas,
et fervor peccatorum incendit corda hominum.

Tortor idem est quod apparitor vel carnifex qui reos pro malefactis punit. Dicitur diabolus, unde in Evangelio : *Iratus dominus tradidit eum tortoribus, quoadusque*, etc.

Torus, proprie. Dicitur etiam unio Christi et Ecclesiæ, unde Ecclesia torus immaculatus dicitur. Dicitur etiam paleare pendens a collo tauri

Totus quandoque colligit partes integrales, unde legitur quod Christus totum hominem sanum fecit in Sabbato. Aliquando non notat partes, sed integritatem totius, unde dicitur quod totus Christus sumitur in altari, id est integer, secundum quam significationem solet dici : *Tota cappa valet viginti solidos.* Notat personam, non naturam, unde auctoritas dicit quod in triduo Christus fuit totus in inferno, non totum; totus, inquam, in persona, sed non totum in utraque substantia. Ponitur negative, unde auctoritas dicit quod Pater transmisit totam substantiam in Filium, et hoc dicit contra corporalem generationem; in corporali igitur generatione per decisionem substantia Patris transmittitur ad Filium; non enim tota substantia est Filii, sed particula. In æterna vero generatione, sic Pater genuit Filium, quia tota substantia Patris est substantia Filii, non per decisionem, sed per plenitudinem. Notat duas personas Filium et Spiritum sanctum, unde auctoritas dicit quod Pater est principium totius divinitatis, id est Filii et Spiritus sancti, in quibus consistit tota divinitas.

Trabea dicitur vestis qua utebantur nobiles Romanorum. Dicitur caro Christi a peccato munda. Leo papa dicit Filium indutum trabea carnis.

Trabes. Proprie dicitur grave peccatum, unde Dominus : *Ejice prius trabem de oculo tuo, et postea ejice festucam de oculo fratris tui*, id est prius purga te a majori peccato quam corripias alium hominem.

Tradere, proprie. Notat *prodere*, unde legitur in Evangelio de Juda quod *quærebat opportunitatem ut traderet Jesum sine turbis.* Notat permittere tradi, unde : *Propter quod tradidit illos Deus in reprobum sensum.* Notat *exponere*, unde de martyribus canitur : *Tradiderunt corpora sua.*

Tradux, proprie virga quæ producitur ab arbore. Dicitur [caro] ex qua alia caro producitur, unde in *Scholast hist.* legitur quod corpus humanum est ex traduce, id est ex alio traducitur.

Trahere, proprie. Notat etiam gratiam *infundere*, unde Dominus : *Nemo venit ad me nisi Pater meus traxerit eum.* Notat *continuare*, unde Isaias : *Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis iniquitatis.* Notat *unire*, unde Dominus : *Ego, si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me*, id est aliquos de omni genere hominum uniam mihi per gratiam.

Transfigurare, alterius formam vel similitudinem

assumere, unde legitur in Apost. quod *angelus Satanæ transfigurat se in angelum lucis.*

Transire proprie. Notat *recedere*, unde Christus in Evangelio : *Pater, si fieri potest, transeat a me calix iste.* Notat *experiri*, unde David : *Transivimus per ignem et aquam*, id est experti sumus.

Transitus, proprie. Dicitur mors sancti qui multa loca transit antequam veniat ad locum empirei cœli ; unde depositio beati Martini dicitur transitus. Dicitur illa hora qua filii Israel parati fuerunt ad exeundum de Ægypto, quando exterminator angelus transiit domus Israelitarum. Primo transitu veniam ad vos, id est transeunter.

Tremere est idem quod *moveri*, unde terra dicitur tremere, id est moveri, quando fit terræmotus. Notat *timere*, unde Psalmista ait : *Terra tremuit et quievit cum resurgeret.*

Tribuere, auctoritate Dominica aliquid conferre, unde Psalmista : *Vitam petiit a te, et tribuisti ei.*

Tribulatio dicitur adversitas, unde David : *In tribulatione dilatasti mihi.* Dicitur mors, unde Christus : *Quoniam tribulatio proxima est.*

Tribulus proprie species cardinis, unde poeta :

Tribulisque trabeque.

Est etiam instrumentum quo excluditur granum a palea quod alio nomine dicitur flagellum. Dicuntur hæretici, unde in Evangelio : *Nunquid colligunt de spinis uvas aut de tribulis ficus?* Dicitur punctio doloris, unde in enumeratis bonis suis si hoc non fecerit maledictione se astringens Job ait : *Pro frumento oriatur mihi tribulatio, et pro hordeo spina*, id est consequar æternæ damnationis punctionem. Dicitur labor, unde : *Terra pariet tibi spinas et tribulos*, id est sacra Scriptura multiplicem intelligentiæ laborem.

Tribunal est sedes judicum. Dicitur judicium Dei, unde in Apoc. : *Omnes astabimus ante tribunal Dei*, id est omnes præsentabimur judicio Dei. Dicitur excellentia sive celsitudo, unde canitur in quodam hymno :

Scandens tribunal dexteræ
Patris potestas omnium.

Tribus proprie significat conventum illorum qui sunt de eadem generatione, unde in Apoc. : *Ex tribu Juda duodecim millia signati.* Dicitur etiam natio, unde in Evangelio : *Sedebitis*, etc., *tribus Israel*, id est universas nationes.

Tributum, proprie, unde Apost. : *Cui tributum, tributum.* Dicitur etiam debitum, secundum quod solemus dicere : *Iste solvit tributum*, id est debitum naturæ.

Triclinium, domus in qua est triplex ordo lectorum, unde in Evangelio, de nuptiis quibus interfuit Christus, mentio fit de architriclinio, id est principe triclinii. Dicitur conventus mulierum, unde legitur in Esther quod *de triclinio feminarum ad regis cubiculum transiebant* regis amplexibus copulandæ ; potest autem dici triclinium vel triplex ordo discumbentium vel triplex ordo mensarum, ut

A solet fieri in refectoriis monachorum. Dicitur beata virgo Maria apud quam divina sapientia hospitata est per humanitatem assumptam, et tota Trinitas per gratiam. Discubuit enim Pater in thalamo virginali operatione, Spiritus sanctus obumbratione, Filius incarnatione ; unde quidam rhythmicus ait :

Salve, Mater pietatis
Et totius Trinitatis
Nobile triclinium.

Trieris dicitur navis habens tres ordines remorum, unde propheta : *Venient in trieribus de Italia.* Dicitur etiam deceptio quæ fit tripliciter : consensu, opere, consuetudine ; unde Dominus in Isaia de triumphante Ecclesia ait : *Per eam non transibit*

B *trieries magna.*

Trinitas. Hoc nomen et apud naturalem philosophiam posset æquipollere huic nomini *ternarius.* Tamen æquipollenter transumitur ad theologicam facultatem et fit nomen trium personarum. Et æquipollet huic orationi, secundum quosdam *trium unitas*, secundum alios huic orationi *trina unitas*, secundum alios *tres unum.*

Tristitia, proprie. Dicitur acedia ; acedia est animi torpor quo quis aut bona negligit inchoare, aut fastidit perficere

Triticum, proprie. Dicitur sanctus, unde Joannes in Apoc. : *Bilibris tritici denario uno*, hoc superius expositum est ; et alibi de sanctis in Evangelio legi-

C tur quod Christus ventilabit aream suam, *et paleas comburet igni inexstinguibili*, triticum autem reponet in area sua. Dicitur sermo divinus, unde Dominus : *Quis putas est fidelis dispensator, ut det illis in tempore tritici mensuram?*

Tritura, proprie. Dicitur judicium divinum quod separabit grana a paleis. Dicitur Jerusalem cui Dominus comminans ait : *Tritura areæ.*

Triturare, proprie. Notat *destruere*, unde Dominus ad Israel ait : *Ponam te quasi plaustrum, triturabis montes et comminues*, etc. Notat etiam *prædicare*, unde scriptum est in lege : *Non alligabis os bovis triturantis*, id est non negabis necessaria.

Triumphare, proprie. Notat tentationes vincere, unde de Christo dicitur quod hostem triumphavit

D et mortem superavit. Notat vitam æternam consequi, unde fit distinctio inter Ecclesiam triumphantem et Ecclesiam militantem.

Trivium est locus in quo tres viæ conveniunt. Dicitur complexum trium artium liberalium, quæ quasi complexis manibus incedunt ; unde solet fieri distinctio inter trivium et quadrivium.

Troja, proprie. Dicitur conflictus militaris quem instituerunt Trojani, unde

Trojaque nunc pueri, Trojanum dicitur agmen

ut dicit Virgilius.

Tropæum est aliquid victoria acquisitum, unde Lucanus :

Cumque superba foret Babylon spolianda tropæis
Ausoniis.

Dicitur victoria, unde canitur in hymno :

Crux fidelis, etc.

Et :

Super crucis tropæo
Dic triumphum nobilem.

Tropologia dicitur particularis allegoria, quando per aliquos vel aliquorum facta non intelligitur generalis Ecclesia militantium vel malignantium, sed de Ecclesia militante, vel perfecti, vel imperfecti ; vel de Ecclesia malignante, ut hæretici. Dicitur etiam, quando per aliquod factum intelligitur quod a nobis sit faciendum ; unde et tropologia dicitur quasi sermo conversus ad nos, ut per hoc quod Christus habuit manus affixas cruci significatur quod manus debemus cohibere a reatu peccati.

Tropus dicitur conversio. Est etiam figura quando dictio a propria significatione convertitur, unde locutio dicitur tropica, id est figurativa.

Trulla est instrumentum cæmentarii quo linit parietem cæmento, unde Amos propheta : *Qui viderit hominem stantem super murum tenentem trullam cæmentarii in manu.*

Truncus, proprie, unde poeta :

Trunco non frondibus efficit umbram.

Dicitur corpus humanum capite privatum, unde Virgilius :

Jacet ingens littore truncus,

et etiam in Judith legitur. Dicitur etiam homo inutilis, unde solet dici : *Iste est quasi truncus.* Dicitur stirps vel origo cognationis, unde dicitur : *Ille descendit ab hoc trunco.*

Trutinare, proprie. Notat etiam inquirere, unde quidam ait :

Summus Aristoteles trutinando cacumina rerum,
In duo divisit quidquid in orbe fuit.

Tuba, proprie. Dicitur etiam manifestum signum in quo mortui resurgent, unde Apostolus : *In momento, in ictu oculi, in novissima tuba*, etc. Dicitur manifesta prædicatio, unde Joannes : *Et alius angelus tuba cecinit*, etc. Dicitur prædicator qui varia tribulatione productus est in amplitudinem charitatis, unde David : *In tubis ductilibus et voce*, etc. Antonomastice etiam David dicitur tuba Spiritus sancti, qui tubæ comparatur multiplici de causa. Nam utimur tubis in conviviis, in festis, in bellis. Ipse enim tanquam tuba in bellis præcinens, ait : *Benedictus Dominus Deus meus qui docet manus meas ad prælium.* Ad convivium etiam lætitiam intonat, dicens : *In voce exsultationis et confessionis : sonus epulantis.* In signum etiam nostræ solemnitatis, ait : *Buccinate in Neomenia tuba in die solemnitatis vestræ ;* et ideo Glos.* super Psalterium vocat eum tuba Spiritus sancti. Dicitur comminatio, unde propheta : *Canite tuba Sion.* Dicitur manifestatio, unde in Evangelio : *Cum facis eleemosynam, noli tuba canere ante te.*

Tugurium est parva domus quæ solet fieri in hortis vel in vineis. Dicitur Jerusalem desolata, unde Isaias : *Et erit sicut tugurium in cucumerario.*

A *Tumere*, proprie. Signat *superbire.* Notat *mundare*, unde dicitur : *Homo vel mare tumet*

Tumor est inflatio. Dicitur superbia secundum quod soliti sumus dicere : *Hic facit hoc tumore superbiæ, et tumor infusa repellit.* Maris inundatio etiam dicitur tumor.

Tumulus est supereminentia terræ. Dicitur etiam sepulcrum, unde Augustinus ait quod divites moriuntur in lectis eburneis et cum magna pompa deferuntur ad tumulum ; in hymno :

Cum surgit Christus tumulo.

Dicitur acervus lapidum, unde in Gen. legitur quod Jacob et Laban congregantes lapides fecerunt tumulum.

B *Tunc* aliquando notat tempus, unde David : *Tunc acceptabis sacrificium justitiæ.* Aliquando notat æternitatem, unde Psalmista : *Parata sedes tua, Deus, extunc*, id est ab æterno.

Tunica proprie est vestis sub pallio et significat interiora peccata, unde Dominus : *Qui vult tunicam tuam tollere, dimitte ei et pallium*, id est si doctor a te quærit tollere interiora peccata, ut invidiam, confitere ei et exteriora ut fornicationem. Tunica etiam, quæ adhæret corpori, significat curam sæculi, unde Dominus : *Qui in agro est non revertatur tollere tunicam suam ;* et iterum : *Exspoliavi me tunica mea.* Sumitur etiam pro indumento, unde Dominus : *Qui habet duas tunicas, det non habenti.* Signat C etiam corpus humanum, unde Dominus : *Qui habet tunicam, vendat eam et emat gladium*, id est si necessitas exegerit, fidelis corpus suum exponat martyrio ; hic enim per gladium significatur martyrium.

Turba, proprie. Dicitur multitudo turbata, unde Augustinus : *Quid est turba nisi multitudo turbata,* et in Evangelio legitur quod Jesum sequebantur turbæ multæ. Turbæ dicebantur propter diversas intentiones sequendi Christum ; quidam enim sequebantur eum *ut sanarentur a languoribus suis*, alii ut reficerentur corporaliter, alii ut viderent eum miracula facientem, alii *ut caperent eum in sermone*, alii zelo justitiæ ut eum sequerentur.

Turbari, proprie. Notat variis cogitationibus dis- D trahi, unde Dominus : *Martha, Martha, sollicita es et turbaris erga plurima.* Notat fluctibus impelli, unde mare dicitur turbari, id est agitari vel impelli. Notat *infirmari*, unde David : *Quoniam conturbata sunt omnia ossa mea*, id est infirmata. Notat *irasci*, unde David : *Conturbata sunt et commota sunt.* Notat *pœnitere*, unde Habacuc : *Turbabuntur pelles terræ Madian*, etc.

Turbo dicitur procella. Dicitur tribulatio, unde propheta : *Absconsionem a turbine et a pluvia.* Dicitur etiam malitia vel persecutio vel damnatio dæmonis, unde Job : *Diem illam tenebrosus turbo possideat.*

Turpe, proprie. Dicitur etiam inhonestum, unde : *In turpi voto muta decretum.* Dicitur reprehensibile.

unde dicitur in Ethica Catonis : *Turpe est doctori.* Dicitur horribile, unde Dionysius : ... *animi in turpibus imaginibus suum materiale cogentes quiescere.*

Turris, proprie. Dicitur superbus, unde Isaias : *In die interfectionis multorum cum ceciderint turres.* Dicitur prædicator, qui comparatur turri propter fortitudinem et propter excelsam cœlestium gaudiorum contemplationem, unde in Cant.: *Collum tuum sicut turris David.* Dicuntur excelsiores in Ecclesia Dei, unde David : *Fiat pax in virtute tua, abundantia in turribus tuis.* Dicitur Christus, unde Isaias : *Ædificavit turrim in medio ejus.* Turris quæ ædificata est in vinea quæ significat Judaicum populum, est Christus humanatus, carnem assumens de gente Judaica, vel templum a Salomone constructum. Dicitur circumspectio, unde in Cant.: *Nasus tuus sicut turris Libani;* per nasum odores fœtoresque discernimus, et ideo per eum provida sanctorum discretio designatur. Turris vero in altum ponitur, ut hostis eminens a longe videatur. Recte ergo nasus Ecclesiæ turri comparatur, quia sanctorum provida discretio dum sollicite circumquaque conspicit in altum posita, priusquam veniat culpa comprehendit. Dicitur altitudo, unde Jeremias : *Ædificabitur civitas a Domino, a turre Hananeel usque ad portam anguli.* Civitas sancta est Ecclesia, Hananeel interpretatur *gratia Dei.* In angulo autem duplex paries jungitur. Civitas ergo Domini a turre Hananeel usque ad portam anguli ædificari perhibetur, quia sancta Ecclesia a celsitudine supernæ gratiæ inchoans usque ad ingressum (71) susceptionem quod duorum populorum, Judaici videlicet atque gentilis, constituitur.

Turtur, proprie. Dicitur sensualitas, unde in Psalmo : *Passer invenit sibi domum et turtur nidum.* Dicitur prædicatio apostolorum, unde in Cant.: *Vox turturis audita est in terra*

Tutor est ille qui alium defendit. Dicitur etiam ille qui custodiæ pueri deputatur, unde Apostolus ait : *Quanto tempore hæres parvulus est*, etc., *sed sub tutoribus*, etc.

Tympanum dicitur instrumentum organicum quod fit ex corio extenso in ligno. Dicitur etiam carnis mortificatio, unde David : *Laudate eum in tympano et choro.*

Tympanistria dicitur mulier quæ canit in tympano. Dicitur etiam homo fidelis carnem suam castigans et in servitutem redigens, unde David : *In medio juvencularum tympanistriarum*

Typus proprie dicitur figura. Dicitur mysterium; unde in Apostolo quod præcepta Veteris Testamenti data sunt in typo, id est in mysterio. Potest tamen typus ibi dici figura ; unde in Historiis legitur quod David dimisit Ammonitas in tvoolaterum.

U

Ubera, proprie. Dicitur doctrina et refectio Christi præsentiæ, unde in Cant. : *Meliora sunt ubera tua vino*, id est doctrina et refectio tuæ præsentiæ legis fervore vel quibuslibet institutis. Dicuntur majores in Ecclesia Dei qui lactant rudes, unde in Cant. : *Duo ubera tua sicut duo hinnuli capreæ.* Dicuntur dona spiritualia, unde ibidem : *Exsultabimus et lætabimur in te memores uberum tuorum super vinum*, id est donorum tuorum spiritualium. Dicitur Judæus et gentilis, unde sic potest exponi prædicta auctoritas : *Duo ubera tua*, id est duo populi ex Judæa et gentilitate venientes in corpus sanctæ Ecclesiæ per intentionem sapientiæ arcano cordi sunt affixi. Dicuntur verba sacra eloquii, unde Salomon : *Qui fortiter premit ubera ad eliciendum lac, exprimit butyrum ; et qui vehementer emungit, elicit sanguinem.* Ubera fortiter premimus cum verba sacri eloquii subtili intellectu pensamus, qua pressione dum lac quærimus, butyrum invenimus ; quia, dum nutriri vel tenui intellectu quærimus, ubertate internæ pinguedinis inungimur, quod tamen nec nimie nec semper agendum est, ne dum quæritur ab uberibus lac, sanguis sequatur. Plerumque enim qui dum verba sacri eloquii plus quam debent discutiunt, in carnalem sensum cadunt. Dicuntur augmenta cassæ spei sive fiduciæ, vel fomenta desperationis miseræ, unde ex persona humani generis vel cujuslibet pœnitentis Job ait : *Quare non in vulva mortuus sum, egressus ex utero non statim perii ? cur exceptus genibus, cur lactatus uberibus ?* Vulva peccantis hominis est culpa latens; exit homo ab utero cum peccator quæ in occulto commisit, in aperto committere non erubescit; genibus excipitur, cum jam de sua iniquitate non confunditur ; uberibus lactatur, cum vel falsa spe Dominicæ misericordiæ pascitur, vel aperta miseria desperationis.

Ulmus, proprie. Dicitur sæcularis mens, unde propheta : *Ponam in deserto abietem et ulmum ;* ulmus sæcularis mens, quæ dum terrenis inservit, nullum spiritualem fructum gerit

Ulnæ dicuntur brachia. Dicuntur etiam mensuræ, unde pannus dicitur esse sex ulnarum vel plurium. Dicuntur etiam opera vel prædicationes, unde Isaias: *Et afferent filios suos in ulnis*, id est prædicatores de gentibus, o Ecclesia, afferent tibi filios suos prædicationibus per fidem.

Ultra quandoque ponitur in vi præpositionis et aliquando notat excessum in tempore. Aliquando excessum in loco et in multis aliis, quod in diversis

(71) Deest aliquid.

patet adjunctis. Quandoque ponitur etiam in vi adverbii, aliquando notat excessum in verbo, ut si dicam : *Iste est sapiens ultra quam dici potest.* Aliquando excessum in fide : unde : *Expavit Isaac stupore vehementi ultra quam credi potest.* Aliquando in intellectu, unde in Psalmo : *Dominus regnabit in æternum et ultra*, id est quam intelligi potest. Aliquando notat excessum temporis, id est æternitatem, unde sic potest exponi præmissa auctoritas : *Dominus regnabit in æternum et ultra ;* in æternum, id est quandiu creaturæ erunt, et creaturæ possunt desinere esse natura, quia quidquid initium habet, habet et suæ existentiæ terminum ; *et ultra*, quia non poterit desinere esse actu vel natura.

Ululare proprie. Notat etiam *flere*, unde Isaias : *Ululate, naves Tharsis.* Notat etiam *compati* vel *condolere*, unde propheta : *Idcirco ululabit Moab ad Moab*

Ululatus, proprie est luporum vel canum. Dicitur clamor horribilis, unde : *Vox in Rama audita est, ploratus et ululatus magnus.* Dicitur clamor pugnantium, unde apud Isa. ululatus exercitus dicitur.

Umbilicus, proprie. Dicitur luxuria, unde in Job : *Fortitudo ejus in lumbis ejus et virtus illius in umbilico ventris.* Seminaria quippe coitus viris lumbis inesse, feminis autem in umbilico esse perhibetur, quia potestati diaboli utriusque generis sexus valde ex luxuriæ infirmitate substernitur, et fortitudo ejus contra masculos in lumbis, et virtus illius contra feminas [in umbilico] esse perhibetur. Dicuntur imperfecti in Ecclesia Dei, quia si mundo licite adhærent, Christum tamen bene annuntiant ; unde in Cant. : *Umbilicus tuus sicut crater tornatilis, nunquam indigens poculis.* Etiam Jerusalem dicitur umbilicus.

Umbra, proprie. Dicitur protectio, unde David : *Sub umbra alarum tuarum protege me.* Dicitur peccatum quod ducit ad mortem æternam et habet quamdam similitudinem cum morte ; quia, sicut mors separat animam a corpore, ita peccatum separat animam a Deo ; unde Isaias : *Sedentibus in tenebris et in umbra mortis.* Dicitur homo, qui comparatur umbræ propter sui transitum, quia nunquam in eodem statu permanet, unde Job : *Homo natus de muliere brevi vivens tempore*, etc., *et fugit velut umbra.* Dicitur gratia Spiritus sancti, unde in Luca : *Et virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Dicitur oblivio, unde : *Illuminare his, qui in tenebris et in umbra moris sedent.* In umbra mortis sedere est a divini amoris notitia, in oblivione latescere. Dicitur ignorantia vel error præsentis vitæ, unde : *Donec aspiret dies et inclinentur umbræ.* Dicitur finis sæculi, unde : *Donec aspiret dies et inclinentur umbræ*, id est usque ad finem sæculi. Dicitur mors, unde, Virgilius :

Vitaque cum gemitu fugit indignata sub umbras.

Dicitur anima, unde Lucanus :

> *Dumque superba foret Babylon spolianda tropæis*
> *Ausoniis, umbraque erraret Crassus inulta.*

Dicuntur figuræ Veteris Testamenti, unde solet dici quod adveniente Veritate, cessare debet umbra. Dicitur obscuritas legis, unde Habac. : *Operuit montes umbra ejus*, id est obscuritas prophetarum involvit magistros. Dicitur cura vel sollicitudo, unde secundum aliam expositionem umbra, id est sollicitudo ejus operuit montes. Dicitur virtus, unde in Cant. : *Sub umbra illius quem desiderabam sedi*, id est virtutibus, quæ sunt umbra divinæ majestatis. Dicitur requies vel refrigerium, unde Job : *Servi desiderant umbram.* Dicitur torpor mentis sicut de peccante homine scriptum est : *Qui assecutus est umbram ;* calorem enim charitatis fugiens veritatis solem homo deserit et in umbram frigoris terræ se abscondit. Dicitur quies æterni refrigerii, unde in Job : *Sicut servus desiderat umbram, et sicut mercenarius præstolatur finem operis sui, sic ego habui menses vacuos, et noctes laboriosas enumeravi mihi ;* umbram servo desiderare est post tentationis æstum sudoremque operis refrigerii æterni quietem quærere ; bene autem qui desiderat umbram servus vocatur, quia electus quisque quousque infirmitatis conditione constringitur, sub dominantis jugo quasi sub æstus anxietate tenetur ; qui nimirum cum corruptione exutus fuerit, tunc sibimet liber et tranquillus innotescit. Dicitur ignorans Dominum, unde David : *Si ambulavero in medio umbræ mortis*, quia et caligo mortis est obscura et ad mortem ducit. Dicitur præsens vita, unde : *Si ambulavero in medio umbræ mortis*, id est præsentis vitæ. Dicitur hæreticus, vel schismaticus qui est umbra mortis, unde sic potest exponi prædicta auctoritas : *Si ambulavero in medio umbræ mortis*, id est inter hæreticos et schismaticos

Ungere, proprie. Notat divina gratia reficere, unde : *Propterea unxit te Deus tuus oleo lætitiæ*, id est divina gratia, etc.

Unguentum, proprie. Dicitur donum Spiritus sancti, unde in Cant. : quia *Dulciora sunt ubera tua vino, fragrantia unguentis optimis.* Dicitur gratia Dei, unde David : *Sicut unguentum in capite quod descendit*, etc. : hic enim unguentum significat plenitudinem gratiæ quæ fuit in Christo. Dicitur virtus, unde in Cant. : *Curremus in odorem unguentorum tuorum*, id est in opinionem tuarum virtutum. Dicitur etiam miraculum, ut in præfato exemplo : *Curremus in odorem unguentorum tuorum*, id est in famam nominis tui. Dicitur fides æternorum bonorum, quæ unguentis sunt comparabilia, unde iterum : *Curremus in odorem unguentorum tuorum.*

Unguis proprie. Dicitur planum, unde solet dici : *Istud factum est ad unguem*, id est plene et plane. Dicitur finis rei, unde per prophetam dicitur : *Peccatum Judæ scriptum stylo ferreo in ungue adamantino*, hoc superius dictum est. Culpa Judæorum per fortem Dei sententiam in fine punienda servatur.

Ungula, proprie. Dicitur persecutio vel suggestio diaboli, unde in Job : *Terram ungula fodit*, id est diaboli suggestio ad corda terrenorum pervenit. Dicitur virtutum perfectio, unde de prædicatore Job ait : *Terram ungula fodit*, quia prædicator audien-

tium virtutum perfectione terrenas cogitationes ejicit et alienat.

Unicornis est animal habens unum cornu in nare, unde et Græce rhinoceros dicitur. Dicitur Christus, unde David : *Et ædificavit sicut unicornis sanctificium suum.* Dicitur Judæus in uno cornu confidens, id est in lege Mosaica, unde David : *Libera me de ore leonis et a cornibus unicornium.* Etiam dicitur singularis potestas, unde Psalmista : *Et exaltabitur sicut unicornis cornu meum*, id est fortitudo mea, quæ consistit in unitate fidelium quæ est sicut unicornis singularis potestas, exaltabitur destructis hæresibus. Dicitur diabolus, unde Job : *Nunquid alligabis rhinocerota ad arandum loro tuo?* Rhinoceros enim interpretatur *unicornis*.

Unicum dicitur singulare. Dicitur unum, unde David : *Unicus et pauper sum ego.* Dicitur humana Christi natura, quæ singulariter dicitur unica, quia singulariter concepta, singulariter nata; unde David : *Erue a framea, Deus, animam meam et de manu canis unicam meam.*

Unum aliquando notat unitatem, unde Boetius in lib. *De sancta Trinitate* : *Quidquid est ideo est quia unum numero est.* Notat simplicitatem divinæ naturæ, unde in Evangelio Christus : *Ego et Pater unum sumus.* Notat immutabilitatem æternæ beatitudinis, unde David : *Unam petii a Domino, hanc requiram.* Notat integritatem, unde dicitur in Symbolo : *Sicut anima rationalis et caro unus est homo, ita Deus et homo unus est Christus.* Dicitur consensus, unde in Act. apostolorum : *Erat eis cor unum et anima una.* Signat unionem, unde omnes dicuntur una Ecclesia; et David : *Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum*, et Philosophus ait : *Participatione speciei plures homines unus.* Notat adjuvationem, unde : *Plures lapides sunt unus acervus.* Notat similitudinem, unde Apostolus : *Qui adhæret Deo unus spiritus est cum eo.* Notat discretionem, unde dicitur : *Smaragdus est unus lapis*, id est ab alio discretus. Notat pluralitatis exclusionem, unde Dominus in Exodo : *Audi, fili Israel : Dominus Deus tuus unus est.*

Urbs, proprie. Dicitur mens, unde Salomon : *Sicut urbs patens et absque murorum ambitu, ita vir qui non potest in loquendo cohibere spiritum suum.* Si enim homo murum silentii non habet, patet inimici jaculis civitas mentis. Dicitur Ecclesia, unde propheta : *Urbs fortitudinis nostræ Sion*, id est Ecclesia.

Urere, proprie. Notat etiam *purgare*, unde David : *Ure renes meos.* Notat luxuria hominem inflammare, unde Apostolus : *Melius est nubere quam uri.* Notat *desiccari*, unde hiems dicitur urere herbas. Poeta enim :

Urit enim campum lini seges, urit avena.

Urgere notat *cogere*. Notat *instare*, unde dicitur in historiis : *Urgebat enim necessitas*, id est instabat, et in hymno :

Solemnis urgebat dies.

Notat etiam *claudere*, unde David : *Neque urgeat super me puteus os suum.*

Ursus, proprie. Dicitur tyrannus vel infidelis, unde : *Vitulus et ursus pascuntur simul*

Urtica, proprie. Dicitur homo injustus qui alios pravo verbo et exemplo pungit, unde Isaias : *Pro urtica ascendet abies*, id est locum malorum occupabunt boni. Dicitur pravæ cogitationis prurigo, unde Dominus per prophetam sub specie Babylonis mentem confusam redarguit, dicens : *Orientur in domibus ejus urticæ et spinæ.* Per urticas cogitationum prurigines, per spinas vitiorum punctiones figurantur. In domibus ergo Babylonis urticæ et spinæ pullulant, quia in confusione mentis reprobæ et desideria cogitationum surgunt, quæ exasperant, et operum peccata quæ pungunt

Usia proprie aliquod compositum ex materia et forma. Dicitur etiam divina natura, unde : *Pater et Filius et Spiritus sanctus una usia.*

Usiosis est res subsistens sua substantiali proprietate, unde homo et asinus dicuntur usioses. Dicitur etiam substantialis proprietas; unde, ut supra dictum est, dicit Augustinus substantiales differentias recipiendas esse inter usioses

Usque, præpositio. Aliquando notat locum, aliquando tempus et multa alia, sicut in diversis Scripturæ locis invenitur, aliquando notat principium inclusive, ut ibi : *A planta pedis usque ad verticem*, id est nec est in vertice. Aliquando exclusive, ut ibi : *Omnes declinaverunt*, etc., *non est usque ad unum*, id est propter solum Christum videlicet, etc. — *Usque* adverbium notat circumvolutionem. Aliquando notat tempus, aliquando locum; tempus, ut ibi : *Sed tu, Domine, usquequo?* Locum, ut cum dicitur : *Usquequo ibimus?*

Usura, proprie. Dicitur peccatum, quia plus redditur in pœnis quam commissum sit in culpis. Dicitur rapina, unde dicit auctoritas quod ab illis licet usuras exigere quibus licet bella ingerere. Dicitur multiplicatio talenti Domini, id est doctrinæ quam debet doctor multiplicare in auditorum animis, unde legitur in Evangelio quod paterfamilias a servis exigit usuram : hic paterfamilias est Christus qui multiplicationem a servis suis, id est doctoribus, exigit.

Ut aliquando ponitur pro *postquam*, unde in Luca : *Ut cognovit quod Jesu accubuisset*, id est postquam. Aliquando pro *quamvis*, et hoc patet. Aliquando pro *ne*, unde in Psalmo : *Quoniam dolose egit in conspectu ejus, ut inveniatur iniquitas ejus ad odium*, id est ne iniquitatem suam agnoscat et odio habeat, secundum quem modum soliti sumus dicere : *Cave ut facias*, id est ne facias. Aliquando notat consecutionem, unde Apostolus : *Lex subintravit ut abundaret delictum*, id est hoc secutum est. Aliquando occasionem, ut in eodem exemplo potest intelligi, ut sit sensus : *Lex subintravit*, id est lex fuit occasio abundantiæ delicti. Aliquando veritatem, unde Paulus : *Habitu inventus ut homo.* Ali-

quando similitudinem, unde idem : *Ut sapiens architectus fundamentum ponit.* Aliquando notat efficientem causam, unde Christus ait : *Ad hoc veni in mundum ut qui non vident videant.*

Uter, proprie. Dicitur homo retinens mandata Dei, sicut uter retinet liquorem, unde David : *Factus sum sicut uter in pruina*, id est mandata Dei retinens inter peccatores. Dicitur aliquis in quo exstincta est concupiscentia, quia uter fit de pellibus mortui animalis, unde secundum aliam expositionem : *Factus sum sicut uter in pruina*, id est mortuus concupiscentiæ. Dicitur homo carnalis, unde Dominus : *Neque mittunt vinum novum in utres veteres, sed vinum novum in utres novos*, quia spiritualia præcepta non sunt mittenda carnalibus, sed spiritualibus Dicitur timor mortis, unde David : *Congregans sicut in utrem aquas maris*, quia infideles, qui per aquas maris signantur, non audent mutire timentes pelli suæ, et ita intus tenent mala quæ non audent foras emittere. Dicitur etiam Ecclesia, unde David : *Sicut in utrem aquas maris Deus congregat*, id est consolidat fluctuantes populos in unitatem Ecclesiæ, quæ Ecclesia mortificat carnem suam. Dicitur confessio mortificati peccati, unde : *Congregans sicut in utrem aquas maris*, id est populos sæculi in confessione mortificati peccati ne libere defluant.

Uterus, proprie. Dicitur occulta Dei substantia, unde David : *Ex utero ante Luciferum genui te.* Dicitur primus motus conscientiæ, unde Job : *Fuissem quasi non essem de utero translatus ad tumulum*, id est de primo motu conscientiæ. Dicitur etiam carnalis observantia Judæorum, unde Christus ad Patrem ait : *In te projectus sum ex utero*, id est carnalibus observantiis legis. Dicitur mens, unde de hypocrita dicitur in Job : *Concepit dolorem et peperit iniquitatem, et uterus ejus præparat dolos ;* mens hypocritæ dolos concipit cum perversa cogitat, iniquitatem parit cum explere cœpit quod cogitavit. Dicitur cogitatio, unde Psalmista : *Erraverunt ab utero, et locuti sunt falsa.* Dicitur divina præordinatio, unde in Job : *De cujus utero egressa est glacies? et gelu de cœlo quis genuit ?* id est de cujus providentia processit gratia quæ refrigerat vitiorum incentiva. Dicitur legalis observantia, unde Apostolus : *Cum autem placuit ei, me segregavit de utero matris meæ*, id est de legali observantia, etc.

Uti, proprie. Notat in usu habere temporalia propter Deum, unde Augustinus : *Uti est rem quam quis habet in usum referre ad id obtinendum quod est frui, Deum videlicet.* Aliquando etiam sumitur pro *frui*; aliquando sumitur pro *habitu*, sed improprie.

Uva, proprie. Dicitur sæcularis mens, unde propheta : *Exspectavi ut faceret uvas et fecit labruscas*, etc. Dicitur caro Christi, unde in Genesi : *Lavabit stolam suam in sanguine uvæ*, id est Christus lavabit carnem suam in proprio sanguine. Dicitur opus malum, unde : *De uva eorum uva fellis*, id est opus eorum pravum. Dicitur fervor dilectionis, unde de hypocritis dicitur : *Nunquid colligunt de spinis uvas;* spinæ, id est tribuli, sunt hæretici qui lacerant et pungunt mentes hominum ; uva est fervor dilectionis ; ficus dulcedo conversationis. Sicut ergo de spinis non nascuntur uvæ, neque de tribulis ficus, sic nec hæretici fervent dilectione, nec student bona operatione; dicitur peccatum, unde Ezechiel : *Patres vestri comederunt uvam acervam, dentes autem filiorum obstupescunt ;* quasi dicat : Posteri puniuntur pro peccatis prædecessorum.

Uxor, proprie. Dicitur Ecclesia. *Quamobrem relinquet homo patrem et matrem suam, et adhærebit uxori suæ*, id est Ecclesiæ, *et erunt duo in carne una*, id est in consimili natura. Dicitur concupiscentia, unde in Evangelio : *Uxorem duxi.* Ille uxorem ducit qui adhæret concupiscentiæ, et inde prava opera generat tanquam filios. Dicitur sensualitas, unde Gregorius : *Tria sunt quæ cogunt hominem a domo exire : fumus, stillicidium et mala uxor;* et in Psalmo : *Uxor tua sicut vitis abundans.*

V

Vacare, proprie. Notat *intendere*, unde Apostolus : *Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu, ut vacetis orationi.* Notat alienum esse vel *cessare*, unde solet dici : *Hoc non vacat a mysterio*, et Judæi vacabant in Sabbato a servili opere. Notat officium non habere, unde legitur quod Dominica vacat, id est non habet officium. Notat *relinqui*, unde poeta :

Quanquam inclyta multum
Cantu ... sed plura vacat.

Notat *licere* vel *delectari*, unde Ovidius

Non vacat admisso subdere calcar equo.

Vacca, proprie. Dicitur etiam fatuus vel indiscretus, unde Psalmista : *Congregatio taurorum in vaccis populorum*, vel. secundum aliam litteram : *In vaccis bubalorum.* Tauri dicuntur hæretici propter superbiam vel petulantiam. Vaccæ, simplices qui ab hæreticis decipiuntur propter simplicitatem.

Vacillare, proprie. Notat *infirmari*, unde : *Vacillantes confirmaverunt sermones vestri.* Notat etiam *dubitare*, unde aliquis dicitur vacillare in fide.

Vadere, proprie. Notat aspectibus humanis subtrahi, unde Dominus : *Vado et venio ad vos.* Notat *obedire* vel mentis motu moveri, unde in Evangelio . *Vade, et tu fac similiter.* Item : *Vade, et amplius noli peccare.*

Væ aliquando insinuat miseriam temporalem, aliquando notat æternam damnationem ; unde in Evangelio : *Væ tibi, Corozain, væ tibi, Bethsaida!* et alibi : *Væ vobis, hypocritæ!*

Vagina, proprie. Dicitur humanitas Christi qui tectus fuit in primo adventu, unde : *Gladius Dei est Christus, qui in primo adventu vagina tectus fuit humanitatis*. Dicitur occulta et prava cogitatio, unde Job : *Egrediens de vagina sua et fulgurans in amaritudine sua*, id est revelabit malitiam suam, id est pravam cogitationem. Dicitur infirmitas, in qua significatione frequenter reperitur in physica (?).

Valitudo. Dicitur fortitudo ; unde et homo dicitur validus, id est fortis. Dicitur etiam infirmitas et validus infirmus, etc.

Vallis, proprie. Dicitur Jerusalem, quæ propter peccatorum dejectionem dicitur vallis, unde Isaias : *Onus vallis visionis*. Dicitur mundus, unde David : *In valle lacrymarum, in loco quem posuit*. Dicitur pœnitens, unde : *Omnis vallis implebitur*. Dicitur humilitas, unde in Canticis : *Descendi in hortum nucum, ut viderem poma convallium*, id est fructus humilitatis. Dicitur humilis. unde David : *Valles abundabunt frumento*.

Vanitas, proprie. Dicitur aliquid terrenum, unde : *Vanitas vanitatum, et omnia vanitas*. Dicitur mutabilitas, unde Apostolus : *Omnis creatura vanitati subjecta est*, id est mutabilitati. Dicitur idolum, quod non est quod esse videtur, unde David : *Utquid diligitis vanitatem et quæritis mendacium?*

Vanum dicitur falsum sive mendacium, unde Psalmista : *Vana locuti sunt unusquisque*. Dicitur transitorium, unde omnia transitoria dicuntur vana ; et David : *Qui non accepit in vano animam suam*, id est cujus anima non adhæsit terrenis. Dicitur etiam inutile sive superfluum, unde verba alicujus dicuntur vana, id est otiosa vel superflua.

Vapor dicitur fumus. Dicitur homo nunquam in eodem statu permanens, unde homo dicitur *vapor ad modicum parens*. Dicitur Filius Dei, unde de Filio Dei dicitur in Sapientia, qui est liber Philonis : *Vapor est causa virtutis Dei ;* quia, sicut vapor procedit a re et est ejusdem naturæ cum re a qua procedit ; per vaporem enim habetur notitia quodammodo de ipsa re vel aliquid tamen est vapor alia vel aliud res a qua procedit : sic Filius procedit a Patre manens in eadem natura cum Patre. Est enim alius Filius, alius Pater, per Filium autem habetur notitia de Patre.

Vas, proprie. Dicitur etiam sacerdotale vestimentum virtutis significativum, unde in lib. Sapientiæ de Aaron dicitur : *Et coronabit illum in vasis virtutis*. Dicuntur arma, unde in Isaia vasa belli dicuntur arma. Dicitur instrumentum organicum, unde Jer. : *A vasis cithararum usque ad omne vas musicum*. Dicitur cor vel conscientia, unde legitur in Evangelio quod *acceperunt oleum in vasis suis*, id est in cordibus vel in conscientiis. Dicitur Scriptura, in qua continetur cibus animæ, unde David : *Confitebor tibi in vasis psalmi*. Dicitur hæreticus qui propinat aliis mortis poculum, unde David : *Et in eo paravit vasa mortis*, id est hæreticos ; vel obscura loca sacræ Scripturæ dicuntur vasa mortis, quia quibusdam sunt occasio mortis. Sancti etiam prædicatores occasionaliter dicuntur vasa mortis, unde Apostolus : *Aliis sumus odor vitæ in vitam, aliis mortis in mortem*. Dicitur auditor qui recipit doctrinam, unde Isaias : *Fraudulenti vasa pessima sunt*. fraudulenti auditores doctoris. Dicitur uxor, unde Apostolus : *Ut sciat unusquisque vestrum vas suum possidere in sanctificatione ;* uxor enim est quasi vas quo utitur homo, et ipsa caste regenda est. Dicitur Ecclesia vel Christus, unde David : *Factus sum tanquam vas perditum*. Dicitur æterna beatitudo, unde Dominus : *Elegerunt bonos in vasa sua*, id est in æternam beatitudinem ; etiam Paulus antonomastice dicitur vas electionis. Boni etiam dicuntur vasa in honorem facta, mali vero vasa contumeliæ. Apud Isaiam etiam vas dicitur navis, dicitur vas papyreum, unde ipse Isaias naves vocat vasa papyrea.

Vastitas idem quod magnitudo. Dicitur destructio vel desolatio, unde Isaias : *Sicut in vastitate hostili*.

Vectis dicitur lignum vel ferrum quod ex transverso ponitur in pariete, ut firmior sit paries ; unde legitur de vectibus qui adhærent parieti. Dicitur lignum, quo mediante aliquid defertur, unde legitur quod vectes immittebantur annulis, quando deferebatur arca. Dicitur diabolus, unde Isaias : *Super Leviathan serpentem vectem*, per hoc diabolum etiam durum insinuat et mollem. Serpentem eum vocat, quia mollis est per blanditias ; vectem vocat, quia durus est per malitiam. Dicitur fortitudo, unde Isaias : *Cor meum ad Moab clamabit, vectes ejus usque ad Segor vitulam consternantem*, id est fortitudo ejus. Segor civitas dicta est vitula propter luxuriam inhabitantium, et dicta est consternans, quia tertio terræmotu funditus eversa est. Dicitur munitio, unde per Isaiam de Chaldæis Dominus dicit : *Et detraxit vectes universos*. Dicitur clavus, unde legitur quod transfixus vecte per caput Amos in terram suam delatus est et mortuus. Dicitur status ille in quo animæ in inferno ita detinebantur ante adventum Christi, quod exire non poterant ; unde de Christo legitur quod *portas æreas et vectes ferreos confregit*, id est quosdam ex inferno liberavit. Status etiam beatorum dicitur vectis eo quod privari paradiso non potuerunt, nec aliquis de malis post diem judicii ipsum ingredi potest ; unde David . *Quoniam confortavit seras portarum tuarum*, vel *vectes* secundum aliam litteram. Dicitur littus maris, unde Dominus ad Job ait : *Circumdedi illud terminis meis et posui vectem et ostia*

Vehemens idem est quod vesanus, quia fertur extra mentem. Dicitur Spiritus sanctus vel quia est væ æternum demens, id est æternam damnationem, vel quia est mentem nostram ad superiora vehens

Vel aliquando ponitur disjunctive, ut si dicam : *Hoc animal est sanum vel ægrum*. Aliquando subjunctive vel elective, ut cum dicitur : *Accipe hoc vel*

illud. Aliquando pro *saltem*, ut cum dicitur: *Non vis illud facere, vel illud fac*, id est saltem. Aliquando notat disjunctionem inter partes temporis, ut cum dicitur: *Iste tota die orat vel legit*, id est, in una parte orat et in alia legit. Aliquando tamen distinguit inter vocabula, ut si dicam: *Matthæus vel Levi*.

Velamen, proprie. Dicitur etiam verecundia, unde Abimelech ait Saræ: *Ecce mille argenteos dedi fratri tuo, hoc erit tibi in velamen oculorum*, id est in verecundiam, quia immunda deprehensa es. Dicitur obscuritas legis, unde Apostolus ait quia adhuc velamen positum est super faciem Moysi; per Moysen lex, per faciem intelligentia, per velamen obscuritas designatur.

Velamentum proprie. Dicitur protectio, unde David: *In velamento alarum tuarum*. Dicitur etiam figura, unde dicitur quod Evangelia latebant sub velamento legis.

Velle proprie notat ratione moveri, unde in Apostolo: *Velle mihi adjacet, perficere autem non invenio*; et alibi in eodem: *Non enim quod volo bonum hoc ago*. Notat ad effectum producere, unde de Deo dicitur: *Omnia quæcunque voluit fecit*. Notat *consulere*, unde de Deo dicitur quod *vult omnes homines salvos fieri*. Notat signa voluntatis exhibere, unde in Evangelio: *Jerusalem, quoties volui congregare*. Notat *approbare*, unde dicitur quod Deus vult malos damnari.

Vellus, proprie. Dicitur Judaicus populus qui primo pluvia divinæ gratiæ est irrigatus, qui tamen ab Ecclesia quasi ovis suo vellere erat spoliandus. Dicitur Synagoga excæcata, unde in Psalmo: *Descendet quasi pluvia in vellus*, quia prius gratia Dei descenderat in Judæos, de quibus elegit apostolos. Dicitur Maria virgo gloriosa, unde sic potest exponi prædicta auctoritas: *Descendet sicut pluvia in vellus*, quia Christus, sine omni strepitu carnis, descendet in uterum virginis. Et congrua similitudo: vellus enim accipiendo vel reddendo aquam, integrum manet, sicut in Virgine integritas ante partum, post partum, in partu permansit.

Vena, proprie. Dicitur initium divinæ inspirationis, unde Job: *Suscepit auris mea venas susurri*. Dicitur origo fontis. Dicitur etiam lingua, unde Salom.: *Vena corrupta et justus cadens coram impio*. Evenit enim sæpe, ut qui majori scientia præditi fulgebant, ad ultimum plus volentes sapere quam fragilitati concessum est humanæ, insipientiæ foveam decidant. Dicitur vis ingenii, unde solet dici: *Hoc processit ex vena ingenii mei*. Dicitur maneries terræ, unde Job: *Habet argentum venarum suarum principia*.

Vendere, proprie. Notat etiam *prædicare*; sancti enim prædicatores prædicationem prærogant et fidem apostolis reportant, unde Joannes in Apoc.: *Ne quis possit vendere vel emere nisi quis habuerit characterem aut nomen bestiæ*; quia ipsi Antichristum non poterunt prædicare sanctum, illos solum

A prædicabunt qui Antichristum imitabuntur. Notat etiam subjici alterius dominio, unde legitur quod Adam vendidit se diabolo pomi edulio. Notat etiam *exponere*, unde David: *Vendidisti populum tuum sine peccato*.

Venenum, proprie. Dicitur deceptio, unde David. *Venenum aspidum sub labiis eorum*. Dicitur ars magica, unde veneficos vocat illos qui magicis utuntur artibus. Eosdem etiam sanctus Joannes in Apoc. vocat veneficos.

Venire idem est quod *ire*. Notat etiam gratiam infundi, unde Christus ait ad Nicodemum de Spiritu sancto: *Nescis unde veniat, et quo vadat*, id est cui se per gratiam infundat.

Venter, proprie. Dicitur etiam memoria, quia sic-
B ut venter continet escas, ita et memoria sententias, unde: *De absconditis tuis adimpletus est venter eorum*. Dicitur doctrina legalis, unde Christus ait ad Patrem: *De ventre matris meæ, Deus meus es tu*, id est ex quo suscepisti doctrinam legalem quæ fuit matris, id est Synagogæ. Dicitur cor, unde in Cant.: *Dilectus meus misit manum suam per foramen et ad tactum ejus venter meus contremuit*, id est ad inspirationem divinam contremuit cor meum. Dicuntur infirmiores qui sunt in Ecclesia Dei, unde David. *Factum est cor meum tanquam cera liquescens in medio ventris mei*; et alibi: *Venter tuus sicut crater tornatilis*. Venter, qui est mollior pars corporis, infirmos in Ecclesia Dei significat, quibus etiam ma-
C nifesta est sapientia Christi et voluntas, cujus manifestatio figuratur per liquefactionem cordis Christi. Dicitur sensualitas, unde in Psalmo: *Conglutinatus est in terra venter noster*. Dicitur compassio, unde Isaias: *Venter meus ad Moab ut cithara clamabit*; id est affectus meæ compassionis consonabunt miseriæ Moab sicut chordæ consonant in cithara. Dicitur conscientia, unde Jer: *Ventrem meum doleo*. Dicitur paradisus, unde Job: *Cur non conclusit ostia ventris qui portavit me, nec abstulit mala ab oculis meis*. Ex paradiso namque humanum genus velut de ventre prodiit, ubi conceptio nostra inchoavit, ubi origo hominum homo primus habitavit, sed hujus ventris ostia serpens aperuit, quando prava persuasione hominem a paradiso ejecit. Di-
D citur caro, unde in Psalmo: *Conturbatus est in ira oculus meus, anima mea et venter meus*. Dicitur avaritia, unde de iniquo dicitur in Job: *Confringens nudavit pauperis domum, rapuit et non ædificavit eam, nec est satiatus venter ejus*. In *Moralibus*. *Domum pauperis confringit et nudat, qui eum quem per potentiam nudat et conterit, exspoliare quoque per avaritiam non erubescit. Rapit et non ædificat eam quia non solum de suo nihil tribuit, sed etiam quod erat alienum tulit. Bene ergo subditur: «Nec satiatus est venter ejus.» Venter quippe iniqui avaritia est, quia in ipsa colligitur quidquid perverso desiderio glutitur. Liquet vero quia avaritia desideratis rebus non minuitur, sed augetur*. Dicitur luxuria sicut Dominica voce serpenti dicitur: *Pectore e*

ventre repes, id est per superbiam et luxuriam terrenos decipies

Ventilabrum est proprie instrumentum quod discernit grana a paleis. Dicitur etiam judicium, unde in Evangelio : *Ventilabrum in manu ejus.*

Ventilare proprie. Notat *purgare*, unde in Evangelio dicitur quod *Dominus ventilabit aream suam.* Notat *agitare*, unde Theodolus :

Ventilat æstro... decoratam cornibus Io.

Notat *propulsare*, unde auctoritas quod ideo prædicatores assimilantur arietibus quia cornibus, id est duorum Testamentorum auctoritatibus, ventilant inimicos. Notat *moveri*, unde in Job quod justus non ventilatur omni vento, id est non movetur omni tentatione.

Ventus, proprie. Dicitur fluxus vitæ humanæ, unde Job : *Vita mea tanquam ventus urens*, id est fluxus humanæ vitæ. Dicitur divina vindicta, unde Job : *Tollet eum ventus urens*, id est divina vindicta. Dicitur etiam malignus spiritus, unde secundum aliam expositionem : Quis enim hoc loco ventus urens vocatur nisi malignus spiritus, qui desideriorum flammas in corde excitat, ut ad æternum supplicium trahat. Dicitur transitoria prosperitatis, unde in Job legitur : *Elevasti me, quasi super ventum ponens, elisisti me valide ;* per ventum transitoriæ vitæ prosperitas designatur, et quia præsentis vitæ gloria quasi in alto cernitur et nulla stabilitate solidatur, elevatus velut super ventum ponitur qui prosperitate transitoria lætatur ; sed valide eliditur, quando ab illa gloria in profundum adversitatis dejicitur. Dicitur etiam res transitoria, unde in persona infirmorum ait Job : *Sicut ventus abstulisti desiderium meum ;* venti nomine res transitoria accipitur, ventus ergo desiderium tollit, cum res transitoria æternitatis appetitum tollit. Dicitur concussio extremi judicii, unde propheta : *Vidi et ecce ventus turbinis veniebat ab aquilone ;* per ventum pertubatio ultimi judicii, per aquilonem peccatorum frigiditas designatur ; ventus ergo turbinis ab aquilone venit, quia nimirum causa peccatorum exigunt ut districti judicii concussio omnia simul elementa conturbet. Dicitur superbia, unde David : *Non sic impii, non sic ; sed tanquam pulvis quem projicit ventus a facie terræ.* Dicitur gravis tentatio, unde Psalmista : *Fiant tanquam pulvis ante faciem venti*, id est cedant minori tentationi aute instantiam majoris. Dicitur fertilitas doctrinæ, unde de levibus et instabilibus dicitur quod cedunt omni vento doctrinæ. Dicitur pars mundi, unde legitur quod electi colliguntur in quatuor ventis, id est plagis. Dicitur prædicator, unde David : *Qui producit ventos de thesauris suis*, id est prædicatores mittit secundum quod præordinavit. Dicitur anima, unde David : *Et volavit super pennas ventorum*, quia cum comprehensibilitas ejus superat virtutes animarum, quibus se pennis a terrenis timoribus liberat, in auras sustollunt. Dicitur inutilitas vel men-

A dacium, unde : *Vos profertis verba in ventum*, id est otiosa vel falsa.

Venundare idem est quod *vendere*, unde : *Venundatus est Joseph.* Notat peccato subjici, unde Job in persona generis humani ait : *Venundatus sum sub peccato.*

Vepres proprie dicuntur peccata, unde in Isaia de Synagoga legitur quod ascendent super eam vepres. Dicitur Deus qui æterna pœna punit malos, unde Isaias : *Quis dabit me spinam et veprem?* Dicitur malus, unde Isaias : *Succensa est quasi ignis impietas, veprem et spinam vorabit.*

Verax dicitur aliquis ratione immutabilitatis. Dicitur aliquis ratione promissionis qua solvit quod promittit, unde : Solus Deus verax : quia solvit quod

B promittit et solvere potest. Dicitur aliquis ratione enuntiationis, quia verum annuntiat, unde : Solus Deus dicitur verax, quia falsum dicere non potest.

Verber, proprie. Dicitur correctio, unde : *Meliora sunt verbera corrigentis amici quam oscula blandientis inimici*, quia ille punit zelo justitiæ, etc.

Verbum, proprie. Significat intellectum et dicitur verbum a *verbere*, id est passione animæ. Intellectus enim animæ passio dicitur, unde Aristoteles : *Ea quæ sunt in voce sunt notæ earum passionum quæ sunt in anima*, id est intellectuum. Dicitur vox exterior significans intellectum, unde : *Verba mea auribus percipe, Domine.* Dei Filius etiam dicitur Verbum, quia sicut intellectus procedit a mente et est coævus menti, alius tamen a mente, sic Filius pro-

C cedit a Patre, Patri coæternus, alius tamen a Patre ; unde et vox materialis verbum dicitur, vel quia significat verbum mentis, id est intellectum ; vel a verbere aeris, quia plectro linguæ formatur, unde et Plato vocem vocat plagam aeris. Quod autem Dei Filius Verbum dicatur, Joannes evangelista insinuat, dicens : *In principio erat Verbum.* Et Augustinus affirmat super eumdem locum. Dicitur etiam res digna verbo. Legitur in lib. Regum : *Non fuit in domo Domini quod non ostenderet eis Ezechias*, id est res digna verbo. Est etiam verbum res inutilis, unde ait David ad Eliab fratrem suum : *Nunquid non verbum est ?* id est res inutilis, vel nunquid non habeo in mente quod dico in ore ? Dicitur falsum et otiosum, unde solet dici : *Verba sunt hæc*, id est

D falsa vel otiosa.

Verecundia dicitur pudor, unde Apostolus : *Ad verecundiam vestram dico.* Dicitur timor, unde Psalmista : *Induantur confusione et verecundia.*

Veritas, proprie. Dicitur Deus, unde in Evangelio : *Ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati*, etc. Etiam Christus ipse de se ipso dicit : *Ego sum via, veritas et vita.* Dicitur bonum æternum, unde in Evangelio : *Deus spiritus est et qui adorant eum in spiritu et veritate*, id est in bona intentione et pro æternis. Dicitur virtus qua homo solvit quod promittit, unde Tullius veritatem ponit inter speciem virtutis. Dicitur bona operatio, unde Apostolus : *Sed in azymis sinceritatis et veritatis*, id est puritate innocentiæ id est bona operatione. Di-

citur confessio veritatis, unde David : *Veritas de terra orta est*, id est confessio de homine peccatore nata est ut se accuset. Dicitur adimpletio promissionis, unde David : *In veritate disperde illos, et sicut promisisti*; et alibi secundum aliam expositionem : *Misericordia et veritas obviaverunt sibi*. Dicitur justitia, unde : *Misericordia et veritas obviaverunt sibi*, id est in Christo convenerunt misericordia et justitia. Dicitur effectus justitiæ, unde David : *Universæ viæ Domini misericordia et veritas*, id est in omni opere Dei est effectus misericordiæ et justitiæ. Dicitur manifestatio effectus justitiæ divinæ, unde secundum aliam expositionem : *Universæ viæ Domini*, id est viæ Domini dicuntur duo adventus Domini. Primus quando venit in carne ut judicaretur, secundus quando veniet ad judicium ut mundus judicetur ab eo. In primo manifestatus est effectus misericordiæ, in secundo manifestabitur effectus justitiæ, quando omnes generationes judicabuntur ab eo.

Vermiculus, proprie. Dicitur etiam David vermiculus propter sui humilitatem et fortitudinem, unde legitur in lib. Reg. de eo : *Ipse est tenerrimus ligni vermiculus*. Dicitur color rubeus, unde : *Fuerint peccata vestra rubea quasi vermiculus, velut lana alba erunt*. Dicitur distinctio vel varietas, unde in Cant. dicitur : *Murenulas aureas faciemus tibi vermiculatas*, id est distinctas vel variatas.

Vermis, proprie. Dicitur Christus, unde David : *Ego sum vermis et non homo*. Vermis de terra nascitur sine semine, sine strepitu; graditur, conculcatur, vilipenditur. Sic Christus natus est de Virgine sine virili semine, inter homines humiliter vixit; de quo dicit propheta, quod *non aperuit os suum*, id est *tanquam agnus coram tondente se obmutescit*, a Judæis contemptus et conculcatus, occisus fuit. Dicitur peccatum, unde in Job : *Putredini dixi : Pater meus es, mater mea et soror mea vermibus*; propter hoc quod *dixi : Pater meus es*, insinuavit quod omnis homo ab origine vitiata descendit; unde et addit : *Mater mea et soror mea vermibus*, quia scilicet et ab ipsa putredine, et cum ipsa in hunc mundum venimus : quantum ad materiam quippe corruptibilis carnis mater mea et soror mea vermes sunt, quia de putredine processimus, et cum putredine venimus quam portamus. Dicitur amaritudo conscientiæ, unde : *Vermes non morientur*. Dicitur homo, unde legitur : *Et si filius hominis vermis*. Dicitur carnalis delectatio, unde in Job de luxurioso : *Dulcedo illius vermis*, quia is qui in desiderio carnalis corruptionis exæstuat, ad fetorem putredinis anhelat. Dicitur etiam cura carnalis, unde de iniquo divite ait Job : *Iste moritur robustus et sanus, dives et felix; viscera ejus plena sunt adipe et medullis ossa irrigantur. Alius vero moritur in amaritudine animæ suæ, absque ullis opibus; et tamen simul in pulvere devenient et eos vermes operient*, quia vel istum ut cupita habeat, vel illum ne habita amittat, carnales cogitationes premunt.

Vernaculus vel verna servus natus in domo domini sui. Dicitur etiam famulus, unde legitur in Genesi quod Abraham duxit secum trecentos vernaculos.

Versus est metrica oratio; versus etiam propositio est secundum quod dicitur : *Ille respondet versus illam partem*. Dicitur etiam clausula, unde et clausulæ psalmi versus dicuntur. Similiter in lectionibus aliquis etiam homo dicitur versus ad hoc factum vel ad illud negotium.

Vertere proprie. Notat etiam *convertere;* unde David : *Verte impios, et non erunt*.

Vertex dicitur summitas rei, unde et vertex montis dicitur; caput etiam omnis vertex dicitur. Arcticus etiam polus qui semper nobis apparet et super nos videtur elevari vocatur vertex, unde ait poeta :

Hic vertex nobis semper sublimis.

Dicitur etiam fides, unde de Juda ait Jeremias : *Filii quoque Mempheos et Thanis constupraverunt te usque ad verticem*. Per verticem fidei sublimitas intelligitur; usque ad verticem stuprari est post malæ operationis usum etiam usque ad ipsam fidei sublimitatem corrumpi. Dicitur major in Ecclesia, unde Isaias : *A planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas*, id est a majori usque ad maximum, unde et Petrus dictus est vertex apostolorum. Dicitur ratio, unde David : *Convertetur dolor ejus in caput ejus et in verticem*.

Vertigo dicitur volutio. Dicitur etiam infirmitas, ut legitur in physica. Dicitur etiam stupor, vel timor, unde Isaias : *Dominus miscuit in medio spiritum vertiginis*.

Verus est proprietas qua aliquis dicitur verus, quia enuntiat verum, unde David : *Non est in ore eorum veritas*. Et est ratio, qua aliquis intendit dicere verum, unde Paulus : *Veritatem dico vobis, et non mentior*. Dicitur aliquis verus ratione essentiæ, unde Deus dicitur esse verus, quia immutabilis est, vel immutabiliter est, unde in Symbolo : *Deum verum de Deo vero*. Dicitur etiam Deus verus contra falsos deos, qui non sunt veri dii. Homo etiam dicitur verus, quia enuntiat verum verbum; etiam dicitur verum, quia verum est quod dicitur; propositio dicitur vera, quia verum significat. Intellectus dicitur verus, quia verum conspicit. Juramentum etiam dicitur verum, quando, habet tres comites, judicium, justitiam et veritatem : judicium quoque dicitur verum, id est rectum. Doctrina dicitur vera, quia verum docet, unde auctoritas : *Omne verum a Deo est*, id est omnis doctrina vera.

Vespa est proprie species muscæ. Dicitur terror, unde Dominus in lege promittens filiis Israel quod præmittat vespas ante eos, id est in adventu eorum immittet terrores spiritus habitantibus in terra promissionis.

Vespere. Hoc nomen *vesper* vel hoc nomen *vespere* ejusdem sunt significationis, et notant aliquando vesperam diei vel temporis, unde in Gen. :

Et factum est vespere et mane dies unus. Aliquando notat vesperam gratiæ, id est defectum gratiæ, unde in Psalmo : *Ad vesperam demorabitur fletus*, id est miseria incipiens a vespera, id est a defectu gratiæ in Adam et in multis, demorabitur et secundum multas calamitates. Aliquando notat vesperam vitæ, unde in Psalmo : *Exibit homo ad opus suum usque ad vesperam.* Aliquando notat finem mundi, unde dicitur quod Christus natus est in vespera mundi. Aliquando notat adversitatem, unde Isaias : *De mane usque ad vesperam finies me.* Aliquando notat noctem, unde Matthæus : *Vespere autem Sabbati*, id est nocte, ut aperte intelligatur; et ne intelligeres noctem antecedentem Sabbatum et non subsequentem, adjicitur : *Quæ lucescit in prima Sabbati*, id est in cujus fine lucescit prima dies Sabbati, id est dies Dominica. Aliquando notat torporem otii, unde in Job : *Si dormiero, dicam : Quando surgam? et rursum exspectabo vesperam.* Somnus torporem, surrectio excitationem actionis, vespera torporem otii significat. Sancta vero mater Ecclesia, usquequo vita corruptionis ducitur, flere mutabilitatis suæ damna non desinit. Quasi dicat : Et quietus exercitium actionis appeto et exercitatus otium quietis.

Vestigium, proprie. Dicitur pes, unde in hymno :

Confixa clavis viscera
Tendens manus vestigia,

id est extendens manus et pedes in cruce. Dicitur opus, unde sancti dicuntur imitari Christi vestigia, id est opera. Dicitur sanctus imitans opera Christi, unde David : *Ut non moveantur vestigia mea*, id est apostoli et alii sancti non movebuntur a bonis operibus. Dicitur doctrina Christi, unde secundum aliam expositionem : *Ut non moveantur vestigia mea*, id est doctrinæ meæ. Dicitur etiam ratio operum Dei, unde dicitur : *Forsitan vestigia Dei comprehendens*, id est rationes operum ejus. Dicitur signum quod reliquit Christus suis ad imitandum, unde David : *Dilatasti gressus meos et non sunt infirmata vestigia mea*, quia virtutes quas reliquit suis ad imitandum, non sunt infirmatæ in se vel in suis. Dicitur pravum opus, unde in Cant. : *Egredere et abi post vestigia gregum*, id est post varios actus errantium sequere. Non præcipit, sed permittit, et quid sit eventurum prædicit. Dicitur interior affectus, unde Job : *Et vestigia pedum eorum considerasti*, id est affectus.

Vestimentum, proprie. Dicitur humana Christi natura, unde propheta : *Quare ergo rubrum est indumentum tuum et vestimenta?* Dicuntur sancti qui induunt vel induuntur a Christo, unde David : *Sicut myrrha et gutta et casia a vestimentis tuis*, et alibi : *Sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron, quod descendit in oram vestimenti ejus.* Dicitur status innocentiæ et immortalitatis, unde in Apoc. : *Beatus qui vigilat et custodit vestimenta sua.* Ille servat vestimenta sua qui gravioribus pecca-

A tis se non maculat. Sacræ Scripturæ vel sacramenta Ecclesiæ dicuntur esse etiam vestimenta Christi, unde David : *Diviserunt sibi vestimenta mea.* Per illos qui vestimenta diviserunt perversores Scripturarum intelliguntur. Sicut enim illi actualiter vestimenta diviserunt, sic qui non intendunt ad unitatem spiritualia sacramenta et sacras Scripturas corrumpunt per hæreses et pravam expositionem. Dicitur opus, unde Salomon : *Vestimenta tua semper sint candida.* Dicitur divinitas quæ ambit hominem sicut vestimentum, unde David : *Amictus lumine sicut vestimento*, quia Christus in divinitate invisibilis est. Dicitur homo, unde homo dicitur quasi vestimentum quod comeditur a tinea. Dicitur conventus malorum qui ambit diabolum, unde apud Je-
B remiam dicitur vestimentum concretum sanguine. Dicuntur cœli qui permutabuntur in die judicii, unde David : *Ipsi peribunt, tu autem permanes, et omnes sicut vestimentum veterascent.* Dicitur etiam corpus humanum, unde de sanctis potest prædicta auctoritas exponi, quia *sicut vestimenta veterascent*, id est corpus consumitur.

Vestire. Notat *circumvallare* vel *insignire*, unde dicitur ad Ecclesiam : *Vivit Dominus, quia his omnibus velut ornamento vestieris.* Notat *velare*, unde divinitas dicitur vestita humanitate, id est velata.

Vestis, proprie. Dicitur etiam charitas quæ dividi non potest, quia de sola divina gratia confertur; unde Psalmista : *Super vestem meam miserunt*
C *sortem*, quia charitas divina, quæ per tunicam inconsutilem figuratur, sola divina gratia datur, quæ per sortem signatur. Dicitur corpus Christi, unde Isaias : *Quis est iste qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra?* Dicitur etiam Ecclesia Dei, unde Joannes : *Vestitus erat veste aspersa sanguine*, quia Ecclesia in martyribus proprio sanguine est perfusa.

Vetus, proprie. Dicitur infirmus, unde Adam dicitur vetus quia infirmatus per culpam et pœnam. Dicitur aliquis carnalis, unde in Evangelio : *Neque mittunt vinum novum in utres veteres*, quia austeritas legis non erat imponenda apostolis (*sic*), quia erant veteres, id est carnales. Dicitur etiam infirmans, unde culpa dicitur vetus, quia nos perducit ad infirmitatem culpæ et pœnæ, unde Apostolus ait quod,
D cum Christo vetus homo crucifixus est. Dicitur abolitum, unde in Levit. : *Vetustissima veterum comedetis, et novis supervenientibus, vetera projicietis*, id est cærimonalia quæ sunt abolita; vetustissima sunt præcepta naturæ, vetera legis Mosaicæ præcepta, nova præcepta Ecclesiæ doctrinæ.

Vetustas, idem quod antiquitas. Dicitur infirmitas pœnæ vel culpæ (72), unde legitur quod Christus sua simplici vetustate, scilicet infirmitate pœnæ et culpæ. Dicitur abolitio legis Mosaicæ, unde dicit auctoritas Apostoli quod ambulare debemus in novitate vitæ, non in vetustate, etc.

Via, proprie. Dicitur pœnitentia qua viandum est, unde propheta : *Parate viam Domini, rectas fa-*

(72) Deest aliquid.

cite in solitudine semitas Dei nostri. Dicitur prælatus qui debet nobis exemplum præbere vivendi, unde in Thren. : *Viæ Sion lugent, eo quod non sint qui veniant ad solemnitatem.* Dicitur lex divina per quam incedere debemus, unde David : *Beati immaculati in via.* Dicitur præceptum divinum vel bona operatio, unde in lib. Sapientiæ : *Justum deduxit Dominus per vias rectas.* Dicitur mundus, unde David : *Beatus vir qui non abiit*, etc., *in via peccatorum.* Dicitur fides vel virgo Maria, unde Psalmista : *Deus meus, impolluta via ejus*, id est fides sancta et immaculata virgo Maria. Dicitur Christus, unde in Evangelio : *Ego sum via.* Item : *Et viam pacis non cognoverunt.* Dicitur transitus Christi spiritualis, unde Job de sapientia ait : *Deus videt viam ejus et ipse novit locum ejus.* Quisquis prædicando a sordibus vitiorum emundat corda audientium, viam sapientiæ præparat venienti. Habet ergo sapientia viam, habet et locum ; viam qua venit, locum quo mânet. *Si quis*, inquit, *diligit me, sermonem meum servabit.* Via in qua Christus venit, locus in quo manet; et quia omnibus est incertum in cujus corde veniat, vel in quo postquam venerit permanendo requiescat, recte nunc dicitur : *Deus intelligit viam ejus et ipse novit locum ejus*, quia solius divinæ visionis est cernere vel quibus modis intellectus sapientiæ ad cor veniat, vel quibus modis mens intellectum vitæ quem percepit non amittat. Dicitur iter rectitudinis, unde : *Si declinavit gressus meus de via.* Quid est via nisi iter rectitudinis? Toties autem de via gressus declinat, quoties cogitatio nostra iter rectitudinis relinquit post sensum erroris. Dicitur latitudo propriæ libertatis, unde in Evangelio : *Intrate per angustam portam, quia lata est porta et spatiosa via quæ ducit ad perditionem.*

Viaticum idem quod victuale. Dicitur corpus Christi, unde legitur quod nulli pœnitenti constituto in mortis articulo negandum est viaticum, id est Eucharistiæ sacramentum.

Vicinus, proprie. Dicitur aliquis volens accedere ad fidem Christianam, unde David : *Factus sum opprobrium vicinis meis.* Dicitur angelus qui Christo adhæret per charitatem, unde in Evangelio de muliere quæ, inventa drachma, convocavit vicinas; quia Christus congratulatur angelis super redemptione humani generis, et majus est *gaudium angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente.*

Victima, proprie, unde Isaac : *Ecce ignis et ligna, ubi est victima holocausti?* Dicitur etiam divina vindicta, unde Isaias : *Victima enim Domini in Bozra.* Dicitur immolatio Christi vel Christus, unde frequenter legimus in sacra Scriptura quod Christus dicitur victima.

Victoria, proprie. Dicitur constantia in martyrio, unde in quadam oratione : *Deus, qui inter cætera potentiæ miracula etiam in sexu fragili victoriam martyrii contulisti.* Dicitur destructio mortis, unde Apostolus : *Absorpta est mors in victoria.*

Vicus dicitur arctior via sicut platea major via dicitur. Dicitur villa, unde Hieronymus dicit Jeremiam oriundum de vico Anathoth. Dicitur vir spiritualis qui, dum ad cœlestia graditur, angustam viam tenet ; sicut platea dicitur qui licite hoc mundo utitur, unde in Cant. : *Per vicos et plateas.* Aliquando tamen dicitur homo carnalis vicus qui discurrit per diversos anfractus vicorum, unde in Evangelio : *Exi cito per plateas et vicos civitatis.*

Videre. Notat *imaginari*, unde : *Quid tu vides, Jeremia?* Et alibi legitur quod Pharao vidit somnum. Notat *audire*, unde legitur quod populus videbat voces et audiebat, quia visus dignior est sensuum; nomine visus aliquando alius sensus designatur, unde ut demonstratio ad quemcunque sensum flat apud grammaticum dicitur fieri oculum. Notat *intelligere*, unde Dominus : *Qui videt me, videt et Patrem meum.* Notat *cavere*, unde in Apoc. : *Vide ne feceris.* Notat *experiri*, unde legitur in Evangelio quod *Simeon accepit responsum a Spiritu sancto non visurum se mortem.* Notat operari ad visum, unde oculus dicitur videre, quia est instrumentum videndi. Deus dicitur videre, id est scire, unde auctoritas : *Quid non videt qui videntem omnia videt.* Deus dicitur videre, id est judicare; unde David : *Vide humilitatem meam de inimicis meis.* Notat *misereri*, unde Dominus ait : *Vidi afflictionem populi mei*, id est misertus sum afflictionis eorum. Notat *approbare*, unde : *Vidit Deus cuncta quæ fecerat*, id est approbavit. Deus etiam dicitur videre qui facit aliquid videri, unde sic potest exponi prædicta auctoritas : *Vidit Deus*, id est videri fecit.

Vidua, proprie. Dicitur plebs hæretica pravitate infecta, unde Job de hæretico ait : *Et viduæ ejus non plorabunt.* Quas viduas ejus accipimus, nisi subjectas plebes morte illius destitutas? Quæ mortem hæretici non plorant, quia in suo errore remanentes, dum sanctum æstimant fuisse prædicatorem suum, spe falsa ne lugeant consolantur. Dicitur anima quæ intelligit se desertam omni auxilio nisi solius Dei, unde : *Viduam ejus benedicens benedicam.* Dicitur Ecclesia, unde legitur quod sua instantia movit judicem vidua. Dicitur aliquis carens spe sæculi, cui etiam error maritus moritur; unde in Psalmo : *Turbabuntur a facie ejus, patris orphanorum et judicis viduarum.*

Vigilare, proprie. Notat curam adhibere, unde Dominus ait : *Ego vigilo super populum meum.* Notat sibi cavere, unde : *Vigilate ergo quia nescitis diem neque horam.* Notat etiam *laborare*, unde de peccatore dicitur : *Ipse ad sepulcra deducetur et in congerie mortuorum vigilabit.*

Vigilia, proprie. Dicitur etiam pars noctis, nox enim dividitur in quatuor partes quæ dicuntur vigiliæ, unde in Gen. : *Factum est in vigilia matutina.* Dicitur cogitatio, unde dicit Salomon : *Vigilia honestatis tabefacit carnem.*

Villa, proprie. Dicitur ambitio sæcularis; unde in Evangelio : *Villam emi et necesse habeo videre eam.* Qui enim ambiunt dignitates sæculares non

possunt venire ad cœnam Dei. Dicitur aliquis qui recipit fidem, quia in eo habitat fides; unde in Cant.: *Commoremur in villis*, vel villæ, ibi accipiuntur pagani de quibus Christus vult facere civitatem suæ prædicationis, etc.

Villicus dicitur custos villæ. Dicitur vicarius Christi qui male utitur suo officio spirituali, unde habemus in parabola de villico iniquitatis. Hieronymus tamen super illam parabolam dicit quod per villicum iniquitatis significatur Paulus.

Vincere, proprie. Notat de diabolo triumphare, unde Joannes: *Vicit leo de tribu Juda*. Notat etiam *confundere*, unde Paulus: *Vince in bono malum*.

Vinctus, proprie. Dicitur aliquis peccatis irretitus, unde in quadam antiph. canitur: *Educ vinctos de domo carceris*. Dicitur detentus in inferno, unde Isaias: *Eduxisti vinctos de lacu in quo non erat aqua*. Dicitur oppressus in tribulatione, unde in Psalmo: *Vinctos in mendicitate et ferro*.

Vinculum, proprie; peccatum, unde David: *Dirupisti vincula mea*, id est peccata mea. Dicitur charitas, quia ligat omnes alias virtutes, unde et vinculum perfectionis dicitur ab Apostolo. Dicitur tenor, unde aliquis ligatur vinculo anathematis. Dicitur pœna æterna, unde Psalmista: *Præcipitabit in monte isto facem vinculi colligati*. Dicuntur blanditiæ et minæ, unde in Psalmo: *Dirumpamus vincula eorum*, quasi dicat Christus: Ita impie agunt infideles contra; sed, o fideles, *dirumpamus vincula eorum*, id est blanditias et minas. Dicitur ratio, unde sic potest exponi prædicta auctoritas: *Dirumpamus vincula eorum*, id est rationes Christi et discipulorum quibus nos astringere volunt, et sic sunt verba persequentium Christum.

Vindemia, proprie, unde Isaias: *Luxit vindemia et infirmata est vitis*. Dicitur vindicta divina, unde idem: *Et faciet Dominus exercituum*, etc., *convivium vindemiæ*, etc.

Vindemiare, proprie. Notat *destruere*, unde de Juda legitur: *Et vindemiant eam omnes qui prætergrediuntur viam*. Transeuntes viam dicuntur, qui temporaliter dominantur, quales frequenter destruxerunt Judam.

Vinea, proprie. Dicitur actio quam usu quotidiani laboris debemus excolere; sed custodes in vineis positi, vineam nostram non custodimus, quia, dum extraneis actionibus intricamur, ministerium nostræ actionis negligimus. Et hoc est: *Posuerunt me custodem in vineis*. Dicitur collectio arborum ferentium balsamum, unde in Cant.: *Botrus cypri dilectus meus mihi in vineis Engaddi*. Dicitur latitudo sacræ Scripturæ, unde de hæreticis ait Job: *Agrum non suum demetunt et vineam ejus quem vi oppresserint, vindemiant*. Potest igitur agri nomine latitudo Scripturæ signari, quam hæretici non suam demetunt, quia extra eam sententias longe a suis sensibus diversas tollunt; quæ vineæ quoque appellatione exprimitur, quia puritatis sententias botros virtutum profert; hanc vineam hæretici vindemiant, quia ex A ea sententiarum botros per suæ intelligentiæ intentionem coacervant. Dicitur anima bonis operibus fecunda, sicut sub cujusdam gentis specie spirituum malignorum malitiam designans, per prophetam Dominus ait: *Vineam meam posui in deserto insidiantibus*; quippe malignis spiritibus Dei vinea in deserto ponitur cum plena fructibus anima humanæ laudis cupiditate dissipatur. Dicitur vita cujuslibet negligentis, sicut per Salomonem dicitur: *Per agrum pigri hominis transivi et per vineam viri stulti, et ecce totum repleverant urticæ, operuerant faciem ejus spinæ*. Per agrum pigri hominis et vineam stulti viri transire est cujuslibet vitam negligentis inspicere, opera ejus considerare quam urticæ et spinæ replent; quia in cordium negligentium duritia terrena B desideria et punctiones pullulant adversantium vitiorum. Dicitur Synagoga, unde: *Homo quidam plantavit vineam*. Dicitur Ecclesia de gentibus aversa, unde in Cant.: *Filii matris meæ pugnaverunt contra me, posuerunt me custodem in vineis*. Dicuntur etiam primitivi fideles, unde in Epithalamio: *Vineæ florentes odorem dederunt*, id est odorem bonæ conversationis.

Vinum, proprie. Dicitur contemplatio cœlestium, unde David: *Et vinum lætificat cor hominis*. Vinum istud est raptus mentis a terrenis ad cœlestia, quod ita inebriat homines quia eos sobrios reddit. Dicitur concupiscentia, unde Apostolus: *Nolite inebriari vino in quo est luxuria*. Dicitur temporalis abundan- C tia, quia præsertim consistit in vino, unde in Psalmo: *A fructu frumenti et vini*, etc. Altior doctrina, unde Salomon: *Vinum enecat parvulos*. Dicitur prava operatio, unde in Deut.: *Fel draconum vinum eorum*. Dicitur prælatus Ecclesiæ qui alios ita inebriat quod eos sobrios facit, unde de Christo dicitur in benedictionibus Jacob: *Pulchriores sunt oculi ejus vino*. Dicitur divina prædicatio, unde Isaias: *Caupones tui miscent vinum aqua*. Ille doctor vel prædicator miscet vinum aqua qui docet vel prædicat intuitu favoris humani vel terreni emolimenti. Dicitur anima quæ recipitur in apothecam æternæ beatitudinis, unde Joannes: *Et ipse calcat torcular vini furoris iræ Dei*. Sicut enim in torculari uvæ tunduntur ut vino promptuaria repleantur, sic nimirum electi D pressurarum afflictionibus conteruntur, ut cœlestis habitaculi recordentur; et quia patienter pressuram sustinent quæ peccatoribus debetur, idcirco bene jam vinum furoris iræ Dei dicuntur. Dicitur austeritas legis, unde in Cant.: *Meliora ubera tua vino*, id est evangelica doctrina austeritate legis. Dicitur spirituale condimentum virtutum et bonorum operum, unde in Epithalamio: *Et dabo tibi poculum ex vino conditum*. Dicitur divinæ prædicationis officium, unde in Cant.: *Guttur tuum sicut vinum*. Dicitur gratia Spiritus sancti, unde: *Introduxit me in cellam vinariam*; Ecclesia Dei in qua resultant dona Spiritus sancti. Dicitur major in Ecclesia Dei in qua aliis præest spirituali gratia, unde in Epithalamio: *Bibi vinum meum cum lacte meo*, quia Ecclesiæ

Dei incorporantur tam majores qui significantur per vinum, quam minores qui significantur per lac.

Vipera, proprie. Dicuntur antiqui Judæi veneno malitiæ debriati, unde Dominus : *Genimina viperarum, quis*, etc. Dicitur diabolus prava persuasione hominem decipiens, unde : *Caput aspidum suget et occidet eum lingua viperæ;* vel per viperam hic intelligitur hæreticus qui prava sua doctrina simplices interficit. Dicitur rex Jerusalem, qui propter malitiam comparatur viperæ, ut Sedechias vel Joachim, unde Isaias : *In terra tribulationis et angustiæ leo et leæna, et ex eis vipera, et regulus volans.*

Vir, proprie. Dicitur virtuosus, unde David : *Beatus vir qui non abiit*. Dicitur maritus, unde in Evangelio : *Jacob autem genuit Joseph virum Mariæ.* Dicitur mas, unde legitur in sacra Scriptura quod viri et mulieres captivati sunt, id est mares et feminæ. Dicitur etiam aliquis perfectus ætate, unde Apostolus : *Occurramus omnes in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi ;* unde solet fieri distinctio inter adolescentem, virum et senem. Dicitur angelus, unde Daniel : *Ecce vir Gabriel.* Dicitur diabolus, unde Jerem. : *Maledictus vir qui annuntiavit patri meo dicens : Natus est tibi puer masculus.* Quid est quod a propheta maledictionis sententiam vir ille accepit, qui nativitatem illius patri nuntiavit? Per prophetam mutabilitas humani generis quæ ex pœnæ merito venit designatur; per patrem ejus, iste de quo nascimur mundus exprimitur. Et quis est ille qui nativitatem nostram patri nuntiat, nisi diabolus qui, cum nos in cogitatione fluctuare desiderat, malorum mentes quæ ex auctoritate hujus mundi præeminent ad persuasionem nostræ deceptionis instigat, cumque nos infirma agere perspexit ea quasi facinora favoribus extollit, et quasi natos masculos loquitur cum corruptores viri per mendacium nos exstitisse gratulatur; patri ergo masculum natum denuntiat, quando huic mundo eum cui persuaserit peccatum, innocentiæ corruptorem demonstrat.

Virere, proprie. Notat charitate vigere, unde in Job : *Nunquid potest virere scirpus absque humore.* Ac si dicat : Populus gentilis absque humore gratiæ non poterit charitate vigere.

Virga, proprie. Dicitur correctio, unde David : *Virga tua et baculus tuus;* et Apostolus : *Veniam ad vos in virga*, id est in justitia inflexibili. Dicitur justitia divina, unde David : *Reges eos in virga ferrea.* Dicitur dominium Christi in fidelibus, unde David : *Virgam virtutis tuæ emittet.* Non de illo regno loquitur Propheta quo Christus regnat apud Patrem, sed de dispensatorio regno temporali quo nos per incarnationem vocavit in æternitatem et in nobis regnat. Et incœpit hoc a Judæis, quia Judæi primo per fidem subditi fuerunt. Dicitur potestas recipiendi necessaria a subditis, unde legitur in Marco quod Dominus præcepit discipulis suis missis ad prædicandum ut non ferrent secum nisi virgam tantum, id est haberent potestatem recipiendi a subditis necessaria. Dicitur persecutio diaboli qua olim persequebatur genus humanum, unde Isaias : *Jugum enim oneris ejus, virgam et sceptrum exactoris ejus superasti, sicut in die Madian.* Dicitur gubernatio qua Christus regit suos, unde David : *Sedes tua, Deus, in sæculum sæculi ; virga directionis, virga regni tui.* Dicitur Ecclesia unde in Cant. : *Quæ est ista quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi.* Dicitur gloriosa Virgo Maria : *Egredietur virga de radice Jesse.* Dicitur Sennacherib, per quem Deus punit Judæos, unde in Jer. : *Virga furoris mei Assur.* Dicitur Christus, unde : *Quid tu vides, Jeremia? Virgam vigilantem ego video, et Dominus ait : Et ego vigilabo super populum meum.* Ex his insinuatur quod Christus vocavit se virgam vigiliarum, proprie enim virga vigiliarum dicitur virga quam latenter fur immittit in domum, tentans utrum homines vigilent in domo an non.

Virginitas est multiplex ; est enim virginitas carnis... virginitas est etiam superficialis quæ est hypocritarum de quibus in diversis locis sacræ Scripturæ.

Virgo proprie dicitur, unde Apostolus : *Despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo.* Virgo dicitur illa quæ si sit corrupta mente, integra tamen corpore, non intuitu Dei, sed favoris humani; unde legitur de quinque fatuis virginibus quæ non sumpserunt oleum. Appropriate etiam mater Christi dicitur Virgo, sicut Urbs Roma. Terra etiam dicta fuit virgo ante peccatum Adæ, quia nullo modo erat corrupta ; unde legitur Adam formatus fuisse de virgine terra.

Virgultum, proprie. Dicitur Ecclesia, unde: *Ascendet sicut virgultum coram eo,* hoc de Christo dicitur.

Viror, proprie. Dicitur delectatio terrena, unde : *Viror omnis interiit.* Dicitur doctor charitatis, unde David : *Posteriora dorsi ejus in pallore auri* vel *in virore auri*, secundum aliam translationem.

Virtus proprie. Dicitur humana Christi natura, unde David : *Domine, in virtute tua liberabitur justus*, id est humana Christi natura lætabitur in eo quod verbo tuo est unita. Dicitur robur corporis, unde David : *Et gigas non salvabitur in multitudine virtutis suæ.* Dicitur potentia divina, unde in Luca : *Et virtus Altissimi obumbrabit tibi*, id est potentia divina. Dicitur potestas sæcularis, unde Psalmista : *Non salvatur rex per multam virtutem suam.* Dicitur ordo angelicus, unde in Evangelio : *Et virtutes cœlorum movebuntur.* Dicitur Evangelium, unde Apostolus : *Virtus enim Dei est in salutem omni credenti.* Dicitur miraculum, unde Christus de hemorroissa sanata per tactum fimbriæ, ait : *Sentio virtutem de me exisse*, id est miraculum ; et in multis aliis legitur Christum et sanctos operatos esse virtutes. Dicitur Apostolus sive prædicator, unde David : *Rex virtutum dilecti*, id est Christi; virtutum suarum, id est apostolorum suorum, et dicitur hoc more veteris Scripturæ. Sicut legitur in Veteri

Testamento : *Fecit Moyses sicut præcepit ei Dominus*. Dicitur etiam effectus rei, unde et herbæ et lapides dicuntur magnas habere virtutes, id est effectus. Dicitur perfectio virtutis, unde David : *Ne projicias me in tempore senectutis meæ, cum defecerit virtus mea*. Vel virtutes dicuntur ibi virtuosi; virtus etiam aliquando dicitur fortitudo, secundum quod distinguitur inter prudentiam, temperantiam, virtutem et justitiam.

Vis, proprie. Dicitur violentia, unde solet dici : *Iste intulit mihi vim*. Dicitur correctio divina, unde in Cant. Isaiæ : *Domine, vim patior*. Dicitur insultus peccati, unde in persona pœnitentis ait : *Domine, vim patior*, id est insultum peccati.

Viscera, proprie. Dicuntur hi qui spiritualibus sacramentis in Ecclesia deserviunt, unde Job in persona Ecclesiæ ait : *Et effudit viscera mea*. Quid enim aliud per viscera sanctæ Ecclesiæ debemus intelligere, nisi eorum mentes qui ejus quædam mysteria in se continent. Sed antiquus hostis cum quosdam qui interioribus sacramentis deservire videbantur, ad sæcularia negotia pertrahit, ejus procul dubio viscera in terram fundit, quia illos in rebus infimis conculcat, qui prius in occultis ac spiritualibus latebant. Dicitur cor humanum, unde David : *Et spiritum meum innova in visceribus meis*. Dicitur compassio, unde legitur : *Commota sunt viscera ejus*. Dicuntur interiora, unde Habac. de idolo ait : *Et spiritus non est in visceribus ejus*.

Viscus est idem quod glutinum. Dicitur etiam retinaculum pravæ consuetudinis, unde solet dicit quod aliquis detinetur visco pravæ consuetudinis.

Visio est perceptio alicujus rei, mediante visu, et hæc visio dicitur corporalis. Dicitur imaginatio, unde Daniel de Nabuchodonosor ait : *Somnum tuum et visiones capitis tui*, et hæc visio dicitur imaginaria vel spiritualis. Dicitur exstasis qua homo rapitur ad contemplationem cœlestium, unde : *Visio Isaiæ prophetæ*, et hæc dicitur intellectualis vel mentalis : prima dicitur primum cœlum, secunda tertium; unde Paulus : *Scio hominem raptum usque ad tertium cœlum*.

Visitare, proprie. Notat *sanare*, unde in Cant. : *Visitavit nos Oriens ex alto*. Dicitur *corrigere*, unde David : *Visitabo in virga iniquitates eorum*. Notat etiam *damnare*, unde Dominus de damnandis ait : *Et post multos dies visitabuntur*.

Vita, proprie, unde Job : *Militia est vita hominis super terram*. Dicitur gratia, unde Ezechiel : *Vita vivet et non morietur*. Dicitur æterna beatitudo, unde in Evangelio : *Procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ*. Dicitur resurrectio, unde David: *Vitam petiit a te et tribuisti ei*, id est resurrectionem; unde et Christus de seipso ait : *Ego sum via, veritas et vita*. Dicitur etiam divina natura, unde in Evangelio : *Sicut Pater habet vitam in se*, etc.

Vitis, proprie. Dicitur Christus, unde in Evangelio : *Ego sum qui sum vitis vera*. Dicitur Ecclesia A vel sapientia, unde : *Ego quasi vitis fructificavi*, etc.

Vitrum, proprie. Dicitur perspicacitas ingenii, unde in Job dicitur : *Non adæquabitur ei aurum vel vitrum*, id est sapientiæ Dei non potest comparari sapientia humana vel perspicacitas ingenii. Dicitur cordis puritas. Nam si ex cæteris metallis conficitur vas aliquid, quidquid intrinsecus ponitur, exterius minime videtur; in vitro autem quidquid interius ponitur totum perspicitur, et ideo per vitrum cordis puritas designatur; unde Joannes : *Ipsa vero civitas aurum mundum simile vitro mundo*. Dicitur puritas fidei quam sancti tenentes manifestant etiam ore, et sic potest exponi : *Ipsa vero civitas*, etc.

Vitta proprie. Dicitur prædicator, unde in Cant.: *Sicut vitta coccinea, labia tua*. Prædicator vitta B dicitur, quia fluxas cogitationes in cordibus hominum suis prædicationibus ne defluant restringit et ne cordis oculos premant.

Vitula, proprie. Dicitur etiam decem tribus, unde Oseas vocat Ephraim vitulam doctam diligere trituram, quia populus Israel assuetus erat sustinere tribulationes et pressuras. Civitas Segor apud Isaiam dicitur vitula consternans, quia tertio motu terræ corruit. Dicitur mens carnalis, unde propheta sub Ephraim specie ait : *Vitula docta diligere trituram*, etc. Vitula enim trituræ laboribus assueta, plerumque ad eumdem laboris usum etiam non compulsa revertitur. Ita pravorum mens hujus mundi servitiis dedita et rerum temporalium fatigationibus C assueta, etiam cum sibi libere vacare liceat, subesse tamen terrenis sudoribus festinat et usu miseræ conversationis trituram laboris quærit, ita ut a jugo mundanæ servitutis cessare non libeat etiamsi liceat.

Vitulus, proprie. Etiam dicitur Christus, unde legitur de patrefamilias quod prodigo filio redeunti obtulit vitulum saginatum. Dicitur oratio, unde : *Reddamus Deo vitulos labiorum nostrorum*. Dicitur sanctus, impinguatus adipe virtutum, unde David : *Et comminuet eos tanquam vitulum Libani*. Dicitur novus populus a jugo legis et a peccato alienus, unde Psalmista : *Tunc imponent super altare tuum vitulos*, id est angeli messores novos populos super altare, id est cœlestem Jerusalem. Dicitur prædicator qui Ecclesiam mugitibus, id est prædicationibus D implet; unde secundum aliam expositionem : *Tunc imponent majores*, scilicet apostoli; *vitulos*, id est prædicatores; *super altare tuum*, id est Ecclesiam.

Vivere aliquando notat vitam temporalem vel corporalem; unde legitur in quadam oratione : *In quo vivimus, movemur et sumus*. Aliquando notat vitam spiritualem, unde Paulus : *Vivo ego jam non ego*. Notat causam vitæ præstare, unde sequitur : *Vivit vero in me Christus*. Dicitur æterna beatitudine frui, unde Dominus : *Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet*. Notat æternaliter esse, unde : *Vivit Dominus*; et alibi : *Vivo ego propter Patrem*. Omnia dicuntur vivere Deo per cognitionem. Arbor etiam dicitur vivere, id est virere; unde in homilia : *Vivunt non per animam sed per viriditatem*. Notat in memoria

esse, unde Priscianus de Virgilio ait : *Virgilius qui scripsit Bucolica vivit*, id est in memoria.

Vocalis, id est sonorosus, unde poeta ait : *Vocalis Orion*. Dicitur littera quæ per se sonum facit, unde grammaticus distinguit inter vocales et consonantes

Vocare, proprie. Notat de non esse ad esse producere, unde Apostolus : *Qui vocat ea quæ non sunt tanquam ea quæ sunt*. Notat *prædestinare*, unde : *Qui vocat ea quæ non sunt*, id est qui prædestinat gentes quæ non videntur esse per idololatriam tanquam ea quæ sunt, id est Judæos qui videntur esse per legis observationem. Notat gratiam infundere, unde : *Qui vocat ea quæ non sunt*, id est ita infundit gratiam suam gentibus sicut Judæis. Notat *inspirare*, unde Apostolus : *Quos vocavit, hos et prædestinavit*.

Volare proprie. Notat ineffabiliter ad cœlestia ascendere, unde David : *Volavit super pennas ventorum*. Notat citissime famam Christi ad universos transire, unde secundum aliam expositionem Christus dicitur volasse, id est famam ejus citissime per universum orbem promulgatam esse, unde et fama dicitur volare, et Virgilius ait : *Fama volat*.

Volucris vel *volucer*, proprie. Dicitur diabolus, unde Dominus : *Volucres cœli comederunt illud*. Dicitur superbus, unde : *Volucres cœli et pisces maris*. Dicitur vir contemplativus, unde : *Volucresque cœli latent*, sapientia Dei subaudi. Dicitur mens spiritualis, unde in Evangelio : *Cui simile est regnum Dei*, etc. *grano sinapis, quod acceptum homo misit in hortum suum, et crevit et factum est in arborem magnam, et volucres cœli requieverunt in ramis ejus*. Ipse est granum sinapis qui in horti sepultura plantatus arbor magna surrexit. Granum fuit cum moreretur, arbor cum resurgeret ; hujus arboris rami sunt prædicatores, in cujus ramis volucres cœli requiescunt, quia sanctæ animæ, quæ quasi quibusdam virtutum pennis æternorum cogitatione se sublevant, ex eorum dictis et consolationibus ab hujus vitæ fatigatione respirant.

Voluntas id est quod subjacet voluntati. Dicitur divina natura, unde legitur : *Voluntati ejus quis resistet ?* Dicitur effectus voluntatis divinæ, unde Christus : *Non veni facere voluntatem meam*. Dicitur subjectum voluntatis divinæ, unde in Evangelio : *Fiat voluntas tua*. Solet etiam distingui triplex Christi voluntas. Voluntas divinitatis qua immutabiliter voluit mori ; voluntas rationis qua constanter voluit mori ; voluntas sensualitatis, qua voluit non mori, unde ipse ait : *Pater, si fieri potest, transeat a me calix iste !* Voluntas etiam dicitur proprie. Dicitur motus voluntatis secundum quod solet dici : *Hæc est mea voluntas*, quasi dicat, ad hoc moveor.

Voluptas, id est delectatio. Dicitur etiam æterna beatitudo ; unde David : *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, et torrente voluptatis*.

Volutabrum, id est involutio luti. Dicitur etiam immunditia peccati, unde dictum est quod peccator est quasi sus in volutabro luti, etc.

Vomer, proprie. Dicitur etiam prædicator, unde legitur quod prædicator vomere suæ prædicationis scindit corda auditorum.

Vomitus, proprie. Dicitur apostasia vel recessus a Deo vel a fide, unde dicitur quod Christianus labens in mortale peccatum est quasi canis reversus ad vomitum.

Votum, proprie. Dicitur oblatio qua sanctus se offert Deo, unde David : *Vota mea Domino reddam*, et hoc *coram omni populo ejus*, ut exemplum capiat. Dicitur voluntas qua sanctus vult se offerre Deo per passionem, unde sic potest exponi prædicta auctoritas, quasi diceret : *Accipiam calicem quod est in voto meo*, id est in desiderio, et postea reddam in ipso actu vota mea. Dicitur etiam votum ipse sanctus, qui se offert Deo, unde in Psalmo : *Vota mea*, etc., quasi diceret : *Sacrificabo hostiam laudis*, utique sic quod reddam Domino vota mea, id est me ipsum, quia sum imago ejus, imago enim reddenda est Deo, juxta illud Domini dicentis in Evangelio : *Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari, et quæ sunt Dei Deo*. Dicitur mentis devotio, unde David : *Immola Deo sacrificium laudis, et redde Altissimo vota tua*, id est mentis devotionem.

Vox, proprie. Dicitur evidentia, unde Dominus Pater ad Cain in Gen. : *Vox sanguinis fratris tui*, etc. id est evidentia effusi sanguinis. Dicitur sonus in aere formatus, qui dictus est vox Patris qui insonuit : *Hic est Filius meus dilectus*. Dicitur præceptum, unde in Evangelio Christus de suis ait : *Et vocem meam audient*. Dicitur desiderium electorum qui desiderant salutem hominum, unde Joannes in Apoc. : *Et audivi vocem magnam de cœlo*. Dicitur Joannes Baptista, unde in Evangelio : *Vox clamantis in deserto*, quia, sicut vox præcedit verbum, sic Joannes præcessit Christum. Dicitur attestatio, unde David : *Abyssus abyssum invocat in voce cataractarum tuarum*, id est Vetus Testamentum consonat Novo, prout attestantur prophetæ et apostoli qui per cataractas sunt significati. Dicitur contractio, unde David : *Elevaverunt flumina, Domine*, etc., *a vocibus aquarum multarum*. Dicitur prædicatio, unde in Cant. : *Vox turturis audita est in terra nostra ; surge, amica mea*.

Vulnerare, proprie. Notat incarnationis Christi causam esse, unde in Cantico : *Vulnerasti cor meum, soror mea ;* verba sunt Christi, quasi dicat ad Eclesiam : Pro amore tuo carnem assumpsi. Notat infidelibus amorem terrenum exstinguere, unde : *Percusserunt me et vulneraverunt me ;* hoc dicit Ecclesia de prædicatoribus qui in cordibus fidelium exstinguunt amorem terrenum.

Vulnus, proprie. Dicitur reatus sive macula animæ, unde ait Augustinus quod si possemus intueri vulnera animæ, inveniremus graviora vulneribus corporis, et alibi in Isaia : *Vulnus et livor et plaga tumens non est circumligata*. Dicitur æterna damna-

tio, unde in Apoc. : *Et factum est vulnus sævum ac pessimum in homines.* Dicitur etiam compunctio, unde dicitur : *Sagittæ Christi*, id est sententiæ sacræ Scripturæ, *penetrant animam ad vulnera.*

Vulpes, proprie. Dicitur hæreticus, unde : *Capite nobis vulpes.* Dicitur Herodes tetrarcha propter sui fraudulentiam, unde Dominus : *Dicite pulvi illi : Non capit prophetam perire extra Jerusalem.* Dicuntur etiam homines fraudulenti, qui in fraudibus suis delectantur quas absciderunt in corde, unde in Evangelio : *Vulpes foveas habent.*

Vultur, proprie. Dicitur etiam Christus propter subtilitatem visus : *Semitam ignoravit avis, nec intuitus est oculos vulturis ;* hoc dicitur de diabolo, qui ignoravit semitas Christi, id est quomodo per vias suæ humilitatis hominem erexit, et qua ratione asumpserit humanitatis indumentum.

Vultus, proprie. Dicitur præsentia, unde Psalmista : *Adimplebis me lætitia cum vultu tuo*, id est cum præsentia tua, cum nihil aliud desiderem quam præsentiam tuam, id est videre te facie ad faciem, sicuti es. Dicitur ratio, unde David : *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine*; hic vultus dicitur ratio; quia [sicut] per vultum habetur notitia de homine, ita per rationem de Deo. Dicitur Filius Dei per quem cognitus est Pater, unde in Psalmo : *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine*, id est sapientia Filii tui signata est super nos, id est impressa superiori parti nostræ, id est animæ. Dicitur conformitas fidelium vel unitas Ecclesiæ, unde David : *Vultum tuum deprecabuntur omnes*, id est conformitatem tuam, o Ecclesia, ne extra positi faciant; sed in vultu sponsæ, id est in unitate Ecclesiæ. Vultus namque Ecclesiæ prodest eleemosynas facientibus, ne extra nidum Ecclesiæ faciant. Dicitur ira Dei, unde David : *Vultus autem Domini super facientes mala*, id est voluptuosos, vindicta videlicet. Dicitur potentia Dei qua dignis innotescit, unde David : *Æquitatem vidit vultus ejus.* Dicitur affectus vel animus humanus, unde in Samuele : *Vultus ejus non sunt amplius in diversa mutati.* Dicitur cognitio divina, unde David : *De vultu judicium meum prodeat*, verba sunt Christi ad Patrem loquentis, id est, secundum ea quæ agnoscis in me, quia nullum peccatum habeo, in me videatur provenisse; non secundum dispositionem Judæorum, quod patet esse factum in resurrectione, quando præter eorum opinionem resurrexit.

Vulva, proprie. Dicitur etiam culpa latens, unde Job : *Quare non in vulva mortuus sum ?* Culpa enim latens occulte peccatorem concipit, et reatum suum adhuc in tenebris abscondit. Est ergo sensus : *Quare non in vulva mortuus sum*, id est in occulta perpetratione peccati cur a carnis vita mortificari nolui. Dicitur abyssus terræ, unde Job : *Quis conclusit ostiis mare quando erumpebat quasi de vulva procedens*, etc. Dicitur charitas Ecclesiæ in qua conversi concipiuntur et nascuntur, dum fidei rudimenta suscipiunt, unde Psalmista : *Alienati sunt peccatores in vulva*, etc.

Z

Zelare significat nimio amore uxorem diligere, unde legitur in passione sancti Clementis : *Zelatus sum uxorem meam.* Notat *invidere*, unde David : *Noli æmulari in malignantibus, neque zelaveris facientes iniquitatem*, id est non invideas facientibus iniquitatem. Notat etiam *imitari*, unde secundum aliam expositionem : *Neque zelaveris facientes iniquitatem*, id est non imiteris. Deo autem gratias qui dedit nobis victoriam per Jesum Christum Dominum nostrum.

Zelotes. Dicitur ille qui nimio amore diligit uxorem. Dicitur etiam Deus zelotes, quia maxima signa charitatis exhibet hominibus, unde in lege : *Ego sum Deus zelotes.*

Zelus, proprie, est invidia, unde David : *Zelus domus tuæ comedit me*, id est Judæa quæ debet esse domus tua ex invidia occidit me. Dicitur amor, unde sic potest exponi prædicta auctoritas : *Zelus domus tuæ comedit me*, id est ex amore quem habebam erga Synagogam subjeci me passioni et morti. Dicitur naturalis dilectio qua simplices inter Judæos putaverunt se obsequium præstare Deo Christum morti exponendo; unde Paulus de ipsis loquens, ait : *Zelum legis habent, sed non secundum scientiam.* Dicitur correctio, quæ est signum amoris, unde dicitur : *Zelus meus recessit a te.*

Zephyrus est nomen venti et nomen dei; utrumque habetur in Ovidio, magis (*sic*) *Metamorphoseos.*

Zeta est nomen litteræ. Dicitur vestibulum domus, unde in passione beati Thomæ legitur : *Faciam tibi zetas hiemales et zetas æstivales.* Dicuntur deambulatoria secundum quosdam, dicuntur thalami secundum alios.

Zizania, proprie. Dicuntur etiam mali, unde in Evangelio : *Colligite zizania ad comburendum.*

Zona, proprie. Dicitur etiam secretum, unde in Evangelio : *Non habeatis æs in zonis*, id est absconditis sapientiam. Dicitur etiam zona, quia constringitur, et significat continentiam sicut habetur in Apoc.; ait enim Joannes quod ille qui apparuit ei habebat zonam auream ad pectus.

Zyma proprie dicitur fermentum. Dicitur etiam malitia, unde in quadam prosa :

Zyma vetus expurgetur,
Ut sincere celebretur
Nova resurrectio

Unde etiam Apostolus : *Expurgate vetus fermentum.*

Expliciunt Distinctiones dictionum theologicalium a magistro Alano editæ.

INDEX ANALYTICUS

RERUM ET VERBORUM

QUÆ IN OPERIBUS ALANI DE INSULIS CONTINENTUR.

Revocatur Lector ad numeros crassiores textui insertos.

A

Aaronis pœnitentia, astruitur, 221.

Abbas. *Vide* Prælatus.

Abire, et declinare quando dicatur Christus, 54

Abraham et Sara angelos hospitio recipientes, comparantur Christo et Ecclesiæ, 125. Abrahæ facta promissio mystice exponitur, 165.

Absolutio. *Vide* Confessio, et peccatorum solutio, etiamsi tempore absolutionis usu sensuum careat, *ibid.* Absolutiones episcoporum generales, in consecrationibus ecclesiarum, etc. quam vim habeant, 265.

Absolvendus est, qui solis nutibus confessariam petiit, 192.

Accusatores hominum tres erunt in judicio, 98.

Acedia. Exhortationis contra acediam themata, 65. *Surge qui dormis, et illuminabit te* Christus. (*Ephes.* v.) *De stercore boum lapidabitur piger.* (*Eccli.*, xxii.) Acedia multorum malorum causa, 65. Acediæ vitium quomodo superandum, *ibid.* Acedia. *Vide* Desidia.

Adam filius Dei fuit, 207. Adam arbori comparatur, 153. Adæ protoparentis vulnera, 75.

Adolescens quam viam quis tenuerit, eam servabit etiam in senectute, 435.

Adulationis descriptio, 311. Adulationis malignitas, 310, 311. Adulatio hominem oppugnat, 414. Superatur a fide, *ibid.* Adulatione quinam magis infici soleant, 310. Adulatorum mores egregie describuntur, *ibid.* Adulatores, sæpe virtutes in vitia convertunt, et e contra, 311.

Adventus Domini. De adventu Domini, sermo habetur insignis, 130. Sub hoc themate: *Rorate cœli desuper*, etc. (Isaiæ, xlv) Adventus Christi triplex, in charitate, in carne, in claritate, 130. Adventus Christi triplex, 146. Adventus Christi per Isaiam prædicatus est, 143. Adventus Christi incomprehensibilis, 147.

Adversitatis fluvius, 398. Adversitates fortunæ æquo animo ferendæ, 72.

Advocatus, seu causidicus, vel orator, 109. Ad advocatos, exhortatio habetur sub hoc themate : *Subvenite oppresso, defendite viduam* (*Isa.* i), 109. Advocatorum munus commendatur, 109. Advocato quæ virtutes necessariæ, *ibid.* Advocati de quibus admonendi, 107. A quibus abstinere debeant, 109. Viduarum patrocinium eis commendatur, *ibid.* Advocati spiritualis officium, 110. Adulterium, grave crimen est, 114. Adulterium, causa multorum scelerum, *ibid.*

Ægyptus vitiorum, 71.

Aeris regio suprema describitur, 362.

Æstatis expositio mystica, 134.

Affectiones quatuor vitiosæ, 178.

Affectus rectitudo in quo consistat, 179. Affectus supplet quod non potest natura, 328.

Ager coli debet, ut fruges ferat, 434. Ager sterilis colendus non est, 430. Ager sacræ Scripturæ, 43.

Alæ cherubim. Liber de sex alis cherubim, Alani esse demonstratur, 169, 170. Alarum cherubim mystica interpretatio, 141. Alarum seraphim expositio elegans, 174. Alarum seraphim tria paria, tres intellectus sacræ Scripturæ significant, 174.

Alanus. De Alano ejusque doctrina, illustrium virorum testimonia. *In præludiis.* Alani opera, a Trithemio, et aliis recensentur, *ibid.* Alani humile judicium de se, et scriptis suis, 43. Alanus auctor est libri de sex alis cherubim, 169, 170. Alanus, anti Claudianum suum munit contra Zoilorum dentes, 415. Ab aliis quoque operibus suis Zoilos arcet, *ibid.* Alani oratio piissima ad Deum, qua lucem et sapientiam postulat, 371, 372. Alani patria, et locus nativitatis. *In præludiis.* Alanus qua occasione relicta universitate Parisiensi, habitum conversorum Cistercii, assumpserit, *ibid.* Quomodo in cognitionem iterum devenerit, *ibid.* Alanus, docto carmine, detestando deplorat dominatum Sodomitici sceleris, 281. Alanus in visione imaginaria, naturam conspicit in forma elegantissimæ puellæ, 282. Ejusdem pulchritudinem describit, *ibid.* Alanum, in visione, accedit natura, 289, 292. Alanus eamdem reverenter salutat, 293. Ejusdem gratiam sibi conciliat, *ibid.* Alani mors, et sepultura. *In præludiis.* Alea neminem ditat, 423. Alecto, infernalis furia dolet hominem virtutibus ita perfici, 402. Vitiorum convocat concilium, ad hominem impugnandum, *ibid.* Conqueritur de conversione hominum, *ibid.* Fastum primo alloquitur, et ad hominem impugnandum incitat, *ibid.*

Albigenses et Waldenses resuscitarunt hæreses antiquas, 201. Ab antiquis Patribus confutati sunt, 202. Albigenses ex Waldensibus originem traxerunt, 200. Albigensium miri progressus, *ibid*

Album potest fieri nigrum; non autem, de albo fit nigrum, 244.

Alleluia unicum cantatur in Paschate, Sabbato sequenti duplex, 127.

Alteratio quid sit, 244.

Alteritas quid sit, *ibid.*

Amana, sive Taurus mons, quid mystice designet, 25.

Amandus est Deus tripliciter, proximus dupliciter, 167.

Amatoria verba spiritualiter interpretenda sunt, 159.

Ambitio hominum intolerabilis, 433. Ambitio ecclesiasticorum, *ibid.*

Ambulationis mystica acceptio, 147.

Amici debent esse unanimes, 431. Amicorum omnia debent esse communia, 431 Amicorum rixæ, amoris redintegratio sunt, 422. Amicus antiquus optimus, 422. Amicus verus urgeri non debet, sed sponte succurrit amico, 426. Amicus quomodo conservandus, 428.

Amicitiæ veræ proprietates, 147. Amicitiæ perfectæ gradus, *ibid.* Amicitia amoris, 180. Amicitia non est vectigalis, 159. Amicitia derisiones non admittit, 161. Amicitia falsa et inconstans, 396. Amicitia vera et constans, *ibid.* Amicitia vera nunquam ex toto perit, 423. Amicitia quæ ex toto solvitur, nunquam vera fuit, 428.

Amor. *Vide* Dilectio. Amoris descriptio eleganti carmine decantata, 299. Amor mentis atrox tinea, *ibid.* Amoris potentia, *ibid.* Scelera eodem instigante patrata, *ibid.* Amor fugiendo vincitur, 300. Amoris fervor maximus, 180. Amoris mobile, *ibid.* Amoris calidum, *ibid.* Amoris acutum, *ibid.* Amoris fervidum, *ibid.* Amoris incessabile, *ibid.* Amor per se malus non est, 299, 300. Amoris tantummodo excessus culpabilis est, *ibid.* Amor verus constans est, 424. Amor mundi inconstans, *ibid.* Amor Dei non compatitur amorem mundi, *ibid.* Amoris Dei, et amoris sæculi natura, 84.

Angeli in cœlo creati sunt, 212. Angeli creati sunt in gratia. Item in gratia confirmati, 210. Angelorum chori omnes recensentur, 374. Angelos non omnes cecidisse probatur, 211, 212. Etiamsi angeli non cecidissent homo creatus fuisset, 212. Angeli invicem obediunt, 261. An-

geli vigiles sunt Ecclesiæ, 19. Angelus custos unicuique deputatus est, 254. Angeli orationes nostras Deo offerunt, 49. Angeli pro nobis orant, 254. Angeli sæpe hominibus apparent, 210. Quomodo appareant in humana forma, 245.

Anima. *Vide* Spiritus. Animam solus Deus creare potest, 385. Animarum immortalitas impugnatur, 220. Animarum immortalitas probatur, 221, 222. Solvuntur rationes in contrarium allatæ, *ibid.* Animæ immortalitatem docuerunt, Mercurius Trismegistus, Virgilius, Cicero et Plato, 223. Animam incorpoream esse demonstratur, 224. Anima quomodo dicatur esse in sanguine, 221 Anima sumitur pro vita temporali, *ibid.* Animarum, seu spirituum transmigrationem asserunt quidam hæretici, 209. Fuit hic olim error Pythagoræ, 210. Refutatur, *ibid. et seq.* Animæ et corporis dispar natura, 550. Animarum perfectiones diversæ, 167, 166. Anima justi domus est sapientiæ, 166. Animæ pulchritudo prædicatur, *ibid.* Animæ vestis nuptialis, 167. Animas Patrum ex limbo liberavit Christus, 215. Animam virtutibus omnibus præ litam a Deo petit prudentia, 370. Animam ei promittit Deus virtutibus omnibus decoratam, 386. Animam corpori fœderat concordia, 390. Animæ recenter creatæ perfectio describitur, 388. Anima unguente spirituali perfunditur contra peccata, 387.

Animalium terrestrium recensentur species, eorumque natura describitur, 286.

Animositas, vocatur cornipes, 407.

Anni quatuor tempora humanæ vitæ comparantur, 291.

Annuntiatio B. Mariæ. De annuntiatione B. Mariæ, habetur concio formata, sub hoc themate : *Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei* (*Psal.* LXXXVI), 120.

Anticlaudianus. In Anticlaudiani libros nova præfatio, 315. Anticlaudiani libris quænam in hac nova editione accesserunt, 315 *et seq.* Eorumdem librorum elegantia, *ibid.* ac 318 *et seq.* Ratio nominis, seu cur vocentur Anticlaudianus, 316, 317. Operis totius summarium et peritia, 318 *et seq.* Præfatio duplex ipsius auctoris, 321, 322.

Apes regem habent, 261. Apum rex aculeum non habet, 81.

Apostoli cur sic vocati, 258. Apostoli magistri sunt fidei, 378. Apostoli an in fide defecerint tempore passionis, 7, 48. Apostoli ordinarunt sacerdotes et episcopos, 251. Apostolos docuit B. Maria, 45.

Aquæ tribulationes designant, 47. Aquæ in vinum conversio mystice exponitur, 158. Aquas crystallinas miratur prudentia, 372. Earumdem naturam examinat. 273.

Aquilo diabolum designat, 28. Aquilo superbiam designat, 68.

Arborum diversa constitutio, 287. Arborum in vere reviviscentia eleganti carmine describitur, 288. Arbor malus, crux Christi est, 46 Arbor, intentionem significat, 204.

Arca Noe typus Christi, 150. Arca fœderis, typus est naturæ humanæ Christi, 149, 150.

Arcturus constellatio eadem est cum Ursa, 120. Ecclesiam designat, *ibid.*

Arcus judicium significat, 124.

Aristoteles est obscurus, 347. Obscuritatis ratio, *ibid.*

Arithmetica sub typo puellæ describitur, 350. Arithmeticæ usus, 351. Arithmeticæ auctores præcipui, tempore Alani, 352. Arithmeticæ dona, 394. Arithmetica conficit primam rotam in curru prudentiæ, 352.

Arma spiritualia virtutum, 405. Arma lucis quæ? 117.

Aromata sunt bona opera, 28.

Aromaticis speciebus comparantur virtutes Mariæ, 27.

Arrogantiæ effectus, 309. Ejusdem indicia, *ibid.*

Ars prædicatoria docetur, 515 *et seq.* Artes liberales ædificant currum prudentiæ, 340, 341. Artes liberales omnes in incarnatione Domini confusas fuisse, insigni rhythmo docetur, 418.

Ascarides, species est vermis, de genere lumbricorum, 56.

Ascensus Christi multiplex, 151.

Astra et elementa Deo obediunt, 96.

Astrologiæ dona, 395.

Astronomia sub typo virginis describitur, 356. Ejusdem dignitas, et ars, *ibid.* Astronomia rotam quartam in curru prudentiæ fabricat, 357.

Auctoritas conservanda apud subditos, 426. Auctoritates in concionibus adhibendæ, et quales, 107.

Auditorum benevolentia quomodo captanda, 51. Auditus testimonia, 178. Auditus est secundus æquus prudentiæ, 358. Ejus natura, *ibid.*

Augmentationis duæ sunt species, 244.

Aureola quid sit, 149.

Auriga naturæ quis dicatur, 287. Auriga prudentiæ est ratio, 360.

Auris, cordis est janua, 423.

Aurisia, seu Avidentia, 245.

Aurum non omne est quod splendet, 426.

Auster, Spiritum sanctum præfigurat, 28.

Autumni descriptio mystica, 151.

Avaritia, 61. Exhortationis contra avaritiam, themata sunt : *Avaritia idolorum servitus.* (*Gal.* VI) *Tria sunt insatiabilia, quartum vero nunquam sufficit.* (*Prov.* XXX.) Avaritiæ malignitas, 61. Avaritiam accusant fortuna et natura, *ibid.* Avaritia insatiabilis, 433. Avaritia dicitur lutum, 122. Avaritiæ malitia, *ibid.* Avaritia vocatur nummulatria, *ibid*, 206. Avaritiam detestando, docto carmine describit auctor, 307. Avaritiæ effectus pessimi, *ibid.* Avaritia sacerdotum taxatur, 153. Avaritia dicitur furia infernalis, 405. Cum toto suo famulitio hominem impugnat, *ibid.* Avaritiæ arma, quibus hominem impugnat, 414. Superatur a largitate, *ibid* Remedia contra avaritiam, 512.

Avarorum misera conditio, 426, 327. Avarus nunquam satiatur, 429.

Avium in vere cantillatio pulchre describitur, 289. Avium omnium et singularum naturæ describuntur, 284.

Axim in curru Prudentiæ conficit Logica, 350. Eidem varios flores insculpit Rhetorica, *ibid.*

Azymi explicatio mystica, 150

B

Babylon typus mundi, 155.

Bacchi latria quid? 59. Bacchi latria vocatur Ebrietas vel Gula, 59. Bacchi latriæ cultus describitur, 305. Bacchilatria, nummulatria, carnilatria, 122. Bacchilatria species est idololatriæ, *ibid.*

Baptismum omnino rejiciunt quidam hæretici, 235. Refelluntur, 236. Baptismi institutio et necessitas, 234. Ejusdem efficacia, 236. Unde habeat efficaciam, *ibid.* Baptismum parvulorum impugnant alii hæretici, 232, 234. Refutantur, et baptismi necessitas probatur, 233 *et seq.* Ejusdem valor et efficacia declarantur, 234. Baptismus successit circumcisioni, 235. In baptismo sufficit parvulis fides aliena, 235. Baptismus triplex est, fluminis, flaminis et sanguinis, 97, 235. Baptismus sanguinis æquivalet baptismo fluminis, 235. Baptismi iterationem negat Apostolus, 239. Baptismi, Confirmationis et Ordinis dignitas specialis, *ibid.* Baptismum Joannis peccata non remittebat, 237. Baptismum cur receperit Christus, 237. Baptismum cur receperit Christus jam adultus, 234.

Barbarum diversitas taxatur, 212.

Beata Maria. *Vide* Maria. Beatitudo hujus vitæ in quo consistat, 137.

Bellum carnis et spiritus quomodo sedandum, 75. Bellum sensualitatis et rationis, 290.

Benefactores honorandi et colendi, 428

Beneficentiæ et innocentiæ descriptio, 167.

Bis dat qui cito dat, 431.

Boetius laudatur, 347.

Bonorum Fortunæ inconstantia, 397. Bona terrena, vera bona non sunt, 156. Bonum verum quodnam sit, 255.

Botrus Christus est, 10. Botri virtutes et effectus, 42.

Bovis interpretatio mystica, 64,

Brachia designant opera, 47. Brachia Charitatis, 10.

Bruti spiritus, *Vide* Spiritus bruti.

Butyrum designat sensum tropologicum sacræ Scripturæ, 149

C

Calamites, ranæ species est, 98. Calamites, canibus latratum impedit, *ibid.*, 106.

Calceamenta, affectus et profectus sunt, 39. Calceamenta etiam figurant incarnationem divinam, *ibid*

Calices mystici, diversi, 150.

Campus, humana Christi natura est, 12.

Cancelli, doctrinam designant obscuram, 16

Canis in sterquilinio suo multum valet, 428. Canis beneficiis ad amorem allicitur servus nequam corrumpitur, *ibid.*

Canon pœnitentialis antiquus, de homicidio voluntario, 191. Canon alius rigidior, *ibid.*

Canonice horæ. *Vide* hora.

Capilli, cogitationes designant, 35. Capillorum compositio curiosa viros dedecet, 312.

Capreæ et hinnuli, doctores sunt, 20. Caprea et hin

nulus, sunt dotes corporis gloriosi, 18. Caprea typus est Christi, 21, 40. Capreæ comparatur Christus, item et hinnulo, 15. Caprea, contemplationem figurat, 35. Capreæ et cervi, patriarchæ et prophetæ sunt, 15.

Captivitas humani generis, 151. Captivitas bona, *ibid.*

Caput Christi, Deus, 32. Caput B. Mariæ, Christus, 41. Capitis hujus comæ, fideles sunt, *ibid.* Caput mentem designat, capilli, cogitationes, 23. Quid per caput et pedes Dei designetur, 175.

Carena quid sit, 192. Carena non est injungenda clericis, *ibid.*

Carmeli interpretatio, 41.

Caro castiganda, 58. Caro triplici jejunio refrenanda, 59. Caro nostra paries est impediens visionem Dei, 15. Caro delicate nutrita rebellat, 426. Caro conqueritur de homine, 62. Caro pugnat contra spiritum, 205. Caro unde prona ad malum, 219. Caro et sanguis quomodo regnum Dei non possidebunt, 218. Carnis exercitus hominem impugnans describitur, 75. Carnis motum excitant, otia, vina, dapes, 422. Carnis stimulum debellat ratio, 413. Carnium esum damnant hæretici, 256. Refelluntur, *ibid.*, 256, 257. Christus carnes comedit, *ibid.* In carnalium peccatorum confessione, non inquirendæ sunt circumstantiæ nimis minutæ, 185.

Caseus, designat sensum allegoricum sacræ Scripturæ, 149.

Castello comparatur B. Maria. *Item,* civitati Jerusalem, 121.

Castitas sub typo virginis describitur, 313. Castitatis insignia, *ibid.* Ejusdem bona, 60. Castitatis unguentum pretiosum, 60. Commemorantur diversi, qui olim castitate clari floruerunt, 313.

Casuum reservatio approbatur, 192.

Catharorum hæresis, 248.

Causa efficiens et formalis, quæ, 205. Causa formalis immutabilis, effectum habet immutabilem, *ibid.*

Caverna maceriæ, vulnus designat lateris Christi, 17.

Cedar, quis et qualis fuerit, 7.

Cedrus imputribilis est, 11.

Cella vinaria dicitur contemplatio, 14. Cella vinaria, exstasis est, 14. Cella vinaria, lex est Mosaica, 13.

Cellarium vocatur cœlum, 6.

Charitas *Vide* Dilectio et Amor. Charitatis laus et virtus, 82 Charitas, forma omnium virtutum, 89. Charitas Deus est, 84. Charitatis efficacia, 150, 230. Charitatis necessitas, 83. Charitatis ordo declaratur, 85. Charitas omnium virtutum origo, 83. Charitatis querelæ de homine, 62. Charitas de Deo triumphat, 83. Charitas B. Mariæ, 15. Charitas per ubera B. Mariæ designatur, 24.

Cherubim interpretatio diversa, 141 Alarum cherubim mystica interpretatio, 141, 173 *et seq.* Cherubinorum aspectus mutuus, 142. Cherubim, *Vide* Alarum cherubim.

Chori castrorum, conventus sunt virtutum, 39.

Christus fuit verus Filius Dei, 224. Fuit verus Deus et homo, 225. Christum habuisse corpus cœleste docuerunt quidam hæretici, 225. Refutantur, *ibid.* Christus qua ratione dicatur cœlestis, *ibid.* Christus dicitur hostia pro peccato, 239. Christus cœlorum rector, 376. Christus rector Ecclesiæ, 175. Christus cultor vineæ, 128. Christus dicitur admirabilis et consiliarius, 145. Christus est Deus, 146 Christus verus est dies, 24. Christus dicitur pacificus, 128 Christus flos virgæ florentis, 154. Christus lux vera, 145. Christus dicitur inclytus, 144. Christus sigillum Dei Patris, 154. Christus comparatur capreæ, 15. Item, ovi et Agno, 142. Christus dicitur Justus, quia omnis justitiæ fons, 143. Christus dicitur splendor cujus appellationis ratio pulchre deducitur, *ibid.* Christus comparatur Bombyci, seu vermi qui sericum texit, 151. Christum non assumpsisse verum corpus, fabulantur quidam hæretici, 214. Refelluntur, 215. Christus carnem assumpsit, non culpam, 15. Christum assumpsisse humanam naturam probatur rationibus, 216. Vere comedit, *ibid.* Christus humanæ naturæ defectus omnes assumpsit præter peccatum et ignorantiam, 215. Christus *in propria venit* (*Joan.* I), quando venit in mundum, 207. Christi humana natura dicitur lampas, cujus flamma est natura divina, 144. Christi humana natura per campum designatur, 12. Christi diadema, 22, 144 Christi triumphus, 145 Christus dedit dona hominibus, 151. Christus diversas leges homini præscripsit, 143. Christus quare voluerit baptizari, 237. Christus clamat in deserto, 142. Christus interpellat pro nobis, 234. Christus cur oraverit in locis desertis, 135. Christus transfiguratus est in monte Thabor, 215. Ostendit naturam vere glorificatam, *ibid.* Christi humilitas, 24, 137. Christi obedientia, 137. Christi pœna, *ibid.* Christi patientia. *ibid.* Christi mors, 138. Ejusdem mortis efficacia, *ibid.* Christi ascensus triplex, *ibid.* 151. Christi descensus triplex, 151. Christus ad inferos vere descendit, 215 Christus in corpore ascendit in cœlum, 214. Christi corpus dicitur templum, 121. Christi corpus spirituale, est Ecclesia, 175, 214. In Christo triplex salus, 132. Christum quomodo spiritualiter concipere possimus, *ibid.* Christo hospitium in mente nostra quomodo parare debeamus, 121. Christi caput Deus est, 32. Christi comæ quare dicantur nigræ, 32. Christi divinitas per guttur designatur, 34. Christi crura sunt prædicatores, 33. Christum dedisse apostolis suis verum corpus, probatur, 247. Christi corpus non recte dicitur fieri de pane, 245, Incorruptibile et indivisibile est, *ibid.* Christi corpus cur sub alia forma lateat in Eucharistia, *ibid.*, 247, 248.

Ciborum superfluitatis effectus, 305. Ciborum superfluitas viam sternit ad luxuriam, *ibid.* Cibi spirirituales, virtutes sunt, 10.

Cicero de Rhetorica optime est meritus, 349.

Cincinni, cogitationes designant, 29.

Circumcisionis mysterium, 146. Circumcisio multiplex, *ibid.* Circumsioni successit baptismus, 235.

Circumspectio quid sit, 88. Circumspectione opus est in lectione Scripturarum, 161.

Circumstantiæ quæ et quales confitendæ, 186. Circumstantiæ homicidii, 187. Circumstantiæ peccati luxuriæ, *ibid.* Circumstantiæ mendacii, *ibid.*

Cistercienses, tempore Alani, erant litterati, 25.

Civitates Dei tres sunt, mundus, Ecclesia et B. Maria, 120. Civitas, *Vide* B. Maria.

Claustrales. Ad claustrales seu religiosos, insignis habetur exhortatio super hoc themate : *Ecce quam bonum, et quam jucundum, habitare fratres in unum.* (*Psal.* CXXXII.) Claustralis unitas in tribus consistit, 111, 119. *Vide* Religiosus.

Clementia est ornamentum regum, 81.

Cleopatra sibi ipsi mortem intulit, 339.

Clericorum ignorantia et socordia carpitur, 104.

Cœlum varie sumitur, 130. Cœlum dicitur, SS. Trinitas, *ibid.* Cœlorum secreta rimatur prudentiæ, 336. Cœli via arcta, 367. Non nisi virtutibus pervia, *ibid.* Ad cœlum itur diversis viis, 433. Cœli empyrei deliciæ, 373. Cœli empyrei incolæ, 374. Cœlum incolunt sancti de terra assumpti, 375. Cœli empyrei splendorem ferre non potest prudentia, 73. Ejusdem varia mirabilia considerat, 383. Cœlum et terra quomodo transibunt in die judicii, 219. Cœlestia dulcius sapiunt illi qui mundanorum falsitatem expertus est, 434.

Cogitationes carnales designantur per populum. (Psal. XLIV,) 115. Cogitatio ordinata, 179.

Cognitio ex acta rerum superlunarium naturæ vires excedit, 373.

Collum dicitur humilitas, 26. Collum B. Mariæ, Obedientia ejus est, 9. Collum B. Mariæ doctrina ejus est, 40.

Columba Spiritum sanctum designat, 11. Columbarum oculi lex et prophetæ, *ibid.*

Columnæ ferculi Christi, dona sunt Spiritus sancti, 21.

Comæ Christi quare dicantur nigræ, 32.

Compunctio, seu Contritio. Hujus exhortationis duo habentur themata, 96. *Scindite corda vestra, et non vestimenta vestra.* (*Joel,* II.) *Sacrificium Deo spiritus contribulatus.* (*Psal.* L.) Compunctio quid sit, 96. Quatuor affectionum qualitates, quibus homo compungitur, *ibid.* Compunctionis natura, et virtus, *ibid.* Compunctionis efficacia, *ibid.* 97. Compunctionis descriptio, 177. Compunctionis causa duplex, timor et spes, *ibid.* Conceptio B. Mariæ sine culpa fuit, 146.

Concio. *Vide* Prædicatio. Concionationis descriptio, 53. Conciones debent esse breves, 55. In concionibus adhibenda sunt exempla, 55. An etiam adhibenda sint dicta gentilium, 54.

Concordiæ natura et laus, 337. Ejusdem potestas et effectus, *ibid.* Concordia gestat ramum olivæ, 338. Ejusdem discursus, *ibid.* Concordiæ efficacia, 339. Concordiæ defectu, multa mala in orbe contingunt, 338. Sine concordia nihil durabile, 339. Concordia fœderat animam corpori, 390. Concordiæ verbis animata prudentia, legationem assumit ad Deum, 340. Concordia in curru prudentiæ partes disponit et unit, 357.

Concubinæ, prædicatores vani sunt, 36.

Confessarium accedere debet in Paschate, etiamsi nullius peccati quis sibi conscius sit, 194, 48. Confessarius quomodo pœnitentem excitabit ad contritionem, 188. Confessarius complicem suam audire non debet, 194. Confessarius pro pœnitente debet orare, 194. Quomodo tractabit reum in pœnitentem, 188. Confessario pœnitentiæ sunt arbitrariæ, 193. Confessarii debent esse prudentes in satisfactionibus injungendis, 187. Confessario pœnitentiam injungenti obediendum, 124. Confessario pœnitenti acquiescere debet in pœnitentiæ injunctione, 190.

Confessio peccatorum, 98. Exhortatio ad confessionem habetur sub thematibus sequentibus : *Confitemini alterutrum peccata vestra.* (*Jac.* v.) *Dixi : Confitebor adversum me injustitiam meam Domino.* (*Psal.* xxxi.) Confessio quadruplex est, 98. Confessio sacramentalis quid sit, 175. Præfigurata fuit (*Gen.* iii), 195. Confessionis necessitas, 195. Confessio debet esse integra, 175. Confessionem sacramentalem impugnant hæretici, 241. Refelluntur, et confessionis necessitas astruitur, 242, 243. Ad confessionem tria requiruntur, 195, 242. Præparatio necessaria pœnitenti ante confessionem, *ibid.*, 195. Confessio ore facienda, et non scripto, 264. Confessio debet esse omnium peccatorum, seu universalis, 99, 175, 196. Confessio debet esse humilis, 176. Confessio debet esse simplex, vera, integra et firma, *ibid.* Confessionis integritas tria requirit, 99 Confessionis sigillum, 264. Confessionis impedimenta plura, 98. Recensentur decem, 176. Eorumdem remedia, *ibid.* Confessio, tempore necessitatis, cum sacerdos haberi non potest, utiliter fit laico, 196, 264. Confessiones sæcularium audire non debent religiosi, 194.

Confirmationis sacramentum rejiciunt hæretici, 251. Refutantur, *ibid.* A Christo institutum est, *ibid.* Ejusdem dignitas, *ibid.* Ejusdem effectus, *ibid.* Ejus minister est episcopus, *ibid.* Confirmatio iterari non potest, 259.

Confitendæ sunt peccatorum circumstantiæ, et quales, 176, 186. Confitenda sunt dubia tanquam dubia, 197. Confiteri nemo debet quod non fecit, 195. Confitens, si vel unicum peccatum mortale omittat, confessio invalida est, 429.

Conflictus. *Vide.* Pugna. Conflictus vitiorum et virtutum præludium, 406.

Conjugati. Ad conjugatos exhortatio habetur, 114. Sub thematibus diversis.

Conjugium in paradiso institutum, *ibid.* Conjugii dignitas et virtus, *ibid* Conjugii sanctitas stabilitur multis rationibus et auctoritatibus, 249. Conjugii incommoda, 114. Conjugii spiritualis bona, *ibid.* Ad conjugium spirituale hortatur, *ibid.* 116. Conjugati de quibus admonendi, 108. Ad conjugatos admonitio salutaris, 114.

Conscientia mundanda ante sumptionem corporis Christi, 434. Conscientia quomodo examinanda, 97, 119. Conscientiæ puritas perpetuum causat mentis gaudium, 73. Conscientiæ testimonium efficax, 122. Conscientiæ erroneæ effectus, 269. Conscientiæ vitiatæ miseria, 73. Conscientia mala, liber est diaboli, *ibid.*

Consecrationis verba falso interpretantur hæretici, 247. Refutantur, *ibid.* Post consecrationem nihil remanet substantiæ panis, 247. Quomodo panis desinat esse, 245. Consecrationum multiplicatione non augetur corpus Christi, *ibid.*

Consilio subinde et pauperes valent, 429.

Consonantes mutæ, cur sic dictæ, 222.

Consortium quale quis frequentet, diligenter attendendum, 435. Consortia prava fugienda, 422. Consortia prava quam periculosa, 434.

Conspersio quid sit, 150.

Constantia mentis, 392.

Consuetudo mala difficile omittitur, 423

Contemplationis encomium, 23. Contemplatio per montes designatur, *ibid.* Contemplationis fructus, 14. Contemplatio dicitur sopor, 14. Contemplationi aptiores sunt virgines, *ibid.*

Contemptus mundi, 55. De hoc insignis habetur exhortatio, quæ facile in concionis formam elevari potest, docens quomodo suadendus sit mundi contemptus, sub themate sequenti : *Vanitas vanitatum*, etc. (*Eccle.* i), 55. Contemptus sui huic exhortationi tria præfiguntur themata, 56. *Memorare novissima tua.* (*Eccl.*, vii.) *Ego sum vermis, et non homo.* (*Psal.* xxi.) *Homo natus de muliere*, etc. (*Job* xiv.) Contemptus sui quomodo suadendus, 56. Contemptus terrenorum. *Vide* Spes cœlestium. Contemnenda sunt omnia terrena, quia fallacia. Contemptus timoris mundani, 69.

Continuatio quomodo fiat, 224.

Contritio. *Vide* Compunctio. Contritionis descriptio, 243 Contritionis efficacia, 242. Contritio ante confessionem excitanda, 188. Contritio interior necessaria, 195. Contritio requiritur etiam pro venialibus, 196. Contritionis mater est timor, 97. Contritionis excitandæ praxis, 188. Contritio subinde per se sufficiens est ad culpæ deletionem, imo et pœnæ, 188 Per contritionem non remittitur peccatum sine proposito aut voto confessionis, 243. Contritionem confirmat satisfactio, 195. Contritionem veram se habere nemo scire potest, 265.

Corda nostra quomodo scindenda, 147. Cordis humani instabilitas, 427. Cordis janua auris est, 423. De cordis abundantia os loquitur, *ibid.*

Cornipes, idem quod animositas, 407

Corona naturæ, gemmis ornata est, 285

Corpus Christi. *Vide* Christi corpus. Corpus suum cur Christus nobis dederit sub alia forma, 245. Corpus Dei Ecclesia dicitur, 174. Corpus B. Mariæ imputribile, 11. Assumptum est in cœlum, 12. Corpus Domini cibus est, quibus jam salutaris, aliis insalubris, 183. Corpus humanum ex elementis format natura, 389 Corporis humani pulchritudo, *ibid.* Corpora humana ex 4 componuntur complexionibus elementaribus, 290. Corpus movetur ab anima, 224. Non omne corpus est animatum vel inanimatum, 222. Corpus inanimatum quodnam proprie dicatur, 222. Corpori non indulgendum, 58 Corpori non ita providendum ut obliviscamur spiritus, 430. Corporis languores medicamina sunt mentis, 75.

Correptio quomodo facienda, 90.

Corruptionis principia quæ, 223.

Creator omnium est Deus, 206. Creator debet esse increatus, 209.

Creata omnia sunt mutabilia, 205. Creata simul est substantia rerum, sed non formæ species, 160

Creaturæ omnes utiles sunt, 206.

Crimen. *Vide* Vitium et peccatum. Crimina nunc palam et impune grassantur, 304.

Crines, designant cogitationes, 26.

Crudelis non est qui crudeles interimit, 275.

Crura Christi mystica, sunt prædicatores, 53.

Crux. De sancta cruce, sermo habetur formatus, 136 *et seq.* Sub hoc themate : *Ascendam in palmam, et comprehendam fructus ejus.* (*Cant.* vii) Crux Domini per palmam significatur, 136. Crux Christi dicitur scala, 137. Per scalam hanc ascendunt angeli, *ibid.* Crux Christi terribilis, *ibid.* Item, janua cœli, *ibid.* Crucis scala sex habet gradus, *ibid.* Crux Christi dicitur principatus, 145. Crucis dimensiones quatuor, 138. Crucem quomodo ascendere debeamus, 139. Crucem triplicem debemus ascendere, 138.

Cupidinis potestas vulgo jactatæ, 160, 298.

Cupiditas insatiabilis, 423.

Curiositas humana reprehenditur, 160. Curiositas inutilis fugienda, 162.

Currus naturæ a pavonibus trahitur, 287. Currus prudentiæ ædificatur, 340.

Custodia Ecclesiæ. *Vide* Ecclesiæ custodia. De custodia Ecclesiæ exhortatio habetur, 127 *et seq.*

Cyllenius, dicitur Mercurius, 336.

D

Da cito quod dare vis, 392. Dat bis qui cito dat, 431.

Dæmonum casus e cœlo describitur, 362. Dæmones obdurati sunt in malitia, 210. Dæmones dicuntur leones, 25. Dæmon sub variis speciebus hominem tentat, 105. Dæmones informare corpora humana, docuerunt hæretici, 209. Refutantur eorum rationes, 210.

Damasci interpretatio, 41.

Daniel, contemplativum designat, 155.

Dentes, significant exercitia spiritualia, 35. Dentes B. Mariæ quid significent, 23.

Derisio vitanda, 422.

Desertum dicitur mundus, 46

Descensus Christi multiplex, 150

Desidia. *Vide* Acedia. Desidiæ somnus, 61. Ejusdem causæ, *ibid.* Desidia vocatur, sterquilinium, 156. Desidia omnis iniquitatis mater, 301.

Despectus hominem impugnat, 404. Filia est discordiæ, *ibid.*

Desponsatio Christi, incarnatio ejus est, 22.

Detractio. Detractionis iniquitas fuse declaratur, 93. Detractio peccatum est in Spiritum sanctum, 94.

Detractor sibi magis nocet quam alteri, *ibid.* Detractores canibus comparantur, *ibid.*

Deus unicus est, omnis infirmitatis aut mutabilitatis expers, 296. Quæ de diis gentium scripserunt poetæ, figmenta sunt, *ibid.* Deus trinus est, non triplex, 277. Divinarum personarum pluralitatem negant Judæi, 270. Refelluntur, 277. Deus super solium sedet, Seraphin vero stat, 173. Dei solium, æternitas, *ibid.* Deus post omnia est, non tempore, sed æternitate, 174. Deus omnium Creator est, 206. Deum omnia creasse, etiam plures philosophi cognoverunt, 208. Rationibus etiam probatur, *ibid.* Dei mirabilia replent omnia tempora, 173. Dei opera intellectus humanus non comprehendit, 173. Deum videre mortalis homo non potest, 35. Dei providentia cuncta gubernat, 291. Deus mundum ab æterno conceptum in tempore creans, diversas in eo rerum species produxit, 297. Deus creaturarum propagationi naturam præfecit, *ibid.* Ipse tamen naturam dirigit, *ibid.* Deus naturam perficit,

335. Deus verax est in promissis, 226. Dei misericordia elucet etiam in punitionibus, 227. Dei visio, 212. Dei flagella justum examinant, 76. Dei voluntas superis pro lege est, 381. Deus non vult mortem peccatoris, 273. Deus conqueritur de homine, 62. A Deo semper incipiendum, et in illo finiendum eleganti prorsus carmine docetur, 461. Deus exorandus ut animam creet bonam, 335. Dei arcem conscendit prudentia, comitata fide et theologia, 383. Deo se prosternit prudentia, *ibid.* A Deo erigitur et confortatur, 384. Deum alloquitur cum omni humilitate, *ibid.* Deum rogat, ut naturæ succurrat, formatione hominis novi, 384. Deus consolatur prudentiam, 386. Petitioni ejus assensum præbet, *ibid.* Deus promissum prudentiæ implet, 387. Deus animam creat, eamque prudentiæ commendat, *ibid.*

Devotio duplex est, naturæ et gratiæ, 267.

Dextera sumitur pro vita æterna, læva pro vita præsente, 45. Dextera et sinistra, prosperitatem et adversitatem significant, 6. Dextera Christi divinitas ejus est, 14. Læva, humanitas, *ibid.*, 14

Diabolus dicitur princeps mundi, 204. Diabolus homicida est ab initio, 208. Diabolus mundum non potuit creare, *ibid.* In diabolo est compositio proprietatis ad subjectum, *ibid.* Diabolus osculatur hominem multiplici osculo, 119. Diabolus. *Vide* Dæmon.

Diadema Christi, 22, 144. Diadematis derivatio, *ibid.*, 144 Ejusdem mystica interpretatio, *ibid.* Diademate Christus coronatus est quadruplici, *ibid.* Diadema Christi, humana ejus natura est, *ibid.*

Dies judicii. *Vide* Judicii dies. Dies gratiæ, 117. Dies scientiæ, *ibid.* Dies prosperitatis, *ibid.*

Digiti, designant opera discreta, 30.

Dignitates sæculi, larvæ sunt, 156.

Dilectio Dei. *Vide* Charitas. De dilectione Dei exhortatio habetur, 82, sub thematibus sequentibus. *Diliges Dominum Deum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua*, etc. (*Matth.* XXII.) *Deus Charitas est, et qui manet in charitate, in Deo manet.* (*I Joan.* IV.) Dilectio. *Vide* Amor et Charitas. Dilectionis efficacia, 47. Dilectionis Christi excellentia, 47. Dilectio gratiæ, 83, Dilectio fortunæ, *ibid.* Dilectio proximi, 84. Hujus exhortationis themata sunt : *Diliges proximum tuum sicut te ipsum.* (*Matth.* XXII.) *Diligite inimicos, et bene facite his*, etc. (*Marc.* XII.) Dilectio proximi commendatur, 83. Dilectio proximi quousque se extendat, *ibid.* Dilectionis virtus, *ibid.*

Dimidium facti qui bene cœpit habet, 432.

Dionysii Siculi Tyranni, et Damoclis historia, 434.

Discendum semper, 104. Studendi modus, *ibid.*

Discordia omnium primo hominem bello impetit, cum suis asseclis, 403. Discordiæ comes et asseclæ, livor, rabies, furor, lis, ira, respectus, convitium, infamia, senectus, morbi, etc., *ibid.*, 404. Discordia pugnam inchoat contra virtutes, 407. Discordia vincitur ab homine justo, 407. Vincuntur et comites ejus, 408.

Discretione opus dum loquimur, 427.

Dives difficile intrabit in regnum cœlorum, 432. Dives ab omnibus laudatur, 430. Divitibus omnia dantur, pauperibus eripiuntur, 427. Divites et potentes arguuntur, opprimentes pauperem, 430. Divites quomodo exhortandi ad eleemosynam, 107.

Divitiarum fallacia, 115. Divitiarum vanitas, 55, 57. Divitiæ malæ non sunt, sed earum abusus, 308. Divitiæ fortunæ, 154. Divitiæ naturæ, 155. Divitiæ virtutum, *ibid.* Divitiæ gloriæ, *ibid.* Divitiæ mentis procurandæ, 157. Divitiæ mentis, seu animi, sapientia et scientia, 393. Divitiæ cœlestes appetendæ, 57. Divitiæ nimiæ. periculosæ sunt, 401. Divitias non nisi moderate dari procurat ratio, 401. Divitiarum contemptus, 396.

Docti modo sine honore, 104.

Doctores Ecclesiæ per reginas figurantur, 36.

Doctrina. *Vide* Studium. Ad doctrinam, bona exhortatio habetur, 103. Doctrinæ utilitates, *ibid.* Doctrina decus morum, 104. Doctrinæ contemptus deploratur, *ibid.* Doctrinæ talentum varie absconditur, 107. Doctrina abscondita inutilis, 427. Doctrina pluribus communicata non minuitur, 422. Doctrina B. Mariæ, 23. Doctrina sacra designatur per lac, 149.

Dolor. *Vide* Luctus.

Domini carpuntur opprimentes subditos, 430.

Dominus domum ornat non contra, 423.

Domus Israel sumitur pro Synagoga et pro Ecclesia, 213. Domus naturæ describitur, 334 *et seq.* Domus naturæ in monte sita est, 325. Ejusdem picturæ, *ibid.*

Donum ingenii, intellectus et memoriæ, 290.

Dormitio et evigilatio Filii Dei mystice, 142.

Dryades, seu, Homadryades, deæ arborum, 288.

Dubia confitenda sunt tanquam dubia. *Vide* Confessio.

Duplicitas Deo odibilis, 163

E

Ebrietatis descriptio, 59. Ebrietatis effectus, *ibid.* Ebrietatis malitia, *ibid*, 178. Ebrietas ad facinora impellit, *ibid.*, 161. Ebrietas vocatur Bacchilatria, 59. Ebrietatem ab effectibus lepide describit, 305. Ebrietas etiam ecclesiasticis familiaris, *ibid.* Provocantes sitim arguuntur, 306. Ebrietas dilectionis, 29.

Ebriis secreta committi non debent, 421

Ecclesiæ custodia. De Ecclesiæ custodia, sermo habetur brevis, ad sacerdotes in synodo congregatos, 127 *et seq.* Thema : *Vinea fuit Pacifico meo, quæ habet populos, et tradit eam custodibus.* (*Cant.* VIII.) Ecclesia dicitur vinea, 128. Ratio comparationis, *ibid.* Ecclesia dicitur civitas Dei, 120. Civitatis hujus structura, *ibid.* *Vide verbo* Vinea. Ecclesiæ radix charitas, 128. Ecclesia dicitur omnia continere, 136. Ecclesiæ nomen in nativitate Christi mutatum fuit. Ecclesia dicitur corpus Christi, 214. Ecclesiæ decor, Creatoris excellentiam manifestat, 163. Ecclesia domus est Sapientiæ, 165. Ecclesia comparatur lunæ, 164. Lumen est a Christo receptum, *ibid.* Ejusdem splendor, *ibid.* Ecclesia ornatur sanctis, *ibid.*, 164. Ecclesia dicitur corpus Dei, 175, 214. Ecclesia vocatur cubiculum, 20. Ecclesia tabernaculum Christi est, 149. Ecclesia dicitur vinea, 49. Ecclesia vocatur domus Israel, 213. Ecclesia fluctibus pulsatur, 175. Ecclesiæ rector Christus, *ibid.* Ecclesiæ custodes sunt apostoli et prædicatores, 49. Ecclesiæ venter dicuntur idiotæ et simplices, 33. Ecclesiæ potestas judiciaria, 263. Ecclesiæ ministri quales esse debeant, 128. Debent esse prudentes, 129. Prudentia hæc in quibus consistat, *ibid.* Ecclesia sumitur pro congregatione fidelium et pro templo materiali, 254. Ecclesiarum constructionem improbant hæretici, 252. Refelluntur, 255. Ecclesiæ quare construantur, *ibid.* Ecclesia, *Vide* Templum et orationis locus.

Effutiendum non est quidquid in buccam venit, 427.

Elatæ palmarum, quæ non dicantur, 32.

Eleemosyna. Themata hujus exhortationis sunt duo, 100. *Frange esurienti panem tuum*, etc. (*Isa.* LVIII.) *Date eleemosynam, et omnia munda sunt vobis.* (*Luc.* XI.) Eleemosynæ laus, 100. Eleemosynæ virtus, *ibid.*, 101. Eleemosynæ plures recensentur species, *ibid.* Eleemosynæ species aliæ, nimirum frigida, tepida, calida, 101. Eleemosynarum iterum memorantur varia genera, 197. Eleemosyna cordis melior est eleemosyna corporis, 85. Eleemosynæ circumstantiæ debitæ, 100. Eleemosynæ largiendæ ex bonis propriis, 162. Eleemosyna est, ignoscere iis qui nos læserunt, 196. Eleemosynæ sine pœnitentia, peccata non remittunt, 197.

Elementorum concordia, 327. Elementa omnia naturæ obediunt eique applaudunt, 287. Elementorum miratur concordiam in cœlo prudentia, 372. Elementa conqueruntur de homine, 62. Elementa nova erunt in die judicii, 219.

Emitur care, quod cum verecundia longis emitur precibus, 425.

Engaddi interpretatio, 11.

Enoch raptus est in paradisum, 16, 231. *Vide* Henoch.

Enos orationes composuit ad invocandum Deum, 231.

Epiphaniæ Historia mystice exponitur, 146.

Equi currus prudentiæ, sunt 5 sensus externi, 358, 367. *Vide* Sensus externi.

Equitatus Dei et Ecclesia, 8.

Excelsi et elemati distinctio, 173

Excessus hominem oppugnat, 404, 412. Oppugnandi modus, *ibid.* Excessus vincitur a moderantia, 412.

Excommunicationem meditatur natura in luxuriosos, 515 Excommunicatio in diversos criminosos lata, 320.

Exempli boni efficacia, 393.

Exstasis prudentiæ describitur, 380.

Extrema Unctio. *Vide* Unctio extrema.

F

Facies Dei diversimode sumitur, 146.

Falsitatis turpitudo, 319. Falsitas veritati semper insidiatur, *ibid*

Famæ descriptio, 390. Famæ bona, 393. Fama appetitores suos fugit, 307. Fama non fundata in meritis, fallax est, 429. Fama vitiis perimitur, 423. Familiares tibi sint pauci, 90.

Fastus vitandus, 392. Fastum concitat Alecto ad hominem impugnandum, 402.

Femur carnalem voluptatem designat, 31.

Fenestræ doctrinam designant manifestam, 16.

Ferculum sedes est, 21. Ferculum Christi, humana ejus natura est, *ibid.*

Fermentum bonum et malum, 150.
Fictio, seu duplicitas, Deo odibilis, 163.
Ficus dicitur Synagoga, 16.
Fides sub typo puellæ describitur, 379. Fidei et rationis assensus in quo differant, 292. Fides rationem prævenit, 378. Fidei cedit natura, 379 Fidei magistri sunt apostoli, 378. Fides, porta est Ecclesiæ, 41. Fides catholica auctoritati divinæ innititur, 201. Fidei efficacia, 154. Fidei dona, 396. Fidei se submittere debet ratio, 381. Fidei articuli necessarii tempore legis naturæ, 256, 277. Fidei articuli necessarii tempore legis Moysis, 256, 277. Fidei articuli necessarii in lege gratiæ, *ibid*. Fides aliena parvulis in baptismo sufficit, 255. Fidem sequitur prudentia relicto ducatu rationis, 381. Fides theologiam assumit comitem, 382. Fides, hortatu theologiæ, prudentiam ab exstasi liberat, 379. Fides offert prudentiæ speculum, in quo omnia cernat quæ in cœlo sunt, licet non nisi obscure, 380. Fides adulationem devincit. 414.
Filiæ Jerusalem, Ecclesiæ sunt, 20. Filiæ Jerusalem sancti Patres sunt, 31. Filiæ Jerusalem virtutes sunt, 22. Filiæ Sion animæ sunt sanctæ, 36.
Filius Dei, Verbum Patris, 151. Filii Dei incarnatio, 376. Filii Dei incarnatio ingenita nobis beneficia contulit, 377. Filii Dei mystica dormitio et evigilatio, 112.
Finem respice quidquid agas, 425. Finis coronat opus, 79.
Firmamentum describitur, 366.
Fletus armatur in hominem, 311. Vincitur per risum, *ibid*.
Flora, dea florum, 288.
Florum et herbarum reviviscentia eleganter describitur, 288. Florum elegantia iterum venusto describitur carmine, 287.
Flos campi, Christus, 12. Flos est caro Christi gloriosa, 16.
Fluvius, gratiam cœlestem designat, 120.
Fons in domo naturæ scaturiens, 325.
Foramen, occulta dicitur inspiratio, 30. Foramina petræ, vulnera sunt Christi, 17.
Formæ vanitas, 57.
Formicæ cautela, 64.
Fornicatio duplex, 147. Fornicatio *Vide* Luxuria.
Fortitudo. Exhortatio ad fortitudinem habetur, 88. Fortitudinis et magnanimitatis excellentia, 188. Fortitudo triplex, 89 In fortitudine non præsumendum, 427. Fortitudinis vanitas, 57.
Fortius dicunt qui minus habent artis, 427.
Fortunæ inconstantia, 423, 425. Fortunæ inconstantia iterum exaggeratur, 397, 399, 400. Fortuna nusquam stabilis, 399. Dum blanditur, decipit, *ibid*.
Fortunæ bona non ornant hominem justum, 400. Fortunæ adversitates æquo animo ferendæ, 72. Fortunæ cedendum, 425. Fortunæ domus describitur, 399. Fortunæ filiæ sunt, nobilitas, prosperitas, adversitas, 398. Fortuna et nobilitas domum naturæ adeunt, 401.
Forum, sumitur pro loco in quo venduntur res venales, et pro populo ibidem existente, 254.
Fraus, adulatione tentat superare hominem, 414. Vincitur a fide, *ibid*.
Fronte capillata est, sed post, calva, 399.
Frugalitas in cibo et vestibus commendatur, 160
Fures, ordinarie, non occidendi, 273.
Furia infernalis. *Vide* Alecto.
Furor hominem debilitat, 425. Furor citius reprimendus, 436.

G

Galaad, *acervus testimonii* interpretatur, 23.
Gaudium spirituale. Exhortationis hujus themata sunt : *Lætamini in Domino, et exsultate justi*. (*Psal*. III.) 73.) *Gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in cœlis*. (*Luc*. X.) Gaudium mentis extollitur, 73. Gaudium mentis perpetuum, causat conscientiæ puritas, *ibid*. Gaudia terrena spernenda, 157.
Gemelli fœtus, sensus allegoricus et moralis Scripturæ sunt, 23.
Gemma. Gemmis præfulget corona naturæ, 383.
Genæ verecundiam designant, 36. Genæ repræsentationem significant passionis Dominicæ, 24. Genæ Christi sunt, qui verecundantur de peccatis suis, 32.
Genesim legit Plato, 104.
Genius describitur sub typo viri gravis, et modesti, 318. Genii præsentiam requirit natura, 316. Genius naturæ postulationem admittit, 319.
Gentes quinam dicantur, 128.
Gentilium dicta utrum in concionibus adhibenda, 54.
Geometria sub typo virginis describitur, 354. Ejusdem opus et usus, *ibid*. Geometriæ dona, 395. Geometria, rotam tertiam in curru prudentiæ fabricat, 355.
Gloriæ mundanæ vanitas, 425.
Glorificatio corporum futura in die judicii, 217.
Gradus cœli, tres, paupertas, humilitas, charitas, 154.
Grammatica facit temonem in curru prudentiæ, 341. Grammaticæ laus, 342. Grammaticæ fructus et natura, *ibid*. Grammaticæ utilitas, *ibid*., 394. Grammatica rudem materiam adaptat operi, 343. Grammaticæ auctores et doctores præcipui, 344.
Grammatici solo cortice gaudent, *ibid*
Gratia Dei est causa efficiens salutis, 241. Gratiam primam Deus operatur in nobis, sine nobis, *ibid*.
Grex tonsarum, quid mystice designet, 23.
Gula. Contra gulam insignis habetur exhortatio, 58. Super thematibus sequentibus. *Castigo corpus meum*, etc. (*I Cor*. IX.) *Sobrie et juste, et pie vivamus in hoc sæculo*. (*Tit*. II.) Gulæ descriptio, 59. Gula vitanda, 58. Gulæ effectus nocivi, *ibid*. Gula morborum origo, 59. Gula insatiabilis, 453 Gula vocatur sulphur, et luxuriæ seminarium, 155 Gula hominem oppugnans, expugnatur.
Gustus, quartus est equus prudentiæ, 359. Ejusdem natura et dotes, *ibid*. Gustus temperantia, 178.
Guttæ noctium, obscura sunt sapientia, 29. Guttur Christi, divinitas ejus est, 34.

H

Habitus compositio, 392.
Hædi, infideles designant, 8
Hæreses diversæ in primitiva Ecclesia, 201, 246. Hæreses antiquas resuscitarunt hæretici recentiores, 201, 203. Ab antiquis Patribus confutatæ sunt, *ibid*.
Hæretici comparantur lamiis, 54. Hæretici per Samsonis vulpes designantur, 128. Hæretici quomodo dicantur non debere occidi, 273.
Harmonia diversorum instrumentorum musicalium, docto et venusto carmine describitur, 316. Harmoniæ cœlestis melos, 284.
Henoch a Deo translatus est, 165.
Herbarum et florum reviviscentia eleganti carmine describitur, 288.
Hermon quid mystice designet, 25.
Hesebon *cingulum mœroris* interpretatur, 41.
Hiemis expositio mystica, 130. Hiems infidelitatem designat, 16.
Hierusalem. *Vide* Jerusalem. Hierusalem, animas designat pacificas, 22. Hierusalem beatam Mariam figurat, 121.
Hilarii (S.) errores, secundum aliquos, 215.
Hinnulo comparatur Christus, 15. Hinnuli, corporis et animæ Christi typum gerunt, 40.
Historica relatio de vita et morte Magistri Alani de Insulis, *in Præludiis*.
Homo reipublicæ speciem gerit, 291. In hac republica imperat sapientia, *ibid*. Homo dicitur omnia continere, 136. Homo quid debeat naturæ, et quid Deo, 292. Homo creatus fuisset, etiamsi angeli non cecidissent. 212. Homines plures salvabuntur, quam sint angeli qui ceciderunt, *ibid*. Hominis natura fluxa et caduca, eleganti rhythmo describitur, 419, 436. Hominis perfecti conditiones, 328. Hominum miseria, 56 Homo vermis, *ibid*. Homo pulvis, 57. Homo solus inter omnes creaturas, naturæ legibus reluctatur, 294, 424. Homo brutales induit mores, 304. Homo purus, humanum genus redimere non poterat, 216. Hominem perfectum in terris optat ratio, 335 Homo novus et perfectus describitur, 385, 415. Homo justus strenue vitiis resistit. Discordiam primo aggreditur, et obtruncat, 407. Homo fugiendo, Venerem perimit, 412. Homo justus, auxilio virtutum, debellat omnia vitia, 415.
Homicidii circumstantiæ confitendæ, 187.
Honestatis dona. 393.
Honoris dona, 393. Honores mundi vani et inconstantes sunt, 110. Honores mundani spernendi, 157. Honorum vanitas, 55. Honor mundanus, fenum et stipula, 156.
Horæ canonicæ. *Vide* Oratio. Horæ orationi deputatæ, 253. Horarum singularum mystica significatio, *ibid*.
Horti diversa acceptio, 49. Hortus Christi, humana est natura, 34. Horti hujus areola, anima est, *ibid*. Hortus Ecclesiæ, 49. Hortus Mariæ, Christus, 28. Hortus Mariæ, cœlestis paradisus, *ibid*.
Hospitalitas, 105. Themata: *Hospitalitatis nolite oblivisci*. (*Hebr*. XII.) *Hospes eram, et suscepistis me*. (*Matth*. XXV.) Hospitalitatis encomium, 105. Hospitalitatis meritum, *ibid*. Hospitalitatis bonæ conditiones, *ibid*. Hospitalitas in domo mentis Christo exhibenda, *ibid*.
Hospitium mentis quomodo præparandum, 105, 121.

Humani generis corruptio memoratur, 286. Humani generis captivitas, 151.
Humilitas sub typo pulcherrimæ virginis describitur et commendatur, 314. Humilitatis illustre encomium, 68, 167. Humilitatis tres species, 155, 167. Humilitas Christi, 24. Humilitas B. Mariæ, *ibid*. Humilitas tuta est, 424. Humilitatis propugnacula, 24.
Humilium vox dulcis, 17.
Hymenæus sub specie viri describitur, 312.
Hypocritæ et versipelles arguuntur, 432

I

Idololatriæ tres sunt species, scilicet, Bacchilatria, Nummulatria, Carnilatria, 122.
Ignis purgatorii gravitas, 100. Ignis purgatorius duplex, *ibid*
Ignorantia clericorum carpitur, 104, 183. Ignorantia murus est inter Deum et sacerdotes, 183. Ignorantia affectata, 106.
Illecebrarum vanitas, 56.
Imago Dei homo, 154. Imago Dei quomodo in homine, 160.
Imber inundationem tentationum designat, 16. Imber matutinus et serotinus, 71.
Immunitas ecclesiastica Novi Testamenti, 275.
Impietas hominem oppugnat, 413. Impietatis comites recensentur, 405. Omnes hominem impugnant, *ibid*. Impietas non movetur blanditiis, 413. Impietas proprio labore fatiscit, *ibid*.
Impœnitentiæ malitia, 79.
Imprudentiæ bellum, 413. Vincitur a prudentia, *ibid*.
Incarnatio Filii Dei, 376, 381. In incarnatione Domini, omnes artes liberales fuisse confusas, insigni rhythmo docetur, 418.
Indulgentiæ ab episcopis datæ, validæ sunt, 265.
Infamia hominem oppugnat, 409. Referuntur ejus comites, *ibid*. Infamia propulsatur, ejusque comites fugiunt, 410.
Infernales pœnæ quam devitandæ, 156.
Inferni dolores, triplices specie, dæmones, culpæ, pœnæ, 147. Inferni pœnæ quatuor, vermis conscientiæ, flamma ignis, revelatio culpæ, carentia visionis divinæ, *ibid*. Inferni pœnæ sunt novem, 156. Inferni pœnæ æternæ sunt, *ibid*.
Ingratis serviendum non est, 431.
Iniquus cavendus, licet actu non noceat, 429.
Innocentem accusatum quomodo juvare debeat is qui culpabilis est, 198. Innocens quis dicendus, 180. Innocentiæ et beneficentiæ descriptio, 167.
Inobedientiæ malum, 78.
Intellectus et memoriæ donum, 290.
Intentio simplex, 179. Intentionis typus est oculus, *ibid*. Intentionis efficacia, *ibid*.
Interpellat pro nobis Christus, 254.
Invidia, 65. Contra invidiam, insignis habetur exhortatio, cujus hæc sunt themata : *Deponentes omnem malitiam, et omnem dolum et simulationes, et detractiones, et omnem invidiam.* (*I Petr.* II, 65.) *Vita carnis, sanitas cordis, putredo ossium invidia.* (*Prov.* XIV.) Invidiæ descriptio, 310. Invidia, quantum malum, 65. Invidiæ origo, *ibid*. Invidia superbiæ filia est, 316. Invidia vermi comparatur, 65. Invidia sæpe laborant claustrales, *ibid*. Invidia quos impugnare soleat, 310. Invidia virtutibus vitiorum nomina indit, *ibid* Exclamatio in invidum, 66. Remedia contra invidiam, 310.
Invidus sibiipsi nocet, 65. Invidus sibiipsi infestus, 421, 310.
Ira. Hujus exhortationis themata sunt: *Omnis qui irascitur fratri suo, reus est judicio.* (*Matth.* V.) *Ira viri justitiam non operatur* (*Jac.* I), 66. Ira, multorum malorum origo, 66. Iræ tres species, *ibid*. Ira non fovenda, 425. Ira et rancores ex animo evellendi, 67. Ira, et furor hominem debilitant, 425. Ira hominem inquietum reddit, 423. Ira et eis hominem impugnant, 404. Remedia contra iram, 67 Iras frangit responsio mollis, 422.
Iracundus sibiipsi nocet, 160.

J

Jacob excusatur a fraude commissa in Esau, 231.
Jejunium. Exhortatio ad jejunium, 101. Jejunii efficacia, *ibid*. Jejunii variæ sunt species, *ibid* Jejunium oris nihil est sine jejunio mentis, *ibid*. Jejunio coactionis jejunant multi claustrales, 102. Jejunium charitatis optimum, *ibid*. Jejunium a vitiis, *ibid*. Jejunii utilitates, *ibid*. Jejunii virtus, 126. Jejunium triplex, ambitionis, superstitionis, religionis, *ibid*. Jejunii circumstantiæ, 10.2 Jejunium S. Nicolai, *ibid*. Jejuniorum tempora in Ecclesia recte instituta, 126.
Jephte excusatur, 231.
Jerusalem. *Vide* Hierusalem. Jerusalem, animas designat pacificas, 22. Jerusalem B. Mariam figurat, 35, 121.
Joannes Baptista (S.) De S. Joanne Baptista exhortatio habetur, 151. Super hoc themate. *Vox clamantis in deserto, parate viam Domini,* etc. (*Matth.* III.) S. Joannis Baptistæ sanctitas et privilegia, 213. Non dubitavit, utrum Christus esset Dei Filius, *ibid*. Nec etiam de descensu ejus ad inferos, 212. Cur miserit ad Christum, 213. S. Joannes Evangelista, cur a nuptiis fuerit avocatus a Christo, 249.
Job excusatur a peccato, 231.
Joseph figura Christi, 142, 146.
Josue justificatur, 231.
Jovis regia describitur, 365. Jovis stella bona est, *ibid*.
Judæi quare non debeant occidi, 273.
Judices. *Vide* Principes. Exhortatio ad judices et principes, 110. Judex legis est minister, 272. Ipse non tam occidit reum, quam lex, *ibid*. Judex malefactores occidens, censet reos diligere, 274 Judex aliorum, culpam vitare debet, 159. Judex ecclesiasticus non debet tractare causas sanguinis, 272.
Judiciorum soli et poli differentia, 98. Judicia varia Dei perpendit prudentia, 382. Judicium per arcum figuratur, 121. Judicii timor. De judicii extremi timore, insignis habetur concio, 122. Super hoc themate : *Dedisti metuentibus te significationem, ut fugiant a facie arcus* (*Psal.* LIX.) Judicii extremi severitas, 141. Judicii extremi signa præcedentia, *ibid*. Judicii extremi die, elementa erunt nova, 219. Item, cœlum et terra transibunt, *ibid*. Judicii diem ignorant sancti, 255.
Judiciaria potestas Ecclesiæ, 263
Juramenta omnia esse illicita, docuerunt Waldenses, 269. Contrarium astruitur, 270. Juramenta superflua mala sunt, 268. Juramentum quando sit licitum, 270.
Jurare, ex se, indifferens est, ex circumstantiis autem, bonum vel malum, 270. Jurare, quomodo a Christo prohibeatur, *ibid*. Jurare per creaturas, quare Christus prohibuerit, *ibid*.
Justitia. Hujus exhortationis themata sunt: *Diligite justitiam, qui judicatis terram.* (*Sap.* I.) *Beatus vir qui in sapientia morabitur, et qui in justitia meditabitur.* (*Eccli.* XIV.) Justitia in quo consistat, 81. Justitiæ comites, *ibid*. Justitia indiget, magna discretione, 82. Justitia modo languet, 308.
Justus dupliciter appropinquat saluti æternæ, 116. Justi anima domus est sapientiæ, 166.
Juvenes delicatius enutriti, laboribus ferendis impares sunt. Juvenes delicate non enutriendi, 431.
Juvenilis fervor notatur, 426
Juventus exercenda. Juventutis comes lascivia. Juventutis comes lascivia, 390.

L

Labor. Sine labore nihil, 426, 432
Lac doctrinam sacram designat, 149. Lac humanitas dicitur Christi, 26.
Lacrymæ moderandæ, 72.
Lamentatio triplex, 72.
Lamiis comparantur hæretici, 54.
Lampas dicitur Christus, 144.
Languores corporis, medicamina sunt mentis, 75.
Laquearia infirmitates figurant, 12. Item designant auditores, 12.
Largitas sub typo virginis describitur, 314. Ejusdem vestimenta, *ibid*. Largitatis insigne encomium, 317. Largitatis et naturæ convenientia, *ibid*. Largitas devincit avaritiam.
Lascivia, comes juventutis, 390.
Latrones occidi possunt, 273.
Laudandum parce, vituperandum parcius, 87.
Laus humana non ambienda, nec spernenda, 393.
Lavacrum mentis designat purgationem, 23, 96.
Lectionis et studii utilitates, 103.
Lectulus Salomonis B. Mariam præfiguravit, 20. Lectulum veri Salomonis (Christi) virtutes ambiunt, 21.
Lectus quietem mentis designat, 18. Lectus Christi caro ejus est, 11. Lectus Christi dicitur sepulcrum ejus, 18. Lectus Christi vocatur etiam arx Sion, 19.
Legatio describitur hymenæi, cum litteris naturæ ad Genium, 315. Legationis suæ causam exponit prudentia, 384.

Legendi et studendi modus, 104. Legendum triplici libro, *ibid.*
Leones mystice designant dæmones, 25.
Lepra spiritualis, peccatum est, 259.
Leva, vita est præsens, dextera dicitur vita æterna, 45. Leva Christi, humanitas ejus est, 14. Leva Christi, sub capite B. Mariæ, *ibid.*
Lex. Legem Mosaicam fuisse malam, nec a Deo datam, contendunt hæretici, 226. Refutantur, et quod bona fuerit probatur, 227. Lex Mosaica quare dicatur lex peccati, *ibid.* Quare fuerit abrogata, 228. Lex peccati in membris nostris habitans, 205. Lex vivendi naturæ, 59. Legis novæ clementia, 273.
Libani interpretatio, 41. Libani expositio mystica, 25. Libanus Christum designat, 27.
Liberalitas commendatur, 596.
Libido. *Vide* Luxuria et Fornicatio. Libidinis malitia, 148. Remedia contra libidinem, 311.
Libri philosophorum gentilium quomodo legendi, 104. Libri parabolarum præfatio docet quid in hac editione circa ipsum librum præstitum sit.
Licitum aliquid esse potest dupliciter intelligi, 269.
Lignum vitæ Christus, 13. Ligna Libani membra Christi sunt, 21.
Lilii mystica expositio, 12. Lilium dicitur B. Maria, *ibid.* Lilium castitatem et humilitatem designat, 17. Lilia colligere, quid mystice sit, 34. Lilia, melius in valle quam in monte crescunt, 68.
Linguæ ministerium, 136. Lingua blanda, fallax, 424. Linguæ evagatio, 91. *Vide* Verbositas, 91. Lingua mendax cani comparatur, 423. Lingua garrula est littera cordis, 92. Lingua moderanda, 391. Linguam refrenare difficile, 91. Linguæ modus quomodo adhibendus, *ibid.*
Locus orationis. *Vide* Oratio.
Logica sub typo virginis describitur, 345. Logica Axim fabricat in curru prudentiæ, *ibid.*, 346. Logicæ usus, *ibid.*, 346. Logicæ utilitates, *ibid.*, 394. Logica sophistarum fraudes detegit, 345. Logicæ auctores præcipui, 347. Logica confunditur in partu Virginis, 381.
Loqui. *Vide* Effutire.
Lot peccavit, sed pœnituit, 251.
Luciferi miseria describitur, 362. Lucifer quomodo dicatur habitaturus in Antichristo, 211.
Luctus spiritualis. Exhortatio insignis, in luctus hujus commendationem, 71. Themata: *Beati qui lugent*, etc. (*Matth.* v.) *Væ vobis qui ridetis nunc, quia lugebitis et flebitis.* (*Luc.* vi, 25.) Luctus spiritualis triplex est, 71. Luctus spiritualis, quam salutaris, *ibid.*
Lunæ comparatur Ecclesia, 164. Luna a sole mutuatur lumen, *ibid.*, 336, 284, 363.
Lux perpetua est, ubi virtutes regnant, 406. Lux boni exempli, 47. Lucem et sapientiam a Deo postulat Alanus, 371, 372.
Luxum vincit sobrietas, 47.
Luxuria, 60. Hæc exhortatio diversa habet themata. Luxuriæ descriptio, 60. Luxuriæ asseclæ recensentur, 404. Omnes hominem impugnant, *ibid.* Luxuria quam detestanda, 60. Luxuria, quæ mala importet, *ibid.* Luxuria ignis est, 155. Luxuria filia est gulæ, 60. Luxuriæ effectus, 189. Luxuria et crapula sunt consanguineæ, *ibid.* Luxuria et crapula comparantur putredini, 113. Luxuria fœdior est sterquilinio, 122. Luxuriæ arma, 61. Luxuria fugiendo vincitur, *ibid.*, 391. Luxuriæ crimina varia commemorantur, 295. Luxuriæ vitia recensendo, ea honestis verbis palliat natura, 297. De luxuria innaturali conqueritur natura, 294.
Luxuriosi homines naturæ tunicam scindunt, 296. In luxuriosos meditatur excommunicationem natura, 315.

M

Maceria, Christus est, 17.
Magistri clericorum. *Vide* Pascha.
Maledictio sumitur pro improperio, 232. Maledictio terræ, quid importet, 256.
Malefactores possunt puniri morte, 227.
Mali semper bonos turbant, 422. Malum supponit pro duobus, nimirum actione ipsa, et actionis deformitate, 204. Malum, quomodo dicatur esse a Deo, *ibid.* Malum quomodo a Deo non sit, *ibid.* Mali Punici diversa acceptio, 45. Malum Punicum, Christi passionem designat, 36. Mala Punica martyres sunt, 38.
Mammarum et uberum differentia, 26.
Mandragoræ interpretatio, 44.
Manus cur imponerent apostoli baptizatis, 238. Per manuum impositionem peccata remitti, docent quidam hæretici, 2, 7. Refutantur, 238. Manus Christi operatores sunt boni, 33.
Mare conqueritur de homine, 62.
Maria. De laudibus B. Mariæ, brevis habetur exhortatio, 153. *Egredietur virga de radice Jesse.* (*Isai.* xi.) Mariæ Virginis laudes summam requirunt eloquentiam. In Prologo, 3. Mariæ Virginis laudes et prærogativæ, insigni carmine celebrantur, 315 *et seq.* Mariæ dignitas triplex, scilicet, præelectionis, electionis, subjectionis, 118. Mariæ conceptio sine culpa fuit, 146. Maria, domus est sapientiæ, 166. Columnæ septem hujus domus, *ibid.* Nominis B. Mariæ celebritas, 5. Mariæ laus, ex omni creatura elici potest. In Prologo, 3. Maria dicitur, tabernaculum Dei, cœlestis Regis palatium, virtutum gazophylatium. In Prologo, 3. Maria comparatur virgæ, item, castello et civitati Jerusalem, 112. Maria dicitur virga, ob rationes plures, 153. Maria lilium est inter spinas item, Oliva campi et plantatio rosæ in Jericho, 154. Maria, hortus est conclusus; item, fons signatus, 26, 27. (Maria) hortus est aromatum. Item, hortus nucum, 37. Mariæ virtutes speciebus aromaticis comparantur, 27. Maria auroræ similis, 37. Maria dicitur columba, 36. Item, præ cæteris dilecta, *ibid.* Maria plena gratia et scientia, 31. Maria dicitur civitas Dei, 120. Civitatis hujus regimen et structura, *ibid.* Fluvius civitatem hanc præterfluens, *ibid.* Hortus civitatis hujus, *ibid.* Maria vocatur Jerusalem. Item, arca Noe et castrorum acies, 35, 37. Maria virgula fumi, 20. Maria dicitur fons, 21. Maria assimilatur palmæ, 41. Maria pulchra ut luna, electa ut sol, etc, 37. Mariæ pulchritudo, 22, 31. Maria pulchra fuit facie, 17. Mariæ pulchritudo interior, 8 Mariæ pulchritudo exterior et interior, 22. Maria comparatur Ecclesiæ, 9. Item, turturi, *ibid.* Maria per polum figuratur, 121. Maria fuit ex semine David, 226. Mariæ caput Christus est, 41. Comæ hujus capitis, fideles sunt, *ibid.* Maria sub cruce suscitata, 46. Maria dicitur parvula et ubera non habens, 48. Maria, soror Christi, *ibid.* Maria soror et sponsa Christi, 25, 26. Maria Christo desponsata dicitur, 144. Maria, prima omnium virginitatem vovit, 13. Maria incarnationem Christi desiderat, 3 In Prologo, 44. Maria præsentiam et incarnationem Christi exoptat, *ibid.*, 5. Maria osculum petit, et quale, 4. Mariæ ubera petit Christus, 4. Mariæ ubera quid mystice designent, 5. In Mariæ Virginis partu, logica confunditur, 381. Maria, virgo fuit in partu, et post partum, 121. Maria porta fuit soli Deo pervia, 29. Maria, mons myrrhæ et collis thuris, 23. Maria dicitur Sunamitis, 38. In Maria nullum unquam regnavit peccatum, 25, 39. Mariæ mens paradisus est, 27. Mariæ operationes dicuntur paradisus, 27. Mariæ locutiones, fructus pomorum sunt, *ibid.* Mariæ gressus sunt virtutes, 39. Maria, tota mente Christum dilexit, 8. Maria, liquefacta igne divino, 30. Maria, quomodo dicatur nigra, 6. Maria, quare dicatur fusca, 7, 1. Sol justitiæ decoloravit eam. *ibid.* Maria, diu Christum quærens, non invenit, 18, 19. Maria quomodo Christum non invenit, 18. Maria quomodo Christum non invenerit, 31. Maria quomodo vulnerata, *ibid.* Maria, tempore passionis, fugientibus apostolis, firma mansit in fide, 7. Maria apostolos docuit, 45. Maria antiquos Patres instruxit de Christo, 34. Maria loca sancta peragravit, 19. Maria Christum invenit in Assumptione sua, 19. Mariæ corpus assumptum est in cœlum, 12. Martis palatium describitur, 364. M. B. Mariæ, Synagoga dicitur, 7.
Mater cujuslibet, triplex, scilicet, naturalis, carnalis et spiritualis, 139.
Medici tam spirituales quam corporales, honorandi, 162.
Meditatio B. Mariæ gutturi comparatur, 42. Meditatio Scripturarum divinarum quantum Deo placeat, 43.
Mel divinitatem designat, 26. Mel etiam designat vitam fidelium, 149.
Mendacium exhortationi huic duo præfiguntur themata, 92. *Deponentes mendacium, loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo* (*Ephes.* iv). *Abominatio Domino, labia mendacia*, etc. (*Prov.* xii.) Mendacii iniquitas fuse declaratur, 92. Mendacium enorme vitium est, 157. Mendacii malitia describitur, *ibid.* Mendacium triplex, 93, 157. Mendacium omne esse peccatum mortale, docuerunt Waldenses, 268. Refutantur, *ibid.* Mendaciorum tria sunt genera, *ibid.* Mendacia officiosa et jocosa, sunt peccata venalia, *ibid.* Mendacium perniciosum ex genere suo, est peccatum mortale, *ibid.* Mendacium nullum sit sine peccato, saltem veniali, 269. Mendacii circumstantiæ confitendæ, 187.
Menius qualis fuerit, 326.
Mentem nostram quomodo Spiritui sancto præparare debeamus, 134. Mentis constantia commendatur, 392. Mentis puritas, 179. Mentis delectatio in Deo, *ibid.*
Mentiri tametsi nunquam liceat, veritatem tamen silere, interdum licet, 269.

Mercurii sphera describitur, 364.
Meridies tempus passionis designat, 8.
Meritum perfici quid sit. 228.
Michalus doctor musices laudatur, 354
Militia. Ad milites exhortatio habetur, 108. Super themate sequenti : *Neminem concutiatis, nemini injuriam faciatis*, etc. (*Luc.* III.)
Milites multi vixerunt sancte, 108. Milites sui temporis reprehendit Alanus. Quæ reprehensio hujus etiam temporis militibus convenit, *ibid.* Militi Christiano quomodo vivendum, 109. Milites spirituales instruuntur, *ibid.* Miles in bello justo hostes occidendo non peccat, 273.
Mille argentei omnem mundanam designant substantiam, *ibid.*
Millenarius numerus perfectionem designat, 49.
Minister. A ministri bonitate non dependet vis sacramentorum, 267.
Miraculorum non est quærenda ratio, 245. Miracula circa sacramentum Eucharistiæ, 248.
Miseria vitæ humanæ, 56, 309.
Misericordia. De misericordiæ commendatione, prolixa habetur exhortatio, 79. Cujus hæc sunt themata. *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* (*Matth.* V.) *Misericordiam volo, et non sacrificium.* (*Matth.* IX et XII). Misericordiæ commendatio, 79. Misericordiæ efficacia, *ibid.* Misericordiæ motiva, 80. Misericordia Dei erga homines, 79 Misericordia Christum cruci affixit, 137. Misericordia est clavis cœli, 80. Misericordia supereminet judicio, 386. Misericordia Dei elucet etiam in punitionibus, 227. Misericordia, quando et quibus exhibenda, 80. Misericordia indiscreta, disciplinam destruit, *ibid.*
Missa. *Vide* Sacerdos. Missa sacerdotis concubinarii utrum audienda sit, 267.
Modestia. *Vide* Temperantia. Modestiæ et pudicitiæ dona, 391
Monachus. *Vide* Religio et claustrales. Monachus unde sic dictus, 112, 119. Monachorum virtutes propriæ, 166.
Monile castitatem designat, 40. Monile B. Mariæ, obedientia Christi est, 9.
Monstra varia olim a diversis heroibus prostrata, 203.
Montes contemplationem designant, 23. Montes aromatum, excellentiæ sunt virtutum, 50. Montes Bethel, sancti sunt, 18. Montes et colles, patriarchæ et prophetæ sunt, 15. Per montes designantur etiam peccatores, 131.
Mors certa, hora incerta, 420, 436. Mors triplex exponitur, 145. Mortis umbræ tres, *ibid* Mors non timenda, 72. Mortis timor quomodo propulsandus, 70. Mors amara mundanis, 163 Mors bona justis, *ibid.* Mortem peccatoris quomodo non velit Deus, 273. Morte puniri subinde possunt malefactores, 227. Mortem multi minantur qui eam non inferunt, 424.
Mortui quadriduani mystica expositio, 130. Mortui ejusdem resuscitatio, *ibid.*
Moyses contra calumniatores defenditur, 231. De ejusdem corpore altercatus est diabolus, 231.
Mulieri fidendum non est, 422.
Mundare seipsum debet, qui alium vult mundare, 432.
Munditiam corporis plures curant, munditiam mentis negligentes, *ibid.* Munditia carnis commendatur, 178. Munditiæ carnis studendum, 148. Munditia quinque sensuum, 179.
Mundus a Deo creatus est, 206. Mundus mutabilis est, 205. Mundus dicitur civitas Dei, 120. Mundi regimen. Mundus dicitur respublica. Mundus accipitur sæpe pro mundi amatoribus, 205 Mundanarum deliciarum vanitas, 398. Mundarum rerum omnium vanitas, 424. Mundus procellosus, 422. Mundus totus in maligno positus, 384. Mundi contemptus. *Vide* Contemptus mundi. Mundum quomodo contempserunt Patres antiqui, 56 Mundi contemptus quomodo suadendus, 55. Mundanorum multifaria pericula, 308.
Mu.enula dicitur sapientia divina, 9.
Muri inter Deum et sacerdotes sunt impotentia, ignorantia, negligentia, 183. Muros hos quidam transcendunt, 184. Muri hi quatuor modis perfodiuntur, *ibid.* Muri hi quando totaliter destruantur, *ibid.* Murus quandoque designat firmitatem, 48.
Mus comedens hostias consecratas, non comedit corpus Christi, 246.
Musica sub figura virginis, eleganter describitur, 353. Musicæ auctores præcipui, *ibid.* Musicæ dona, 393. Musicæ efficacia et usus, 353. Musica, rotam secundam in curru prudentiæ fabricat, 354.
Mustum, dicitur sensus Scripturæ mysticus, 45.
Mutatio quid proprie sit, 208. Mutatio triplex est scilicet, alteratio, alteritas, transsubstantiatio, 244.
Myrrha significatio mystica, 10. Myrrha, pœnalitates sunt. Myrrha mortificatio est, 30.

N

Napæ, deæ sunt silvarum, 288.
Nardus carnem B. Mariæ designat, 10. Item famam B. Mariæ, *ibid.* Nasus designat discretionem, 41.
Nativitas. De nativitate Christi, insignem vide exhortationem, 145. In nativitate Christi apparuerunt duo soles, 141.
Natura humana fluxa et caduca eleganti rhythmo depingitur, 419. Natura paucis contenta, 90. Naturæ pulchritudinem sub specie puellæ, subtiliter describit Alanus, 282, 283. Natura coronam auream in capite gerit, 283. Ejusdem coronæ gemmæ describuntur, *ibid.* Naturæ vestes, 284, 287. Naturæ pulchritudo omnium rerum creatarum pulchritudinem superat, 287. Naturæ currus a pavonibus trahitur, *ibid.* Naturæ aurigæ, *ibid.* Naturæ obediunt, et quodammodo congratulantur, sol, luna, stellæ, aves, mare, venti, pisces, nymphæ, dryades, napæ, Flora, et Proserpina. Quæ congratulatio docte et venuste describitur, 287, 288. Natura Deo dirigitur, 292. Naturam venerantur virtutes omnes, 317. Naturæ encomium docto carmine decantatur, 293. Ejusdem laus, 318. Natura cedit fidei, 379. Naturæ potestas limitata, 370. Naturæ obediunt stellæ, planetæ, aves, cæteraque animantia terræ, 284 Naturæ legibus omnes creaturæ obediunt præter hominem, 424. Natura rerum propagationi cooperatur, 301. Natura Alanum (in visione) accedit, consternatum confortat, 289, 290, 293. Beneficia ei impensa commemorat, *ibid.* Naturæ vultum tristitiæ obnubilatum videt Alanus, 282. Naturæ gratiam sibi conciliat Alanus, 293. Natura conqueritur de proclivitate hominum in peccata contra naturam, 294. Natura recensens varia crimina, venerea, ea honestis verbis palliat, 297. Natura sui contemptum in hominibus deplorans, optat creari hominem perfectum, 323. Natura convocat concilium virtutum, *ibid.* Naturæ domus describitur, 324. Natura depravatos hominum mores deplorat, 327. Natura conqueritur de vitiorum in terra dominatu, 315. Naturæ epistolæ ad Genium, in qua conqueritur de humani generis luxuria innaturali, 315. Item de pluribus aliis sceleribus, 316. Naturæ necessitas iterum exponitur, 384 Natura hominem perfectum formari desiderat. 370.
Naturalis conjunctio maris et feminæ verbis honestissimis subtiliter commemoratur, 270.
Negligentia, murus est inter Deum et sacerdotes, 184.
Neronis crudelitas, 326.
Nicolaus (S.). De S. Nicolao habetur sermo, 139, sub hoc themate : *Quoniam tu es qui extraxisti me de ventre, spes mea ab uberibus matris meæ.* (*Psal.* XXI.) S. Nicolaus, a nativitate, per gratiam directus fuit 139. S. Nicolai jejunium prædicatur, 140. Ejusdem continentia commendatur, *ibid.* Item, eleemosynæ et miracula, *ibid.* Exhortatio ad imitationem sancti Nicolai, *ibid.* nobilitas filia est fortunæ, 397. Nobilitas matris fortunæ domum accedit, 400. Nobilitatis dona parvi sunt monumenti respectu virtutum, 401 Nobilitatis vanitas, 57.
Nominis B. Mariæ celebritas, 5.
Novissimorum memoriæ efficacia, 436
Nox culpæ seu peccati, 117. Nox ignorantiæ, *ibid.* Nox tribulationis. *ibid.* Nox peccati quatuor habet partes, 103. Nox ignorantiæ transiisse dicitur, 117. Noctes item tribulationis et culpæ, *ibid.*
Nubes mysticæ triplices, 131. Nubes corporis Christi, *ibid.* Nubes Spiritus sancti, *ibid.* Nubes misericordiæ, *ibid.* Nubium formatio, 131.
Nullius peccati conscius. Confessarium debet in Paschate, 194.
Nuptias damnant hæretici, 207, 248. Nuptias esse licitas ostenditur, 229. Nuptiarum bona et commoda, 312. Nuptiarum incommoda, *ibid.*
Noys, dicitur *intellectus*, 141, 317. Noys præparat ideam animæ creandæ, 387.

O

Obediendum esse soli Deo docent Waldenses, 260 Refelluntur. *ibid.* Obediendum Deo et hominibus, *ibid.* Obediunt invicem angeli, 261. Obediendum superioribus et prælatis, 26, 433. Obediendum non est in malo, *ibid.*
Obedientia. Hujus exhortationis themata sunt : *Christus factus est pro nobis obediens usque ad mortem.* (*Philip.* II.) *Melior est obedientia quam victimæ* (*I Reg.* XV.) Quid sit obedientia, 77. Obedientiæ descriptio alia, 261. Obedientiæ excellentia, 76. Obedientia vocatur ostium, 48. Obedientia Christi commendatur, 147. Obedientia Christi dicitur monile B. Mariæ, 9. Obedientiæ tres sunt gradus, 137. Obedientia comites, 77. Obedientiæ regularis

plures sunt species, *ibid.* Obedientia, alia est directa, alia recta, alia indirecta, alia retrograda, *ibid.* Obedientiæ effectus, *ibid.*

Oblationes Deo offerendæ, quales esse debeant, 124.

Occidere an liceat aliquem, ne ab illo occidaris, 273.

Occidi possunt homines multis casibus, 274.

Occisionem hominis nunquam licere docent Waldenses, 271. Contrarium probatur, 272.

Oculus intentionem designat, 179. Oculi intentionis vis, *ibid.* Oculus contemplationem designat, 26, Oculi, B. Mariæ, 11. Oculi columbarum quales, 11. Oculos columbarum habet Maria, 22. Oculi B. Mariæ sunt vita activa et contemplativa, 41. Oculi Spiritus sancti doctores sunt, 32. Oculus spiritualis a vanitate avertendus. 148. Oculi plus vident quam oculus, 426.

Odor bonæ famæ, 26, 42. Odor bonæ opinionis, 16.

Oleum dicitur divina gratia, 144. Olei virtutes, 5.

Olfactus modestia, 178. Olfactus tertius est equus prudentiæ, 359. Ejus natura, *ibid.*

Opera tenebrarum, quæ, 117. Operum Dei parvam habemus notitiam, 163. Operum nostrorum rectitudo quomodo examinanda, 480. Opus manuum commendatur, 275.

Orare in nomine Jesu, quid sit, 143. Oramus sæpe quæ nescimus, 143. Oramus quandoque etiam malum, *ibid.* Orandi modus optimus, 93 Orandum mente, 95. Orant pro nobis angeli, 254. Orant et pro nobis sancti, 255. Non orant sancti pro damnatis, *ibid.*

Oratio, themata, 94. *Orate pro invicem, ut salvemini, multum enim valet deprecatio justi assidua.* (*Jac.* v.) *Ante orationem, præpara animam tuam.* (*Eccle.* xxxv.) Exhortatio ad orationem, 94. Oratio piissima Alani ad Deum. Orationis bonæ conditiones, 95. Oratio ut sit meritoria, duo requirit, 253. Oratio, sacrificium boni odoris est, 126 Oratio comparatur virgulæ fumi, 95. Item, thuri, *ibid.* Oratione quænam a Deo postulanda sint, 95, 143. Orationis Dominicæ brevis expositio, 7. Orationes tam sanctorum quam vivorum impugnant hæretici, 254. Orationes sanctorum prosunt vivis, *ibid.* 255. Orationes vivorum prosunt defunctis, *ibid.* Orationes sanctorum unde sortiantur efficaciam suam, *ibid.* Orationes saltem eorum qui sunt in peccato mortali, non prodesse aliis contendunt Waldenses, 266. Refutantur, *ibid.* Oratio peccatoris non semper Deo displicet, 267. Orationes hæreticorum, utrum Deo placere possint, *ibid.* Orationum ecclesiasticarum vis, non dependent a bonitate ministri, 267. Oratio semper fructuosa est, 110. Orationis locus ad quid conducat, 253. Per orationem remittuntur peccata venialia, 196;

Ordinationem non requiri ad absolvendum docent Waldenses, 263. Refutantur, *ibid.*

Ordinis sacramentum impugnant hæretici, 251. Refelluntur, *ibid.* Ordinis sacramentum a Deo institutum est, *ibid.* Ordinis sacramentum iterari non potest, 259. Ordinarunt sacerdotes et episcopos apostoli, 251.

Os Patris cœlestis dicitur Filius, ob multas rationes, 4.

Osculatur diabolus hominem multiplici osculo.

Osculum spirituale, triplex est *ibid*, 118. Osculum Patris et Filii dicitur Spiritus sanctus, *ibid.* Quale osculum petat B. Mariæ (*Cant.* I), dum dicit : *Osculetur me*, etc. *ibid.*, 118. Osculum charitatis etiam triplex est, 119. Osculum castum, 319. Osculi malitia, 61.

Ostium dicitur obedientia, 30.

Otiositas vitanda, 162.

P

Pallium ignorantiæ, 31.

Palmæ assimilatur B. Maria, 41. Palma crucem Christi designat, 42, *item* 136 *et seq.* Ratio significationis, *ibid.* Palmæ mysticæ folia et flores, 138. Ejusdem fructus, *ibid.*

Panis quotidianus quis sit quem a Deo petimus, 75.

Panis subcinericius dicitur pœnitentia, 126.

Parabolarum liber præfatione ornatur nova, 421.

Parvuli baptizati quam fidem habeant, 234. Parvulis in baptismo sufficit fides aliena, 135. Parvulis non dantur præcepta in jure civili, 234.

Pascha. In Paschate habetur concio ad magistros clericorum, 125 Thema : *Accelera, tria sata simile commisce et fac panem subcinericium.* (*Gen.* xxviii.) Pascha dupliciter sumitur, 250. Pascha mystica interpretatio, 227 Pascha a quibus celebrandum, *ibid.* In Paschate, unicum cantatur alleluia duplex autem in Sabbato, *ibid.*

Passio Christi, purpura dicitur, 41.

Pastor ignavus gregem perdit, 422.

Patientia. Ad patientiam prolixa exhortatio habetur, 74. Cujus hæc sunt themata : *Patientia opus perfectum habet.* (*Jac.* iv.) *Doctrina viri per patientiam dignoscitur.* (*Prov.* xix.) Patientiæ encomia, 76. Patientiæ virtus, seu efficacia, 74. Patientia omnes injuriarum species expugnat, *ibid.*. Exhortatio ad patientiam, *ibid.* Patientia materia, *ibid.* Patientiæ species septem, *ibid.*

Patres Veteris Testamenti esse damnatos docuerunt hæretici, 229. Refelluntur, 230. *et seq.* Patres in lymbo non patiebantur pœnam census, 232. Patrum antiquorum laus, 164. Patrum merita commemorantur, *ibid.*

Pauper ubique jacet, 430. Paupere ditato, nil acrius esse putato, 428. Pauperum consilia non semper spernenda, 429.

Paupertatis commendatio, 107. Paupertas quadruplex, 154. Paupertas voluntaria laudatur, 433. Paupertas spiritus in quo consistat, 74. Paupertas læta, 62. Paupertatis commoda, *ibid.* Paupertas mortem non timet, 403. Paupertatis arma quibus hominem impugnat, 408. Sodales ad pugnam urget, qui omnes hic recensentur, *ibid.* Paupertas prosternitur, et sodales ejus fugantur, *ibid.*

Pax. In pacis commendationem exhortatio habetur, 85. sub his thematibus : *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis.* (*Joan.* xiv.) *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.* (*Matth.* v.) Pacis dignitas, 85. Pacis, tres sunt species, temporis, pectoris, æternitatis, 86. Pacis temporalis fallacia, *ibid.* Pacis cordis excellentia, *ibid.* Pax cordis quomodo acquiratur, *ibid.* Pacis æternitatis perfectio, *ibid.*

Peccator spiritualis ægrotus est, 185. Peccator quomodo ad confessionem inducendus, *ibid.* Peccator Deum et proximum offendit, 265.

Peccatum, quomodo habitet in carne, 205. Peccati lex quomodo in membris sit, *ibid.* Peccatum non semper est, quod in peccato sit, 206. Peccatum peccato punitur, 188, 197. Peccatum actuale omne penes velle et nolle, non autem originale, 233. Peccatum actuale requirit libertatem peccantis, *ibid.* Peccatum actuale dicitur naufragium secundum, 239. Peccatum originale dicitur naufragium primum, *ibid.* Peccatum originale negant hæretici, 232. Peccatum originale omnibus adhærere ostenditur, 233. Peccatum originale quomodo voluntarium, *ibid* Unde in hominem derivetur, *ibid.* Peccata venialia dimittuntur per orationem, 196. Peccata venialia disponunt ad mortale, 195. Peccata levia disponunt ad majora, 422. Peccatorum quædam sunt corporalia seu carnalia, alia spiritualia, 187. Peccata carnalia majoris sunt infamiæ, et minoris culpæ, *ibid.* Peccata spiritualia majoris sunt culpæ et minoris infamiæ, *ibid.* Peccata dimissa per contemptum redeunt, 197. Peccata contra naturam pudice et subtiliter describuntur, 302. Peccata contra temperantiam, 187. Peccati nullius conscius, confessarium accedere debet in Paschate. Peccatorum solutio sive absolutio. 194 De peccatorum solutione, brevis habetur concio, 129. Super hoc themate : *Solvite eum, et sinite abire.* (*Joan.* xi.) Peccatorum remissio fit septem modis, 194. In peccatis carnis non sunt inquirendæ circumstantiæ nimis minutæ, 185.

Pecuniæ efficacia magna, 306. Pecunia largitur honores, *ibid.* Pecunia mundum regit, *ibid.*

Pedes, affectus sunt, 30.

Pelles Salomonis, varietatem virtutum designant, 7.

Pentecoste. In die sancto Pentecostes, duæ insignes habentur conciones. Prima, 133, sub hoc themate : *Dum complerentur dies Pentecostes.* (*Act.* ii.) Secunda, 133, sub themate sequenti : *Spiritus Domini replevit orbem terrarum*, etc. (*Sap.* i.) Pentecostes solemnitas mystice exponitur, 133. Pentecostes. *Vide.* Spiritus sanctus.

Pericula multifaria mundanorum, 308.

Perseverantia. Hujus exhortationis duo habentur themata, 78. *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* (*Matth.* x.) *Si perseveraverit pulsans, dico vobis, etsi non dabit et quod amicus ejus sit, propter improbitatem tamen ejus, surget et dabit ei.* (*Luc.* xi.) Perseverantiæ excellentia, 784. Perseverantia finalis fuse commendatur, *ibid.*

Personarum divinarum pluralitatem inpugnant Judæi, 276. Refelluntur, 277.

Petrus (S.) apostolus. De sancto Petro apostolo, brevis habetur sermo, 162, super hoc themate : *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* (*Matth.* xvi) Petrus, typus est Ecclesiæ, 152. Petri claves quæ, 155 Petrus et Paulus fidei sunt columnæ, 319.

Phinees laudatur ejusque factum mystice exponitur, 165.

Phronesis dicitur prudentia, 337. 340.

Pictura simia est veritatis, 285. Pictura imitatur logicam, 325. Picturæ, in domo naturæ, quæ, *ibid*

Pietatis dona, 395.

Pigmentarii dicuntur apostoli, 53 Pigmentarii pulvis dicuntur virtutes, 96.

Pisces marini recensentur, eorumque natura breviter describitur, 285. Pisces fluviatiles specificantur, eorumque natura describitur, 286.
Planctus. Libri De planctu Naturæ præfatio ad lectorem de novo addita, 279.
Planetæ septem sub totidem gemmarum typo describuntur, 284. Planetarum naturæ et influentiæ, 356. Planetarum orbes et motus, 356.
Plato Genesim legit, 104. Plato cognovit Deum creasse omnia, 208.
Pœnæ corporales in diversos criminosos decernuntur, 320. Pœnarum futuri sæculi gravitas, 162. Pœnæ infernales æternæ, 156. Pœnis juste cruciantur mali, 162.
Pœnitentia. *Vide* Satisfactio. Hæc exhortatio duo habet themata : *Facite fructus dignos pœnitentiæ.* — (*Matth.* III.) *Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cælorum*, 99. Pœnitentiæ origo, 99. Pœnitentiæ fructus, 177, 99. Requisita ad veram pœnitentiam, 242. Pœnitentia duplex, transiens et perseverans, 99. Pœnitentia non procrastinanda, 430. Pœnitentia dicitur panis subcinericius, 129. Pœnitentiæ variæ acceptiones, 191. Pœnitentia interior, *ibid.* Pœnitentia exterior, *ibid.* Pœnitentia civilis, 192. Pœnitentia solemnis, *ibid.* Pœnitentia privata, *ibid.* Pœnitentia ecclesiastica, *ibid.* Pœnitentiæ sacramentum. Ad sacramentum pœnitentiæ exhortatio habetur, 99, 124. Pœnitentia quid sit, 177, 239. Pœnitentiæ exordium, 99. Pœnitentiæ sacramentum tria requirit, contritionem, confessionem, satisfactionem, 177. Pœnitentiæ fructus, 99, 177. Pœnitentiæ efficacia, 241, 242. Pœnitentiæ sacramentum impugnant hæretici, 238. Refutantur, 239. Pœnitentiam ex toto rejiciunt alii hæretici, 241. Refelluntur, *ibid.* Pœnitentiam posse iterari demonstratur, 239, 240. Pœnitentia est causa sine qua non remissiones peccatorum, 241. Pœnitentia. *Vide* Satisfactio et Carena. Pœnitentiarum diversitas pro eodem peccato, 193. Pœnitentiæ quales injungi debeant infirmis, *ibid.* Pœnitentiæ confitentium sunt arbitrariæ confessariis, *ibid.* Pœnitentiæ pars est erubescentia, 194. Pœnitentiæ olim multo rigidiores injungebantur quam modo, 190. Districtionis ratio, *ibid.* Pœnitentia septennis olim erat communis, 193. Pœnitentiæ modo temperandæ, 190. Pœnitenti acquiescendum in pœnitentiæ injunctione, 124, 190. Pœnitentia spiritualis commutari potest in temporalem, 266. Pœnitere oportet per totam vitam, 178, 239.
Pœnitentialis libri præfatio eidem de novo addit, 181, 182.
Poetarum scripta figmentis plena sunt, 296. Mystice exposita utilia sunt, *ibid.*
Polus B. Mariam designat, 121.
Poma mysticæ dicuntur sacræ Scripturæ intellect., 44. Pomæ convallis fructus sunt humilitatis, 38. Pomorum odore quidam pascuntur, 246.
Potus tam in vitro quam in auro sapit, 429.
Prædestinationis causas rimatur prudentia, 382.
Prædicatio. *Vide.* Concio. De prædicatoria arte liber incipit, 51. Prædicatio quid sit, 53. Prædicatio quomodo differat a doctrina, prophetia, et concionatione, *ibid.* Prædicationis tres sunt species, 54. Prædicationis bonæ conditiones, *ibid.* In prædicatione plura sunt cavenda, 53. Prædicatio accommodanda auditoribus, 54, 107. In prædicationibus, quales adhibendæ auctoritates, *ibid.* Prædicatio quibus proponenda sit, 107. Prædicatio prælatos decet, 106. Prædicationis officium nemo sibi usurpare debet, 239.
Prædicator debet esse prudens, doctus et discretus, 106. Prædicator opere implere debet quod alios docet, 116. Prædicatores debent mitti a superioribus, vel a Deo, 258. Prædicatores non debere operare manibus, docent Waldenses, 274. Refelluntur, 275. Prædicatores possunt necessaria accipere ab auditoribus, *ibid.* Prædicatores vani per concubinas figurantur, 36
Prælatus debet esse forma gregis, 119. Prælatus debet esse speculum, *ibid.* Prælatus debet habere tria genera unguentorum, 119. Prælatorum ubera quibus subditos pascant, 119. Prælatorum superfluitates carpuntur, 305. Prælatis bonis duntaxat obediendum, volunt Waldenses, 202. Refelluntur, *ibid.* Prælatis semper obediendum, nisi in fide erraverint, 262. Prælatorum sententia semper timenda et tenenda, 261.
Præmia laboribus comparata, gratiora sunt, 291.
Præstigium, quid sit, 245.
Principes et judices. Exhortationem ad principes, 110, sub hoc themate : *Diligite justitiam, qui judicatis terram.* (*Sap.* I.) *Principes sub Deo se humiliare debent.* Principum et regum pericula, 111. Principes mundi Mariam honorant, 25.
Principia duo rerum omnium statuta. Albigenses hæretici, 203. Idem probare conantur auctoritatibus et rationibus, *ibid. et* 204. Refelluntur, solvunturque eorum argumenta, 204 *et seq.* Principiis instandum, 432.
Promittere non debes quod non potes præstare, 423.
Prophetiæ descriptio, 53.
Propitiatorium dicitur divina majestas, 149.
Prosperitas et adversitas sunt filiæ fortunæ, 398. Prosperitatis instabilitas, 72. Prosperitas oppugnat hominem, 414.
Proximi querela de homine, 62.
Prudentia. Exhortationi huic duo assignantur themata, 87. *Estote prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbæ.* (*Matth.* X.) *Beatus vir qui in sapientia morabitur.* Prudentiæ descriptio, 87. Prudentiæ effectus, *ibid.* Prudentiæ dona, 393. Prudentia omnes virtutes ordinat, 87. Prudentia regina est virtutum cardinalium, 89. Prudentia neminem fallit, *ibid* Prudentia ministris Ecclesiæ necessaria, 129. Prudentia seipsam aliis impertiendo magis augetur, 340. Prudentia imprudentiam devincit. Prudentiæ pulchritudo sub typo Virginis describitur, 328. Prudentiæ vestimenta, 329. Prudentia trutinam in manu gerit, *ibid.* Prudentiæ trutina omnia trutinantur, 323. Prudentia aliter vocatur Phronesis, 337, 340. Prudentia naturæ astipulatur, 329. Prudentia humana non capit ea quæ Dei sunt, 331. Prudentia a virtutum concilio destinatur ad Deum, 336. Prudentia verbis concordiæ inducta, legationem assumit ad Deum, 304. Prudentia cedit rationi, 331. Prudentiæ currum ædificant septem artes liberales, 340. Prudentiæ in cœlum tendenti, conceduntur quinque equi, id est quinque sensus exteriores, 357. Prudentiæ auriga est ratio, 360. Prudentia currum ascendit monitu rationis, 361. Prudentia aerem penetrando, ejus naturam scrutatur, *ibid.* Prudentia considerat Spiritus in aere vagantes, *ibid.* Item, casus dæmonum et Luciferi miseriam, 362. Prudentia Theologiæ ducatum requirit, 370. Prudentiæ occurrit Fides, 381. Prudentia comitata Fide et Theologia, cœlestia loca ingreditur, 382. Equos jubetur relinquere, excepto, 2, 371. Oculos armat speculo, contemplatura cœlestia, 382. Prudentia cœlorum secreta rimatur, 336. Prudentiæ languenti datur potio cœlestis, 380. Prudentia varia Dei, judicia perpendit, 382. Alia item cœli empyrei mirabilia, 385. Prudentia Deum alloquitur cum omni humilitate, 384. Conqueritur mundum totum in maligno positum, *ibid.* Voti compos revertitur cui occurrit ratio, 387.
Pudicitiæ et modestiæ dona, 391.
Puer excrescit in virum, 423.
Pugna. *Vide* Conflictus. Pugna virtutum et vitiorum eleganter describitur, 407.
Pulchritudo interior B. Mariæ, 24. Pulchritudo B. Mariæ exterior et interior, 22. Pulchritudinis humanæ vanitas, 116. Pulchritudo corporis, luxuriæ fomes, 155. Item fomentum superbiæ, *ibid.*
Puritas mentis, 179. Puritas cordis et corporis servandæ, 163. Puritas cordis in tribus consistit, 167. Puritas etiam actionis triplex, 166. Puritas quoque sermonis triplex est, 166.
Pythagoræ error, 210.

Q

Quadragenarius numerus quare deputatus jejunio, 123.
Quatriduani mortui resuscitatio, 130.
Quadrigæ Aminadab; Christi principales sunt virtutes in Incarnatione exhibitæ, 38.

R

Ratio mentis est oculus, 331. Ratio mensura est boni, 335. Ratio se speculatur tribus speculis, 332. Ratio fidei se submittere debet, 381. Rationi cedit prudentia, 331. Ratio senior est prudentia, 332. Rationis efficacia et effectus, 290. Rationis dona, 392. Rationis et fidei assensus differentia, 292. Rationi fortuna nocere non potest, 157. Ratio assistit Fortunæ, 401. Ratio non sinit dari divitias nisi mensurate, *ibid.*, 401. Ratio debellat stimulum carnis, 413. Ratio hominem perfectum in terris optat, 335. Rationis discursus, 332. Rationis discursus alius, 334. Ratio coram Natura se humiliat, *ibid.* Consilium Naturæ approbat, 335. Ratio auriga est Prudentiæ et Sapientiæ, 360. Ratio quinque equos jungit currui Prudentiæ, 357, 360. Rationis monitu, Prudentia currum ascendit, 361.
Reclinatorium Christi, anima ejus est, 21.
Rectitudo affectus in quo consistat, 179.
Rectores Ecclesiæ, illam inter fluctus sæculi regere debent, 165. Rectores et ministri Ecclesiæ debent esse prudentes, 129. Rectores Ecclesiæ ad studia admonentur, 126. Rectores auctoritatem conservare debent, 161.
Regi non debent omnes uno modo, 428.
Reginæ sunt doctores Ecclesiæ, 36.
Regiones umbræ mortis, 165.

Regnum virtutum, ejusque felicitas describitur, 415. Ibidem perpetua lux est, *ibid.*

Regum et principum pericula, 111.

Reipublicæ speciem gerit homo, 291. In hac republica imperat sapientia, *ibid.* Reipublicæ comparatur mundus, 291.

Religio et religiosi. *Vide* Claustrales.

Religiosi de quibus admoneri debent, 108. In religiosis debet esse triplex unitas, 111. Religiosis necessaria est unitas charitatis, 112. Religiosorum unitas cum prælato, *ibid.* Religiosorum unitas inter se, 112. Religiosi voluntatem propriam abnegare debent, 112. Religiosi confessiones sæcularium audire non debent, 194. Religiosorum proprietas damnatur, 112. Religiosorum vanitas in vestitu carpitur, 111. Eorumdem alii excessus taxantur, 112.

Remedia generalia et specialia, contra omnia capitalia vitia, insigni carmine describuntur, 311. Remedia contra superbiam, 312. Remedia contra avaritiam, 312. Remedia contra gulam, 311. Remedia contra libidinem, 311. Remedia contra oculorum evagationem, *ibid.*

Rerum substantia simul creata est, sed non species formæ, 160.

Responsio mollis frangit iras, 422.

Resurrectio mortuorum astruitur, 217, 219. Eamdem negant hæretici, ob rationes relatas, 218. Solutio dictarum rationum, 218. Resurrectionis hora B. Mariæ, incerta, 20.

Resuscitati tempore passionis Christi, cum eo ascenderunt in cœlum, 215.

Resuscitatio quatriduani mortui mystice exponitur, 130.

Reus impœnitens quomodo tractandus confessario, 188.

Rhetorica sub typo Virginis describitur, 347, 348. Rhetorica tubam gerit in dextera, et cornu in sinistra, 348. Rhetoricæ officium, et usus, *ibid.* Rhetoricæ dona, 304. Rhetoricæ orationis partes, 348. De rhetorica optime meritus est Cicero, 349. Rhetoricæ auctores præcipui, *ibid.* Rhetorica temonem in curru Prudentiæ ornat gemmis et argento, 350. Axi quoque varios flores insculpit, *ibid.*

Rhythmus de Incarnatione Domini, 418.

Risus laudabilis, 391. Risus malus, *ibid.*

Roris expositio triplex, 131. Ros gratiæ cœlestis, 29.

S

Sacerdotalis ordinis dignitas, 265.

Sacerdos. Ad sacerdotes exhortatio habetur egregia, 115, super themate sequenti : *Vos estis sal terræ, quod si sal infatuatum fuerit, in quo salietur.* (Matth. v.) Sacerdotes sunt spirituales medici, 85. Sacerdotes sali comparantur, 115. Sacerdotes sali infatuato quando comparari possint, *ibid.* Sacerdotes ministri sunt pœnitentiæ, 264. Sacerdotum potestas ligandi et solvendi, 153. Sacerdotes quomodo ad pœnitentiam inducere debent subditos suos. Sacerdoti confitendum et non laico, cum fieri potest, 264. Sacerdotem habere non valentium Deus corda exaudit, 265. Sacerdotum vita neminem lædere debet, 264. Sacerdotes etiam mali valide ligant, licet indigne, 262. Sacerdos celebrans in peccato mortali, peccat, missa tamen prodest et a quo celebratur, 266. Sacerdotis mali benedictio, quomodo censeatur a Deo maledicti, 262. Sacerdotum negligentia arguitur, 113. Sacerdotum avaritia culpatur, *ibid.*, 153. Sacerdotum ambitio, ignorantia et impura vita taxantur, 183. Sacerdotum vitam carpere pergit, *ibid.*, 184. Sacerdotum quidam sunt blesi, alii taciturni, alii muti, 183. Sacerdotes exhortatur auctor ad vitæ emendationem, 185. Sacerdotes comparantur pueris, 184.

Sacramenti definitio, 123. Sacramentorum figuræ variæ, *ibid.* Sacramenta vocantur vasa gratiæ, *ibid.* Ad sacramentum pœnitentiæ, exhortatio habetur, 124, 99. Sacramentorum vis non dependet a bonitate ministri, 267.

Sæculi futuri solemnitas, 127.

Sali comparantur sacerdotes, 113. Sal tripliciter infatuatur, *ibid.*

Salomon Christi typus est, 20. Salomonis lectulus B. Mariam designat, *ibid.* Lectulum hunc virtutes ambiunt, 21.

Salus triplex in Christo.

Samsonis mors excusatur, 231. Samsonis vulpes hæreticos designant, 128.

Sancti de terra assumpti cœlum incolunt, 375. Sanctorum merita diversa, *ibid.*, 381. Sancti diem judicii ignorant, 235. Ignorant etiam salutem aut damnationem vivorum, *ibid.* Sancti quænam sciant, *ibid.* Sancti non orant pro damnatis, *ibid.* Orant pro vivis, *ibid.* Sanctorum orationes unde efficaciam suam, *ibid.* Sanctorum orationes. *Vide* Oratio. Sanctificati in utero fuerunt aliqui, 159.

Sanir mons, mystice exponitur, 25.

Sapiens quis vere sit, 35.

Sapientiæ laus, 306. Sapientia reperitur multiplex, 65 Sapientia desursum, *ibid.* Sapientia sursum, *ibid.* Sapientiæ domus est Ecclesia, *ibid.* Item anima justi, 166. Sapientia annulus est aureus, 148. Sapientia est scientia, divitiæ sunt animi, 393. Sapientia quomodo acquiratur, 307. Sapientia clausa perit, sparsa augetur, 394. Sapientia hoc tempore vilescit, 306. Sapientiæ vanitas, 57.

Satietas mater libidinis, 302.

Satisfactio. *Vide* Pœnitentia. Satisfactio quid sit, 177. Satisfactio contritionem confirmat, 195. Satisfactio ordinarie, semper injungenda, 188. Satisfactio à sacerdotibus suscipienda, 264. Satisfactio commensuranda est culpæ, 188. In satisfactionibus injungendis, considerari subinde debet status personæ, 189.

Saturni sphæra describitur, 365. Tarde movetur, *ibid.* Saturni stella mala, *ibid.*

Scala dicitur crux Christi, 137. Per scalam hanc ascendunt angeli, *ibid.* Scala quam Jacob (*Gen.* xxviii) vidit. Mystica interpretatio 52, in præfat.

Scientia vocis, quid sit, 136. Scientiæ omnes ordinate per partes addiscendæ sunt, 436.

Scioli, docere volentes quod non didicerunt arguuntur, 423.

Scripturæ sacræ commendatio, 164. Scriptura sacra dicitur vas, 148. Scripturæ sacræ triplex est sensus, historicus, tropologicus, allegoricus, 126. Scripturæ sacræ triplex sensus in lacte designatus, 149. Scripturæ sensus litteralis comparatur saxo, mysticus melli, 125. Scriptura pani comparatur, 127. In Scripturarum lectione opus est circumspectione, 161.

Scurrilitas omnis fugienda, 391.

Segnities quam perniciosa, 64. *Vid.* Socordia, et Acedia,

Semita distinguitur a via, 152. Semita recta quæ, *ibid.*

Senectus ex virtute computanda, 69. Senectus morum in juvene, 391. In senectute deserviat, qui in juventute non fecit, 65. Senectus luctando hominem invadit, 410. Senectutis arma, *ibid.* Senectus sine vulnere vincitur, 411. Victa fugit, dejectis armis, contenta baculo, *ibid.*

Senes bis pueri, 430. Senibus secreta non committenda, 421.

Sensualitatis et rationis bellum, 290. Sensualitatis efficacia, *ibid.*

Sensuum custodia, 392. Sensus externi, sive equi Prudentiæ, cœli secreta penetrare nequeunt, 367.

Septenarii numeri variæ considerationes, 133.

Septuagesima quid designet, 127.

Seraphim, ardens dicitur, significatque Scripturam sacram, 173. Seraphim quando dicatur stare, surgere, ambulare, *ibid.* Seraphim stat, Deo sedente, 174. Seraphinorum volatus, *ibid.* Seraphim. *Vid.* Alæ.

Sermo vanus, conscientiæ vanæ judicium est, 91.

Servire Deo, regnare est, 435. Servitus triplex in mundo, Dei, hominis et dæmonis, *ibid.* Servitus vitiorum, durissima, *ibid.*

Servus. Servi sub disciplina tenendi, 161. Servus fidelis diligendus, *ibid.* Servus nequam, beneficiis non emendatur, 428. Pejor est cane, 161.

Sigillum Dei Patris, Christus est, 154.

Signaculum Dei, Angelus, *ibid.*

Signum Dei, quælibet creatura, *ibid.* Signum verbi, quid, 151. Signa Zodiaci, duodecim gemmis comparantur, 285.

Silentium in canone missæ, quid designet, 123.

Silva naturæ domum ambiens describitur, 324.

Simonia clericorum carpitur, 433.

Simoniaci, de quibus a confessariis admonendi sunt, 190.

Sion interpretatur *speculatio*, 22.

Sitim provocantes arguuntur, 306.

Sobrietas vincit luxum, 412.

Sodomia. *Vid.* Luxuria. Sodomiæ infame scelus detestatur natura, 295.

Sodomiticum crimen docto et subtili carmine deploratur, 281.

Solis arx describitur, 365. Soles duo apparuerunt in Nativitate Christi, 141. Sol justitiæ decoloravit Mariam, *t.*

Solium Dei, angeli et beati, 173. Solium Dei æternitas, *ibid.*

Sollicitudo duplex, necessitatis et curiositatis, 142. Sollicitudo quænam prohibeatur, *ibid.*

Solvendi potestas quibus competat, 129.

Somnolentia. Hujus exhortationis thema est: *Scientes quia hora est jam nos de somno surgere* (*Rom.* XIII), 116.

Somnus triplex est, 116. Somnus contemplationis quis sit, 29 et 116. Somnus peccati, seu erroris, *ibid.* A somno peccati quatuor nos excitare debent: sol oriens, galli cantus, timor furis, sollicitudo rei familiaris, *ibid.* Somnii species tres, contemplatio, imaginatio, pigritia, 63. Somnus desidiæ, seu acediæ, 64. Somni desidiæ vel torporis, aut Acediæ, causæ, *ibid.* Somnia sex modis homini accidunt, 161.

Sonus duplex, uti et vox, 151. Soni diversitas mystice exponitur, 134.

Sopor contemplationis, 14.

Sorte sua quisque contentus sit, 427.

Speculum. Specula triplex homini proponitur, scilicet providentiæ, circumspectionis et cautelæ, 58. Specular etiam triplex eidem proponitur, conscientiæ puræ, contemplationis divinæ, vitæ æternæ, 58. Speculum, item triplex homini propositum est, Scripturæ, Naturæ, Creaturæ, 57. Speculorum tria sunt genera, 119. Speculo armat oculos prudentia contemplatura cœlestia, 382. Speculis tribus se speculatur ratio, 332.

Spes cœlestis, et Contemptus terrenorum, 70. Themata. *Bonum est sperare in Domino, quam sperare in principibus.* (*Psal.* CXVII.) *Quam difficile est in pecuniis confidentes intrare in regnum cœlorum.* (*Marc.* X.) Spei cœlestis bona et efficacia, 71. Spes timorem firmat, 177. Spes salutem promereatur, *ibid.*

Sphæræ ignis et lunæ describuntur, 363. Sphæræ Veneris et Mercurii describuntur, 364.

Spiritus. *Vid.* Anima. Spiritus boni et mali, ejusdem sunt naturæ, 208. Spiritus sanctus. *Vid.* Pentecoste. Spiritus sancti descensio in apostolos mystice exponitur, 133. Spiritus diversi, 134. Spiritus sancti dona multiplicia, *ibid.* Spiritus sanctus cur in forma ignis descenderit, *ibid.* Cur in forma linguarum descenderit, *ibid.* Spiritus sanctus quomodo repleat orbem terrarum, 135. Spiritus sanctus quibus repleverit apostolos, 136. Spiritus sanctus quomodo dicatur continere omnia, *ibid.* Spiritus sanctus in primitiva Ecclesia signo visibili præsentiam suam manifestabat, 238. Spiritus sancti adventui mentem nostram quomodo præparare debeamus, 134. Spiritus sanctus multipliciter recipitur, 238. Spiritus gratiarum non sequitur semper dignitatem personæ, 263. Spiritus duplex in homine, rationalis et physicus, seu naturalis, 221. Spiritus naturalis, seu animalis, corruptibilis est, *ibid.* Spiritus rationalis quinque habet potentias, *ibid.* Spiritus bruti, unde vocetur spiritus, *ibid.* Spiritus bruti unde vocetur naturalis, vitalis et animalis, *ibid.* Spiritus vocatur vegetabile bruti, 222. Spiritus bruti subtilior est aere, *ibid.* Utrum sit animatus vel inanimatus, *ibid.* Qualiter veniat in constitutionem bruti, *ibid.* Spiritus in aere vagantes, 362.

Stilbon est stella Mercurii, 364.

Studendi modus, 104.

Studium. *Vid.* Disco. Studii et lectionis utilitates, *ibid.* Ad studia admonentur rectores Ecclesiæ, 126.

Stultitia cum suis comitibus hominem impugnant, 401. Stultitiæ comites sunt ignavia, ludi, segnities, nugæ, garritus, otia, somni, *ibid.*

Stupor mentis Alani, 293.

Superbia, 67. Themata hujus exhortationis sunt: *Omnis qui se exaltat, humiliabitur.* (*Luc* XIV.) *Initium omnis peccati superbia.* (*Eccli.* X.) Superbiæ natura et conditio, 67. Superbia grande malum, 362. Superbia periculosa est, 424. Superbiæ effectus pessimi, 68. Superbia, mater omnis nequitiæ, 68. Per aquilonem designatur, *ibid.* Superbiæ quatuor sunt species, 68. Superbiæ et fastus indicia, 309. Superborum pœna, 164.

Superfluitas culpatur, 160.

Superiores arguuntur opprimentes subditos, 430. Superioribus obediendum, 261, 433.

Superlunarium rerum exacta cognitio, naturæ vires excedit, 373.

Sus, dicitur homo mundanus, 148.

Synagoga dicitur domus Israel, 213. Synagoga dicitur mater Christi et Mariæ, 7 et 41. Synagoga sub cruce corrupta est, 46. Synagogæ domus, Vetus est Testamentum, 45.

T

Tabernaculum Christi, triplex, 149. Tabernacula Cedar, tribulationes sunt, 6.

Tactus sanctimonia, 179. Tactus, quintus est equus Prudentiæ, 360. Ejusdem natura et dotes, *ibid.*

Talentum non abscondendum, 427.

Temperantia et modestia. In temperantiæ commendationem, exhortatio habetur, 90. Cui, duo præfiguntur themata, nimirum: *Modestia vestra nota sit omnibus hominibus. Dominus prope est.* (Philip. IV.) *Sobrie, et juste, et pie vivamus in hoc sæculo.* (Tit. II.) Temperantiæ excellentia, 90. Temperantiæ regula virtutes omnes metiendæ, *ibid.* Temperantia in omnibus adhibenda, 90. Temperantia iterum commendatur, 162. Temperantia in quibus præcipue consistat, 313. Temperantia servanda in correptione, 90. Temperantia in cibo et potu quomodo usurpanda, *ibid.* Temperantiæ laudes sub typo Virginis celebrantur, 313.

Tempestatis descriptio, 298.

Templum. *Vid.* Ecclesia. Templa vocantur domus Dei, 253. Templum Dei diversimode sumitur, 146. Templum vocatur corpus Christi, 121. In hoc templo, tria sunt altaria, *ibid.* Tempus orationis. *Vid.* Oratio. Tempus non est de substantia orationis, 253.

Tenebræ nihil sunt nisi carentia lucis, 204. Tenebrarum species diversæ, 117. Tenebrarum opera quæ, *ibid.*

Tentari, et in tentationem duci, differunt, 74.

Tentatio *Vide* Tribulatio. Tentatio multiplex, 135. Tentationum seu tribulationum fructus, *ibid.*

Terra triplex recensetur, scilicet, quam terimus, quam gerimus, quam quærimus, 110. Terra, mystice sumitur etiam tripliciter, scilicet pro vita æterna, pro Scriptura sacra, pro B. Maria, 131. Terræ comparatur B. Maria, 132. Terræ hujus qualitates, *ibid.* Terra cordis nostri quomodo fiat sterilis, *ibid.* Terra hæc aperienda est ut germinet, *ibid.* Terra corporis nostri quomodo regenda, 110.

Terrena bona, vera bona non sunt, 156. Terrena despicienda non sunt. Terrena contemnenda quia fallacia, 69 et 70. Terrenorum spes cruciat, 70. Terrenorum contemptus. *Vide* Spes cœlestium.

Theologia sub typo virginis describitur, 367. Theologia librum gerit in dextra, sceptrum in sinistra, 368. Theologiæ usus et excellentia, *ibid.* Theologia sobrietate inebriatur, 369. Theologia de Deo tractat, sed obscure, *ibid.* Theologiæ ducatum requirit Prudentia, 370. Theologia se comitem offert Prudentiæ, modo currum et equos deserat, 371. Theologia confortat Prudentiam, 378. Theologia implorat auxilium fidei, *ibid.* Theologia fidei potius innititur quam rationi, 292. Theologia articulos fidei docet, 378. Theologia animæ gratius arridet cæteris artibus liberalibus, 395.

Theophania, quid? 14.

Thuribula, orationes designant, 174.

Tigna et trabes, doctores sunt, 12.

Timor triplex, horroris, cautelæ et reverentiæ, 122. Timoris effectus, 177. Timor compunctionem suscitat, *ibid.* Timor hominem inquietum reddit, 434. Timor judicii. *Vide* Judicii timor. Timoris mundani contemptus, 69. Huic exhortationi plura præfiguntur themata, *ibid.* Timor mundanus, unde præcipue contemnendus, *ibid.*

Transsubstantiationem negant hæretici, 243. Refutantur, 244. Quid sit transsubstantiatio, *ibid.* Transsubstantiationis cur non fiat mentio in antiquis symbolis, 246.

Tribulatio. *Vide* Tentatio. Tribulationum utilitas, 135 et 161. Tribulatio multa bona operatur, 70. Tribulationes dulcedinem pariunt animi, *ibid.*

Trinitatis SS. mysterium hominibus incomprehensibile, 125. SS. Trinitatis mysterium cur Deus in veteri lege Judæis non revelaverit, 277. Trinitatis fides necessaria in lege gratiæ, *ibid.* Trinitatis mysterium comprobatur ex Scriptura sacra, 278. Trinitatis personas varie describimus, aut subumbramus, 125 *et seq.* SS. Trinitas vocatur cœlum. Trinitatis mysterium describitur ad considerationem animæ rationalis, 160. Trinitas virtutum, quæ? 133.

Tristitia hominem impugnat, 401.

Tunica curam sæcularem designat, 29.

Turturi comparatur B. Maria, 9. Turturum natura, *ibid.* Turtur fuit B. Maria Magdalena, 10.

U

Uberum et mammarum differentia, 26. Uberum diversa acceptio, 4. Item 139. Ubera absolutionis, 149. Ubera consolationis Ecclesiæ, *ibid.* Ubera dilectionis aut charitatis, 44 Ubera desolationis, 149. Ubera prælatorum quibus subditos pascant, 119. Ubera dilectionem Dei et proximi designant, 42. Ubera Sponsi vinum et lac emanant, id est misericordiam et justitiam, 119. Ubera Chri-

sti divinitatem ejus designant, 42. Ubera B. Mariæ petit Christus (*Cant.* I), 4. Ubera B. Mariæ quid mystice designent, 3. Ubera B. Mariæ sunt humilitas et virginitas, 6, 48. Ubera B. Mariæ duplicem ejus charitatem significant, 10, 24. Ubera B. Mariæ ejusdem carnem et animam designant, 40. Ubera B. Mariæ botris comparantur, 42.

Umbilicus charitatem designat, 40.

Umbra dicitur protectio Dei, 13. Umbra etiam designat infirmitatem tum corporis, tum animæ, 18. Umbræ mortis tres, 145.

Unctionis extremæ sacramentum rejiciunt hæretici, 252. Refutantur, *ibid.* A quo sit institutum, *ibid.* Causa institutionis duplex, *ibid.*

Unguenta mystice sunt dona spiritualia Dei, 5. Unguentorum spiritualium tria genera debent habere prælati, 119.

Unitas. De unitate spirituali abbatis et monachorum, concio habetur brevis, 118, super hoc themate : *Osculetur me osculo oris sui.* (*Cant.* I.) Unitatis commendatio, 111. Unitas triplex, scilicet supercœlestis, cœlestis et subcœlestis, *ibid.* Unitas supercœlestis exponitur, *ibid.* Unitas SS. Trinitatis declaratur, *ibid.* Unitas cœlestis etiam triplex est, scilicet naturæ, gratiæ, gloriæ, *ibid.* Unitas subcœlestis, seu Ecclesiæ, trina quoque est : fidei, charitatis, obedientiæ, *ibid.* Unitas charitatis religiosis necessaria, 112. Unitas prælati cum religiosis, *ibid.* Unitas claustralis in tribus consistit, 11, 119. Unitas animorum commendatur, 85. Unitas mentis seu animorum, triplex, 133.

Usia, essentiam significat, 317.

Usurariis et furibus quænam injungendæ sint pœnitentiæ, 189.

Ut, conjunctio, non semper est nota similitudinis, sed quandoque expressiva veritatis, 215.

V

Vana gloria pulvis est, 122. Vanæ gloriæ natura, 156. Vana non semper vane videntur, 148.

Vanitas divitiarum, honorum, etc., 55. Vanitas, triplex, *ibid.* Vanitas formæ, fortitudinis, sapientiæ, nobilitatis, divitiarum, vestium pretiosarum, 57. Vanitas omnium quæ in mundo sunt, 56.

Vehemens, dicitur, quasi, væ demens, vel extra mentem vehens, 134, 135.

Venialia peccata disponunt ad mortalia, 195.

Venter, memoriam designat, 30. Venter Ecclesiæ sunt idiotæ et simplices, 33. Venter B. Mariæ, liliis castitatis vallatus, 40.

Venus naturæ vicaria est, 297. Venus forti impetu hominem aggreditur, 411. Veneris arma, *ibid.* Venus victorias suas jactat et recenset, 412. Venus, fugiendo non pugnando vincitur, 391. Vincitur ab homine fugiente, 412.

Verbosi vitandi, 92.

Verbositas et linguæ evagatio. Contra verbositatem, exhortatio habetur, 91. Verbositas semper cavenda, maxime in publico, *ibid.*

Verbum, quid et unde dictum, 151. Verbi vox est prædicator verbi, *ibid.* Verba picturæ sunt animi, 311. Verba B. Mariæ per vittam coccineam designantur, 23. Verbum otiosum quid sit, 91.

Veris jucunditas et fructus, 288. Veris item jucunditatem, omniumque florum, herbarum, etc., reviviscentiam eleganti carmine describit Alanus, *ibid.* Veris expositio mystica, 131.

Veritas defendenda, 160. Veritas summa Deus est, 56. Veritatem interdum tacere licet, mentiri nunquam, 269. Veritatis pulchritudo sub typo virginis describitur, 319.

Vespera sextam et ultimam designat ætatem, 127.

Vestium pretiosarum vanitas, 57.

Viæ Domini diversæ, 152. Viæ Domini quomodo parandæ, *ibid.* Via distinguitur a semita, *ibid.*

Vident plus oculi quam oculus, 426.

Vidua. Ad viduas exhortatio habetur, 114, super hoc themate : *Non nuptis, et viduis, bonum est illis si sic permaneant sicut et ego.* (I Cor. VII.) Viduarum patrocinium commendatur advocatis, 109.

Viduitatis bona, 115.

Vigilia. Informatio ad vigilias, 102. Themata : *Beatus ille servus, quem cum venerit Dominus, invenerit vigilantem.* (*Luc.* XII.) *Vigilate ergo, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit.* (*Matth.* XXIV.) Vigiliarum utilitates, 102. Vigiliæ sunt duplices spirituales, et materiales, *ibid.*, 163. Vigiliæ spirituales præferendæ materialibus, 103. Vigiliarum nocturnarum utilitates, *ibid.*

Villæ dicuntur obscuritates Scripturæ sacræ. 43.

Vim vi repellere quomodo liceat, 274.

Vinea dicitur Ecclesia, 17, 38, 128. Vineæ Ecclesiæ sunt, 7, et iterum, 17. Vinea dicitur Scriptura sacra, 43. Vineæ dicuntur conventus fidelium, 11. Vineæ florentes fideles sunt, 16. Vineæ cultor Christus, 12, 8. Vineæ ecclesiasticæ vastatores plurimi, *ibid.*

Vinum asperitatum, 28. Vinum etiam figurat delectationem terrenam, 140.

Vir sumitur pro firmo, mulier pro infirma, 163. Virorum illustrium testimonia de Alano, ejusque doctrina. In præludiis Virga vigilans, quæ, 103.

Virga erudit pueros, 425.

Virgo, virginitas. *Vide* Castitas. Exhortatio ad virgines, duo habet themata, 115. *Despondi vos uno viro virginem castam exhibere Christo.* (*II Cor.* II.) *Audi, filia, et vide,* etc. (*Psal.* XLIV.)

Virginitatis laus, 115. Virginalis status melior est conjugali, 249. Virginitatem prima omnium vovit B. Maria, 13.

Virtus mediam tenet viam, 433. Virtus unita, fortior est seipsa dispersa, 426. Virtutum insigne encomium, 315. Virtutes omnes naturam venerantur, 323. Virtutes ad naturæ domum se conferunt, 323. Virtutes concilium celebrant, *ibid.* Virtutes omnes prudentiæ occurrunt, 389. Virtutes lectulum ambiunt spiritualis Salomonis, 21. Virtutes ornant hominem, 400. Virtutes hominem defendunt contra vitia, 405. Virtutum arma spiritualia, *ibid.* Virtutum acies, *ibid.* In virtutum regno, perpetua lux est, 406.

Visus est primus equus in curru Prudentiæ, 358. Ejus natura et velocitas, *ibid.* Ejusdem præstantia, *ibid.* Visus multis modis fallitur, 215. Visus pudicitia, 178.

Vitæ æternæ promissio firma, 154. Vitæ humanæ miseria, 309. Vita hominis continua pugna, 424. Vitæ hujus beatitudo quæ, 157. Vita activa dicitur vigilia, 15.

Vitium. *Vide* Peccatum et crimen. Vitia inveterata difficulter emendantur, 424. Vitia se pallio virtutum vestiunt, 304. Vitiis resistendum in principio, 426. Vitiis virtutes opponendæ, 99. De vitiorum in terris dominatu conqueritur natura, 315. Vitiorum in mundo dominatus insigni carmine deploratur, 308. Vitiorum congregat concilium Alecto, ad hominem impugnandum, 402. Vitia conspirant in hominem, 403. Vitia magno impetu prorumpunt in hominem, 406. Vitiis hominem impugnantibus, opponunt se virtutes, hominemque strenue defendunt, 405.

Vitta coccinea verba B. Mariæ significat, 23.

Vivit satis diu, qui bene vivit, 69.

Voluntas auriga est visus, 334. Voluntas bona et recta, 179, 393. Voluntas bona angelos lætificat, 179. Voluntas Dei superis pro lege est, 381. Voluntas propria religiosis abrenuntianda, 112. Voluntates in Christo duæ, 149. Voluntates rationis et sensualitatis contrariæ, 150.

Voluptatibus quæ pœna destinata, 56.

Vox duplex est, uti et sonus, 151. Vox significativa seu articulata, 151. Vox non significativa, 152. Vox significativa etiam duplex est, *ibid.*

Vulnera inveterata difficilius curantur, 429

Vulpes mystice sunt hæretici, 17, 128.

Vultus animi figura est, 186.

W

Waldenses elati et inobedientes prælatis, 259. Soli Deo obediendum volunt, 260. Waldensium alia vitia, 259. Refutantur, 260. Waldenses in concilio Lateranensi fuerunt condemnati, 261.

Waldus, auctor fuit sectæ Waldensium, 258. Ejusdem qualitates, *ibid.*

Z

Zodiacus cum suis signis describitur, 366. Zodiaci signa duodecim per totidem gemmas describuntur, 283. Zoilos ab operibus suis repellit Alanus, 415.

ORDO RERUM

QUÆ IN HOC TOMO CONTINENTUR.

ALANUS DE INSULIS.
Notitia historico-litteraria 9
Prolegomena Caroli de Wisch ad Opera Alani de Insulis. 27
ALANI ELUCIDATIO IN CANTICA CANTICORUM. 51
SUMMA DE ARTE PRÆDICATORIA.
Ad Lectorem. 109
Præfatio auctoris. 111
Cap. I. — De prædicatione. Quid sit, et qualis esse debeat. 111
Cap. II. — De mundi contemptu. 114
Cap. III. — De contemptu sui. 116
Cap. IV. — Contra gulam. 119
Cap. V. — Contra luxuriam. 121
Cap. VI. — Contra avaritiam. 123
Cap. VII. — Contra acediam. 125
Cap. VIII. — Contra invidiam. 128
Cap. IX. — Contra iram. 129
Cap. X. — Contra superbiam. 131
Cap. XI. — De contemptu mundani timoris. 133
Cap. XII. — De spe cœlestium, et contemptu terrenorum. 135
Cap. XIII. — De spirituali luctu. 136
Cap. XIV. — De gaudio spirituali. 138
Cap. XV. — De patientia. 140
Cap. XVI. — De obedientia. 143
Cap. XVII. — De perseverantia. 145
Cap. XVIII. — De misericordia. 147
Cap. XIX. — De justitia. 149
Cap. XX. — De dilectione Dei. 151
Cap. XXI. — De dilectione proximi. 153
Cap. XXII. — De pace. 155
Cap. XXIII. — De prudentia. 157
Cap. XXIV. — De fortitudine. 159
Cap. XXV. — De temperantia vel modestia. 161
Cap. XXVI. — Contra verbositatem et linguæ evagationem. 162
Cap. XXVII. — Contra mendacium. 164
Cap. XXVIII. — Contra detractionem. 166
Cap. XXIX. — Exhortatio ad orationem. 167
Cap. XXX. — De compunctione, seu contritione. 169
Cap. XXXI. — De confessione peccatorum. 172
Cap. XXXII. — De pœnitentia, seu satisfactione. 173
Cap. XXXIII. — De eleemosyna. 175
Cap. XXXIV. — De jejunio. 176
Cap. XXXV. — Informatio ad vigiliam. 178
Cap. XXXVI. — Exhortatio ad doctrinam. 179
Cap. XXXVII. — De hospitalitate. 181
Cap. XXXVIII. — Quod prælatorum tantum debeat esse prædicatio. 182
Cap. XXXIX. — Quibus proponenda sit prædicatio. 184
Cap. XL. — Ad milites. 185
Cap. XLI. — Ad oratores, seu advocatos. 187
Cap. XLII. — Ad principes et judices. 188
Cap. XLIII. — Ad claustrales. 189
Cap. XLIV. — Ad sacerdotes. 191
Cap. XLV. — Ad conjugatos. 193
Cap. XLVI. — De viduis. 194
Cap. XLVII. — Ad virgines. 194
Cap. XLVIII. — Ad somnolentos. 195
SERMONES OCTO.
Sermo. I. — De spirituali unitate abbatis et monachorum 197
Sermo. II. — In annuntiatione B. Mariæ, quando evenit in Palmis. 200
Sermo III. — De timore judicii, in quadragesima. 203
Sermo IV. — De pascha, ad magistros clericorum. 206
Sermo V. — De custodia Ecclesiæ, ad sacerdotes in synodo. 210
Sermo VI. — De solutione peccatorum post confessionem. 213
Sermo VII. — In adventu Domini. 214
Sermo VIII. — In die sancto Pentecostes. 218
Sermo IX. (Fragmentum.) — In natali sancti Augustini. 221
SERMONES ALII EX PERVETUSTO CODICE.
Sermo I. — De Spiritu sancto. 221
Sermo II. — De sancta cruce. 223
Sermo III. — De sancto Nicolao episcopo et confessore. 226
LIBER SENTENTIARUM ET DICTORUM ALANI DE INSULIS. 229
De nativitate Domini. 232
De nativitate Domini iterum. 234
De sancto Joanne Baptista. 243
De sancto Petro apostolo. 244
De sancta Maria. 246
DICTA ALIA quæ communiter *Mirabilia* nuncupantur, sed forte melius *Memorabilia*. 253
DE SEX ALIS CHERUBIM. 265
LIBER POENITENTIALIS. 279
DE FIDE CATHOLICA CONTRA HÆRETICOS LIBRI QUATUOR.
Prologus. — Ad principem Montispessulani. 305
LIBER PRIMUS.
Cap. I. — De collatione gentilium et Christianorum, in materiali et spirituali strenuitate. 307
Cap. II. Quibus auctoritatibus muniti hæretici, dicunt esse duo rerum principia. 308
Cap. III. — Quibus rationibus muniti hæretici, dicunt esse duo rerum principia. 309
Cap. IV. — Solutio catholicorum ad prædictas auctoritates hæreticorum de duobus principiis. 309
Cap. V. — Refelluntur rationes hæreticorum, de duobus principiis. 310
Cap. VI. — Quibus auctoritatibus probatur quod Deus bonus creavit mundum. 312
Cap. VII. — Quibus auctoritatibus probatur quod Deus omnipotens mundum creavit. 314
Cap. VIII. — Quibus rationibus probatur quod Deus omnipotens fuerit creator tam visibilium quam invisibilium. 314
Cap. IX. — Opinio quorumdam hæreticorum, qui dicunt quod non sunt in corporibus humanis aliæ animæ, nisi angeli apostatæ, qui de cœlo ceciderunt. 316
Cap. X. — Quibus rationibus et auctoritatibus probatur quod anima est in corpore humano, et non dæmones. 316
Cap. XI. — Qua ratione dicunt hæretici dæmones in corporibus humanis puniri. 317
Cap. XII. — Quibus auctoritatibus et rationibus probatur, quod dæmones non salvabuntur. 317
Cap. XIII. — Quibus auctoritatibus probatur, quod aliqui spiritus angelici remanserint in cœlo. 318
Cap. XIV. — Quibus rationibus probatur quod non omnes angeli ceciderint de cœlo. 318
Cap. XV. — Opinio hæreticorum, qui dicunt quod animæ sanctorum, cum Christo non ascenderunt in cœlum, et quod Christus non descendit ad infernum. 319
Cap. XVI. — Quibus auctoritatibus et rationibus probatur quod Christus descendit ad inferos, et quod animas sanctorum ab inferis liberavit. 319
Cap. XVII. — Qualiter intelligenda sit hæc auctoritas : *Non sum missus nisi ad oves quæ perierunt domus Israel.* 320
Cap. XVIII. — Qualiter intelligatur hæc auctoritas, *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui*, etc. 32
Cap. XIX. — Opinio hæreticorum qui dicunt Christum

non assumpsisse verum corpus, nec comedisse aut bibisse. 321
Cap. XX. Solutio præmissorum, et quod Christus verus homo fuerit. 322
Cap. XXI. — Quibus auctoritatibus et rationibus probatur quod Christus veram carnem assumpsit. 323
Cap. XXII. — Quod Christus vere comederit et biberit. 324
Cap. XXIII. — A quo glorificabuntur corpora sanctorum in die judicii. 324
Cap. XXIV. — Quibus rationibus probatur quod corpora nostra resurgent. 324
Cap. XXV. — Quibus auctoritatibus et rationibus probent hæretici quod caro illa quæ redigitur in cinerem, non resurget. 326
Cap. XXVI. — Responsio ad prædictas auctoritates et rationes; et quod vere caro illa resurget. 326
Cap. XXVII. — Responsio hæreticorum, qui dicunt quod anima perit cum corpore. 328
Cap. XXVIII. — Solutio ad prædictas auctoritates et rationes; ostenditur quod anima non perit cum corpore. 329
Cap. XXIX. — Quibus auctoritatibus theologorum probatur quod anima humana sit immortalis. 332
Cap. XXX. — Quibus auctoritatibus gentilium philosophorum probatur quod anima humana sit immortalis 332
Cap. XXXI. — Quibus rationibus probatur quod anima humana sit immortalis. 333
Cap. XXXII. — Quibus auctoritatibus et rationibus probatur quod Christus vere fuerit Filius Dei. 334
Cap. XXXIII. — Opinio quorumdam hæreticorum, qui dicunt quod Christus assumpsit corpus cœleste, et quod beata Maria in cœlo fuit creata, et quod nec patrem nec matrem habuit. 335
Cap. XXXIV. — Solutio præmissorum, quod Christus vere carnem humanam assumpserit, et quod B. Maria patrem et matrem habuerit. 335
Cap. XXXV. — Quibus auctoritatibus et rationibus conentur probare hæretici quod lex Mosaica data sit a diabolo. 337
Cap. XXXVI. — Prædictarum auctoritatum et rationum infirmatio; et quod lex Mosaica a Deo benigno data sit. 337
Cap. XXXVII. — Quibus auctoritatibus et rationibus probant hæretici Patres Veteris Testamenti malos fuisse, et esse damnatos. 341
Cap. XXXVIII. — Objectorum infirmatio : et quod Patres Veteris Testamenti non sunt damnati. 342
Cap. XXXIX. — Opinio quorumdam, qui dicunt baptismum parvulis non prodesse, et quod parvuli non habent peccatum. 345
Cap. XL. — Responsio ad præmissas objectiones, et quod parvuli habebant originale peccatum. 345
Cap. XLI. — Opinio hæreticorum qui dicunt quod nulli prodest baptismus ante annos discretionis. 346
Cap. XLII. — Solutio præmissorum, et quod baptismus prodest ante annos discretionis. 347
Cap. XLIII. — Opinio hæreticorum qui dicunt quod baptismus nullam habet efficaciam, vel in parvulis, vel in adultis. 349
Cap. XLIV. — Solutio prædictorum, et quod baptismus efficaciam habeat in parvulis et in adultis. 349
Cap. XLV. — Opinio hæreticorum qui dicunt quod baptismus non prodest sine manus impositione. 351
Cap. XLVI. — Solutio prædictorum. 351
Cap. XLVII. — Opinio hæreticorum qui dicunt quod post remissionem peccatorum quæ fit in baptismo, locum non habet pœnitentia. 352
Cap. XLVIII. — Objectorum solutio, et cur pœnitentia iteretur, et non baptismus, et quædam alia sacramenta. 353
Cap. XLIX. — Quibus auctoritatibus et rationibus probatur, quod pœnitentia potest iterari. 354
Cap. L. — Opinio hæreticorum qui dicunt pœnitentiam non valere ad peccati remissionem. 355
Cap. LI. — Præmissorum solutio, et quod pœnitentia valet ad peccati remissionem. 356
Cap. LII. — Opinio hæreticorum qui dicunt quod sufficit soli Deo confiteri. 356
Cap. LIII. — Solutio, et quod homo tenetur confiteri peccata sua. 357
Cap. LIV. — Quibus auctoritatibus probatur quod pœnitentia valet ad remissionem peccati. 357
Cap. LV. — Quibus auctoritatibus probatur quod contritio valeat ad remissionem peccati. 358
Cap. LVI. — Quibus auctoritatibus probatur quod confessio valet ad remissionem peccatorum. 358
Cap. LVII. — Opinio hæreticorum qui negant panem transsubstantiari in corpus Christi. 359
Cap. LVIII. — Præmissorum solutio, et quod panis transsubstantiatur in corpus Christi. 360
Cap. LIX. — Utrum sit articulis fidei, panem transsubstantiari in corpus Christi. 363
Cap. LX. — Quibus auctoritatibus probatur quod Christus corpus suum dedit discipulis suis. 363
Cap. LXI. — Opinio hæreticorum qui dicunt quod Christus dicens : *Hoc est corpus meum*, demonstraverit seipsum, et non corpus quod sub forma latebat. 364
Cap. LXII. — Quare Christus sub aliena forma dederit corpus suum. 365
Cap. LXIII. — Opinio illorum hæreticorum qui dicunt nuptias damnabiles esse. 365
Cap. LXIV. — Objectorum solutio, et quod nuptiæ non sint damnabiles. 366
Cap. LXV. — Quibus auctoritatibus et rationibus probatur quod conjugium bonum et sanctum sit. 367
Cap. LXVI. — Opinio hæreticorum qui dicunt, quod confirmatio nullam habet efficaciam. 369
Cap. LXVII. — Opinio eorum qui dicunt quod ordo non sit sacramentum. 369
Cap. LXVIII. — Opinio eorum qui dicunt extremam unctionem non esse sacramentum. 370
Cap. LXIX. — Opinio quorumdam qui dicunt quod locus materialis non est dicendus ecclesia. 371
Cap. LXX. — Prædictorum infirmatio, et ad quid sit institutus locus qui dicitur ecclesia. 372
Cap. LXXI. — Quibus auctoritatibus probatur quod materialis locus dicatur domus Dei et orationis. 373
Cap. LXXII. — Quibus auctoritatibus et rationibus dicant hæretici quod orationes sanctorum non prosunt vivis; nec vivorum orationes defunctis, et quod sancti non orent pro vivis. 373
Cap. LXXIII. — Prædictorum determinatio. 374
Cap. LXXIV. — Opinio hæreticorum, qui dicunt quod non debemus carnes comedere. 376
Cap. LXXV. — Præmissorum determinatio, quod non est malum carnes comedere. 376
Cap. LXXVI. — Quibus auctoritatibus et rationibus probatur quod non tenetur abstinere a cibis quos Deus creavit. 377

LIBER SECUNDUS. — Contra Waldenses.

Cap. I. — Quibus auctoritatibus et rationibus probatur quod nullus debeat prædicare nisi sit a majore prælato missus. 377
Cap. II. — Quibus auctoritatibus et rationibus muniti Waldenses dicunt neminem debere alicui obedire nisi Deo. 380
Cap. III. — Solutio præmissorum, et quod Deo et hominibus obediendum est. 381
Cap. IV. — Auctoritates quibus probatur quod hominibus obediendum est, maxime prælatis. 381
Cap. V. — Opinio eorum qui dicunt quod bonis prælatis tantum sit obediendum, eorumque refutatio. 383
Cap. VI. — Auctoritate probare conantur hæretici quod tantum apostolorum imitatoribus obediendum est. 383
Cap. VII. — Præmissorum determinatio. Quod omnes sacerdotes habent ligandi et solvendi potestatem. 383
Cap. VIII. — Opinio illorum qui dicunt quod officium vel ordo nihil confert ad consecrandum, vel benedicendum, ad ligandum et solvendum. 385
Cap. IX. — Infirmatio illorum qui dicunt quod non tenetur quis confiteri sacerdoti, si præsto sit laicus. 385
Cap. X. — Quod in necessitate potest homo confiteri peccata sua proximo, vel socio suo, si desit sacerdos. 386
Cap. XI. — Opinio eorum qui dicunt, quod generales absolutiones quæ fiunt ab episcopis in variis officiis, non sint ratæ. 387
Cap. XII. — Opinio illorum qui dicunt suffragia illa quæ fiunt ab illis qui sunt in peccato mortali, non prosunt mortuis. 388
Cap. XIII. — Præmissorum solutio, et quod oratio quæ fit ab Ecclesia, a quocunque proferatur, prosit mortuis et vivis. 389
Cap. XIV. — Quibus auctoritatibus et rationibus probatur quod orationes ab Ecclesia institutæ, sive a bono vel malo sacerdote proferantur, prosunt. 390
Cap. XV. — Opinio illorum qui dicunt quod omne mendacium est peccatum mortale. 390
Cap. XVI. — Prædictorum solutio, et quod non omne mendacium est peccatum mortale. 391
Cap. XVII. — Utrum in aliquo casu licitum sit mentiri. 392
Cap. XVIII. — Opinio illorum qui dicunt quod nullo

modo est jurandum. 392
CAP. XIX. — Quid in quibusdam casibus liceat jurare. 394
CAP. XX. — Opinio illorum qui dicunt quod nullo modo homo est occidendus. 394
CAP. XXI. — Idem rationibus probare conantur. 395
CAP. XXII. — Ad prædicta responsio, et quod homicidarum et sacrilegorum punitio non est effusio sanguinis sed legum ministerium. 396
CAP. XXIII. — Quod in multis casibus homines interficiendi sint. 398
CAP. XXIV. — Opinio illorum qui dicunt quod prædicatores non debent laborare manibus. 399
CAP. XXV. — Solutio prædictorum. 399
LIBER TERTIUS. — Contra Judæos.
CAP. I. — Rationes quibus Judæi pluralitatem personarum divinarum impugnant. 399
CAP. II. — Solutio prædictorum, et quod vere unitas est in essentia, et pluralitas in personis. 401
CAP. III. — Quibus auctoritatibus philosophorum et theologorum, et quibus rationibus et similitudinibus locorum, ostenditur quod tres sunt personæ divinæ, et una earum natura. 403
CAP. IV. — Idem rationibus probatur. 405
CAP. V. — Similitudinibus sic. 406
CAP. VI. — Opinio Judæorum qui dicunt quod lex Mosaica non est abolita, sed adhuc est observanda. 407
CAP. VII. — Determinatio præmissorum. 407
CAP. VIII. — Opinio Judæorum, qui dicunt quod divinæ sanctiones ut tunc non sunt mutandæ. 408
CAP. IX. — Solutio præmissorum. 409
CAP. X. — Quibus auctoritatibus probatur quod lex, quantum ad litteram, mortua sit. 410
CAP. XI. — Quibus rationibus muniti Judæi probant Messiam non venisse. 410
CAP. XII. — Solutio Christianorum. 411
CAP. XIII. — Quibus auctoritatibus probant Judæi Christum non fore Deum. 413
CAP. XIV. — Solutio Christianorum. 414
CAP. XV. — Quibus auctoritatibus probatur Christum esse Deum. 414
CAP. XVI. — Quibus auctoritatibus muniti dicunt Christum esse conceptum de Virgine. 415
CAP. XVII. — Solutio Christianorum ad prædicta. 415
CAP. XVIII. — Quibus auctoritatibus et rationibus probatur quod B. Virgo manens intacta, Christum concepit. 416
CAP. XIX. — Quibus auctoritatibus probatur quod omnes ante Christi adventum ad inferos descendebant, et quod necessarium fuit ad reducendum genus humanum, ut Deus hominem assumeret, et sibi mortem subjiceret. 418
CAP. XX. — Quibus auctoritatibus probatur quod Christus passus sit ad nos liberandum, et peccata nostra delendum. 419
CAP. XXI. — Quibus auctoritatibus probatur quod Christus vere resurrexit a mortuis, et ad cœlos ascendit. 420
LIBER QUARTUS. — Contra paganos seu Mahometanos.
CAP. I. — Quibus auctoritatibus et rationibus dicunt pagani, seu Mahometani, Christum conceptum fuisse de flatu Dei communi. 421
CAP. II. — Solutio Christianorum ad præmissa. 422
CAP. III. — Opinio paganorum, qui dicunt quod Christus fuit impassibilis et immortalis. 423
CAP. IV. — Solutio præmissorum. 424
CAP. V. — Opinio paganorum, qui dicunt homines in æterna beatitudine cibo et potu materiali reficiendos esse. 424
CAP. VI. — Solutio ad præmissa. 424
CAP. VII. — Quod pagani asserunt, quod licitum est eis plures habere simul uxores. 425
CAP. VIII. — Solutio prædictorum. 425
CAP. IX. — Opinio illorum qui dicunt quod sola ablutio corporis per aquam sufficit ad remissionem peccati. 426
CAP. X. — Responsio Christianorum. 426
CAP. XI. — Opinio Judæorum et Saracenorum contra Christianos, quia Christiani habent imagines in ecclesiis. 427
CAP. XII. — Solutio præmissorum. 427
CAP. XIII. — Opinio paganorum, quod neminem debent salutare, nisi fuerit ejusdem sectæ cum eis. 428
CAP. XIV. — Refellitur præmissa opinio. 428
LIBER DE PLANCTU NATURÆ.
Ad lectorem. 429
Natura Alano loquitur. 442
Quomodo Alanus loquatur Naturæ. 446
Verba Alani ad Naturam. 447
Alani prima quæstio. 448
Quæstio secunda. 448
Ratio Naturæ. 448
Solutio primæ quæstionis. 448
Solutio secundæ quæstionis Alani. 450
Tertia quæstio Alani. 451
Responsio Naturæ. 451
Quæstio quarta. 452
Solutio quæstionis. 452
Quinta Alani quæstio. 452
Quæstionis solutio. 453
Sexta quæstio Alani. 454
Quæstionis solutio. 454
Septima Alani quæstio. 461
Responsio Naturæ. 461
De superfluo potu. 462
De superfluitate ciborum. 463
De avaritia. 465
De arrogantia. 467
De invidia. 468
Remedia contra invidiam. 469
De adulatione. 469
Supplicat Alanus naturæ. 470
Remedia contra vitia. 470
Adventus Hymenæi. 471
De vestibus Hymenæi. 472
Adventus Castitatis. 472
Adventus Temperantiæ. 473
Adventus Largitatis. 474
Adventus Humilitatis. 475
Querulosa Naturæ collocutio cum Hymenæo, et virginibus prædictis. 475
Legatio Hymenæi cum Naturæ litteris ad Genium. 476
Resumit Natura suam querulosam locutionem. 478
Natura consolatur Largitatem et Prodigalitatem reprobat. 478
Adventus Genii. 479
Quomodo Veritas comitabatur Genium. 480
Quomodo Natura occurrat Genio adventanti. 480
Alloquitur Genius Naturam. 480
Hic promulgat Genius excommunicationem prætaxatis. 481
Conclusio operis. 482
ANTICLAUDIANUS SIVE DE OFFICIO VIRI BONI ET PERFECTI LIBRI NOVEM.
Ad lectorem. 482
Summarium Anticlaudiani sive librorum de officio viri boni et perfecti. 483
Præfatio ipsius auctoris. 485
Ejusdem præfatio altera. 487
LIBER PRIMUS.
CAP. I. — Natura, sui corruptionem in hominibus perpendens, optat creari hominem omnino perfectum. Convocat virtutes. Processus Virtutum in domum Naturæ. 487
CAP. II. — Concilium Virtutum. 489
CAP. III. — Quo sita erat domus Naturæ. Descriptio silvæ in qua erat domus Naturæ et fontis qui ibidem erat. 489
CAP. IV. — Domus Naturæ in monte sita. Picturæ domus. Pictura imitatur logicam. Aristoteles, Plato, Seneca, Ptolomæus, Tullius, Virgilius. 490
CAP. V. — Mævius, Neronis crudelitas, Ajax, Paris, Davus. Elementorum concordia. 491
CAP. VI. — Natura loquitur et depravatos hominum mores deplorat. 492
CAP. VII. — Prudentiæ pulchritudo, vestimenta. 493
CAP. VIII. — Prudentia orationem Naturæ approbat. 495
CAP. IX. 496
CAP. X. — Ratio loquitur. Ejus descriptio. 496
LIBER SECUNDUS.
CAP. I. — Voluntas auriga visus. Rationis discursus. Ratio se humilians petit veniam. Approbat consilium Naturæ. Hominem virtutibus omnibus perfectum in terris optat. 497
CAP. II. 499
CAP. III. — Prudentia aptissima indicatur ut ad Deum mittatur. Cœlorum secreta rimatur. 500
CAP. IV. — Concordia describitur. Ejus formæ valor, potestas, etc. 501
CAP. V. — Concordia loquitur. Enumerantur plurima mala quæ in mundo contigerunt defectu concordiæ.

CAP. VI. — Prudentia verbis Concordiæ accensa, legationem assumit. Currus ædificari ordinatur. Septem designantur artes liberales. 504
CAP. VII. — Artes liberales designantur. Artibus liberalibus injungitur ædificatio currus Prudentiæ. Grammatica facit temonem in curru Prudentiæ. Grammaticæ fructus. Grammaticæ natura et usus. 505
CAP. VIII. — Grammatica rudem materiam adaptat operi. Grammaticæ auctores. Donatus. Aristarchus. Priscianus. Grammatici solo cortice gaudent. 508

LIBER TERTIUS.

CAP. I. — Virgo secunda Logica est. Logica axim facit in curru Prudentiæ. Logicæ facies, habitus, etc. Logicæ ars qualis. Sophista fraudes detegit. Logicæ usus. Quomodo ex ferro axim conficiat. Auctores logicæ : Porphyrius, Aristoteles, Zeno, Boetius. 509
CAP. II. — Virgo tertia est Rhetorica. Rhetorica describitur. In dextra gerit tubam, in sinistra cornu. Rhetoricæ officium et usus. Rhetoricæ orationis partes. Cicero, de Rhetorica optime meritus. 511
CAP. III. — Rhetoricæ auctores alii : Quintilianus, Symmachus, Sidonius. Rhetorica temonem in curru Prudentiæ ornat gemmis et argento. Axi quoque varios flores insculpit. 513
CAP. IV. — Quarta soror est Arithmetica. Ejus forma, opus, etc. Ejus vestimenta. Arithmeticæ usus. Arithmetica conficit primam rotam in curru Prudentiæ. Arithmeticæ auctores : Nicomachus, Gilbertus, Pythagoras, Chrysippus. 514
CAP. V. — Musica est quinta soror. Musicæ habitus. Musicæ auctores. Musicæ efficacia. Musica secundam rotam facit in curru Prudentiæ. Michalus doctor musices. 516
CAP. VI. — Geometria sexta soror est. Geometriæ habitus. Ejus opus. 518
CAP. VII. — Geometria rotam tertiam fabricat. 519

LIBER QUARTUS.

CAP. I. — Astronomia virgo ultima. Astronomiæ vultus et habitus. Ejus dignitas et ars. Planetarum orbes et motus. Rotam quartam fabricat Astronomia. Concordiæ partes currus disponit et unit. 519
CAP. II. — Ratio quinta equos jungit currui Prudentiæ, scilicet quinque sensus. Primus equus, Visus est. Auditus, est secundus equus. 521
CAP. III. — Olfactus est tertius equus. Gustus est quartus equus. Tactus est quintus equus. 522
CAP. IV. — Ratio equos omnes regit, et currui jungit. Ratio auriga Sapientiæ et Prudentiæ. Prudentia monita Ratione, currum conscendit, scrutatur aerem, ejusque naturam. 524
CAP. V. — Prudentia considerat spiritus in aere vagantes. 525
CAP. VI. — Supremam aeris regionem visitat Prudentia. Arx solis describitur. Sphæra Veneris describitur. Stilbon est stella Mercurii. Sphæra Mercurii. 526
CAP. VII. — Palatium Martis describitur. Jovis regio describitur. Stella Jovis, bona est. 527
CAP. VIII. — Saturni sphæra describitur. Tarde movetur. Stella Saturni mala. 528

LIBER QUINTUS.

CAP. I. — Firmamentum ascendit Prudentia. Zodiacus cum suis signis describitur. 529
CAP. II. — Equi, sive sensus externi, cœli secreta penetrare nequeunt. 529
CAP. III. — Theologiæ ornatus. Librum in dextra gerit, sceptrum in sinistra. 530
CAP. IV. — Prudentia Theologiam salutat. Ejus ducatum requirit. Itineris causam pandit. Hominem beatum formari desiderat Natura. Naturæ potestas limitata. Anima petitur virtutibus omnibus prædita. 532
CAP. V. — Theologia se comitem offert Prudentiæ, modo currum et equos deserat. Prudentiæ in cœlum tendenti, conceditur equus secundus Auditus. Auctoris oratio piissima ad Deum. 533
CAP. VI. — Prudentia aquas crystallinas miratur. Elementorum miratur concordiam. Aquarum crystallinarum naturam examinat. Rerum super lunarium exacta cognitio naturæ vires excedit. 535
CAP. VII. — Cœli empyrei deliciæ. 536
CAP. VIII. — Sancti de terra assumpti cœlum incolunt. Sanctorum diversa merita. 537
CAP. IX. — Mariæ Virginis laudes et prærogativa. 538

LIBER

CAP. ndorem cœli Empyrei ferre
non v onfortat. Theologia implorat
auxil ticulos fidei docet. 539
C heologiæ, accedit Prudentiam, eamque ab exstasi liberat. Exstasis describitur. Prudentiæ languenti datur cœlestis potio. Fides offert Prudentiæ speculum, in quo omnia cernat, quæ in cœlo sunt, licet nonnisi obscure. 541
CAP. III. 543
CAP. IV. — Prudentia, relicto Rationis ductu, Fidem sequitur. Fides Theologiam etiam assumit in comitem. Prudentia comitata Fide et Theologia cœlestia loca ingreditur. Speculo armat oculos. Prædestinationis causas rimatur. Varia Dei inducia perpendit. Alia cœli empyrei mirabilia considerat. 543
CAP. V. — Prudentia freta comitibus suis, Fide et Theologia, arcem Dei conscendit. Prosternit se Deo. A Deo erigitur, et confortatur. 545
CAP. VI. Deum alloquitur, cum omni humilitate. Causam legationi suæ exponit. Conqueritur mundum totum in maligno positum esse. Naturæ petit succurri formatione hominis novi. Naturæ necessitatem pergit exaggerare. Qualitates exponit novi hominis quem requirit a Deo. 545
CAP. VII. — Deus consolatur Prudentiam. Petitioni ejus assensum præbet. Misericordia supereminet judicio. Anima promittitur nova, virtutibus omnibus decorata. 547
CAP. VIII. — Prudentia Deo gratias agit. Deus promissum implet. Noys præparat ideam animæ creandæ. Deus animam creatam Prudentiæ commendat. Anima unguento perfunditur contra peccata. Prudentiæ voti compos revertitur, cui occurrit ratio. Natura miratur perfectiones animæ recenter creatæ, et a Prudentia sibi oblata. 548

LIBER SEPTIMUS.

CAP. I. — Prudentiæ revertenti a Deo occurrunt virtutes. Natura ex elementis nobile corpus format. Corporis formati pulchritudo. 549
CAP. II. — Concordia fœderat animam corpori. Arithmetica et Musica cooperantur conjunctioni animæ et corporis. 550
CAP. III. — Pudicitiæ et Modestiæ dona. 551
CAP. IV. — Rationis dona. 552
CAP. V. — Honestatis dona. 553
CAP. VI. — Logicæ virtus. Rhetoricæ, Arithmeticæ, Musicæ, Geometriæ, Astrologiæ, Theologiæ, Pietatis dona. 554
CAP. VII. — Fidei dona. 556
CAP. VIII. — Nobilitas filia Fortunæ. 557
CAP. IX. — Adversitatis fluvius. 558

LIBER OCTAVUS.

CAP. I. — Fortunæ domus describitur. Fortuna nusquam stabilis. 559
CAP. II. — Nobilitas domum Fortunæ, matris suæ, accedit. Fortuna et Nobilitas domum Naturæ adeunt. Nobilitatis dona parvi momenti sunt, respectu virtutum. Ratio assistit Fortunæ. Non sinit dare divitias, nisi mensurate. 560
CAP. III. — Alecto dolet hominem ad tantam perfectionem devenisse. Vitiorum congregatur concilium ad hominem impugnandum. 562
CAP. IV. — Alecto Fastum alloquitur. Conqueritur de conversione hominum. Hominem impugnandum decernit. 562
CAP. V. — Vitia conspirant in hominem. Prima bellum sitit Discordia famulis suis, seu Livore, Rabie, etc. Discordiæ comites alii recensentur. 563
CAP. VI. — Stultitiæ bellum. Ejus comites. Impietatis comites, Avaritia, furia infernalis, et ejus sequela. Vitiis strenue se opponunt Virtutes hominemque defendunt. 564
CAP. VII. — Vitia magno impetu in orbem prorumpunt. Conflictus virtutum et vitiorum præludium. 566

LIBER NONUS.

CAP. I. — Pugnæ descriptio insignis. Discordia pugnam inchoat. Homo justus strenue sese vitiis opponit. Discordiam primo aggreditur, et obtruncat. Cætera quoque vitia perimit vel fugat. 565
CAP. II. — Paupertatis arma. Invadit hominem. Sodales Paupertatis recensentur. Paupertas sternitur. Ejus fugantur sodales. 567
CAP. III. — Infamia oppugnat hominem. Repellitur. Infamiæ comites. Infamia sternitur. Comites fugiunt 568
CAP. IV. — Senectutis impetus. Luctando invadit hominem. Senectutis arma. Senectus sine vulnere vincitur. Victa fugit, armis dejectis, contenta baculo. 569
CAP. V. — Fletus ulturus matrem armatur in hominem. Vincitur per risum. Venus fortiori impetu hominem

aggreditur. Ejus arma. Homo fugiendo sagittam vibrat, Veneremque perimit. Fugiendo fugatur Libido. Libido potentiam suam jactat, et victorias recenset. 570
CAP. VI. — Excessus hominem oppugnat. Vincitur a Moderantia. Luxum vincit Sobrietas. Gula expugnatur. Carnis stimulum debellat Ratio. Imprudentiæ bellum; vincitur a Prudentia. 571
CAP. VII. — Impietatis bellum. Impietas non movetur blanditiis. Proprio labore fatiscit. Fraudis bellum. Adulatione tentat superare hominem. Fides Fraudem superat. 572
CAP. VIII. — Avaritiæ bellum. Superatur a Largitate. Prosperitas. Homo auxilio Virtutum debellat Vitia. Homo beatus describitur et extollitur. 573
CAP. IX. — Auctor munit opus suum contra Zoilorum dentes. 574
Epilogus. — A Deo semper incipiendum et in eumdem desinendum. 575
RHYTHMUS DE INCARNATIONE CHRISTI. 577
Rhythmus alter quo fluxa et caduca hominis natura graphice depingitur. 579
DOCTRINALE MINUS, alias *Liber parabolarum*.
Monitum ad lectorem. 579
Liber parabolarum. 581
SUPPLEMENTUM AD EDITIONEM CAROLI DE WISCH.
DE ARTE SEU ARTICULIS CATHOLICÆ FIDEI.
Monitum. 593
Prologus. 595
LIBER PRIMUS.
I. — Quidquid est causa causæ, est causa causati. 597
II. — Omnis causa subjecti est causa accidentis. 598
III. — Nihil seipsum composuit, vel ad esse perduxit. 599
IV. — Neque subjecta materia sine forma, neque forma sine subjecta materia actu potest esse. 599
V. — Compositionem formæ ad materiam esse causam substantiæ. 599
VI. — Cujuslibet substantiæ est triplex causa, scilicet materia et forma, et earum compago, quarum trium eadem est causa. 599
VII. — Quæcunque sub numero cadunt, differunt, vel differre faciunt. 600
VIII. — Nihil est causa sui. 600
IX. — Cujuslibet inferioris esse est suprema causa. 600
X. — Causa suprema neque componitur alicui, neque ipsam aliqua componunt. 600
XI. — Causa suprema neque proprietas, neque forma. 600
XII. — Causam supremam simplicissimam esse oportet. Unde manifestum est unam tantum esse omnium causam supremam, quam ratiocinandi gratia dicimus Deum. 600
XIII. — In Deum nullum cadit accidens. 600
XIV. — Deus nec alterari, nec augeri potest, nec minui, nec localiter moveri. 601
XV. — Deus est æternus. 601
XVI. — Deus est immensus, incomprehensibilis, ineffabilis, innominabilis. 601
XVII. —Deum nulla scientia, sed sola fide deprehendimus. 601
XVIII. — Deus est in omni tempore, in omni loco, omnia et quantalibet potens. 601
XIX. — Quæ in rerum creatione et dispositione commendabilia contemplamur per effectum et causam attribuuntur Creatori. Unde quia potenter et bene potentia et bona creata sunt, Creatorem potentem et bonum dicimus esse; et quia in rerum dispositione charitas, justitia, misericordia, humilitas, pietas, et hujusmodi perpenduntur, ipsum pium, humilem, justum, misericordem dicimus et sapientem. Porro etiam notis similitudinibus dicitur lux, fons, oriens, lumen, vita, videns, aliisque ex omni genere linguarum vocabulis ad ejus magnitudinem prædicandam transumptis. 602
XX. — Deus est potentia, qua dicitur potens; sapientia, qua sapiens; charitas, qua diligens. Cæteraque nomina, quæ divinæ naturæ competunt, de Deo, sed improprie divinam prædicant essentiam. 602
XXI. — Omnia in Deo, et Deus in omnibus, et omnia dicitur esse causative. 603
XXII. — Deus essentialiter est ubique, et nusquam localiter. 603
XXIII. — Cujuslibet substantiæ admiranda compago, quantus sit suus auctor, ostendit. 603
XXIV. — Materia et forma, earumque compago tria prorsus diversa sunt, quæ in cujuslibet substantiæ creatione principaliter exiguntur. Unde manifestum est quod in unius ejusdemque substantiæ creatione effectus in uno eodemque Creatore Trinitatem esse convincit. Et hæc Trinitas tres personæ dicuntur, prima Pater, secunda Filius, tertia Spiritus sanctus. 603
XXV. — Licet in qualibet substantiæ creatione materiam Patri, formam Filio, compositionem Spiritui sancto possit congruus ordo destinare: Tamen in quolibet trium totam Trinitatem necesse est operari. 603
XXVI. — Materiæ forma innata, et ex ipsis procedens compago Filium natum a Patre, et eorum nexum amoremque Spiritum sanctum ab utroque procedere nobis figuraliter pronuntiant. 603
XXVII. — Pater et Filius et Spiritus sanctus æquales sunt potentia et natura. 604
XXVIII. — Una est essentia trium personarum, quarum nulla est altera reliquarum. 604
XXIX. — Quæcunque prædicant divinam essentiam, tribus personis conveniunt. 604
XXX. — Personarum Trinitas est unitas Deitatis. 604
LIBER SECUNDUS.
I. — Deus est summum bonum, nec in eo, nec ab eo malum. 605
II. — Quidlibet, sive substantia, sive accidens sit, in sui esse natura bonum esse necesse est. 605
III. — Summa charitas, justitia, humilitas, misericordia perpenditur in Deo. 605
IV. — Rem divinæ sapientiæ, et gloriæ participem fuisse creandam divina charitas probat, et res illa spiritus rationalis dicitur. 605
V. — Spiritus rationalis Deum timere, et servire tenetur, et in omni obedientia ministrare. 606
VI. — Machina mundi cum suis multiplicibus ornamentis in timoris et laudis et ministerii Dei, et comitandæ gloriæ materiam fuerat fabricanda. 606
VII. — Ob multiplices ministeriorum causas in machina mundi multos oportuit spiritus rationales creari: ipsos autem Dei nuntios appellamus 606
VIII. — Liberum arbitrium bene et male gerendi fuerat angelis de necessitate justitiæ conferendum. 606
IX. — Angelorum naturam fortem et subtilem, et multiplici gratia ditatam fuisse credendum est. 607
X. — Ut bene mereantur angeli, tenentur libero arbitrio uti ad bonum. 607
XI. — Angeli utentes male libero arbitrio irremediabiliter fuere damnandi. 607
XII. — Charitas et humilitas Dei ad omnia protenduntur. 607
XIII. — Cum omni re aliquid in sui natura commune habens, sapientiæ et gloriæ Dei communicans, etiam de vilissima materia fuerat procreandum; et illud hominem appellamus. 607
XIV. — Liberum arbitrium fuerat homini indulgendum. 608
XV. — Omnes cogitatus, sermones et actus humani ad Deum tanquam ad legitimum finem sunt ex debito dirigendi. 608
XVI. — Voluntati hominis cum effectu, quantum in ipsa est, præmium et pœnam æquum est compensari. 608
XVII. — Voluntas bene merendi perpetua digna est retributione perpetua. 608
XVIII. — Bene merentium apud Deum retributionem non mercedem, sed gratiam esse constat. 608
XIX. — Omnis res bene vel male merendo laborans præmio debet gaudere, vel pœna damnari. 608
XX. — Bonum, quod in Deo est, bene merentibus confertur. Unde manifestum est Deum bene merentibus se ipsum conferre. 609
XXI. — Humana fragilitas a bono statu facilem ruinam incurrit. 609
XXII. — Mentis inquinamentum ablui desiderat et abstergi. 609
XXIII. — In cogitationibus, verbis, operibus malis corrigendis consilium est quærendum. 609
XXIV. — Corporis fragilitas indiget remedio sublevari. 609
XXV. — Multiplex morbi causa multiplici indiget remedio medicinæ. 609
XXVI. — Creber casus crebrum expetit auxilium resurgendi. 610
XXVII. — Ut homo sanior et fortior fiat, instandum est multiplicibus adjumentis. 610
XXVIII. — Forma hominis per abusum deformis effecta indiget reformari. 610
XXIX. — Male merens apud Deum Deo injuriosus existit. 610
XXX. — Male merens in infinitum magna puniendus est pœna. 610

LIBER TERTIUS.

I. — Homo lapsus et pœnitens debuit divina misericordia visitari. 609
II. — Lapsum hominem oportuit, ad percipiendam gloriam, reparari. 609
III. — Hominis culpam debuit homo satisfactione delere. 610
IV. — Satisfactione hominem reparare neque angelus neque homo purus potuit, neque alia creatura. 610
V. — Opportunum fuit Deum pro homine satisfacere. Unde magnum est, Deum hominem factum, reparaturum fuisse genus humanum. 611
VI. — Secunda persona de Trinitate ad uniendum sibi humanam naturam fuit convenientius destinanda. 611
VII. — Homo reparator pro lapso homine Deo debuit se offerre. 611
VIII. — Oblatio debita pro homine redimendo sincera debet esse, et ab omni peccati contagio aliena. 611
IX. — Ex muliere incorrupta carnem Dei Filius fuerat assumpturus; et ille dictus est Christus. 612
X. — Pro peccatis lapsorum contumelias et terrores et mortis pœnam Redemptorem decuit sustinere. 612
XI. — Hostia illa Deo Patri fuerat offerenda 612
XII. — Hostia illa pro quorum'ibet hominum quantislibet excessibus sufficiens est satisfacere Creatori. 612
XIII. — Hostia hæc Deo Patri crebris est ministeriis offerenda. 612
XIV. — Hoc remedium est inutile recusanti. 612
XV. — Deus alio modo potuit humanum genus competenter redimere. 612
XVI. — Expertem hujus remedii ad gloriam nullatenus, sed ad pœnam potius pertinere. 612

LIBER QUARTUS.

I. — Prædicatio et sacramenta Ecclesiæ necessaria sunt. 613
II. — Baptismi causam inquirere. 613
III. — Eucharistiæ causam scrutare. 613
IV. — Matrimonii causam investigare. 614
V. — Pœnitentiæ causam rimare. 614
VI. — Multiplicium in Ecclesia sacramentorum causas multiplices explicare. 614
VII. — Fideles Christi sacramentorum fidem habere constat. 615
VIII. — Fides sacramentorum exigitur a bene merentibus apud Deum. 615
IX. — Alicui nondum baptisato nec recusanti, neque pravam conscientiam habenti collatus aliquid confert baptismus. Unde manifestum est, mente captis efficacem esse baptismum et parvulis. 615

LIBER QUINTUS.

I. — Resurrectio est corporis et animæ morte separatorum iterata conjunctio, tam animæ quam corpori pro facti qualitate præmium vel pœnam conferendo. 615
II. — Totus homo retributionem perpetuam consequitur. 615
III. — Homo resurget in carne, quam habuit, et cum anima sua pariter denuo uniendus. 615
IV. — Ad omnes tam majores quam minores resurrectionem pertinere generaliter. Unde manifestum est Christum a mortuis resurrexisse. 616
V. — Corpus incorruptibile expersque defectus resurrectio captabit. 616
VI. — Sancti in gloria perfectæ scientiæ charitatisque retributione gaudebunt. 617
VII. — Tormento perpetuo damnatorum nulla major est pœna. 618

REGULÆ THEOLOGICÆ.

Præfatio. 617
Prologus. 621
Reg. I — Monas est, qua quælibet res est una. 623
Reg. II. — In supercœlesti unitas, in cœlesti alteritas, in subcœlesti pluralitas. 623
Reg. III. — Monas gignit monadem, et in se suum reflectit ardorem. 624
Reg. IV. — In Patre unitas, in Filio æqualitas, in Spiritu sancto unitatis æqualitatisque connexio. 625
Reg. V. — Sola monas est alpha et omega sine alpha et omega. 625
Reg. VI. — Omne limitatum alpha et omega aut est bonum ab alpha, aut est bonum ab alpha et omega. 626
Reg. VII. — Deus est spæra (sic) intelligibilis, cujus centrum ubique, circumferentia nusquam. 627
Reg. VIII. — Deus est cui quidlibet quod est, est esse omne quod est. 627
Reg. IX — Quidquid est in Deo, Deus est. 628
Reg. X. — Omnis prædicatio de Creatore facta, copulata est et conjuncta. 628
Reg. XI. — Omne simplex esse suum, et id quod est unum habet. 628
Reg. XII. — Nullum simplex subjectum esse potest 629
Reg. XIII. — Solum simplex est forma absque materiali subjecto, et substantiæ absque formali prædicato. 629
Reg. XIV. — Omne esse ex forma est. 629
Reg. XV. — Ejus quod est esse, nullum est esse. 629
Reg. XVI. — Sola forma informis est, quia formæ non est forma. 629
Reg. XVII. — Omne nomen datum ex forma, dictum de forma, cadit a forma. 629
Reg. XVIII. — Omnes affirmationes de Deo dictæ incompactæ, negationes vero veræ. 630
Reg. XIX. — Omne simplex proprie est, et improprie dicitur esse. 630
Reg. XX. — Omne simplex alio est, et alio dicitur esse. 630
Reg. XXI. — Omne nomen Deo conveniens convenit ei vel causative, vel similitudinarie, vel adjective, vel negative. 631
Reg. XXII. — Omni theologica prædicatione ostenditur Deus esse quid, vel ad quid. 631
Reg. XXIII. — Omnis terminus, qui de Deo dicitur secundum substantiam, de tribus personis dicitur singillatim, et in singulari numero; et de tribus in summa, et in singulari numero. 631
Reg. XXIV. — Nullum nomen substantivum voce et significatione, vel voce tantum, pertinens ad essentiam de tribus personis dicitur in summa, et in plurali numero, sed in singulari tantum. 632
Reg. XXV. — Omne nomen adjectivum, adjective retentum, ad essentiam pertinens, de tribus personis dicitur in summa, et in plurali numero. 632
Reg. XXVI. — Omnis translatio in divinis, nominis est, et non rei. 633
Reg. XXVII. — Omne nomen, vel pronomen distinctivum, in masculino, vel feminino nomini personali adjunctum, pertinet ad personam, in neutro vero ad essentiam. 634
Reg. XXVIII. — Nullum nomen, vel pronomen partitivum convenienter adjungitur nomini essentiali. 635
Reg. XXIX. — Quotiescunque dictio exclusiva adjungitur nomini essentiali, nomen potius facit in genus rei, quam in rem generis: nec est pro quo fiat suppositio, sed indeterminate fit sermo de aliquo. 635
Reg. XXX. — Omne nomen essentiale, aut est quasi mathematicum, aut est quasi concretivum. 635
Reg. XXXI. — Omne nomen mathematicum minus improprie dicitur de Deo, quam concretivum. 636
Reg. XXXII. — Omne nomen, quod de Deo dicitur, aut est essentiale, aut coessentiale, aut personale, aut compersonale, aut partim personale, partim essentiale. 636
Reg. XXXIII. — Nullum nomen privationis, vel obnoxietatis, vel violentiæ designativum cadit in Deum 637
Reg. XXXIV. — Omnis sermo theologicus debet catholicus esse, generalis, usitatus, ab intellectu non dissonus, rei, de qua loquimur, consonus. 637
Reg. XXXV. — Nomina substantiva minus improprie dicuntur de Deo, quam adjectiva. 637
Reg. XXXVI. — Quotiescunque per pronomen demonstrativum de Deo fit sermo, cadit a demonstratione. 638
Reg. XXXVII. — Verba per majorem improprietatem dicuntur de Deo, quam nomina, vel pronomina. 639
Reg. XXXVIII. — Nullum nomen in divinis est nota ejus quod de altero dicitur, vel quod alterum, sed potius ejus quod idipsum est. 639
Reg. XXXIX. — Nullum verbum minus improprie dicitur de Deo, quam hoc verbum *est*. 640
Reg. XL. — Omne verbum præsentis temporis minus improprie dicitur de Deo, quam præteriti, vel futuri. 640
Reg. XLI. — Omne adverbium locale dictum de Deo prædicat immensitatem divinam, sive quamdam collationem Creatoris ad creaturas, secundum quam Creator in creaturis tanquam causa efficiens in suis effectibus esse dicitur. 640
Reg. XLII. — Localibus circumlocutionibus de Deo prædicatur aut immensitas divina, aut collatio, aut unio. 640
Reg. XLIII. — Adverbia temporalia de Deo dicta prædicant æternitatem. 640
Reg. XLIV. — Adverbia similitudinis de Deo dicta, aut essentiæ veritatem, aut improprietatem, aut adjunctionem significant. 640
Reg. XLV. — Hæc præpositio, *in*, in divinis aliquando notat essentiæ identitatem, et personæ pluralitatem; aliquando quasi diversitatem; aliquando æternam prædica-

tionem; aliquando identitatem; aliquando causam efficientem; aliquandò quasi causam formalem. 641

Reg. XLVI. — Hæc propositio, *secundum*, in divinis aliquando notat ordinem causæ, aliquando notat ordinem intelligentiæ. 641

Reg. XLVII. — Hæc propositio, *secundum*, aliquando notat quasi efficientem causam; aliquando quasi formalem; aliquando naturæ conditionem. 641

Reg. XLVIII. — Nominum, quæ de Deo dicuntur, aliud dicitur de tribus personis, ita quod de nulla earum; aliud ita de tribus in summa, quod de singulis; aliud ita de una persona, quod non de aliis. 642

Reg. XLIX. — Nominum theologorum alia appropriantur uni personæ nomine, et re; alia nomine, et non re. 642

Reg. L. — Hoc nomen, *Pater*, de Deo dictum aut prædicat personam, aut personalem proprietatem, aut relationem Patris ad Filium, aut relationem Patris ad creaturas secundum creationem, aut relationem Patris ad hominem secundum recreationem. 642

Reg. LI. — Hoc nomen, *Principium*, aliquando prædicat paternitatem, aliquando spirationem, aliquando relationem Creatoris ad creaturas. 643

Reg. LII. — Nominum, quæ appropriantur personis nomine et re, alia dicuntur per positionem, alia per abnegationem. 645

Reg. LIII. — Hæc circumlocutio, *Spiritus sanctus*, aut personam, aut personalem proprietatem, aut relationem in divinis prædicat. 646

Reg. LIV. — Ille solus vere est omnipotens, qui potest omnia, quæ posse est aliquid posse. 647

Reg. LV. — Id solum potest Omnipotens quod ejus justitiæ, ejus potentiæ, ejus misericordiæ convenit. 647

Reg. LVI. — Deus omnipotens dicitur, quia potest non solum quæ sunt, vel fieri possunt, sed etiam ea, quæ fieri non possunt. 647

Reg. LVII. — Quidquid est possibile secundum inferiorem causam, est possibile secundum superiorem: sed non convertitur. 648

Reg. LVIII. — Omne impossibile secundum inferiorem causam, ad quod sequitur impossibile secundum superiorem, est impossibile Deo. 648

Reg. LIX. — Non si veritas est in essentia, possibilitas in natura. 649

Reg. LX. — Omnipotens nihil non potest quod potuit, nihil non potuit quod potest. 650

Reg. LXI. — Opera Trinitatis indivisa sunt. 650

Reg. LXII. — Nihil contra illius voluntatem fieri potest, qui nihil nisi bonum velle potest. 651

Reg. LXIII. — Prima substantia non recipit majus, vel minus. 651

Reg. LXIV. — Divina providentia falli non potest. 652

Reg. LXV. — Necessarium est evenire, quod Deus prævidit, necessitate consequenti, non consequentis. 652

Reg. LXVI. — Ad necessitatem superioris causæ sequitur necessitas inferioris causæ; sed non convertitur. 652

Reg. LXVII. — Necessitati superioris causæ cedit necessitas inferioris causæ. 654

Reg. LXVIII. — Omnia in quantum sunt, bona sunt. 654

Reg. LXIX. — Cujus finis bonus est, ipsum quoque bonum est. 656

Reg. LXX. — Unius actionis diversi fines esse non possunt. 656

Reg. LXXI. — Omne meritum est voluntarium aut voluntate originis, aut origine voluntatis. 657

Reg. LXXII. — Penes voluntatem est omne meritum. 658

Reg. LXXIII. — Omne peccatum fit aut in committendo quod non oportet, aut omittendo quod oportet. 658

Reg. LXXIV. — Non facere vitat pœnam, facere meretur coronam. 659

Reg. LXXV. — Omnis actio informis, vel deformis, formata esse non potest: nec e converso. Sic nec magis, nec minus potest esse informis, vel deformis, nec magis, nec minus formata. 659

Reg. LXXVI. — Omne peccatum est pœna aut passionis affectu, aut consequentis effectu. 660

Reg. LXXVII. — Omnis pœna aut est in bono conservans, aut bonum probans, aut malum purgans, aut ad majus bonum invitans, aut in malo indurans, aut sola acredine crucians, aut peccato commaculans. 661

Reg. LXXVIII. — Omnis motus concupiscibilitatis ad illecebras est vitium ex peccato; omnis motus concupiscentiæ in illecebris est peccatum ex vitio. 661

Reg. LXXIX. — Omnis voluntas affectionis est meritum faciens; voluntas effectionis est meritum perficiens. 661

Reg. LXXX. — Non paritas effectus in voluntate, sed paritas affectus in voluntate paritatem parit in crimine. 662

Reg. LXXXI. — Omne peccatum, quo pœnitentiæ pœna remittitur, pœnitentia pœnæ admittitur, non essentia actus, sed æquipollentia reatus. 662

Reg. LXXXII. — Omne meritum pœnæ penes hominem est actione; omne meritum gloriæ super hominem auctoritate. 663

Reg. LXXXIII. — Homo gratia a Spiritu habet posse quo velit; gratia in Spiritu habet velle quo possit. 663

Reg. LXXXIV. — Omne hominis arbitrium magis liberum est ad malum serviendo, minus liberum ad bonum liberando, ut major libertas sit servitutis, minor libertatis. 664

Reg. LXXXV. — Sicut omne bonum meritorium in homine, aut progrediendo proficit aut tependo languescit, aut cessando deficit: sic omne malum meritorium in homine aut continuando augetur, aut attritione remittitur, aut contritione dimittitur. 664

Reg. LXXXVI. — Omnis justus alii mereri potest meritum præmii, non præmium meriti. 665

Reg. LXXXVII. — Gratia ad meritum fit in nobis sine nobis, libero arbitrio comitante, non cooperante; gratia vero in merito fit in homine per hominem arbitrio libero faciente ad hoc, non sufficiente. 666

Reg. LXXXVIII. — Omnes virtutes simul, et similiter dantur homini a creatione, ut sint per naturam; ex recreatione vero infunduntur homini, ut sint virtutes per gratiam; pariter quidem habitu, sed dispariter usu. 666

Reg. LXXXIX. — Virtus et vitium sunt opposita mediate, non medii positione, sed utriusque abnegatione. 667

Reg. XC. — Meritum boni consistit penes liberum arbitrium occasionaliter, penes virtutem formaliter, penes motum virtutis essentialiter, penes gratiam efficaciter, penes opus instrumentaliter. 669

Reg. XCI. — Charitas inter virtutes est causa prior, diuturnitate major, mater informatione, forma apparitione, finis remuneratione, universalior opere. 669

Reg. XCII. — Charitas in aliquo homine est ut rivulus et quasi finalis, cui communicat alienus; in aliquo vero est ut fons, et finalis, quam non participat nisi domesticus. 669

Reg. XCIII. — Ex fide dicitur justificari homo, non quod ex ea sit justificatio, sed quia procedit ex ejus articulo. 670

Reg. XCIV. — Nullum opus in charitate factum deformatur ad meritum pœnæ æternæ; sed opus ex charitate factum informatur ad meritum gloriæ. 670

Reg. XCV. — Sicut in homine consideratur perfectio ratione comparationis, comprehensionis, facti, voti, sufficientiæ, conscientiæ: ita in charitate consideratur perfectio, signi ratione, impedimenti exclusione, continuatione, radicatione, fervoris intensione. 671

Reg. XCVI. — Omnis timor bonus aut est initialis terminus fidei intra sumptus, vel extra sumptus; aut finalis terminus fidei vel intra sumptus, vel extra sumptus. 671

Reg. XCVII. — Sicut caro dicitur obedire rationi, quando non agit directe contra rationem, et ita ratio dicitur consentire carni, quando non reprimit carnem. 673

Reg. XCVIII. — Charitas quæ ab homine habetur, facit aliquid diligi, aut quia habet, aut ut habeat, aut ut habeatur. 673

Reg. XCIX. — Sicut homo per charitatem a thesi suæ naturæ in apotheosim gratiæ ascendens est deificatus: ita Deus per charitatem ab apotheosi suæ naturæ in hypothesim nostræ miseriæ descendens est humanatus. 673

Reg. C. — Humana natura unita est divinæ, ut substantiæ diversitas sit in uno, et naturæ proprietas maneat in unito. 674

Reg. CI. — Sicut pars non potest esse totum, vel constituens constitutum, ita assumens non potest esse assumptum. 675

Reg. CII. — Ad hoc ut Christus esset homo, triplex concurrit unio: unio compersonalis, ut humanæ naturæ esset; unio subpersonalis, ut viveret; unio propersonalis. 676

Reg. CIII. — Numerus cadit in Christum memorialis, quo numeratur substantialis hypostaseos; materialis, quo numeratur usia cum usiosi. 676

Reg. CIV. — Necessitas moriendi fuit in Christo, non ex actione superans animum, sed voluntate astringens

eventum. 677
REG. CV. — In Christo fuit timor propassionis, non rationi obvians; sed non timor passionis mentem conturbans. 677
REG. CVI. — Christus nil sibi meruit operibus suis: sed quidquid meruit, meruit nobis operibus singulis. 677
REG. CVII. — Sicut Creator factus creatura per creaturæ susceptionem: ita creatura fit corpus Creatoris per creaturæ transubstantiationem. 678
REG. CVIII. — In alia specie est corpus Christi, et sub alia specie est. 679
REG. CIX. — Ad hoc ut panis transubstantietur in Dominicum corpus, fit quatuor concursus: ut sit in persona ordo, in agente intentio, in pane materia, in verbis forma. 679
REG. CX. — Sicut eucharistia est sacramentum, dignitatis justitiam perficiens; sic baptismus est sacramentum necessitatis ad justitiam proficiens. 679
REG. CXI. — Sacramentum confirmationis non datur ad hoc ut baptismus habeatur, sed ut plenius possideatur. 679
REG. CXII. — Sicut baptismus est primum remedium contra peccati originalis lapsum: sic pœnitentia est secunda tabula post peccati naufragium. 680
REG. CXIII. — Sicut baptismus est sacramentum fidei, confirmatio sacramentum spei, et eucharistia sacramentum charitatis: sic extrema unctio est sacramentum pœnitentiæ, vel contritionis. 680
REG. CXIV. — Conjugium est sacramentum remedii ad fugam, non necessitatis ad electionem 681
REG. CXV. — Sacer ordo est sacramentum, quo insignitur homo, ut sic aliis per honorem præsit, ut eis per onus prælationis prosit. 681
REG. CXVI. — Omne dictum usque adeo a causa est, ut si causa non fuerit, ipsum quidem vacuum sit. 681
REG. CXVII. — Aliud est dictum, aliud dicendi causa. 682
REG. CXVIII. — Omnis causa dicti, alio dicitur, et alio exponitur. 682
REG. CXIX. — Diversa dicendi causa est a re cujus est, ut dictum est, causa. 682
REG. CXX. — Causa rei alia intrinseca, alia extrinseca. 682
REG. CXXI. — Causarum alia dicitur per se, alia ad aliud. 683
REG. CXXII. — Causarum alia prima, alia secunda. 683
REG. CXXIII. — Prima causa aut natura est subsistentis, aut proprietas ejus. 683
REG. CXXIV. — Secunda causa dicendi aut pertinet ad naturam, aut pertinet ad proprietatem. 683
REG. CXXV. — Una causa dicendi est, quæ ad omnem pertinet dicti causam. 684
LIBER IN DISTINCTIONIBUS DICTIONUM THEOLOGICALIUM.
Prologus Alani ad Hermengaldum abbatem Sancti Ægidii. 685
Prologus alter ejusdem. 687
Incipit Liber in Distinctionibus dictionum theologicalium. 687
Index analyticus. 1015

FINIS TOMI DUCENTESIMI DECIMI

Ex Typis L. MIGNE, au Petit-Montrouge.

sti divinitatem ejus designant, 42. Ubera B. Mariæ petit Christus (Cant. I), 4. Ubera B. Mariæ quid mystice designent, 5. Ubera B. Mariæ sunt humilitas et virginitas, 6, 48. Ubera B. Mariæ duplicem ejus charitatem significant, 10, 24. Ubera B. Mariæ ejusdem carnem et animam designant, 40. Ubera B. Mariæ botris comparantur, 42.

Umbilicus charitatem designat, 40.

Umbra dicitur protectio Dei, 13. Umbra etiam designat infirmitatem tum corporis, tum animæ, 18. Umbræ mortis tres, 145.

Unctionis extremæ sacramentum rejiciunt hæretici, 252. Refutantur, *ibid.* A quo sit institutum, *ibid.* Causa institutionis duplex, *ibid.*

Unguenta mystice sunt dona spiritualia Dei, 5. Unguentorum spiritualium tria genera debent habere prælati, 119.

Unitas. De unitate spirituali abbatis et monachorum, concio habetur brevis, 118, super hoc themate : *Osculetur me osculo oris sui.* (*Cant.* I.) Unitatis commendatio, 111. Unitas triplex, scilicet supercœlestis, cœlestis et subcœlestis, *ibid.* Unitas supercœlestis exponitur, *ibid.* Unitas SS. Trinitatis declaratur, *ibid.* Unitas cœlestis etiam triplex est, scilicet naturæ, gratiæ, gloriæ, *ibid.* Unitas subcœlestis, seu Ecclesiæ, trina quoque est : fidei, charitatis, obedientiæ, *ibid.* Unitas charitatis religiosis necessaria, 112. Unitas prælati cum religiosis, *ibid.* Unitas claustralis in tribus consistit, 11, 119. Unitas animorum commendatur, 85. Unitas mentis seu animorum, triplex, 133.

Usia, essentiam significat, 317.

Usurariis et furibus quænam injungendæ sint pœnitentiæ, 189.

Ut, conjunctio, non semper est nota similitudinis, sed quandoque expressiva veritatis, 215.

V

Vana gloria pulvis est, 122. Vanæ gloriæ natura, 156. Vana non semper vane videntur, 148.

Vanitas divitiarum, honorum, etc., 55. Vanitas, triplex, *ibid.* Vanitas formæ, fortitudinis, sapientiæ, nobilitatis, divitiarum, vestium pretiosarum, 57. Vanitas omnium quæ in mundo sunt, 56.

Vehemens, dicitur, quasi, væ demens, vel extra mentem vehens, 134, 135.

Venialia peccata disponunt ad mortalia, 195.

Venter, memoriam designat, 30. Venter Ecclesiæ sunt idiotæ et simplices, 33. Venter B. Mariæ, liliis castitatis vallatus, 40.

Venus naturæ vicaria est, 297. Venus forti impetu hominem aggreditur, 411. Veneris arma, *ibid.* Venus victorias suas jactat et recenset, 412. Venus, fugiendo non pugnando vincitur, 391. Vincitur ab homine fugiente, 412.

Verbosi vitandi, 92.

Verbositas et linguæ evagatio. Contra verbositatem, exhortatio habetur, 91. Verbositas semper cavenda, maxime in publico, *ibid.*

Verbum, quid et unde dictum, 151. Verbi vox est prædicator verbi, *ibid.* Verba picturæ sunt animi, 311. Verba B. Mariæ per vittam coccineam designantur, 23. Verbum otiosum quid sit, 91.

Veris jucunditas et fructus, 288. Veris item jucunditatem, omniumque florum, herbarum, etc., reviviscentiam eleganti carmine describit Alanus, *ibid.* Veris expositio mystica, 131.

Veritas defendenda, 160. Veritas summa Deus est, 56. Veritatem interdum tacere licet, mentiri nunquam, 269. Veritatis pulchritudo sub typo virginis describitur, 319.

Vespera sextam et ultimam designat ætatem, 127.

Vestium pretiosarum vanitas, 57.

Viæ Domini diversæ, 152. Viæ Domini quomodo parandæ, *ibid.* Via distinguitur a semita, *ibid.*

Vident plus oculi quam oculus, 426.

Vidua. Ad viduas exhortatio habetur, 114, super hoc themate : *Non nuptis, et viduis, bonum est illis si sic permaneant sicut et ego.* (I Cor. VII.) Viduarum patrocinium commendatur advocatis, 109.

Viduitatis bona, 115.

Vigilia. Informatio ad vigilias, 102. Themata : *Beatus ille servus, quem cum venerit Dominus, invenerit vigilantem.* (*Luc.* XII.) *Vigilate ergo, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit.* (*Matth.* XXIV.) Vigiliarum utilitates, 102. Vigiliæ sunt duplices spirituales, et materiales, *ibid.*, 103. Vigiliæ spirituales præferendæ materialibus, 103. Vigiliarum nocturnarum utilitates, *ibid.*

Villæ dicuntur obscuritates Scripturæ sacræ. 43.

Vim vi repellere quomodo liceat, 274.

Vinea dicitur Ecclesia, 17, 38, 128. Vineæ Ecclesiæ sunt, 7, et iterum, 17. Vinea dicitur Scriptura sacra, 43. Vineæ dicuntur conventus fidelium, 11. Vineæ florentes fideles sunt, 16. Vineæ cultor Christus, 12, 8. Vineæ ecclesiasticæ vastatores plurimi, *ibid.*

Vinum asperitatum, 28. Vinum etiam figurat delectationem terrenam, 140.

Vir sumitur pro firmo, mulier pro infirma, 163. Virorum illustrium testimonia de Alano, ejusque doctrina. In præludiis Virga vigilans, quæ, 105.

Virga erudit pueros, 423.

Virgo, virginitas. *Vide* Castitas. Exhortatio ad virgines, duo habet themata, 115. *Despondi vos uno viro virginem castam exhibere Christo.* (*II Cor.* II.) *Audi, filia, et vide*, etc. (*Psal.* XLIV.)

Virginitatis laus, 115. Virginalis status melior est conjugali, 249. Virginitatem prima omnium vovit B. Maria, 13.

Virtus mediam tenet viam, 433. Virtus unita, fortior est seipsa dispersa, 426. Virtutum insigne encomium, 315. Virtutes omnes naturam venerantur, 323. Virtutes ad naturæ domum se conferunt, 323. Virtutes concilium celebrant, *ibid.* Virtutes omnes prudentiæ occurrunt, 389. Virtutes lectulum ambiunt spiritualis Salomonis, 21. Virtutes ornant hominem, 400. Virtutes hominem defendunt contra vitia, 405. Virtutum arma spiritualia, *ibid.* Virtutum acies, *ibid.* In virtutum regno, perpetua lux est, 406.

Visus est primus equus in curru Prudentiæ, 358. Ejus natura et velocitas, *ibid.* Ejusdem præstantia, *ibid.* Visus multis modis fallitur, 215. Visus pudicitia, 178.

Vitæ æternæ promissio firma, 154. Vitæ humanæ miseria, 309. Vita hominis continua pugna, 424. Vitæ hujus beatitudo quæ, 157. Vita activa dicitur vigilia, 15.

Vitium. *Vide* Peccatum et crimen. Vitia inveterata difficulter emendantur, 424. Vitia se pallio virtutum vestiunt, 304. Vitiis resistendum in principio, 426. Vitiis virtutes opponendæ, 99. De vitiorum in terris dominatu conqueritur natura, 315. Vitiorum in mundo dominatus insigni carmine deploratur, 308. Vitiorum congregat concilium Alecto, ad hominem impugnandum, 402. Vitia conspirant in hominem, 403. Vitia magno impetu prorumpunt in hominem, 406. Vitiis hominem impugnantibus, opponunt se virtutes, hominemque strenue defendunt, 405.

Vitta coccinea verba B. Mariæ significat, 23.

Vivit satis diu, qui bene vivit, 69.

Voluntas auriga est visus, 334. Voluntas bona et recta, 179, 393. Voluntas bona angelos lætificat, 179. Voluntas Dei superis pro lege est, 381. Voluntas propria religiosis abrenuntianda, 112. Voluntates in Christo duæ, 149. Voluntates rationis et sensualitatis contrariæ, 150.

Voluptatibus quæ pœna destinata, 56.

Vox duplex est, uti et sonus, 151. Vox significativa seu articulata, 151. Vox non significativa, 152. Vox significativa etiam duplex est, *ibid.*

Vulnera inveterata difficilius curantur, 429

Vulpes mystice sunt hæretici, 17, 128.

Vultus animi figura est, 186.

W

Waldenses elati et inobedientes prælatis, 259. Soli Deo obediendum volunt, 260. Waldensium alia vitia, 259. Refutantur, 260. Waldenses in concilio Lateranensi fuerunt condemnati, 261.

Waldus, auctor fuit sectæ Waldensium, 258. Ejusdem qualitates, *ibid.*

Z

Zodiacus cum suis signis describitur, 366. Zodiaci signa duodecim per totidem gemmas describuntur, 283. Zoilos ab operibus suis repellit Alanus, 415.

ORDO RERUM

QUÆ IN HOC TOMO CONTINENTUR.

ALANUS DE INSULIS.
Notitia historico-litteraria 9
Prolegomena Caroli de Wisch ad Opera Alani de Insulis. 27
ALANI ELUCIDATIO IN CANTICA CANTICORUM. 51
SUMMA DE ARTE PRÆDICATORIA.
Ad Lectorem. 109
Præfatio auctoris. 111
CAP. I. — De prædicatione. Quid sit, et qualis esse debeat. 111
CAP. II. — De mundi contemptu. 114
CAP. III. — De contemptu sui. 116
CAP. IV. — Contra gulam. 119
CAP. V. — Contra luxuriam. 121
CAP. VI. — Contra avaritiam. 123
CAP. VII. — Contra acediam. 125
CAP. VIII. — Contra invidiam. 128
CAP. IX. — Contra iram. 129
CAP. X. — Contra superbiam. 131
CAP. XI. — De contemptu mundani timoris. 133
CAP. XII. — De spe cœlestium, et contemptu terrenorum. 135
CAP. XIII. — De spirituali luctu. 136
CAP. XIV. — De gaudio spirituali. 138
CAP. XV. — De patientia. 140
CAP. XVI. — De obedientia. 143
CAP. XVII. — De perseverantia. 145
CAP. XVIII. — De misericordia. 147
CAP. XIX. — De justitia. 149
CAP. XX. — De dilectione Dei. 151
CAP. XXI. — De dilectione proximi. 153
CAP. XXII. — De pace. 155
CAP. XXIII. — De prudentia. 157
CAP. XXIV. — De fortitudine. 159
CAP. XXV. — De temperantia vel modestia. 161
CAP. XXVI. — Contra verbositatem et linguæ evagationem. 162
CAP. XXVII. — Contra mendacium. 164
CAP XXVIII. — Contra detractionem. 166
CAP. XXIX. — Exhortatio ad orationem. 167
CAP. XXX. — De compunctione, seu contritione. 169
CAP. XXXI. — De confessione peccatorum. 172
CAP. XXXII — De pœnitentia, seu satisfactione. 173
CAP. XXXIII. — De eleemosyna. 175
CAP. XXXIV. — De jejunio. 176
CAP. XXXV. — Informatio ad vigiliam. 178
CAP. XXXVI. — Exhortatio ad doctrinam. 179
CAP. XXXVII. — De hospitalitate. 181
CAP. XXXVIII. — Quod prælatorum tantum debeat esse prædicatio. 182
CAP. XXXIX. — Quibus proponenda sit prædicatio. 184
CAP. XL. — Ad milites. 185
CAP. XLI. — Ad oratores, seu advocatos. 187
CAP. XLII. — Ad principes et judices. 188
CAP. XLIII. — Ad claustrales. 189
CAP. XLIV. — Ad sacerdotes. 191
CAP. XLV. — Ad conjugatos. 193
CAP. XVI. — De viduis. 194
CAP. XLVII. — Ad virgines. 194
CAP. XLVIII. — Ad somnolentos. 195
SERMONES OCTO.
SERMO. I. — De spirituali unitate abbatis et monachorum 197
SERMO. II. — In annuntiatione B. Mariæ, quando evenit in Palmis. 200
SERMO III. — De timore judicii, in quadragesima. 203
SERMO IV. — De pascha, ad magistros clericorum. 206
SERMO V. — De custodia Ecclesiæ, ad sacerdotes in synodo. 210
SERMO VI. — De solutione peccatorum post confessionem. 213
SERMO VII. — In adventu Domini. 214
SERMO VIII. — In die sancto Pentecostes. 218
SERMO IX. (Fragmentum.) — In natali sancti Augustini. 221
SERMONES ALII EX PERVETUSTO CODICE.
SERMO I. — De Spiritu sancto. 221
SERMO II. — De sancta cruce. 223
SERMO III. — De sancto Nicolao episcopo et confessore. 226
LIBER SENTENTIARUM ET DICTORUM ALANI DE INSULIS. 229
De nativitate Domini. 232
De nativitate Domini iterum. 234
De sancto Joanne Baptista. 243
De sancto Petro apostolo. 244
De sancta Maria. 246
DICTA ALIA quæ communiter *Mirabilia* nuncupantur, sed forte melius *Memorabilia*. 253
DE SEX ALIS CHERUBIM. 265
LIBER POENITENTIALIS. 279
DE FIDE CATHOLICA CONTRA HÆRETICOS LIBRI QUATUOR.
Prologus. — Ad principem Montispessulani. 305
LIBER PRIMUS.
CAP. I. — De collatione gentilium et Christianorum, in materiali et spirituali strenuitate. 307
CAP. II. Quibus auctoritatibus muniti hæretici, dicunt esse duo rerum principia. 308
CAP. III. — Quibus rationibus muniti hæretici, dicunt esse duo rerum principia. 309
CAP. IV. — Solutio catholicorum ad prædictas auctoritates hæreticorum de duobus principiis. 309
CAP. V. — Refelluntur rationes hæreticorum, de duobus principiis. 310
CAP. VI. — Quibus auctoritatibus probatur quod Deus bonus creavit mundum. 312
CAP. VII. — Quibus auctoritatibus probatur quod Deus omnipotens mundum creavit. 314
CAP. VIII. — Quibus rationibus probatur quod Deus omnipotens fuerit creator tam visibilium quam invisibilium. 314
CAP. IX. — Opinio quorumdam hæreticorum, qui dicunt quod non sunt in corporibus humanis aliæ animæ, nisi angeli apostatæ, qui de cœlo ceciderunt. 316
CAP. X. — Quibus rationibus et auctoritatibus probatur quod anima est in corpore humano, et non dæmones. 316
CAP. XI. — Qua ratione dicunt hæretici dæmones in corporibus humanis puniri. 317
CAP. XII. — Quibus auctoritatibus et rationibus probatur, quod dæmones non salvabuntur. 317
CAP. XIII. — Quibus auctoritatibus probatur, quod aliqui spiritus angelici remanserint in cœlo. 318
CAP. XIV. — Quibus rationibus probatur quod non omnes angeli ceciderint de cœlo. 318
CAP. XV. — Opinio hæreticorum, qui dicunt quod animæ sanctorum, cum Christo non ascenderunt in cœlum, et quod Christus non descendit ad infernum. 319
CAP. XVI. — Quibus auctoritatibus et rationibus probatur quod Christus descendit ad inferos, et quod animas sanctorum ab inferis liberavit. 319
CAP. XVII. — Qualiter intelligenda sit hæc auctoritas : *Non sum missus nisi ad oves quæ perierunt domus Israel.* 320
CAP. XVIII. — Qualiter intelligatur hæc auctoritas, *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui*, etc. 32[illegible]
CAP. XIX. — Opinio hæreticorum qui dicunt Christum

non assumpsisse verum corpus, nec comedisse aut bibisse. 321
Cap. XX. Solutio præmissorum, et quod Christus verus homo fuerit. 322
Cap. XXI. — Quibus auctoritatibus et rationibus probatur quod Christus veram carnem assumpsit. 323
Cap. XXII. — Quod Christus vere comederit et biberit. 324
Cap. XXIII. — A quo glorificabuntur corpora sanctorum in die judicii. 324
Cap. XXIV. — Quibus rationibus probatur quod corpora nostra resurgent. 324
Cap. XXV. — Quibus auctoritatibus et rationibus probent hæretici quod caro illa quæ redigitur in cinerem, non resurget. 326
Cap. XXVI. — Responsio ad prædictas auctoritates et rationes; et quod vere caro illa resurget. 326
Cap. XXVII. — Responsio hæreticorum, qui dicunt quod anima perit cum corpore. 328
Cap. XXVIII. — Solutio ad prædictas auctoritates et rationes; ostenditur quod anima non perit cum corpore. 329
Cap. XXIX. — Quibus auctoritatibus theologorum probatur quod anima humana sit immortalis. 332
Cap. XXX. — Quibus auctoritatibus gentilium philosophorum probatur quod anima humana sit immortalis 332
Cap. XXXI. — Quibus rationibus probatur quod anima humana sit immortalis. 333
Cap. XXXII. — Quibus auctoritatibus et rationibus probatur quod Christus vere fuerit Filius Dei. 334
Cap. XXXIII. — Opinio quorumdam hæreticorum, qui dicunt quod Christus assumpsit corpus cœleste, et quod beata Maria in cœlo fuit creata, et quod nec patrem nec matrem habuit. 335
Cap. XXXIV. — Solutio præmissorum, quod Christus vere carnem humanam assumpserit, et quod B. Maria patrem et matrem habuerit. 335
Cap. XXXV. — Quibus auctoritatibus et rationibus conentur probare hæretici quod lex Mosaica data sit a diabolo. 337
Cap. XXXVI. — Prædictarum auctoritatum et rationum infirmatio; et quod lex Mosaica a Deo benigno data sit. 337
Cap. XXXVII. — Quibus auctoritatibus et rationibus probant hæretici Patres Veteris Testamenti malos fuisse, et esse damnatos. 341
Cap. XXXVIII. — Objectorum infirmatio : et quod Patres Veteris Testamenti non sunt damnati. 342
Cap. XXXIX. — Opinio quorumdam, qui dicunt baptismum parvulis non prodesse, et quod parvuli non habent peccatum. 345
Cap. XL. — Responsio ad præmissas objectiones, et quod parvuli habebant originale peccatum. 345
Cap. XLI. — Opinio hæreticorum qui dicunt quod nulli prodest baptismus ante annos discretionis. 346
Cap. XLII. — Solutio præmissorum, et quod baptismus prodest ante annos discretionis. 347
Cap. XLIII. — Opinio hæreticorum qui dicunt quod baptismus nullam habet efficaciam, vel in parvulis, vel in adultis. 349
Cap. XLIV. — Solutio prædictorum, et quod baptismus efficaciam habeat in parvulis et in adultis. 349
Cap. XLV. — Opinio hæreticorum qui dicunt quod baptismus non prodest sine manus impositione. 351
Cap. XLVI. — Solutio prædictorum. 351
Cap. XLVII. — Opinio hæreticorum qui dicunt quod post remissionem peccatorum quæ fit in baptismo, locum non habet pœnitentia. 352
Cap. XLVIII. — Objectorum solutio, et cur pœnitentia iteretur, et non baptismus, et quædam alia sacramenta. 353
Cap. XLIX. — Quibus auctoritatibus et rationibus probatur, quod pœnitentia potest iterari. 354
Cap. L. — Opinio hæreticorum qui dicunt pœnitentiam non valere ad peccati remissionem. 355
Cap. LI. — Præmissorum solutio, et quod pœnitentia valet ad peccati remissionem. 356
Cap. LII. — Opinio hæreticorum qui dicunt quod sufficit soli Deo confiteri. 356
Cap. LIII. — Solutio, et quod homo tenetur confiteri peccata sua. 357
Cap. LIV. — Quibus auctoritatibus probatur quod pœnitentia valet ad remissionem peccati. 357
Cap. LV. — Quibus auctoritatibus probatur quod contritio valeat ad remissionem peccati. 358
Cap. LVI. — Quibus auctoritatibus probatur quod confessio valet ad remissionem peccatorum. 358
Cap. LVII. — Opinio hæreticorum qui negant panem transsubstantiari in corpus Christi. 359
Cap. LVIII. — Præmissorum solutio, et quod panis transsubstantiatur in corpus Christi. 360
Cap. LIX. — Utrum sit articulis fidei, panem transsubstantiari in corpus Christi. 363
Cap. LX. — Quibus auctoritatibus probatur quod Christus corpus suum dedit discipulis suis. 363
Cap. LXI. — Opinio hæreticorum qui dicunt quod Christus dicens : *Hoc est corpus meum*, demonstraverit seipsum, et non corpus quod sub forma latebat. 364
Cap. LXII. — Quare Christus sub aliena forma dederit corpus suum. 365
Cap. LXIII. — Opinio illorum hæreticorum qui dicunt nuptias damnabiles esse. 365
Cap. LXIV. — Objectorum solutio, et quod nuptiæ non sint damnabiles. 366
Cap. LXV. — Quibus auctoritatibus et rationibus probatur quod conjugium bonum et sanctum sit. 367
Cap. LXVI. — Opinio hæreticorum qui dicunt, quod confirmatio nullam habet efficaciam. 369
Cap. LXVII. — Opinio eorum qui dicunt quod ordo non sit sacramentum. 369
Cap. LXVIII. — Opinio eorum qui dicunt extremam unctionem non esse sacramentum. 370
Cap. LXIX. — Opinio quorumdam qui dicunt quod locus materialis non est dicendus ecclesia. 371
Cap. LXX. — Prædictorum infirmatio, et ad quid sit institutus locus qui dicitur ecclesia. 372
Cap. LXXI. — Quibus auctoritatibus probatur quod materialis locus dicatur domus Dei et orationis. 373
Cap. LXXII. — Quibus auctoritatibus et rationibus dicant hæretici quod orationes sanctorum non prosunt vivis; nec vivorum orationes defunctis, et quod sancti non orent pro vivis. 373
Cap. LXXIII. — Prædictorum determinatio. 374
Cap. LXXIV. — Opinio hæreticorum, qui dicunt quod non debemus carnes comedere. 376
Cap. LXXV. — Præmissorum determinatio, quod non est malum carnes comedere. 376
Cap. LXXVI. — Quibus auctoritatibus et rationibus probatur quod non tenetur abstinere a cibis quos Deus creavit. 377

LIBER SECUNDUS. — Contra Waldenses.

Cap. I. — Quibus auctoritatibus et rationibus probatur quod nullus debeat prædicare nisi sit a majore prælato missus. 377
Cap. II. — Quibus auctoritatibus et rationibus muniti Waldenses dicunt neminem debere alicui obedire nisi Deo. 380
Cap. III. — Solutio præmissorum, et quod Deo et hominibus obediendum est. 381
Cap. IV. — Auctoritates quibus probatur quod hominibus obediendum est, maxime prælatis. 381
Cap. V. — Opinio eorum qui dicunt quod bonis prælatis tantum sit obediendum, eorumque refutatio. 383
Cap. VI. — Auctoritate probare conantur hæretici quod tantum apostolorum imitatoribus obediendum est. 383
Cap. VII. — Præmissorum determinatio. Quod omnes sacerdotes habent ligandi et solvendi potestatem. 383
Cap. VIII. — Opinio illorum qui dicunt quod officium vel ordo nihil confert ad consecrandum, vel benedicendum, ad ligandum et solvendum. 385
Cap. IX. — Infirmatio illorum qui dicunt quod non tenetur quis confiteri sacerdoti, si præsto sit laicus. 385
Cap. X. — Quod in necessitate potest homo confiteri peccata sua proximo, vel socio suo, si desit sacerdos. 386
Cap. XI. — Opinio eorum qui dicunt, quod generales absolutiones quæ fiunt ab episcopis in variis officiis, non sint ratæ. 387
Cap. XII. — Opinio illorum qui dicunt suffragia illa quæ fiunt ab illis qui sunt in peccato mortali, non prosunt mortuis. 388
Cap. XIII. — Præmissorum solutio, et quod oratio quæ fit ab Ecclesia, a quocunque proferatur, prosit mortuis et vivis. 389
Cap. XIV. — Quibus auctoritatibus et rationibus probatur quod orationes ab Ecclesia institutæ, sive a bono vel malo sacerdote proferantur, prosunt. 390
Cap. XV. — Opinio illorum qui dicunt quod omne mendacium est peccatum mortale. 390
Cap. XVI. — Prædictorum solutio, et quod non omne mendacium est peccatum mortale. 391
Cap. XVII. — Utrum in aliquo casu licitum sit mentiri. 392
Cap XVIII. — Opinio illorum qui dicunt quod nullo

modo est jurandum. 392
Cap. XIX. — Quid in quibusdam casibus liceat jurare. 394
Cap. XX. — Opinio illorum qui dicunt quod nullo modo homo est occidendus. 394
Cap. XXI. — Idem rationibus probare conantur. 395
Cap. XXII. — Ad prædicta responsio, et quod homicidarum et sacrilegorum punitio non est effusio sanguinis sed legum ministerium. 396
Cap. XXIII. — Quod in multis casibus homines interficiendi sint. 398
Cap. XXIV. — Opinio illorum qui dicunt quod prædicatores non debent laborare manibus. 399
Cap. XXV. — Solutio prædictorum. 399
LIBER TERTIUS. — Contra Judæos.
Cap. I. — Rationes quibus Judæi pluralitatem personarum divinarum impugnant. 399
Cap. II. — Solutio prædictorum, et quod vere unitas est in essentia, et pluralitas in personis. 401
Cap. III. — Quibus auctoritatibus philosophorum et theologorum, et quibus rationibus et similitudinibus locorum, ostenditur quod tres sunt personæ divinæ, et una earum natura. 403
Cap. IV. — Idem rationibus probatur. 405
Cap. V. — Similitudinibus sic. 406
Cap. VI. — Opinio Judæorum qui dicunt quod lex Mosaica non est abolita, sed adhuc est observanda. 407
Cap. VII. — Determinatio præmissorum. 407
Cap. VIII. — Opinio Judæorum, qui dicunt quod divinæ sanctiones ut tunc non sunt mutandæ. 408
Cap. IX. — Solutio præmissorum. 409
Cap. X. — Quibus auctoritatibus probatur quod lex, quantum ad litteram, mortua sit. 410
Cap. XI. — Quibus rationibus muniti Judæi probant Messiam non venisse. 410
Cap. XII. — Solutio Christianorum. 411
Cap. XIII. — Quibus auctoritatibus probant Judæi Christum non fore Deum, 413
Cap. XIV. — Solutio Christianorum. 414
Cap. XV. — Quibus auctoritatibus probatur Christum esse Deum. 414
Cap. XVI. — Quibus auctoritatibus muniti dicunt Christum esse conceptum de Virgine. 415
Cap. XVII. — Solutio Christianorum ad prædicta. 415
Cap. XVIII. — Quibus auctoritatibus et rationibus probatur quod B. Virgo manens intacta, Christum concepit. 416
Cap. XIX. — Quibus auctoritatibus probatur quod omnes ante Christi adventum ad inferos descendebant, et quod necessarium fuit ad reducendum genus humanum, ut Deus hominem assumeret, et sibi mortem subjiceret. 418
Cap. XX. — Quibus auctoritatibus probatur quod Christus passus sit ad nos liberandum, et peccata nostra delendum. 419
Cap. XXI. — Quibus auctoritatibus probatur quod Christus vere resurrexit a mortuis, et ad cœlos ascendit. 420
LIBER QUARTUS. — Contra paganos seu Mahometanos.
Cap. I. — Quibus auctoritatibus et rationibus dicunt pagani, seu Mahometani, Christum conceptum fuisse de flatu Dei communi. 421
Cap. II. — Solutio Christianorum ad præmissa. 422
Cap. III. — Opinio paganorum, qui dicunt quod Christus fuit impassibilis et immortalis. 423
Cap. IV. — Solutio præmissorum. 424
Cap. V. — Opinio paganorum, qui dicunt homines in æterna beatitudine cibo et potu materiali reficiendos esse. 424
Cap. VI. — Solutio ad præmissa. 424
Cap. VII. — Quod pagani asserunt, quod licitum est eis plures habere simul uxores. 425
Cap. VIII. — Solutio prædictorum. 425
Cap. IX. — Opinio illorum qui dicunt quod sola ablutio corporis per aquam sufficit ad remissionem peccati. 426
Cap. X. — Responsio Christianorum. 426
Cap. XI. — Opinio Judæorum et Saracenorum contra Christianos, quia Christiani habent imagines in ecclesiis. 427
Cap. XII. — Solutio præmissorum. 427
Cap. XIII. — Opinio paganorum, quod neminem debent salutare, nisi fuerit ejusdem sectæ cum eis. 428
Cap. XIV. — Refellitur præmissa opinio. 428

LIBER DE PLANCTU NATURÆ.

Ad lectorem. 429
Natura Alano loquitur. 442
Quomodo Alanus loquatur Naturæ. 446
Verba Alani ad Naturam. 447
Alani prima quæstio. 448
Quæstio secunda. 448
Ratio Naturæ. 448
Solutio primæ quæstionis. 448
Solutio secundæ quæstionis Alani. 450
Tertia quæstio Alani. 451
Responsio Naturæ. 451
Quæstio quarta. 452
Solutio quæstionis. 452
Quinta Alani quæstio. 452
Quæstionis solutio. 452
Sexta quæstio Alani. 454
Quæstionis solutio. 454
Septima Alani quæstio. 461
Responsio Naturæ. 461
De superfluo potu. 462
De superfluitate ciborum. 463
De avaritia. 465
De arrogantia. 467
De invidia. 468
Remedia contra invidiam. 469
De adulatione. 469
Supplicat Alanus naturæ. 470
Remedia contra vitia. 470
Adventus Hymenæi. 471
De vestibus Hymenæi. 472
Adventus Castitatis. 472
Adventus Temperantiæ. 473
Adventus Largitatis. 474
Adventus Humilitatis. 475
Querulosa Naturæ collocutio cum Hymenæo, et virginibus prædictis. 475
Legatio Hymenæi cum Naturæ litteris ad Genium. 476
Resumit Natura suam querulosam locutionem. 478
Natura consolatur Largitatem et Prodigalitatem reprobat. 478
Adventus Genii. 479
Quomodo Veritas comitabatur Genium. 480
Quomodo Natura occurrat Genio adventanti. 480
Alloquitur Genius Naturam. 480
Hic promulgat Genius excommunicationem prætaxatis. 481
Conclusio operis. 482

ANTICLAUDIANUS SIVE DE OFFICIO VIRI BONI ET PERFECTI LIBRI NOVEM.

Ad lectorem. 482
Summarium Anticlaudiani sive librorum de officio viri boni et perfecti. 483
Præfatio ipsius auctoris. 485
Ejusdem præfatio altera. 487
LIBER PRIMUS.
Cap. I. — Natura, sui corruptionem in hominibus perpendens, optat creari hominem omnino perfectum. Convocat virtutes. Processus Virtutum in domum Naturæ. 487
Cap. II. — Concilium Virtutum. 489
Cap. III. — Quo sita erat domus Naturæ. Descriptio silvæ in qua erat domus Naturæ et fontis qui ibidem erat. 489
Cap. IV. — Domus Naturæ in monte sita. Picturæ domus. Pictura imitatur logicam. Aristoteles, Plato, Seneca, Ptolomæus, Tullius, Virgilius. 490
Cap. V. — Mœvius, Neronis crudelitas, Ajax, Paris, Davus. Elementorum concordia. 491
Cap. VI. — Natura loquitur et depravatos hominum mores deplorat. 492
Cap. VII. — Prudentiæ pulchritudo, vestimenta. 493
Cap. VIII. — Prudentia orationem Naturæ approbat. 495
Cap. IX. 496
Cap. X. — Ratio loquitur. Ejus descriptio. 496
LIBER SECUNDUS.
Cap. I. — Voluntas auriga visus. Rationis discursus. Ratio se humilians petit veniam. Approbat consilium Naturæ. Hominem virtutibus omnibus perfectum in terris optat. 497
Cap. II. 499
Cap. III. — Prudentia aptissima indicatur ut ad Deum mittatur. Cœlorum secreta rimatur. 500
Cap. IV. — Concordia describitur. Ejus formæ valor, potestas, etc. 501
Cap. V. — Concordia loquitur. Enumerantur plurima mala quæ in mundo contigerunt defectu concordiæ.

Cap. VI. — Prudentia verbis Concordiæ accensa, legationem assumit. Currus ædificari ordinatur. Septem designantur artes liberales. 504
Cap. VII. — Artes liberales designantur. Artibus liberalibus injungitur ædificatio currus Prudentiæ. Grammatica facit temonem in curru Prudentiæ. Grammaticæ fructus. Grammaticæ natura et usus. 505
Cap. VIII. — Grammatica rudem materiam adaptat operi. Grammaticæ auctores. Donatus. Aristarchus. Priscianus. Grammatici solo cortice gaudent. 508

LIBER TERTIUS.

Cap. I. — Virgo secunda Logica est. Logica axim facit in curru Prudentiæ. Logicæ facies, habitus, etc. Logicæ ars qualis. Sophista fraudes detegit. Logicæ usus. Quomodo ex ferro axim conficiat. Auctores logicæ : Porphyrius, Aristoteles, Zeno, Boetius. 509
Cap. II. — Virgo tertia est Rhetorica. Rhetorica describitur. In dextra gerit tubam, in sinistra cornu. Rhetoricæ officium et usus. Rhetoricæ orationis partes. Cicero, de Rhetorica optime meritus. 511
Cap. III. — Rhetoricæ auctores alii : Quintilianus, Symmachus, Sidonius. Rhetorica temonem in curru Prudentiæ ornat gemmis et argento. Axi quoque varios flores insculpit. 513
Cap. IV. — Quarta soror est Arithmetica. Ejus forma, opus, etc. Ejus vestimenta. Arithmeticæ usus. Arithmetica conficit primam rotam in curru Prudentiæ. Arithmeticæ auctores : Nicomachus, Gilbertus, Pythagoras, Chrysippus. 514
Cap. V. — Musica est quinta soror. Musicæ habitus. Musicæ auctores. Musicæ efficacia. Musica secundam rotam facit in curru Prudentiæ. Michalus doctor musices. 516
Cap. VI. — Geometria sexta soror est. Geometriæ habitus. Ejus opus. 518
Cap. VII. — Geometria rotam tertiam fabricat. 519

LIBER QUARTUS.

Cap. I. — Astronomia virgo ultima. Astronomiæ vultus et habitus. Ejus dignitas et ars. Planetarum orbes et motus. Rotam quartam fabricat Astronomia. Concordiæ partes currus disponit et unit. 519
Cap. II. —Ratio quinta equos jungit currui Prudentiæ, scilicet quinque sensus. Primus equus, Visus est. Auditus, est secundus equus. 521
Cap. III. — Olfactus est tertius equus. Gustus est quartus equus. Tactus est quintus equus. 522
Cap. IV. — Ratio equos omnes regit, et currui jungit. Ratio auriga Sapientiæ et Prudentiæ. Prudentia monita Ratione, currum conscendit, scrutatur aerem, ejusque naturam. 524
Cap. V. — Prudentia considerat spiritus in aere vagantes. 525
Cap. VI. — Supremam aeris regionem visitat Prudentia. Arx solis describitur. Sphæra Veneris describitur. Stilbon est stella Mercurii. Sphæra Mercurii. 526
Cap. VII. — Palatium Martis describitur. Jovis regio describitur. Stella Jovis, bona est. 527
Cap. VIII. — Saturni sphæra describitur. Tarde movetur. Stella Saturni mala. 528

LIBER QUINTUS.

Cap. I. — Firmamentum ascendit Prudentia. Zodiacus cum suis signis describitur. 529
Cap. II. — Equi, sive sensus externi, cœli secreta penetrare nequeunt. 529
Cap. III. — Theologiæ ornatus. Librum in dextra gerit, sceptrum in sinistra. 530
Cap. IV. — Prudentia Theologiam salutat. Ejus ducatum requirit. Itineris causam pandit. Hominem beatum formari desiderat Natura. Naturæ potestas limitata. Anima petitur virtutibus omnibus prædita. 532
Cap. V. — Theologia se comitem offert Prudentiæ, modo currum et equos deserat. Prudentiæ in cœlum tendenti, conceditur equus secundus Auditus. Auctoris oratio piissima ad Deum. 533
Cap. VI. — Prudentia aquas crystallinas miratur. Elementorum miratur concordiam. Aquarum crystallinarum naturam examinat. Rerum super lunarium exacta cognitio naturæ vires excedit. 535
Cap. VII. — Cœli empyrei deliciæ. 536
Cap. VIII. — Sancti de terra assumpti cœlum incolunt. Sanctorum diversa merita. 537
Cap. IX. — Mariæ Virginis laudes et prærogativa. 538

LIBER SEXTUS.

Cap. I. — Prudentia splendorem cœli Empyrei ferre non valet. Theologia illam confortat. Theologia implorat auxilium Fidei. Theologia articulos fidei docet. 539
Cap. II. — Fides, hortatu Theologiæ, accedit Prudentiam, eamque ab exstasi liberat. Exstasis describitur. Prudentiæ languenti datur cœlestis potio. Fides offert Prudentiæ speculum, in quo omnia cernat, quæ in cœlo sunt, licet nonnisi obscure. 541
Cap. III. 543
Cap. IV. — Prudentia, relicto Rationis ductu, Fidem sequitur. Fides Theologiam etiam assumit in comitem. Prudentia comitata Fide et Theologia cœlestia loca ingreditur. Speculo armat oculos. Prædestinationis causas rimatur. Varia Dei inducia perpendit. Alia cœli empyrei mirabilia considerat. 543
Cap. V. — Prudentia freta comitibus suis, Fide et Theologia, arcem Dei conscendit. Prosternit se Deo. A Deo erigitur, et confortatur. 545
Cap. VI. Deum alloquitur, cum omni humilitate. Causam legationi suæ exponit. Conqueritur mundum totum in maligno positum esse. Naturæ petit succurri formatione hominis novi. Naturæ necessitatem pergit exaggerare. Qualitates exponit novi hominis quem requirit a Deo. 545
Cap. VII. — Deus consolatur Prudentiam. Petitioni ejus assensum præbet. Misericordia supereminet judicio. Anima promittitur nova, virtutibus omnibus decorata. 547
Cap. VIII. — Prudentia Deo gratias agit. Deus promissum implet. Noys præparat ideam animæ creandæ. Deus animam creatam Prudentiæ commendat. Anima unguento perfunditur contra peccata. Prudentiæ voti compos revertitur, cui occurrit ratio. Natura miratur perfectiones animæ recenter creatæ, et a Prudentia sibi oblata. 548

LIBER SEPTIMUS.

Cap. I. — Prudentiæ revertenti a Deo occurrunt virtutes. Natura ex elementis nobile corpus format. Corporis formati pulchritudo. 549
Cap. II. — Concordia fœderat animam corpori. Arithmetica et Musica cooperantur conjunctioni animæ et corporis. 550
Cap. III. — Pudicitiæ et Modestiæ dona. 551
Cap. IV. — Rationis dona. 552
Cap. V. — Honestatis dona. 553
Cap. VI. — Logicæ virtus. Rhetoricæ, Arithmeticæ, Musicæ, Geometriæ, Astrologiæ, Theologiæ, Pietatis dona. 554
Cap. VII. — Fidei dona. 556
Cap. VIII. — Nobilitas filia Fortunæ. 557
Cap. IX. — Adversitatis fluvius. 558

LIBER OCTAVUS.

Cap. I. — Fortunæ domus describitur. Fortuna nusquam stabilis. 559
Cap. II. — Nobilitas domum Fortunæ, matris suæ, accedit. Fortuna et Nobilitas domum Naturæ adeunt. Nobilitatis dona parvi momenti sunt, respectu virtutum. Ratio assistit Fortunæ. Non sinit dare divitias, nisi mensurate. 560
Cap. III. — Alecto dolet hominem ad tantam perfectionem devenisse. Vitiorum congregatur concilium ad hominem impugnandum. 562
Cap. IV. —Alecto Fastum alloquitur. Conqueritur de conversione hominum. Hominem impugnandum decernit. 562
Cap. V. — Vitia conspirant in hominem. Prima bellum sitit Discordia famulis suis, seu Livore, Rabie, etc. Discordiæ comites alii recensentur. 563
Cap. VI. — Stultitiæ bellum. Ejus comites. Impietatis comites, Avaritia, furia infernalis, et ejus sequela. Vitiis strenue se opponunt Virtutes hominemque defendunt. 564
Cap. VII. — Vitia magno impetu in orbem prorumpunt. Conflictus virtutum et vitiorum præludium. 566

LIBER NONUS.

Cap. I. — Pugnæ descriptio insignis. Discordia pugnam inchoat. Homo justus strenue sese vitiis opponit. Discordiam primo aggreditur, et obtruncat. Cætera quoque vitia perimit vel fugat. 565
Cap. II. — Paupertatis arma. Invadit hominem. Sodales Paupertatis recensentur. Paupertas sternitur. Ejus fugantur sodales. 567
Cap. III. — Infamia oppugnat hominem. Repellitur. Infamiæ comites. Infamia sternitur. Comites fugiunt 568
Cap. IV. — Senectutis impetus. Luctando invadit hominem. Senectutis arma. Senectus sine vulnere vincitur. Victa fugit, armis dejectis, contenta baculo. 569
Cap. V. — Fletus ulturus matrem armatur in hominem. Vincitur per risum. Venus fortiori impetu hominem

aggreditur. Ejus arma. Homo fugiendo sagittam vibrat, Veneremque perimit. Fugiendo fugatur Libido. Libido potentiam suam jactat, et victorias recenset. 570
CAP. VI. — Excessus hominem oppugnat. Vincitur a Moderantia. Luxum vincit Sobrietas. Gula expugnatur. Carnis stimulum debellat Ratio. Imprudentiæ bellum; vincitur a Prudentia. 571
CAP. VII. — Impietatis bellum. Impietas non movetur blanditiis. Proprio labore fatiscit. Fraudis bellum. Adulatione tentat superare hominem. Fides Fraudem superat. 572
CAP. VIII. — Avaritiæ bellum. Superatur a Largitate. Prosperitas. Homo auxilio Virtutum debellat Vitia. Homo beatus describitur et extollitur. 573
CAP. IX. — Auctor munit opus suum contra Zoilorum dentes. 574
Epilogus. — A Deo semper incipiendum et in eumdem desinendum. 575
RHYTHMUS DE INCARNATIONE CHRISTI. 577
Rhythmus alter quo fluxa et caduca hominis natura graphice depingitur. 579
DOCTRINALE MINUS, alias *Liber parabolarum*.
Monitum ad lectorem. 579
Liber parabolarum. 581
SUPPLEMENTUM AD EDITIONEM CAROLI DE WISCH.
DE ARTE SEU ARTICULIS CATHOLICÆ FIDEI.
Monitum. 593
Prologus. 595
LIBER PRIMUS.
I. — Quidquid est causa causæ, est causa causati. 597
II. — Omnis causa subjecti est causa accidentis. 598
III. — Nihil seipsum composuit, vel ad esse perduxit. 599
IV. — Neque subjecta materia sine forma, neque forma sine subjecta materia actu potest esse. 599
V. — Compositionem formæ ad materiam esse causam substantiæ. 599
VI. — Cujuslibet substantiæ est triplex causa, scilicet materia et forma, et earum compago, quarum trium eadem est causa. 599
VII. — Quæcunque sub numero cadunt, differunt, vel differre faciunt. 600
VIII. — Nihil est causa sui. 600
IX. — Cujuslibet inferioris esse est suprema causa. 600
X. — Causa suprema neque componitur alicui, neque ipsam aliqua componunt. 600
XI. — Causa suprema neque proprietas, neque forma. 600
XII. — Causam supremam simplicissimam esse oportet. Unde manifestum est unam tantum esse omnium causam supremam, quam ratiocinandi gratia dicimus Deum. 600
XIII. — In Deum nullum cadit accidens. 600
XIV. — Deus nec alterari, nec augeri potest, nec minui, nec localiter moveri. 601
XV. — Deus est æternus. 601
XVI. — Deus est immensus, incomprehensibilis, ineffabilis, innominabilis. 601
XVII. —Deum nulla scientia, sed sola fide deprehendimus. 601
XVIII. — Deus est in omni tempore, in omni loco, omnia et quantalibet potens. 601
XIX. — Quæ in rerum creatione et dispositione commendabilia contemplamur per effectum et causam attribuuntur Creatori. Unde quia potenter et bene potentia et bona creata sunt, Creatorem potentem et bonum dicimus esse; et quia in rerum dispositione charitas, justitia, misericordia, humilitas, pietas, et hujusmodi perpenduntur, ipsum pium, humilem, justum, misericordem dicimus et sapientem. Porro etiam notis similitudinibus dicitur lux, fons, oriens, lumen, vita, videns, aliisque ex omni genere linguarum vocabulis ad ejus magnitudinem prædicandam transumptis. 602
XX. — Deus est potentia, qua dicitur potens; sapientia, qua sapiens; charitas, qua diligens. Cæteraque nomina, quæ divinæ naturæ competunt, de Deo, sed improprie divinam prædicant essentiam. 602
XXI. — Omnia in Deo, et Deus in omnibus, et omnia dicitur esse causative. 603
XXII. — Deus essentialiter est ubique, et nusquam localiter. 603
XXIII. — Cujuslibet substantiæ admiranda compago, quantus sit suus auctor, ostendit. 603
XXIV. — Materia et forma, earumque compago tria prorsus diversa sunt, quæ in cujuslibet substantiæ creatione principaliter exiguntur. Unde manifestum est quod in unius ejusdemque substantiæ creatione effectus in uno eodemque Creatore Trinitatem esse convincit. Et hæc Trinitas tres personæ dicuntur, prima Pater, secunda Filius, tertia Spiritus sanctus. 603
XXV. — Licet in qualibet substantiæ creatione materiam Patri, formam Filio, compositionem Spiritui sancto possit congruus ordo destinare: Tamen in quolibet trium totam Trinitatem necesse est operari. 603
XXVI. — Materiæ forma innata, et ex ipsis procedens compago Filium natum a Patre, et eorum nexum amoremque Spiritum sanctum ab utroque procedere nobis figuraliter pronuntiant. 603
XXVII. — Pater et Filius et Spiritus sanctus æquales sunt potentia et natura. 604
XXVIII. — Una est essentia trium personarum, quarum nulla est altera reliquarum. 604
XXIX. — Quæcunque prædicant divinam essentiam, tribus personis conveniunt. 604
XXX. — Personarum Trinitas est unitas Deitatis. 604
LIBER SECUNDUS.
I. — Deus est summum bonum, nec in eo, nec ab eo malum. 605
II. — Quidlibet, sive substantia, sive accidens sit, in sui esse natura bonum esse necesse est. 605
III. — Summa charitas, justitia, humilitas, misericordia perpenditur in Deo. 605
IV. — Rem divinæ sapientiæ, et gloriæ participem fuisse creandam divina charitas probat, et res illa spiritus rationalis dicitur. 605
V. — Spiritus rationalis Deum timere, et servire tenetur, et in omni obedientia ministrare. 606
VI. — Machina mundi cum suis multiplicibus ornamentis in timoris et laudis et ministerii Dei, et comitandæ gloriæ materiam fuerat fabricanda. 606
VII. — Ob multiplices ministeriorum causas in machina mundi multos oportuit spiritus rationales creari: ipsos autem Dei nuntios appellamus 606
VIII. — Liberum arbitrium bene et male gerendi fuerat angelis de necessitate justitiæ conferendum. 606
IX. — Angelorum naturam fortem et subtilem, et multiplici gratia ditatam fuisse credendum est. 607
X. — Ut bene mereantur angeli, tenentur libero arbitrio uti ad bonum. 607
XI. — Angeli utentes male libero arbitrio irremediabiliter fuere damnandi. 607
XII. — Charitas et humilitas Dei ad omnia protenduntur. 607
XIII. — Cum omni re aliquid in sui natura commune habens, sapientiæ et gloriæ Dei communicans, etiam de vilissima materia fuerat procreandum; et illud hominem appellamus. 607
XIV. — Liberum arbitrium fuerat homini indulgendum. 608
XV. — Omnes cogitatus, sermones et actus humani ad Deum tanquam ad legitimum finem sunt ex debito dirigendi. 608
XVI. — Voluntati hominis cum effectu, quantum in ipsa est, præmium et pœnam æquum est compensari. 608
XVII. — Voluntas bene merendi perpetua digna est retributione perpetua. 608
XVIII. — Bene merentium apud Deum retributionem non mercedem, sed gratiam esse constat. 608
XIX. — Omnis res bene vel male merendo laborans præmio debet gaudere, vel pœna damnari. 608
XX. — Bonum, quod in Deo est, bene merentibus confertur. Unde manifestum est Deum bene merentibus se ipsum conferre. 609
XXI. — Humana fragilitas a bono statu facilem ruinam incurrit. 609
XXII. — Mentis inquinamentum ablui desiderat et abstergi. 609
XXIII. — In cogitationibus, verbis, operibus malis corrigendis consilium est quærendum. 609
XXIV. — Corporis fragilitas indiget remedio sublevari. 609
XXV. — Multiplex morbi causa multiplici indiget remedio medicinæ. 609
XXVI. — Creber casus crebrum expetit auxilium resurgendi. 610
XXVII. — Ut homo sanior et fortior fiat, instandum est multiplicibus adjumentis. 610
XXVIII. — Forma hominis per abusum deformis effecta indiget reformari. 610
XXIX. — Male merens apud Deum Deo injuriosus existit. 610
XXX. — Male merens in infinitum magna puniendus est pœna. 610

LIBER TERTIUS.

I. — Homo lapsus et pœnitens debuit divina misericordia visitari. 609
II. — Lapsum hominem oportuit, ad percipiendam gloriam, reparari. 609
III. — Hominis culpam debuit homo satisfactione delere. 610
IV. — Satisfactione hominem reparare neque angelus neque homo purus potuit, neque alia creatura. 610
V. — Opportunum fuit Deum pro homine satisfacere. Unde magnum est, Deum hominem factum, reparaturum fuisse genus humanum. 611
VI. — Secunda persona de Trinitate ad uniendum sibi humanam naturam fuit convenientius destinanda. 611
VII. — Homo reparator pro lapso homine Deo debuit se offerre. 611
VIII. — Oblatio debita pro homine redimendo sincera debet esse, et ab omni peccati contagio aliena. 611
IX. — Ex muliere incorrupta carnem Dei Filius fuerat assumpturus; et ille dictus est Christus. 612
X. — Pro peccatis lapsorum contumelias et terrores et mortis pœnam Redemptorem decuit sustinere. 612
XI. — Hostia illa Deo Patri fuerat offerenda 612
XII. — Hostia illa pro quorumlibet hominum quantislibet excessibus sufficiens est satisfacere Creatori. 612
XIII. — Hostia hæc Deo Patri crebris est ministeriis offerenda. 612
XIV. — Hoc remedium est inutile recusanti. 612
XV. — Deus alio modo potuit humanum genus competenter redimere. 612
XVI. — Expertem hujus remedii ad gloriam nullatenus, sed ad pœnam potius pertinere. 612

LIBER QUARTUS.

I. — Prædicatio et sacramenta Ecclesiæ necessaria sunt. 613
II. — Baptismi causam inquirere. 613
III. — Eucharistiæ causam scrutare. 613
IV. — Matrimonii causam investigare. 614
V. — Pœnitentiæ causam rimare. 614
VI. — Multiplicium in Ecclesia sacramentorum causas multiplices explicare. 614
VII. — Fideles Christi sacramentorum fidem habere constat. 615
VIII. — Fides sacramentorum exigitur a bene merentibus apud Deum. 615
IX. — Alicui nondum baptisato nec recusanti, neque pravam conscientiam habenti collatus aliquid confert baptismus. Unde manifestum est, mente captis efficacem esse baptismum et parvulis. 615

LIBER QUINTUS.

I. — Resurrectio est corporis et animæ morte separatorum iterata conjunctio, tam animæ quam corpori pro facti qualitate præmium vel pœnam conferendo. 615
II. — Totus homo retributionem perpetuam consequitur. 615
III. — Homo resurget in carne, quam habuit, et cum anima sua pariter denuo uniendus. 615
IV. — Ad omnes tam majores quam minores resurrectionem pertinere generaliter. Unde manifestum est Christum a mortuis resurrexisse. 616
V. — Corpus incorruptibile expersque defectus resurrectio captabit. 616
VI. — Sancti in gloria perfectæ scientiæ charitatisque retributione gaudebunt. 617
VII. — Tormento perpetuo damnatorum nulla major est pœna. 618

REGULÆ THEOLOGICÆ.

Præfatio. 617
Prologus. 621
Reg. I — Monas est, qua quælibet res est una. 623
Reg. II. — In supercœlesti unitas, in cœlesti alteritas, in subcœlesti pluralitas. 623
Reg. III. — Monas gignit monadem, et in se suum reflectit ardorem. 624
Reg. IV. — In Patre unitas, in Filio æqualitas, in Spiritu sancto unitatis æqualitatisque connexio. 625
Reg. V. — Sola monas est alpha et omega sine alpha et omega. 625
Reg VI. — Omne limitatum alpha et omega aut est bonum ab alpha, aut est bonum ab alpha et omega. 626
Reg. VII. — Deus est spæra (sic) intelligibilis, cuius centrum ubique, circumferentia nusquam. 627
Reg. VIII. — Deus est cui quidlibet quod est, est esse omne quod est. 627
Reg. IX — Quidquid est in Deo, Deus est. 628
Reg. X. — Omnis prædicatio de Creatore facta, copulata est et conjuncta. 628
Reg. XI. — Omne simplex esse suum, et id quod est unum habet. 628
Reg. XII. — Nullum simplex subjectum esse potest 629
Reg. XIII. — Solum simplex est forma absque materia'i subjecto, et substantiæ absque formali prædicato. 629
Reg. XIV. — Omne esse ex forma est. 629
Reg. XV. — Ejus quod est esse, nullum est esse. 629
Reg. XVI. — Sola forma informis est, quia formæ non est forma. 629
Reg. XVII. — Omne nomen datum ex forma, dictum de forma, cadit a forma. 629
Reg. XVIII. — Omnes affirmationes de Deo dictæ incompactæ, negationes vero veræ. 630
Reg. XIX. — Omne simplex proprie est, et improprie dicitur esse. 630
Reg. XX. — Omne simplex alio est, et alio dicitur esse. 630
Reg. XXI. — Omne nomen Deo conveniens convenit ei vel causative, vel similitudinarie, vel adjective, vel negative. 631
Reg. XXII. — Omni theologica prædicatione ostenditur Deus esse quid, vel ad quid. 631
Reg. XXIII. — Omnis terminus, qui de Deo dicitur secundum subs antiam, de tribus personis dicitur singillatim, et in singulari numero; et de tribus in summa, et in singulari numero. 631
Reg. XXIV. — Nullum nomen substantivum voce et significatione, vel voce tantum, pertinens ad essentiam de tribus personis dicitur in summa, et in plurali numero, sed in singulari tantum. 632
Reg. XXV. — Omne nomen adjectivum, adjective retentum, ad essentiam pertinens, de tribus personis dicitur in summa, et in plurali numero. 632
Reg. XXVI. — Omnis translatio in divinis, nominis est, et non rei. 633
Reg. XXVII. — Omne nomen, vel pronomen distinctivum, in masculino, vel feminino nomini personali adjunctum, pertinet ad personam, in neutro vero ad essentiam. 634
Reg. XXVIII. — Nullum nomen, vel pronomen partitivum convenienter adjungitur nomini essentiali. 635
Reg. XXIX. — Quotiescunque dictio exclusiva adjungitur nomini essentiali, nomen potius facit in genus rei, quam in rem generis: nec est pro quo fiat suppositio, sed indeterminate fit sermo de aliquo. 635
Reg XXX. — Omne nomen essentiale, aut est quasi mathematicum, aut est quasi concretivum. 635
Reg. XXXI. — Omne nomen mathematicum minus improprie dicitur de Deo, quam concretivum. 636
Reg. XXXII. — Omne nomen, quod de Deo dicitur, aut est essentiale, aut coessentiale, aut personale, aut compersonale, aut partim personale, partim essentiale. 636
Reg. XXXIII. — Nullum nomen privationis, vel obnoxietatis, vel violentiæ designativum cadit in Deum 637
Reg. XXXIV. — Omnis sermo theologicus debet catholicus esse, generalis, usitatus, ab intellectu non dissonus, rei, de qua loquimur, consonus. 637
Reg. XXXV. — Nomina substantiva minus improprie dicuntur de Deo, quam adjectiva. 637
Reg. XXXVI. — Quotiescunque per pronomen demonstrativum de Deo fit sermo, cadit a demonstratione. 638
Reg. XXXVII. — Verba per majorem improprietatem dicuntur de Deo, quam nomina, vel pronomina. 639
Reg. XXXVIII. — Nullum nomen in divinis est nota ejus quod de altero dicitur, vel quod alterum, sed potius ejus quod idipsum est. 639
Reg. XXXIX. — Nullum verbum minus improprie dicitur de Deo, quam hoc verbum *est*. 640
Reg. XL. — Omne verbum præsentis temporis minus improprie dicitur de Deo, quam præteriti, vel futuri. 640
Reg. XLI. — Omne adverbium locale dictum de Deo prædicat immensitatem divinam, sive quamdam collationem Creatoris ad creaturas, secundum quam Creator in creaturis tanquam causa efficiens in suis effectibus esse dicitur. 640
Reg. XLII. — Localibus circumlocutionibus de Deo prædicatur aut immensitas divina, aut collatio, aut unio. 640
Reg. XLIII. — Adverbia temporalia de Deo dicta prædicant æternitatem. 640
Reg. XLIV. — Adverbia similitudinis de Deo dicta, aut essentiæ veritatem, aut improprietatem, aut adjunctionem significant. 640
Reg. XLV. — Hæc præpositio, *in*, in divinis aliquando notat essentiæ identitatem, et personæ pluralitatem; aliquando quasi diversitatem; aliquando æternam prædica-

tionem; aliquando identitatem; aliquando causam efficientem; aliquando quasi causam formalem. 641

Reg. XLVI. — Hæc propositio, *secundum*, in divinis aliquando notat ordinem causæ, aliquando notat ordinem intelligentiæ. 641

Reg. XLVII. — Hæc propositio, *secundum*, aliquando notat quasi efficientem causam; aliquando quasi formalem; aliquando naturæ conditionem. 641

Reg. XLVIII. — Nominum, quæ de Deo dicuntur, aliud dicitur de tribus personis, ita quod de nulla earum; aliud ita de tribus in summa, quod de singulis; aliud ita de una persona, quod non de aliis. 642

Reg. XLIX. — Nominum theologorum alia appropriantur uni personæ nomine, et re; alia nomine, et non re. 642

Reg. L. — Hoc nomen, *Pater*, de Deo dictum aut prædicat personam, aut personalem proprietatem, aut relationem Patris ad Filium, aut relationem Patris ad creaturas secundum creationem, aut relationem Patris ad hominem secundum recreationem. 642

Reg. LI. — Hoc nomen, *Principium*, aliquando prædicat paternitatem, aliquando spirationem, aliquando relationem Creatoris ad creaturas. 643

Reg. LII. — Nominum, quæ appropriantur personis nomine et re, alia dicuntur per positionem, alia per abnegationem. 645

Reg. LIII. — Hæc circumlocutio, *Spiritus sanctus*, aut personam, aut personalem proprietatem, aut relationem in divinis prædicat. 646

Reg. LIV. — Ille solus vere est omnipotens, qui potest omnia, quæ posse est aliquid posse. 647

Reg. LV. — Id solum potest Omnipotens quod ejus justitiæ, ejus potentiæ, ejus misericordiæ convenit. 647

Reg. LVI. — Deus omnipotens dicitur, quia potest non solum quæ sunt, vel fieri possunt, sed etiam ea, quæ fieri non possunt. 647

Reg. LVII. — Quidquid est possibile secundum inferiorem causam, est possibile secundum superiorem: sed non convertitur. 648

Reg. LVIII. — Omne impossibile secundum inferiorem causam, ad quod sequitur impossibile secundum superiorem, est impossibile Deo. 648

Reg. LIX. — Non si veritas est in essentia, possibilitas in natura. 649

Reg. LX. — Omnipotens nihil non potest quod potuit, nihil non potuit quod potest. 650

Reg. LXI. — Opera Trinitatis indivisa sunt. 650

Reg. LXII. — Nihil contra illius voluntatem fieri potest, qui nihil nisi bonum velle potest. 651

Reg. LXIII. — Prima substantia non recipit majus, vel minus. 651

Reg. LXIV. — Divina providentia falli non potest. 652

Reg. LXV. — Necessarium est evenire, quod Deus prævidit, necessitate consequenti, non consequentis. 652

Reg. LXVI. — Ad necessitatem superioris causæ sequitur necessitas inferioris causæ; sed non convertitur. 652

Reg. LXVII. — Necessitati superioris causæ cedit necessitas inferioris causæ. 654

Reg. LXVIII.—Omnia in quantum sunt, bona sunt. 654

Reg. LXIX. — Cujus finis bonus est, ipsum quoque bonum est. 656

Reg. LXX. — Unius actionis diversi fines esse non possunt. 656

Reg. LXXI. — Omne meritum est voluntarium aut voluntate originis, aut origine voluntatis. 657

Reg. LXXII. — Penes voluntatem est omne meritum. 658

Reg. LXXIII. — Omne peccatum fit aut in committendo quod non oportet, aut omittendo quod oportet. 658

Reg. LXXIV. — Non facere vitat pœnam, facere meretur coronam. 659

Reg. LXXV. — Omnis actio informis, vel deformis, formata esse non potest: nec e converso. Sic nec magis, nec minus potest esse informis, vel deformis, nec magis, nec minus formata. 659

Reg. LXXVI. — Omne peccatum est pœna aut passionis affectu, aut consequentis effectu. 660

Reg. LXXVII. — Omnis pœna aut est in bono conservans, aut bonum probans, aut malum purgans, aut ad majus bonum invitans, aut in malo indurans, aut sola acredine crucians, aut peccato commaculans. 661

Reg. LXXVIII. — Omnis motus concupiscibilitatis ad illecebras est vitium ex peccato; omnis motus concupiscentiæ in illecebris est peccatum ex vitio. 661

Reg. LXXIX. — Omnis voluntas affectionis est meritum faciens; voluntas effectionis est meritum perficiens. 661

Reg. LXXX. — Non paritas effectus in voluntate, sed paritas affectus in voluntate paritatem parit in crimine. 662

Reg. LXXXI. — Omne peccatum, quo pœnitentiæ pœna remittitur, pœnitentia pœnæ admittitur, non essentia actus, sed æquipollentia reatus. 662

Reg. LXXXII. — Omne meritum pœnæ penes hominem est actione; omne meritum gloriæ super hominem auctoritate. 663

Reg. LXXXIII. — Homo gratia a Spiritu habet posse quo velit; gratia in Spiritu habet velle quo possit. 663

Reg. LXXXIV. — Omne hominis arbitrium magis liberum est ad malum serviendo, minus liberum ad bonum liberando, ut major libertas sit servitutis, minor libertatis. 664

Reg. LXXXV. — Sicut omne bonum meritorium in homine, aut progrediendo proficit aut tependo languescit, aut cessando deficit: sic omne malum meritorium in homine aut continuando augetur, aut attritione remittitur, aut contritione dimittitur. 664

Reg. LXXXVI. — Omnis justus alii mereri potest meritum præmii, non præmium meriti. 665

Reg. LXXXVII. — Gratia ad meritum fit in nobis sine nobis, libero arbitrio comitante, non cooperante; gratia vero in merito fit in homine per hominem arbitrio libero faciente ad hoc, non sufficiente. 666

Reg. LXXXVIII. — Omnes virtutes simul, et similiter dantur homini a creatione, ut sint per naturam; ex recreatione vero infunduntur homini, ut sint virtutes per gratiam; pariter quidem habitu, sed dispariter usu. 666

Reg. LXXXIX. — Virtus et vitium sunt opposita mediate, non medii positione, sed utriusque abnegatione. 667

Reg. XC. — Meritum boni consistit penes liberum arbitrium occasionaliter, penes virtutem formaliter, penes motum virtutis essentialiter, penes gratiam efficaciter, penes opus instrumentaliter. 669

Reg. XCI. — Charitas inter virtutes est causa prior, diuturnitate major, mater informatione, forma apparitione, finis remuneratione, universalior opere. 669

Reg. XCII. — Charitas in aliquo homine est ut rivulus et quasi finalis, cui communicat alienus; in aliquo vero est ut fons, et finalis, quam non participat nisi domesticus. 669

Reg. XCIII. — Ex fide dicitur justificari homo, non quod ex ea sit justificatio, sed quia procedit ex ejus articulo. 670

Reg. XCIV. — Nullum opus in charitate factum deformatur ad meritum pœnæ æternæ; sed opus ex charitate factum informatur ad meritum gloriæ. 670

Reg. XCV. — Sicut in homine consideratur perfectio ratione comparationis, comprehensionis, facti, voti, sufficientiæ, conscientiæ: ita in charitate consideratur perfectio, signi ratione, impedimenti exclusione, continuatione, radicatione, fervoris intensione. 671

Reg. XCVI. — Omnis timor bonus aut est initialis terminus fidei intra sumptus, vel extra sumptus; aut finalis terminus fidei vel intra sumptus, vel extra sumptus. 671

Reg. XCVII. — Sicut caro dicitur obedire rationi, quando non agit directe contra rationem, et ita ratio dicitur consentire carni, quando non reprimit carnem. 673

Reg. XCVIII. — Charitas quæ ab homine habetur, facit aliquid diligi, aut quia habet, aut ut habeat, aut ut habeatur. 673

Reg. XCIX. — Sicut homo per charitatem a thesi suæ naturæ in apotheosim gratiæ ascendens est deificatus: ita Deus per charitatem ab apotheosi suæ naturæ in hypothesim nostræ miseriæ descendens est humanatus. 673

Reg. C. — Humana natura unita est divinæ, ut substantiæ diversitas sit in uno, et naturæ proprietas maneat in unito. 674

Reg. CI. — Sicut pars non potest esse totum, vel constituens constitutum, ita assumens non potest esse assumptum. 675

Reg. CII. — Ad hoc ut Christus esset homo, triplex concurrit unio: unio compersonalis, ut humanæ naturæ esset; unio subpersonalis, ut viveret; unio propersonalis. 676

Reg. CIII. — Numerus cadit in Christum memorialis, quo numeratur substantialis hypostaseos; materialis, quo numeratur usia cum usiosi. 676

Reg. CIV. — Necessitas moriendi fuit in Christo, non ex actione superans animum, sed voluntate astringens

eventum. 677
Reg. CV. — In Christo fuit timor propassionis, non rationi obvians; sed non timor passionis mentem conturbans. 677
Reg. CVI. — Christus nil sibi meruit operibus suis: sed quidquid meruit, meruit nobis operibus singulis. 677
Reg. CVII. — Sicut Creator factus creatura per creaturæ susceptionem: ita creatura fit corpus Creatoris per creaturæ transubstantiationem. 678
Reg. CVIII. — In alia specie est corpus Christi, et sub alia specie est. 679
Reg. CIX. — Ad hoc ut panis transubstantietur in Dominicum corpus, fit quatuor concursus: ut sit in persona ordo, in agente intentio, in pane materia, in verbis forma. 679
Reg. CX. — Sicut eucharistia est sacramentum, dignitatis justitiam perficiens; sic baptismus est sacramentum necessitatis ad justitiam proficiens. 679
Reg. CXI. — Sacramentum confirmationis non datur ad hoc ut baptismus habeatur, sed ut plenius possideatur. 679
Reg. CXII. — Sicut baptismus est primum remedium contra peccati originalis lapsum: sic pœnitentia est secunda tabula post peccati naufragium. 680
Reg. CXIII. — Sicut baptismus est sacramentum fidei, confirmatio sacramentum spei, et eucharistia sacramentum charitatis: sic extrema unctio est sacramentum pœnitentiæ, vel contritionis. 680
Reg. CXIV. — Conjugium est sacramentum remedii ad fugam, non necessitatis ad electionem 681
Reg. CXV. — Sacer ordo est sacramentum, quo insignitur homo, ut sic aliis per honorem præsit, ut eis per onus prælationis prosit. 681
Reg. CXVI. — Omne dictum usque adeo a causa est, ut si causa non fuerit, ipsum quidem vacuum sit. 681
Reg. CXVII. — Aliud est dictum, aliud dicendi causa. 682
Reg. CXVIII. — Omnis causa dicti, alio dicitur, et alio exponitur. 682
Reg. CXIX. — Diversa dicendi causa est a re cujus est, ut dictum est, causa. 682
Reg. CXX. — Causa rei alia intrinseca, alia extrinseca. 682
Reg. CXXI. — Causarum alia dicitur per se, alia ad aliud. 683
Reg. CXXII. — Causarum alia prima, alia secunda. 683
Reg. CXXIII. — Prima causa aut natura est subsistentis, aut proprietas ejus. 683
Reg. CXXIV. — Secunda causa dicendi aut pertinet ad naturam, aut pertinet ad proprietatem. 683
Reg. CXXV. — Una causa dicendi est, quæ ad omnem pertinet dicti causam. 684
LIBER IN DISTINCTIONIBUS DICTIONUM THEOLOGICALIUM.
Prologus Alani ad Hermengaldum abbatem Sancti Ægidii. 685
Prologus alter ejusdem. 687
Incipit Liber in Distinctionibus dictionum theologicalium. 687
Index analyticus. 1013

FINIS TOMI DUCENTESIMI DECIMI

Ex Typis L. MIGNE, au Petit-Montrouge.